UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Ioannis De Lvgo Hispalensis, É Societate Iesv, Jn Collegio Romano Eivsdem Societatis Olim Theologiae Professoris, nunc S. R. E. Cardinalis, Dispvtationes Scholasticae, & Morales, De virtute, & ...

Lugo, Juan de

Lvgdvni, 1666

Tractatvs de Sacramento Poenitentiæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-82358

Visual Library

ad sui perpetuitatem, & vt nunquam sine hominis culpa auferatur; imò, vt si absque culpa ablata fuerit, restituatur. Sic enim in humanis, qui semel filius adoptiuus, vel amicus fit alicuius, videtur iam habere ius aliquod, vt sine culpa non priuetur filiatione, vel amicitia; atque adeo, vt si absque culpa priuatus fuerit, restituatur. Vnde, si natura humana semel à Verbo diuino ad hypostaticam, vnionem assumeretur, non solùm acquirit ius ad perpetuitatem vnionis, & status illius, sed etiam vt si aliquando dimitteretur, restitueretur postea ad eundem statum; imò consequenter videtur acquirere ius, vt si de potentia Dei absoluta, destrueretur, & annihilaretur; postea tamē reproduceretur, & reassumeretur: hoc enim totū videtur includi in perpetuitate status, ad quā affert ius vnio illa humanitati semel data. Quod idē cum proportione de gratia habituali dicendum videtur, per quam homo adoptatur in filium, & assumitur in amicum Dei, atque adeo affert ius ad perpetuitatem, hoc est, vt sine culpa non cadat homo ab eo statu, & dignitate, & si ceciderit absque culpa restituatur.

53. Cæterùm, quod attinet ad propositum nostrum, & restitutionem gratiæ per peccatum amissæ, non vtor illo argumento, quia vt dixi *sect.* 1. si Deus remitteret peccatum per meram condonationem extrinsecam absque infusione gratiæ, non repugnaret neque esset contra naturam, & dignitatem meritorum præcedentium, quod non reuiuiscerent, nec restitueretur gratia illius correspondens: multo ergo minùs esset contra exigentiam gratiæ habitualis collata per Sacramenta, quod non restitueretur postea, si homini absque gratiæ infusione per condonationem Dei remitteretur peccatum. Ratio autē sumitur ex supradictis: quia licèt gratia semel collata exigat ex se perpetuitatem hoc est, vt sine culpa non tollatur, non tamen exigit vt conseruetur, vel restituatur posita culpa hominis. Et quāuis remisso peccato, auferatur culpa; posset tamē Deus remissa culpa, non remittere pœnā, vel totam, vel partem. Posset ergo Deus, condonare culpam, non condonata pœna, saltem quoad partem illam nō recuperandi gratiā habitualē ablatam, filiationē, & amicitiam, atq; ideo non esset cōtra naturam cōdonationis nec cōtra exigentiā gratiæ, quod gratia nunquam restitueretur; quia cū fuisset ablata propter culpam hominis, posset in pœnam illius culpæ nunquam restitui. Meliùs ergo probatur necessitas restituendi gratiam, ex exigentia gratiæ, qua peccator iustificatur, quæ gratia exigit vt non puniatur homo amplius pœna æterna ob peccatum præteritū, atq; adeo quod non patiatur priuationē æternam illius gratiæ, quam propter peccatū amisit.

54. *Homo per Pœnitentiam semper resurgit ad maiorem gratiā, quàm prius haberet.*

Ex dictis infertur primò cū Suarez, & aliis hominem per pœnitentiam semper resurgere ad maiorem gratiam, quam prius habebat; recuperat enim totam illam, & præterea accipit illam de nouo ex vi contritionis, vel Sacramenti præsentis. Nec ex hoc sequitur, eum esse melioris conditionis quam si non peccasset: Si enim non peccasset, habuisset præmium eorū omniū operum, quæ fecit, quandiu erat in statu peccati, quæ tamen nunquam ad præmium illi proderunt beatitudinis æternæ, cum fuerint opera mortua.

Obiiciunt aliqui experientiam cōtrariam, quia pœnitens sæpe experitur in se difficultatem ad bene operandum: ergo non recuperat habitus virtutum in ea intensione, quam priùs habebant. Respondetur facilè, habitus infusos non dare facilitatem, sicut acquisitos, vt alibi docui, & ex multis aliis experientiis comprobaui cum Vasquez 1.2. *disp.* 83. *cap.* 1. quem sequitur Coninch. *in præsentī num.* 175. difficultas ergo illa oritur ex defectu exercitij bonorum operum, quæ paulatim contrariis actibus expellenda est, & auxiliis diuinæ gratiæ, quæ magis in dies inclinent, & moueant voluntatem ad obiecta, à quibus priùs auertebatur.

55. *Adamo restituta fuit gratia habitualis, quàm ante peccatum habuerat.*

Infero secundò, Adamo etiam restitutam fuisse gratiam habitualem, quàm ante peccatū habuerat. In quo immerito, & absque fundamento dubitat P. Coninch in præsenti. Ratio enim supra adducta eodem modo probat de illa, sicut de nobis: quia alioquin Adamus pateretur aliquam æternā pœnā sui peccati, scilicet, carentiam illius gratiæ, & gloriæ correspondētis. Quāuis ergo nō recuperauit in hac vita iustitiam originalem: recuperauit tamen gratiam habitualem, quæ licèt quoad primam collationē non fuerit ex meritis Christi, fuit tamē quoad reparationem, in quo nullum est inconueniens.

Restabat, vt nunc ageremus de alio effectu pœnitentiæ in ordine ad satisfaciendum pro debito pœnæ temporalis: de hoc tamen commodiùs dicemus infra *disp.* 24. post explicatas alias partes Sacramenti pœnitentiæ, ne tractatum de satisfactione diuidamus, sed simul de satisfactione ex opere operantis, & ex opere operato tractemus.

TRACTATVS DE SACRAMENTO POENITENTIÆ.

DISPVTATIO XII.

De institutione, & partibus Sacramenti Pœnitentiæ.

SECT. I. *Sacramentum Pœnitentiæ ab aliis dicti nōtum à Christo esse institutum.*

SECT. II. *De partibus Sacramenti Pœnitentiæ.*

SECT. III. *Quid importetur in recto per Sacramentum Pœnitentiæ?*

POST QVAM egimus de virtute Pœnitentiæ, sequitur vt de Sacramento pœnitentiæ agamus: quod quidem multis nominibus apud Patres, & Concilia appellari solet. Primò vocatur: *Lauacrum lachrymarum*, & *Secunda purgatio*. Sic Nazianz. *oratione in sanctum lauacrum*, & *oratione in luminaria*. Secundò vocatur *iterabilis Baptismus* differt enim à primo baptismo, quia iterabilis non est. Sic August *lib. de Baptismo*. Tertio

1. *Varia nomina Sacramēti Pœnitētiæ.*

Conc. Trid.

tio *vocatur baptismus laborioſus*, vt ex Sanctis Patribus refertur in Conc. Trident. *ſeſſ.* 14. *c.* 2. & redditur ratio, quia habet adiunctum laborem & fletum. Quartò dicitur *Sacramentum Confeſſionis*, quo nomine vtitur Cyprianus *ſerm. de baptiſ.* & Lucius Papa in *cap. ad abolendam.* de hæreticis. Quintò, dicitur *ſecunda tabula poſt naufragium*, quod nomen meritò à SS. Patribus vſurpatum fuiſſe definit Concil. Trident. *ſeſſ.* 6. *c.* 14. & *ſeſſ.* 14. *can.* 2. ſcilicet contra hæreticos recentiores, qui illas appellationes vehementer reprehendunt, provt facit Caluinus in Antidoto contra Trident. vt refert Becanus *art.* 3. *pag.* 106. illam tamen metaphoram ex Tertullian. *lib. de pœnitentia* accepiſſe videntur Hieron. *epiſt. ad Demetriad* & *epiſt. ad Sabinum Diaconum*, & *epiſt.* 2. *ad Pammach.* & *lib.* 2. *in c.* 3. *Iſaiæ*, & *ſupra Danielē* & habetur *in c.* 1. *Tabula de pœnit. diſt.* 1. Ambroſ. *lib. ad Virginē lapſam c.* 8. Pacianus *epiſt.* 1. & 2. *ad Sempronianum*, & alij. Sextò appellatur *Reconciliatio*: quod vocabulum colligi poteſt ex Euariſto in *c. presbyteri* 26. *q.* 6. & ex *c. is qui*, codē loco. Septimò dicitur *Manus impoſitio*, vt colligitur *ex Conc. Carthagin.* 3. *c.* 32. & ex *Arriano* 1. *q.* 1. Cyprian. *ſerm de ablut. pedum.* Hieronymo *contra Luciferianos*, & *cōtra errores Ioannis Epiſcopi Hieroſolym.* Leone Papa *epiſt.* 90. Auguſtin. *lib.* 3. *de vnico bapt. c.* 15. & *lib.* 4. *cap.* 27. & habetur in *c. Manus.* 1. *q.* 1. Quod etiam vocabulum aduerſus VViclephum, qui illud reprehendit defendit VValdenſis 2. *de Sacramentis. c.* 147. & dicit ortum habuiſſe ex illo *Leuitici* 16. vbi Sacerdotes manum imponebant hirco pro peccatis immolando. Negari tamen non poteſt, illud nomē apud Patres frequenter ſignificare reconciliationem ſolemnem, quæ dari ſolebat agentibus publicam pœnitētiam, vt colligitur ex Conc Arauſican *c.* 3. & ex Gloſſa *in dictū. c Arrianos*, & Conc. Carthagin. 5 & ex *c. Cōfirmandum, diſt.* 50. vbi reiiciuntur à ſacris ordinibus qui manuum impoſitione purgati fuiſſent, quod de Sacramento pœnitentiæ ſolo intelligi non poteſt. Idem cōſtat ex S. Leone in *c. Alienum* eodē loco qui addit, manus impoſitionem eſſe in ſignum orationis, quæ fit pro eo, cui manus imponitur; Ideoq; non eſſe manū imponendam Sacerdoti, quia vt dicitur Leuit. 4. *Si peccauerit Sacerdos, quis orabit pro eo?* quod etiā de mero Sacramento intelligi non poteſt. Vltimò appellatur *Sacramentum Pœnitentiæ* quam vocem reprehendere videtur Dur. *diſt.* 14. *q.* 1. & 3. qui magis propriē appellandum dicit *Sacramētum Cōfeſſionis, & abſolutionis*: hoc tamen ex falſo fundamēto procedit quod eſſentia huius Sacramenti ſolam confeſſionem, & abſolutionem includat: Similiter Iacob. Fab. *in c. vlt S. Dionyſ. de Eccleſ. Hierarch.* dicit, potius debere vocari. *Sacramentum remiſſionis*. Cæterum non poteſt abſque temeritate reprehendi vocabulum, quo non ſolum Theologi omnes, ſed Conc. Flor. & Trid. cum tota vniuerſali Eccleſia vtuntur, cuius vocabuli rationē reddit S. Thom. *in* 4. *diſt.* 16. *c.* 1. *art.* 1. quia, ſcilicet, omnes partes huius Sacramenti pœnam, & laborem includunt, cōtritio affert dolorem, confeſſio ruborē, ſatisfactio laborem. Magis deniq; cauendum eſt à nomine illo *Sacramenti abſolutionis*, ne fauere videamur hæreticis huius temporis, qui confeſſionem, & contritionem de medio tollunt, & hæc de nomine ſufficiant.

2. Loquendo ergo iam de re ipſa, primo loco doctrinæ ordine occurrit quæſtio, an ſit hoc Sacramentum: circa quam plura ſolent ab aliquibus diſputari, quæ commodius diſputabuntur paulò inferiùs: vt puta de poteſtate, quam Chriſtus tradidit Apoſtolis, de clauibus, de neceſſitate huius Sacramenti, de iterabilitate, item an per illud remittatur culpa, an ſolum pœna? & alia eiuſmodi, de quibus partim dicemus explicando formam huius Sacramenti, partim agentes de confeſſione, vbi de eius neceſſitate, & materia, ne eadē repetere cogamur. In hac ergo diſputatione breuiter, & quaſi in communi probabimus inſtitutionem Sacramenti pœnitentiæ, deinde eius partes, quibus intrinſecè conſtat, poſtea verò diſputationibus ſequentibus de ſingulis partibus ſigillatim agendum erit.

SECTIO I.

Sacramentum Pœnitentiæ ab aliis diſtinctum à Chriſto eſſe inſtitutum.

NEgarunt plures hæretici antiqui, & recentiores; quorum primus dicitur fuiſſe Montanus Cataphrygarum Dux teſte Lindano 4. *Panop. c.* 60. & 61. & Caſtro *verb. pœnit. hæreſ.* 2. qui (vt refert Hieron. 2. *contra Iouinian.* & *epiſt. ad Damaſum* & Anſelm ſuper illud ad Hebr. 6. *impoſſibile eſt, eos, qui ſemel ſunt*, &c.) docuit lapſum reparari nō poſſe. Hanc hæreſim tenuit poſtea Nouatus Presbyter Romanæ Eccleſiæ, à quo orti ſunt Nouatiani (qui & *Cathari*. immundi appellati ſunt) cuius meminit Euſeb. 6. *hiſt. Eccle. c.* 35. & *hiſt. tripartita lib.* 21. *c.* 13. VVicleph. etiam licèt non negarit lapſis reparationem, negauit tamen auricularem confeſſionem, cōtra quem egit ex profeſſo VValdēſis, qui *lib. de Sacram c.* 135. refert Iulian. Apoſtatam, Maſſilianos, & Iacobitas ſolitos irridere confeſſiones. Lutherus denique licet à principio nō negauerit hoc Sacramentū, ſed tātùm neceſſitatē cōfitēdi omnia mortalia, aut aliquod in particulari, dicens ſimul, iniquū eſſe cōfiteri venialia: poſtea tamē funditus abſtulit hoc Sacramentum; nam *in ſin. li. de capt. Babyl.* ſic ait: *Si loqui rigidè volumus, tantū ſunt duo Sacramēta in Eccleſia baptiſmus, & panis.* Similiter Melāchthon, Zuinglius, Caluin. Kemnitus apud Decan. *ar.* 1. & Payuam *lib.* 8. quia nulla determinata cæremonia inſtituta eſt à Chriſto, vt Sacerdotes abſoluāt à peccatis, ſed tātū prædicatio Euāgelica, quæ fidē excitat iuſtificātē: addit Caluin. aliam rationem, quia non eſt ſignum viſibile, ſed credibile.

Nouati hæreſim impugnarūt Ambr. *in lib de pœn.* Cypr. *ſer. de lapſis* Chryſoſt *lib. de repar. lapſi.* Aug. *de hæreſib. ad Quod hæreſ.* 38. Corn. Papa ea dānauit in Cōcil. quodā Romano cuius meminit Euſeb. *ſup. c.* 34. ſicut etiā damnatur in Cōc. Nicen. *c.* 8. *ſuorū decret.* & in Trident. *ſeſſ.* 6. *c.* 14. & *can.* 29. Vnde obiter notādum eſt, falsò Beatū Rhenanum *annot in Tertul.* dixiſſe Aug. & PP. antiquos potiùs cōſentire Nouatianis, dicendo pœnitentiā non eſſe iterādam. Nam Ambr. 2. *de pœn c.* 10. & alij, qui hoc dixerunt, loquuti ſunt de pœnitentia ſolemni, quam non eſſe iterandam probat Lindan. *vbi ſupra c.* 61. & Aug expreſſè impugnat Nouatum *epiſt.* 68. & *in lib. quæſtionum noui, & vet. teſtamenti, quæſt.* 102. & alibi ſæpè.

Deniq; errores hæreticorum noſtri temporis damnarunt PP. & Concilia Flor. in decreto Eugen. Conſt. *ſeſſ.* 13. Trid. *ſeſſ.* 14. *c.* 1. 2. & 3. & *can.* 1. 2. & 3. damnatur etiam in *c. Ad Abolendam*, de hæreticis. Patrum verò loca latè afferuntur à Recentioribus; videatur Suar. *in præſ. diſp.* 16. *ſect.* 1. & *diſp.* 17. *ſect. etiam* 1. Vaſq. *in præſent. q.* 84. *art.* 1. *dub.* 1. & *q.* 90. *art.* 1. *dub.* 1. & late Bell. *l.* 2. *de pœn. c.* 10. & 13.

Colligitur hoc fidei dogma ex Verbis Chriſti clariſſimis *Ioan.* 20. vbi hoc Sacramentū inſtituēs, dixit, *quorum rem ſeritis peccata remittuntur eis*, &c. in quibus conſtat promitti gratiam; nam peccatum mortale

mortale non potest remitti absque infusione gratiæ. Constat iré requiri ritum sensibilem per quem illa gratia significetur, & conferatur, nam requiritur, quod Apostoli tanquam Iudices remittant peccata, quæ debet esse actio humana, & sensibilis: constat ergo in præsenti institutum fuisse verum Sacramentum pœnitentiæ, cùm Sacramentum non sit aliud, nisi signum sensibile ex institutione infallibiliter significans, & causans gratiam.

6. Hoc testimonium variè eludere conantur hæretici, sed nihil afferunt, quod impugnatione indigeat. Videantur contra ipsos, quæ afferunt Suarez, *disp. 16. sect. 1.* & Bellar *d. lib. 1. de pœn. c. 10. & seq.*

Dicet aliquis, ex illo loco non colligi ritum sensibilem esse necessarium ad tollenda peccata, posset enim Sacerdos auctoritate diuina in corde suo remittere peccata, sicut quilibet potest remittere in corde suo offensas sibi illatas. Respondent aliqui remissionem illam, cum fit inter homines, debere fieri per signum sensibile sicut aliæ actiones humanæ fiunt: quod explicari potest, retorquendo argumentum, nam si creditor remittat debitum solùm intra se neque id exteriùs explicet, remissio nondum est valida, sed potest exigere suum debitũ.

7. Cur non requiratur in Sacramento Pœnitentiæ vox intelligibilis à pœnitente.

Sed contra hoc vrgeri potest, quia si ex hoc capite requiritur remissio externa, deberet etiam illa talis esse, quæ pœnitenti manifestaretur, nam si creditor remittat debitum etiam verbis externis, si tamen debitor id ignoret, nec alius eius nomine accepter remissionem, adhuc remissio non est irrenuocabilis, & firma, sed perinde ac si esset meré interna, non enim acquiritur ius per illam debitori, cùm ipsi non intimetur, neque in eius notitiam veniat: similiter ergo ad valorem remissionis in hoc Sacramento non sufficit, quod Sacerdos dicat, se remittere peccata, si tamen illa remissio non auditur à pœnitente, neque ab alio, quod tamen plerumq; accidit, quando, v.g. pœnitens post inceptam confessionem amittit vsum sensuum & absoluitur, vel etiam quando Sacerdos profert verba tam summissa voce, vt à pœnitente aliquantulum distante, vel surdo non audiatur, nec percipiatur, in quibus casibus non videtur esse illa remissio humana, qualis in aliis materiis desideratur: nam in stipulationibus, & actibus humanis requiritur certè, quod promittens audiatur, & intelligatur à promissario; Ideo enim dixit Iustinianus Imperator in §. *in hac re* instit. *de verb. oblig.* parum referre, qua lingua fiat stipulatio; requiri tamen, quod vterque eandem intelligat. Vnde si in matrimonio, postquam alter coniux consensum præstitit, alter prioti iam dormiente responderet, & consensum exprimeret, matrimoniũ nõ valeret. Si ergo remissio peccatorũ eâdé regula metienda est, oporteret non solum ritũ sensibilem adhibere, sed eã etiam lingua, & tali voce quæ à pœnitente audiri, & intelligi posset, quod tamen est contra praxim, vt constat.

8. Huic difficultati respondere possumus, adhuc necessitatem ritus sensibilis in hoc Sacramento colligi, non solùm ex perpetua Ecclesiæ traditione, quæ sufficeret; sed etiam ex ipsa Christi institutione: ad instantiam verò factam dicimus, hoc Sacramentum non esse institutum à Christo ad modum contractuum, vel donationum, in quibus procedit illa doctrina, sed ad modum Iudicij, in quo pœnitens est accusator, & reus: Sacerdos verò est iudex, qui audita accusatione, & probatione sententiam profert. Sententia autem Iudicis legitimi ad hoc vt sit valida, non requiritur, quod quando profertur, percipiatur, & intelligatur à reo, maximè si sententia absolutoria est, sed sufficit, quod proferatur in iudicio cum debita solẽnitate: sicut re vera profertur absolutio Sacramentalis: vnde etiamsi Pœnitens iam dormiat, vel non sit ampliùs sui compos, adhuc sententia valet, sicut etiam valeret in humano Tribunali sententia absolutoria illius, qui iam tempore sententiæ, rationis vsum amisisset, & sicut pœnitens gerit personam accusatoris, & rei, sic cõfessarius gerit personam Iudicis, & Notarij, qui fidem faciat de sententia prolata: sicut etiam ad valorem legis pontificiæ, sufficit quod affigatur Bulla in loco solito, etiamsi à nemine legatur: sic ad valorẽ sententiæ, quæ est lex priuata non requiritur ex natura sua, quod percipiatur, vel intelligatur.

Hinc infertur primò, hoc Sacramentum non fuisse ante Christi institutionem: nam institutio significat nouitatem rei, quæ instituitur. Vnde minùs cautè *d. ist. 2. in fin.* dixit Magister, hoc Sacramentum, & coniugium instituta fuisse in statu innocentiæ, nisi illud intelligat, non in ratione Sacramenti, sed confessionis, & coniugij; falsum etiã est, quod alij dixerunt confessionem auricularem institutam fuisse in Paradiso, cùm Deus quæsiuit ab Adam *vbi es?* &c. vel postea cùm quæsiuit à Cain, *vbi est frater tuus?* vel *Iosue 7.* cùm dixit Iosue ad Achor. *Fili mi da gloriam Deo Israël, & confitere, ac indica mihi, quid feceris, ne abscondas.* Vel ab Apostolo Iacobo *c. 5.* in illis verbis: *Confitemini alterutrum peccata vestra, & orate pro inuicem, vt saluemini.* Vel ab Ecclesia per generalem consuetudinem: quas sententias refellit Nauarrus *de pœnit. d. 5.* explicans secundam partem glossæ, in qua referunt denique, quod dixit Bonauentura *in 4. dist. 7. sect. 2. art. 1. q. 3.* Sacramentalem confessionem à Christo insinuatam, ab Apostolis institutam, à Iacobo promulgatam, indiget explicatione, quatenus à Christo fuit minùs explicitè præcepta, ab Apostolis magis explicata, à Iacobo promulgata: quo etiam modo intelligendus est Marsil. *in 4. q. art. 2.* dicens, non fuisse à Christo explicitè institutum hoc Sacramentum.

9. Sacramẽtum Pœnitentiæ non fuit in lege veteri. Genes. 3. Iosuë 7. Iacob. 5.

Infertur secundò, nec in lege veteri fuisse aliquod Sacramentum pœnitentiæ ad remittenda peccata commissa post primam iustificationem, prout alicui voluerunt, inter quos est Guilielmus de Aulione, quem refert Ruardus *art. 1.* de quo Sacramento explicat illud Apostol. *ad Hebr. 9.* quod Pontifex summus introibat semel in anno in Sancta Sanctorum non sine sanguinis effusione, quem offerret pro sua & populi ignorãtia. Hoc tamen reiicitur ex eodem Apostolo ibi dicente, quod *sanguis taurorũ, &c. inquinatos sanctificat ad emũdationẽ carnis*, non ergo sanctificabat ad emũdationẽ Spiritus. Et cõfirmatur, quia alioquin illud sacrificiũ fuisset excellentius, & efficacius, quàm sacrificium Missæ, quod quidem nõ delet ex opere operato peccata in eo, pro quo offertur etiamsi sit attritus. Imò esset excellentius nostris Sacramentis, cùm vnũ, & idem numero sacrificium sanctificaret offerentem, & illos pro quibus offerretur, & quidem sine illa difficultate, & obligatione confitendi sigillatim omnes species, & numerum peccatorum, quam habet nostrum Sacramentum pœnitentiæ. 10.

Agit hoc loco P. Suarez de potestate à Christo Sacerdotibus data, non solùm ad pœnas, sed ad culpas remittendas: de hoc tamen dicemus commodius agentes de sensu formæ. Agit etiam de differentia inter potestatem ordinis, & Iurisdictionis requisitam ad hoc Sacramentum, de qua dicemus infrà *disp. 18. sect. 1.* vbi de institutione Cõfessionis. Agit etiam de obligatione Confessionis à Christo impositã, de qua dicemus agentes de Confessione. Nunc iam veniamus ad explicandam essentiam huius Sacramenti, & eius partes.

SECTIO II.

De partibus Sacramenti pœnitentiæ.

11. OMisso errore hæreticorum nostris temporis, qui non solùm negant confessionem, satisfactionem, & dolorem esse partes huius Sacramenti, sed etiam requiri ad illud contra quos diuersa sentientes latè agit noster Bellarminus, *lib. 1. de pœnitent. c. 18. & seq.* inter Catholicos non est eadem sententia circa partes huius Sacramenti.

Variæ sententiæ de partibus Sacramenti Pœnitentiæ.

Primò enim Scotus *in 4. d. 16. quæst. 1.* & alij dicunt solam absolutionem esse de integritate huius sacramenti, quæ sententia distat longè ab errore Caluini, & Melanctonis: hi enim, teste Decano *art. 11. pag. 20.* & alij hæretici teste Lindano *4. panop. c. 61.* dicunt non requiri confessionem, satisfactionem, vel contritionem, cum tamen Scotus dicat requiri.

Secunda sententia dicit, hoc Sacramentum constare ex confessione, & absolutione, ita Dur. *d. 14. q. 3. & dist. 16. q. 1.* & Palarios *ibi.*

Tertia sententia dicit, partes esse contritionem, confessionem, & absolutionem, ita Marsilius *in 4. q. 10. art. 1.* cui videtur fauere Pighius *contr. 9. fol. 181.*

Quarta sententia est, quod partes sint, contritio, confessio, & satisfactio, non verò absolutio Hanc tribuit Suarez Soto *in 4. d. 14. q. 1* quia hoc Sacramentum est pœnitentia, absolutio autem non est pœnitentia.

Quinta sententia docet, partes esse confessionem, & satisfactionem; nam contritio cum sit spiritualis non est sensibilis, ita Gabriel *d. 14. q. 1. art. 1.* & Altisiodor. apud Carthusian. *d. 14. q. 1.*

12. Sexta, & communis, ac vera sententia docet, hoc Sacramentum constare ex materia, & forma, formã quidem esse verba Sacerdotis *Ego te absoluo*, &c. materiam verò actus pœnitentis, qui sunt contritio, confessio, & satisfactio.

Hanc tenent Theologi communiter cum S. Thoma *in præsenti q. 84. art. 1.* quos refert Suarez *disp. 18. sect. 2. & 3.* idem docent contra Ruardus Taper. *art. 1. fol. 172.* Lindanus *vbi supra c. 64. in fin.* Roffensis *art. 5.* Castro verbo *Pœnitentia hæresi 1.* Canisius *de Pœnitent. c. 3.* Vega *lib. 13. in Tridentinum c. 15.* Bellarm. *vbi sup.* & alij.

13. Pro huius sententiæ explicatione notandum est primò, ex Ricardo, & aliis in hoc Sacramento duplicem compositionem posse considerari, Prima est ex signo, & significatione; nam in omni Sacramento inuenitur id quod assumitur ad significandam gratiam, & ipsa significatio, seu institutio, & potestas significatiua; & in hoc sensu significatio, seu institutio est forma; reliqua verò omnia, & ipsa etiam absolutio sunt materia, quia ea omnia assumuntur, & instituuntur ad significandam gratiam. Secunda compositio potest considerari in ipsa materia significante; nam hæc etiam componitur rursus ex materia, & forma, scilicet, ex actibus pœnitentiæ, tanquã materia, & ex verbis Sacerdotis, tãquam forma, sicut etiam in baptismo ablutio est materia, & verba sunt forma, vtraq; autem est materia respectu alterius formæ vlterioris, quæ est significatio gratiæ. Nunc ergo non agimus de priori compositione, sed de posteriori.

14. Notandum secundò, materiam Sacramenti adhuc in secunda consideratione sumptam posse dupliciter accipi, nempe pro materia proxima, & pro materia remota. Sic in baptismo materia proxima est ablutio, remota verò est aqua. In pœnitentia verò materia remota dicuntur peccata, proxima verò dolor de ipsis, confessio eorum, & satisfactio pro ipsis. An verò ipsa peccata, quæ sunt materia remota, intrent ad componendum etiam intrinsecè hoc Sacramentum obiter indicabimus.

15. Notandum tertiò, quando quæruntur partes Sacramenti pœnitentiæ, duplicem adhuc posse esse quæstionis sensum. Primus est, quæ sint partes, ex quibus Sacramentũ hoc adæquatè sumptum in ratione Sacramenti componitur, siue illæ in recto significentur, siue in obliquo; non enim repugnat, (vt vidimus *disp. 2. de Sacramentis in communi sect. 3.*) aliquam esse partem alicuius concreti, quæ tamen per nomen illud non significetur in recto; nam albũ in recto solùm significat subiectum regulariter loquendo, & albedinem in obliquo, licet albedo sit pars intrinseca albi vt albi, reduplicatiue accepti. Et in hoc sensu quare potest de partibus intrinsecis huius Sacramenti, siue illæ importẽtur in recto, siue in obliquo per nomen *Pœnitentiæ*. Secundus sensus quæstionis esse potest, pro quo supponat in recto Sacramentũ pœnitentiæ; an pro sola absolutione, an pro sola confessione, &c. an pro omnibus illis æqualiter? Nunc quæstio procedit in primo sensu: postea verò *sect. seq.* dicemus aliquid de secũdo etiam sensu ad pleniorem rei explicationem.

16. His ergo suppositis dicimus primò, formam huius Sacramenti, nempe verba Sacerdotis, esse partem illius intrinsecam. Hæc est contra quartam sententiam, licet fortasse Sotus non intendat excludere formam ab essentia Sacramenti, sed solùm quod hoc Sacramentum, eo quod appellatur nomine *pœnitentiæ*, non supponat in recto pro absolutione, sed solùm pro actibus pœnitentiæ, connotando tamen absolutionem in obliquo, de quo puncto dicemus postea.

17. *Aliquando pœn.* Nunc ergo posita conclusio probatur primò, ex Concil. Florent. in decreto vnionis, & ex Trident *sess. 14. c. 3.* ex Concil. Colonien. & Mogunt. *c. 1. in fine*, ex Confessione Polonica *c. 45.* & probatur apertè, quia positis omnibus aliis, & deficiente absolutione, non datur Sacramentum, ergo absolutio est aliquid intrinsecè complens, & componens Sacramentum, alioquin enim non posset non esse Sacramentum sine absolutione, quia tunc datur aliquid, cùm datur totum eius esse intrinsecum, seu cum nihil intrinsecum ei deest: si ergo deficiente sola absolutione, non datur Sacramentum, sequitur dare absolutionem esse aliquid intrinsecum Sacramento.

18. Cõfirmatur primò, quia absolutio est id, quod potissimè significat, & operatur remissionem peccatorum, vt patet ex verbis, quibus profertur, & ex potestate Ministri à qua oritur, ergo ipsa est potissima pars Sacramenti, vt Sacramentum est: Sacramentum enim est signum sensibile, & efficax gratiæ.

Confirmatur secundò, quia non posset esse forma Sacramenti, nisi esset pars illius: forma enim nõ cõcurrit, nisi informando, & componendo cũ materia aliquod totum resultans ex vtraque: Ergo forma Sacramenti componit intrinsecè ipsum Sacramentũ.

19. Nec obstat, Sacramentum hoc appellari *pœnitentiam*: quia in primis aliquando etiam comminari solet à forma sola, & appellatur *Sacramentum reconciliationis*, quia per illud sacerdotes reconciliant peccatorem Deo, & quidẽ non est nouum quod nomẽ Sacramenti desumatur ab eius parte: sic enim *confirmatio* solet dici *Chrisma*, & baptismus nominatur à sola ablutione, quæ est materia, & extrema vnctio similiter à sola materia, & sic de aliis.

20. Dices, ergo, non sunt partes huius Sacramenti sola, contritio, cõfessio, & satisfactio, quæ tamen solæ à Trid. numerãtur *sess. 14. can. 4.* & in Bulla Leon. X. contra

contra Lutherum, vbi damnatur quintus Lutheri articulus dicentis non esse has tres partes Sacramenti pœnitentiæ.

Respondeo, In his locis non numerari omnes partes intrinsecas Sacramenti pœnitentiæ, neque enim ibi assignatur significatio, quę tamen est pars intrinseca Sacramenti in ratione Sacramenti, vt vidimus: solùm ergo numerãtur partes materiæ Sacramenti vt constat ex decreto Eugen. & ex Tridentino dicta *sect.* 14. *cap.* 3. vbi illæ dicuntur solum partes materiæ Sacramenti, vltra quas tamen ponitur ibi forma, quę est absolutio Sacerdotis. Cęterum communiter loquendo, quando fit mentio de partibus pœnitentiæ, illæ tres solùm assignãtur, quia partes integrales, quæ sequũtur extensionem, ortum habent ex materia, quę est radix extensionis, quare dum loquimur de partibus integrantibus hoc Sacramentum, assignamus illas, quæ sunt partes materiæ, non loquendo de forma: licet, in rigore loquendo, aliæ etiam sint partes formales, nempe absolutio, & significatio.

20. Contritio, & confessio est par. Dico secundò: nec sola absolutio, sed etiam Confessio, & contritio componunt intrinsecè hoc Sacramentum.

Probatur ex eisdem Conciliis, & dicta etiam Bulla Leonis X. vbi hæ dicuntur partes Sacramenti pœnitentiæ: quare Scoti sententiam negantem, illas esse partes intrinsecas, sed solùm requiri tanquam dispositiones, non pauci Theologi grauiori censura afficiunt. Caiet. *infra quæst.* 90. *art.* 2. ait, esse erroneam; alij dicunt, esse temerariam; alij pluſquam temerariam. Alij in bonum sensum conantur Scoti verba trahere, vt Angles, qui dicit, Scotum non negasse, illas esse proprie intrinsecas, sed solum negasse, esse propriè partes materiã, quod videtur iuxta modum loquendi Florentin. & Tridentini: vbi dicitur illa quasi materia. Alij dicunt, Scotum solùm velle, quod Sacramentũ non supponat in recto pro illis, sed solùm pro absolutione, connotando alias partes in obliquo. Alij, vt Vega. 13. *in Trident. cap.* 15. quod Scotus non negat illa esse partẽ integralẽ, sed solùm negat esse partem essentialem. Hæ tamen explicationes difficilè aptantur Scoti verbis, vt consideranti patebit.

21. Ratione item supra facta probatur conclusio, quia posita absolutione, si desit omnis confessio, & dolor de peccatis, non datur Sacramentum, ergo non est sola absolutio totum esse intrinsecum huius Sacramenti.

Dices, non quamcumque absolutionem sufficere, sed absolutionem peccati per confessionem dolorosam explicati.

Sed contra, quia iam in hoc ipso includis confessionem, & dolorem, tanquam partes sacramenti intrinsecas: nam includis absolutionem, non quamcumque; sed à peccato per confessionem dolorosam explicato: Absolutio autem illa; provt sic, constituitur formaliter ab ipsa confessione, & dolore præcedente; nam ab illis habet formaliter, quod denominetur absolutio peccati cum dolore confessi: ergo si absolutio, provt sic denominata intrat ad constituendum Sacramentum; necesse est, quod intrent illa, à quibus formaliter denominatur talis illa absolutio.

22. Peccata an ingrediantur. Obiicies primò, ex hac ratione sequi, non solùm confessionẽ, & dolorẽ, sed etiã peccata ipsa debere intrare ad cõponendum intrinsecè hoc Sacramentũ. Nam confessio etiã cum dolore, & absolutione nõ sufficit ad constituendum Sacramentum, nisi re ipsa præcesserint illa peccata, de quibus homo se accusat. Si enim aliquis putans, se commisisse aliquod peccatum, quod re vera non commisit, confiteatur solum illud cum dolore, & absoluatur, non fit Sacramentum; ergo confessio, & dolor non constituunt hoc Sacramentum, nisi quatenus sunt de peccato, quod re vera extitit. Hanc autem denominationem confessionis, & doloris de peccato vero habent formaliter ab ipso peccato præterito, neque enim est alia forma, à qua possint habere talem denominationem: Ergo si non componunt Sacramentum, nisi provt habent talem denominationem; oportet, quod forma denominans, seu peccatum ipsum præteritum intret etiam partialiter ad compenendum intrinsecè hoc Sacramentum, atq; adeò non erunt materia illę solum tres partes à Concilio positę, sed etiam peccata ipsa pręterita.

23. Respondeo, physicè loquendo negari non posse, quin prętcritio peccati aliquo modo intret saltem in obliquo ad constituendũ Sacramentum hoc, vt omnino videtur conuincere argumentũ factũ, neq; id esse contra mentem Conciliorum assignantium pro materia illos tres actus pœnitentis, nam in illis includunt peccata in obliquo: quando enim assignatur pro materia confessio, & dolor de peccatis, intelligitur de peccatis veris, nam peccata ficta non sunt simpliciter peccata, cum ergo materia sit dolor de peccatis veris, hoc est, quę verè extiterunt, dolor autẽ de peccatis veris includat in obliquo ipsa peccata à quorũ prætcritione vera denominatur nunc dolor de peccatis veris, &c. Consequens est, quod ipsa peccata præterita includantur in materia, quæ assignatur in Conciliis, imò frequentissimè ipsa peccata appellantur materia huius sacramenti. Solent tamen appellari materia remota; quia sicut lignũ dicitur materia remota ignis, ad cuius productionẽ destruitur lignũ, sic in sacramento pœnitentiæ, peccata, quorum distinctio intenditur per hoc Sacramẽtum, dicuntur eius materia remota, licet reuera illorum existentia præterita debeat intrare in obliquo ad denominandam materiam proximam in ratione talis materiæ proximæ.

24. Dices, absque eo, quod intrent peccata ipsa, posse intelligi essentiã Sacramenti, si intelligamus cõfessionẽ ortam ex scientia, seu memoria peccati: nõ potest enim esse confessio orta ex tali scientia quin re vera supponatur peccatum: ergo quoties datur confessio orta ex tali scientia, & dolor, datur materia Sacramenti nec, oportet quod ipsa intrent ad componendum Sacramentum.

25. Sed contra hoc est? quia in primis non omnis confessio oritur ex scientia, aut ex memoria euidenti peccati præteriti, nã sæpe confitemur peccata dubia, vel quorum solum probabiliter recordamur, quæ memoria, & confessio ex illa orta non videntur supponere necessariò prætcritionem peccati. Præsertim cùm possit haberi illa notitia peccati, per motiua extrinseca, verbi gratia, si aliquis tibi dicit, te olim fecisse tale peccatum, cuius tu non recordaris: & propter fidem, quam illi adhibes, confiteris illud peccatum, quæ confessio, & notitia interna, quam habes de peccato, eadem omnino esset, si peccatum re vera non extitisset: ergo confessio orta præcisè ex tali notitia secundùm se non sufficit ad componendum sacramentum, sed debet intelligi confessio orta ex notitia vera peccati præteriti: hoc autem, quod est esse notitiam veram iam videtur includere peccatum præteritum, à quo denominatur vera notitia, quæ de se, & intrinsecè indifferens est, vt sit vera, vel falsa.

Adde, potuisse saltem de potestate Dei absoluta generari notitiam ęquè euidentem, ea scilicet euidentia, quæ habetur per sensum, circa aliquod

peccatum saltem externum, licet re vera illud peccatum externum non fieret, atque adeo non posset esse materia sacramenti. Ergo quando est materia, non intrat sola notitia peccati: sed ipsum etiam peccatum in obliquo quo verò deficiente, & cæteris omnibus positis non esset materia valida, confessio illius peccati, quoad illam partem.

26. Denique à priori, & vniuersaliter etiam, quando confessio procederet ex memoria, aut notitia metaphysicè certa, aut euidenti peccati præteriti probari potest ex dictis, intrare aliquo modo ipsum etiam peccatum, seu eius præteritionem; quia si debet intrare notitia peccati; vt vera; debet intrare id, per quod talis notitia constituitur in ratione notitiæ veræ. Cognitio autem vera, etiam illa, quæ est per suam essentiam vera, qualis est actus fidei, aut assensus euidens euidentia metaphysica, constituitur vera ex duplici capite; primò per propriam entitatem per quam exigit essentialiter conformitatem cum obiecto: secundò per ipsammet existentiam, vel præteritionem obiecti tanquam per formam extrinsecam: cùm enim cognitionem esse veram, sit esse conformem cum obiecto, ab illa forma denominabitur formaliter vera, à qua denominatur formaliter conformis obiecto: habet autem hanc denominationem eiusmodi cognitio à duplici forma, altera est intrinseca, scilicet propria essentia per quam habet ordinem essentialem ad obiectum, quod ita sit, provt affirmatur: altera est extrinseca, scilicet, obiectum ita esse, quia esse conformem obiecto, est affirmare v.g. Petrum heri peccasse, & re vera Petrum heri peccauisse, sicut affirmatur: ab eo, ergo, quod res ita fuerit, propositio dicitur, & denominatur formaliter vera, vt dixit Aristot. ergo de primo ad vltimum, si notitia peccati, vt vera intrat ad componendam materiam sacramenti; id totum, per quod formaliter constituitur vera, poterit intrare sacramenti compositionem.

27. *Intentio an sit pars?* Obiicies 2. Propter eandem, aut maiorem rationem debuisse assignari pro materia intrinseca huius sacramenti intentionem, qua pœnitens vult recipere absolutionem: nam sine hac intentione licet ponantur cætera omnia, non fit sacramentum validum, vt constat.

Respondeo, eam intentionem intrare proculdubio ad componendum sacramentum partialiter propter eandem rationem, licet in hoc aliquantulum dubitet P. Vasquez *in præsenti q. 84. art. 1. dub. 2. n. 11.* Illa tamen intentio subintelligitur nomine confessionis; nam accusatio voluntaria pœnitentis est volitio obtinendi sententiam à Iudice, & per consequens intentio recipiendi sacramentum, quod per absolutionem perficitur.

28. Obiicies tertiò, quia in aliis sacramentis actus illius, qui sacramentum recipit, non sunt pars sacramenti verbi gratia, in ordinatione acceptio libri quem Episcopus tradit, quatenus se habet ex parte ordinandi, non est pars sacramenti, sed traditio, quatenus se habet ex parte ordinantis, & sic de aliis, ergo nec in hoc sacramento debent actus pœnitentis assignari pro materia.

Respondeo: Imo etiam in aliis sacramentis (excepta Eucharistia, in qua ante eius vsum datur ratio sacramenti) actus requisiti essentialiter ex parte suscipientis sunt pars, & materia sacramenti, nam in Ordine non solùm traditio actiua, sed receptio passiua sunt materia sacramenti; & sic de aliis: Vnde non est hoc peculiare in sacramento pœnitentiæ.

29. Dices; Ergo non minus ipse pœnitens confert sibi gratiam, quam sacerdos qui eum absoluit, conferat, & per consequens pœnitès etiam poterit dici minister sacramenti, siquidem ponit partialiter id, quod causat gratiam sacramentalem, atque eâdem ratione poterit dici ipsum absoluere, quid enim aliud est absoluere, nisi auferre vincula peccatorum, quod fit causando gratiam, quæ expellit peccata? cum ergo pœnitès causet gratiam mediis suis actibus, dicetur etiam absoluere se media illa gratia: hæc tamen omnia sunt absurda, vt patet.

Responderi posset, negando sequelam; quia licet actus pœnitentis sint partes sacramenti, nõ requiritur, quod omnes sacramenti partes causent gratiam, sed sufficit, quod illam causet sacramentum per aliquam sui partem, hoc autem sacramentum causat gratiam per solam absolutionem Sacerdotis, in quo est potestas clauium ad absoluendum, & ad destruenda peccata, ita videntur sentire plures, quos affert Suarez *disp. 18 sect. 2. num. 11.* qui dicit, hanc esse solutionem probabilem.

Cæterùm in nostra sententia negante sacramentis influxum physicum ad gratiam, difficile explicabitur, quomodo illæ aliæ sint partes essentiales sacramenti, & non causent moraliter gratiam. Nam causare moraliter gratiam, est mouere Deum ad dandam illam: Deus autem non mouetur à solis verbis Sacerdotis ad dandam gratiam; positis enim verbis solis absque aliis requisitis, non confert gratiam, ergo mouetur etiam à confessione, & dolore, pœnitentis, & per consequens hæ etiam causant moraliter gratiam. 30

Dici posset, Deum aliter moueri à confessione, & contritione, & aliter ab absolutione: nam ab hac mouetur, tanquã à verbis, & operatione Christi, qui loquitur, & operatur per suum ministrũ, atq; adeo sunt verba, habentia virtutem efficacem & vires condignas ad mouẽdum. Deum A confessione verò, & dolore, cum non sint vllo modo actiones Christi, nec ministri operantis nomine Christi: mouetur tanquam ab aliquo habente non quidem vires, & efficaciam; sed solùm aliquam exiguam congruitatem ad mouendum, arq; adeo sola absolutio est, quæ habet virtutem simpliciter ad causandam moraliter gratiam, & ad mouendum Deum. 31

Sed contra hoc est, quod verba absolutionis non mouent, nec habent virtutem mouendi Deum, nisi quatenus sunt verba Sacerdotis loquentis ex delegatione & nomine Christi. Verba autem illa non sunt talia secundùm se; nec quoties à Sacerdote proferuntur: si enim confessio nulla præcedat, aut nullus dolor; Sacerdos proferens verba, nihil facit, nec operatur nomine Christi, quia Christus non dedit illi potestatem absoluendi, aut loquendi eius nomine, nisi in tali casu, quando scilicet præcederet confessio dolorosa; igitur verba illa in tantum proferuntur hîc, & nunc nomine Christi, in quantum præcedit confessio, & dolor: ab his enim actibus denominantur partialiter verba illa quæ sint verba Christi: si ergo verba illa non mouent Deum nisi sunt verba Christi: nec sunt verba Christi, nisi quatenus denominantur ab actibus pœnitentis, sequitur de primo ad vltimum quod non mouent Deum, nisi provt denominantur ab actibus pœnitentis; ac per consequens ipsos actus pœnitentis debere intrare partialiter ad componendum non solum sacramentum, sed etiam id quod in sacramento mouet Deum, in ratione talis motiui, vt constat: Vnde partialiter integrabunt virtutem causatiuam moralem, quæ est in sacramento. 32

Alij ergo quibus consentit Suarez ibi, & P. Coninch *in præsenti disp. 4. dub. 4. in fine*, dicunt, actus etiam pœnitentis causare gratiam Sacramentalem, non 33

non tamen secundùm se consideratos, sed provt eleuantur à sacerdote per potestatem clauium, ad hoc, vt sint partes sacramenti, & conferant gratiam; quare tota actiuitas tribuitur ipsis verbis, à quibus diminat actauitas in cæteras compartes.

Hæc tamen solutio videtur pari eandem difficultatem quia verba sacerdotis secundùm se, vt vidimus, non habent hanc potestatē sed solùm, vt considerantur esse verba Christi dicta per suum ministrum loquentem ex potestate à Christo accepta: sed verba illa non sunt talia, nisi provt dicta post confessionē dolorosam, & provt ab illa denominātur: Ergo non possunt eleuare confessionem, & dolorem, nisi provt denominantur ab ipsa confessione, & dolore, & per cōsequens provt includunt cōfessionem, & dolorem, haberent virtutem eleuandi confessionem, & dolorem; quod est apertè falsum; tunc enim eleuatio illa proueniret partialiter ab ipsis actibus pœnitentis, quod repugnat, nihil enim potest se ipsum eleuare ad aliquid operandum.

34. Actus pœnitentis concurrunt partialiter ad causandam gratiam.

Ad obiectionem ergo fatendum est actus pœnitentis, concurrere partialiter ad causandam gratiam, tanquam partes scilicet illius virtutis moriuæ, qua verba sacerdotis mouent Deum, quia verba secundùm se, vt dixi, non habent talem virtutē completam, sed vt à talibus circunstatiis, & actibus pœnitentis denominantur esse verba prolata ex potestate, & auctoritate Christi: Cæterum hoc non sufficit, vt pœnitens ipse dicatur sibi ministrare hoc sacramentum, tum quia *minister* in rigore loquendo importat distinctionem inter ministrum, & eum, cui ministrat: sicut enim nemo propriè seruit sibi, sic nec ministrat: quare in iis sacramentis, in quibus debet interuenire persona diuersa à susciente, illi conuenit appellatio ministri simpliciter, & absolutè: Vnde in sacramento Matrimonij vnus coniux dicitur ministrare alteri sacramentum, non sibi, tum etiam quia, qui producit materiam, non solet dici producere compositum: materia enim de se est magis indifferens, sic etiam qui produceret species panis, ex quibus postea constat sacramentum Eucharistiæ, non dicitur producere sacramentum Eucharistiæ, hæc enim denominatio tribui solet illi soli, qui producit, vel vnit formam.

35. Deinde multò minus pœnitens dicitur absoluere seipsum: quia absolutio est actus habentis auctoritatem ad iudicandum, vel dimittendum, pœnitens autem non habet talem auctoritatem, vt constat; sed solùm potest ponere illas actiones quæ partialiter concurrent ad denominandum Sacerdotem absoluentem nomine Christi, quando ipse profert verba absolutionis; eadem enim actio tribuit diuersam denominationem diuersis subiectis iuxta eorum capacitatem diuersam: eandem scilicet confessio denominat pœnitentem confitentem, & eadem sacerdotem proferentem verba denominat absoluentem nomine Christi, quia Christus non dedit auctoritatem sacerdoti absoluendi suo nomine, nisi pœnitentem confessum, &c. quam auctoritatem cum non dederit pœnitenti, non denominabitur ipse absoluens, sed confessus, & ponens aliquid à quo partialiter sacerdos denominetur absoluens nomine Christi.

36. Denique nec in rigore loquendo dicitur pœnitens conferre sibi gratiam in sensu proprio, & stricto: poterit quidem dici causans aliquid, quod partialiter concurrit ad gratiam, poterit etiā dici causa, quod sacerdos det illi gratiam per sua verba, atque adeò poterit dici aliquo modo causare in se gratiā, non tamen dare, vel conferre, strictè loquendo, quia hæc verba, quando ad personas rationales applicantur, non solent vsurpari nisi de persona, quæ in sua potestate, & dominio habeat illud, quod dat, saltem si id, quo dari dicitur sit remissio, aut venia iniuriæ. Sicut enim non dicitur remittere debitum, vel offensam, nisi creditor, vel offensus, aut eius procurator; sic nec dicitur propriè dare remissionem, aut veniam, vel reconciliationem, alioquin ille etiam, qui petit veniam ab alio, diceretur dare sibi veniam, quia est causa, quod alter det veniam; hæc tamen pertinent ad modum loquendi, quare si rectè explicetur, poterit sine inconuenienti admitti, quod pœnitens per suos actus confert aliquo modo sibi gratiam diuinam, quatenus est causa, quod conferatur.

37. Dices, ergo eodem modo concedi debet, quod peccata præterita mouent Deum, & causant moraliter gratiam huius sacramenti, quia hæc non causatur à verbis sacerdotis, nisi quatenus illa verba proferuntur ab ipso, nomine Christi: proferri autem nomine Christi; est proferri post confessionem dolorosam peccati veri & non ficti, vt supra probatum est; ergo peccata ipsa integrant partialiter verba illa in hoc, quod est esse verba Christi per eius ministrum, & per consequens habentia efficaciam ad mouendum Deum, ergo saltem partialiter mouent Deum & causant etiam moraliter gratiam præsentem.

38. Respondeo peccata secundùm se considerata non mouere Deum, nec causare moraliter gratiam, eadem tamen peccata, provt cum confessione, dolore, & absolutione integrant verba sacerdotis, vt loquentis nomine Christi in ratione talium posse partialiter mouere, seu esse partem illius aggregati quod per modum totius mouet Deum ad dandam gratiam: in quo nullum est absurdum: nam actus etiam inhonestus, vt inhonestus est, & malus moraliter displicet Deo, & mouet ad indignationem & supplicium, actus autem vt malus moraliter, includit etiam cognitionem, seu regulam rationis dictantis oppositum, quæ quidem regula, seu cognitio, non displicet Deo, sed placet; illud tamen totum, quod resultat ex cognitione, & volitione obiecti turpis displicet Deo & mouet ad supplicium per modum totius: sic ergo in præsenti è contra, licet peccata secundùm se displiceant Deo, nec moueant ad dandam gratiam: totum tamen quod resultat ex peccatis præteritis, confessione, dolore, & absolutione præsenti, mouet Deum ad dandam gratiam, quia hæc faciunt, quod verba illa sint verba dicta nomine Christi, & per consequens habeant efficaciam ad mouendum Deum.

39. Obiicies quartò: Partes Sacramenti debent esse sensibiles. Contritio autem, vel dolor, non est sensibilis; cùm sit actus internus; ergo contritio non est pars intrinseca Sacramenti, sed aliquid extrinsecum, requisitum tamen ex Christi institutione ad Sacramenti valorem.

Respondeo, non posse contritionem esse requisitam ad valorem Sacramenti, nisi sit pars Sacramenti; si enim non est pars; ergo non posita contritione, & positis omnibus aliis, iam essent omnes partes Sacramenti intrinsecæ, & per consequens iam esset Sacramentum, cùm non possit dari totum esse intrinsecum alicuius compositi, quin detur etiam illud compositum, ergo si tunc non datur Sacramentum, ideo est, quia deest aliquid intrinsecum Sacramento: nihil, autem deest præter contritionem; ergo hæc non est extrinsecè requisita, sed aliquid intrinsecum Sacramento.

40. Ad obiectionem igitur, Respondetur facilè, contritionē non esse sensibilem in se, fieri tamen sensibilem

sibilem per confessionem, quod sufficit ad hoc, vt sit pars Sacramenti, sicut in Eucharistia corpus Christi est pars principalis Sacramenti, & tamen secundùm se non est sensibile, sed per species panis & verba consecrationis, vt vidimus in Tomo præcedenti.

Quomodo autem ex institutione huius Sacramenti inferatur necessitas doloris ad eius valorem, dicemus postea agentes de contritione, & dolore in particulari.

40. Satisfactio est pars. Dico tertiò: satisfactio est pars non essentialis, sed integralis, componens intrinsecè materiam huius Sacramenti; per partem essentialè intelligimus eam, sine qua non potest dari essentia Sacramenti; per parem verò integralem illam, sine qua datur quidem Sacramentum essentialiter, non tamen omnino integrum: sicut datur homo essentialiter, absque vtroque pede, non tamen integer, & perfectus. Conclusio in hoc sensu est communis, quæ licet negari videatur ab aliquibus dicentibus satisfactionem non esse partem Sacramenti, intelligi tamè possunt de parte essentialiter requisita, non verò de parte aliquo modo integrante, & complente Sacramentũ. Probatur autè ex decreto Eug. & Tridentini supra citatis, assignantibus illas tres partes in materia, contritionem, confessionè, & satisfactionem. Ratio verò est, quia hoc Sacramentum ordinatur ad completam remissionem peccati, quare non solùm operatur remissionem à culpa per absolutionem, sed etiam à pœna, quod fit quando impletur satisfactio imposita, ergo ipsa satisfactio erit pars Sacramenti operantis illos affectus.

Contra hanc conclusionem plura possunt obiici. Primò pars Sacramenti debet esse aliquid sensibile; satisfactio autè potest esse aliquid spirituale, potest enim imponi pro pœnitentia meditatio, vel oratio mentalis per horam: ergo satisfactio non est pars Sacramenti pœnitentiæ.

41. Almainus *n 4. dist. 1. q. 1.* & Alex. Alensis *4. part. q. 84. memb. 2. art. 1.* dicunt, non posse imponi pœnitentiã sacramentalẽ mere internam, vel propter rationẽ factam, vel quia humanũ præceptũ non solet esse de actu merè interno. Communis tamen sententia concedit, posse imponi talẽ pœnitentiã, quia licèt nõ sit sensibilis per se erit tamẽ sensibilis per aliud, scilicet per præceptũ cõfessarij, & acceptionẽ pœnitentis, sicut dicebamus, Contritionem de se insensibilem fieri sensibilem per confessionem.

Nec obstat, præcepta humana esse debere de operibus externis, id enim intelligitur in foro humano, in quo nec etiam puniuntur delicta merè interna, an in hoc foro sacramentali, in quo delicta etiã merè interna puniuntur, & inquiruntur; non mirum si pœna etiam merè interna imponatur: De hoc tamen in disputatione de satisfactione.

42. Secundò obiicitur, quia materia debet antecedere formam: satisfactio autem non antecedit; sed subsequitur formam huius Sacramenti, ergo non est pars materiæ.

Propter hoc quidem Petrus de Osma dixit, satisfactionẽ debere impleri ante absolutionẽ, quem ritum obseruari solitũ fuisse olim à Græcis, saltem in absolutione publica, refert Palatius *distinct. 15. quæst. 1.* ex Niceph. *libro. 11. capite 26.* Hunc tamen tanquam errorem refert Sixtus IV. in Bulla contra illũ Petrũ de Osma; nam licèt possit satisfactio expleri ante absolutionẽ, vt notat Sylvest. verbo *Confessio 1. §. 24.* Id tamen nõ est necessarium: nec, oportet semper omnes partes materiæ præcedere ante formã. Sic enim Iudicio humano exequutio mulctæ sequitur post sententiã, & in composito humano post infusionẽ animę accrescunt dentes, capilli, & aliæ multæ partes per continuam nutritionem & in aliis Sacramentis potest prius proferri forma & immediatè post applicari materia, ablutio, verb. grat. vel vnctio, &c. potuit ergo similiter forma præcedẽs informare satisfactionem subsequentem.

43. Verba absolutionis non significant satisfactionem. Sed contra hanc communem solutionem vrgeri adhuc potest, quia si satisfactio est materia partialis, oportebit assignare aliam formam partialem illi correspondentem; Nam forma illa *Ego te absoluo*, &c. non determinat sufficienter hanc materiam ad effectum Sacramentalem: potest enim aliquis post absolutionem ieiunare absque eo quod ieiunium sit satisfactio sacramentalis, quando scilicet non fuit illi ieiunium à confessario impositum: ergo præter verba absolutionis requiruntur etiã verba, quibus cõfessarius imponit ieiunium in pœnitentiam. Sine his enim verbis ieiunium non significat sufficienter affectum sacramentalem. Ergo hæc verba, quibus imponitur pœnitentia, sunt forma respectu huius materiæ partialis, quæ est satisfactio, & per consequens verba illa, *Ego te absoluo*, &c. non erunt forma adæquata huius Sacramenti, sicut nec contritio, & confessio sunt materia adæquata, & integra.

44. Respondeo, negari non posse quod in hoc Sacramento includantur verba formalia, vel virtualia, quibus à sacerdote pœnitentia imponitur. Nam satisfactio nõ est pars huius Sacramenti, nisi vt imposita à sacerdote, à quo eleuatur ad effectũ ex opere operato præstandum, eleuatur autem, quatenus imponitur ab ipso, vt Christi ministro, ergo illa impositio pœnitentiæ debet esse aliquid intrinsecum Sacramento. Dixi autem requiri verba illa formalia, vel virtualia: quia licet absolutio Sacramentalis debeat omnino fieri per vocem, & verba formalia, impositio tamen pœnitentiæ posset fieri per nutum, vt contingit, quando pœnitens est omnino surdus, cui per nutum significatur pœnitẽtia, quam debet præstare: illi autem nutus sunt verba virtualia, cùm æquiualeant vocibus, & illi etiam nutus erunt aliquid intrinsecum Sacramento, neutra verò verba, nec formalia, nec virtualia sunt forma etiam partialis huius Sacramenti, sed pertinent potiùs ad materiam, & intelliguntur sub nomine satisfactionis, quo nomine non intelligitur opus pœnale secundùm se, sed opus impositum à Confessario, & provt sic impositum dicitur materia partialis in hoc Sacramento, forma verò est sola absolutio, quæ informat omnes partes materiæ.

45. Dices, verba absolutionis nihil significare de satisfactione, sed de culpis: verba autem, quibus imponitur pœnitentia determinant opus satisfactorium ad hoc vt sit opus Sacramentale. Ergo hæc potiùs verba, quam absolutio erunt forma respectu satisfactionis.

46. Respondeo, opera satisfactionis explicari, & determinãtur per verba, quibus imponũtur à Sacerdote, & per verba absolutionis, sed valdè diuerso modo: nã per priora explicantur solùm in ratione obligationis, quia illa verba solùm dicunt, pœnitentem obligari à Cõfessario ad talia opera: non dicunt autẽ, illa opera liberare ex opere operato à reatu pœnę temporalis: per posteriora autem verba absolutionis declaratur magis hæc efficacia satisfactionis, quia dum Sacerdos vtens potestate sibi tradita, dicit, se absoluere & liberare pœnitentem quantum potest, eo ipso ostendit, se liberare eum non solùm à reatu culpæ, sed etiam à reatu pœnæ quantum virtute Sacramẽti potest mediis operibus satisfa-

satisfactoriis impositis; quare illa verba sunt, quæ determinant opera satisfactoria imposita, & explicant illorum efficaciam in ordine ad satisfaciendũ ex opere operato. Verba ergo, quibus illa opera præcipiuntur, sunt quasi forma operis impositi in ratione obligatorij: eadem autem opera cum illis verbis, quibus præcipiũtur: hoc est opus obligatorium ex præcepto Confessarij, est rursus materia in ordine ad formã absolutionis, quæ est illius formã in ratione operis satisfactorij, ex opere operato. Et quoniam Sacramentum, vt Sacramentum magis denotat efficaciam, & significationem gratiæ, & sanctitatis, quàm obligationis; Hinc est, quod magis dicitur forma satisfactionis illa, qua determinatur in ratione causantis, & significantis expiationem: quàm illa qua determinatur in ratione obligatoriæ.

47 Dices iterũ, sẽtẽtia est forma respectu exquutionis sẽtẽtiæ: ergo impositio pœnitẽtię, quę est sentẽtia iudicis, est potiùs forma respectu satisfactionis.

Respondeo iuxta supradicta sententiam obligãtem esse formam exequutionis sententiæ in ratione obligatoriæ: non verò in ratione afferentis ex opere operato aliquam sanctificationem vel liberationem, vel commutationem ipsius pœnæ: hanc enim significationem potiùs habet satisfactio ab absolutione, per quam liberatur pœnitens ab alio reatu pœnæ, quæ absolutio est etiam sententia, imò principalior, per quam iudex absoluit reum à reatu pœnæ, commutando illam in opera imposita.

48. Satisfactio non est pars essentialis Probanda nunc est iam secunda pars conclusionis positæ. quod scilicet satisfactio non sit pars essentialis, sed solùm integralis huius Sacramenti; quod probatur primò quia remissio peccati nõ datur absque contritione, nisi per Sacramentum in re susceptum, sed sine contritione, & cum sola attritione datur remissio peccati ei, qui cõfitetur, & absoluitur, licet postea pœnitentiam non impleat, vel propter obliuionem, vel propter aliam causam; remissio enim peccati præcedens non pendet ab eo quod poste à futurum est, ergo ante satisfactionem habetur Sacramentum in re, licet non omnino integrum, & perfectum.

49. Secundò: si satisfactio esset de essentia Sacramenti, nunquam posset dari essentia Sacramenti sine illa parte. Consequens autem est falsum, quia sæpè id potest contingere. 1. quando pœnitens nullam prorsus potest implere pœnitentiam, quia nimirum post confessionem amisit vsum rationis, aut senium; vt dicitur in cap. *ab infirmis* 26 *q.* 7. Deinde si constaret Sacerdoti peccatum esse dimissum, quoad totam pœnam per feruentem contritionem, quam pœnitens habet, tunc non oportet imponere pœnitentiam, vt docet Caiet. *in Summa* verbo *satisfactio*. & alij communiter.

50. Tertiò probatur, quia si satisfactio esset pars essentialis Sacramenti, deberet pœnitens implere pœnitentiam in statu gratiæ, vel cum attritione solùm, ne Sacramentum frustraretur suo effectu; quę tamen obligatio est contra communem praxim. Nõ ergo est pars essentialis, sed solùm integralis, quæ cum aliis integrat totam materiam completam huius Sacramenti.

Aduerte item, has partes appellari apud Concilia non simpliciter materiam, sed quasi materiam, eo quod in aliis Sacramentis materia sit aliquid permanens & substantiale, vt aqua, oleum, &c. Et hoc videtur magis sonare nomen *materiæ*, cùm in composito naturali, & in artificiali etiam materia semper sit aliqua substãtia: in hoc autem Sacramẽto pro materia assignantur actiones pœnitentis, quę sunt accidentia transeuntia. Et ideo non appellantur simpliciter materia, sed quasi materia. Videatur Vasquez *in præsenti dub.* 2. *n.* 8.

SECTIO III.

Quid importetur in recto per Sacramentum pœnitentiæ?

51 REstat iam secundus sensus quæstionis positus pro qua scilicet parte supponat in recto Sacramentum pœnitentiæ, an pro omnibus, an pro aliqua solum? In hoc puncto plures esse possunt dicendi modi. Primus quod supponat in recto pro actibus pœnitentis, connotando in obliquo absolutionem pro quo adduci possunt Alex *quæst* 60. *membr.* 2. & Soto *in* 4. *distinct.* 14. *quæst.* 1. *art* 1. quod videtur desumi ex ipso nomine *Pœnitentiæ*, nam absolutio non est pœnitentia, sed solum pœnitens dicitur ponere pœnitentiam; an verò omnes actus pœnitẽtis dicãtur eque in recto? Aliqui dicũt supponere pro omnibus, quod videtur etiam sentire P. Vasquez *in præsenti dub.* 2. *n.* 7. Alii dicunt, supponere in recto pro cõfessione, & satisfactione. Alij pro sola contritione quæ exprimitur per confessionem, & perficitur per satisfactionem.

52 Secundus dicendi modus est, quod hoc Sacramentum supponat in recto pro actibus pœnitentis & absolutione, in obliquo autem cõponet vim Sacramentalem, quam habet, & quæ est vltima forma Sacramenti, vt Sacramentum est, ita videntur loqui Marsilius *in* 4. *q.* 6. *art.* 1. Ledesma, & alij, cum quibus videtur etiam sentire Vasquez *vbi suprà* dicens, supponere ex æquo pro materiali, & formali, licet paulò ante dixisset, hoc Sacramentum esse contritionem, confessionem, & satisfactionem, vt sunt sub hac forma absolutionis, in quibus verbis magis videtur consentire primæ sententiæ.

53 Hunc dicendi modum probant aliqui, quia in aliis compositis artificialibus nomen significat in recto omnes partes materiæ, licèt ex illis vna se habeat vt forma respectu alterius; sic enim vnguentũ rosaceum significat directè oleũ & rosas, in obliquo autem vltimã formã artificij, licet rosæ etiam, in quibus est perfectior vis, videantur se habere, tanquam forma respectu olei.

Sed hoc exemplum parum vrget, quia fortasse est falsum: nam rosæ significatæ per nomen illud adiectiuum videntur importari solùm de connotato, & cum totum argumentum sit à putis particularibus, non concludit: Certum enim videtur, quod in hoc etiam Sacramento iurisdictio, vel potestas confessarij, non importetur in recto, sed solum in obliquo, licèt sit aliquid intrinsecè requisitum, & non sit vltima forma Sactamenti, vt Sacramentum est.

54 Alij probant secundò quia nulla vox connotat in obliquo duas formas, sed per vocem *Sacramenti pœnitentiæ* connotatur in obliquo vis significandi, & operandi, quæ est vltima forma Sacramenti in ratione Sacramenti, ergo absolutio non potest importari de connotato, sed in recto.

Hæc etiam ratio supponit falsum; nam in Sacramento Eucharistiæ importatur in obliquo, non solùm vis significatiua, sed etiam consecratio, est enim corpus Christi sub speciebus consecratis, & in Sacramento extremæ vnctionis importatur etiam in obliquo benedictio olei, est enim vnctio cum oleo benedicto &c.

55 Tertius modus dicendi est, supponere in recto

pro sola absolutione, ita vt Sacramentum hoc sit absolutio à Sacerdote pœnitentis confessi, cum dolore, &c. In hoc sensu defendit, & explicat sententiam Scoti Angles *in quæst. de Sacram. pœnit.* & videtur etiam de mente Alex. Richard. & Bonauent. quatenus dicunt, quod considerando pœnitentiam, prout est Sacramentum, supponit pro absolutione: & probari potest: quia Sacerdos solus est qui causat gratiam, & confert Sacramentum & tamen ipse solum ponit absolutionem.

56. Tota hæc controuersia est de vocibus, in qua certum est potuisse per Sacramentum pœnitentiæ significari materiam, & formam, vtramque in recto, potuisse etiam significari solam formam, connotando materiam; vel solam materiam connotando formam; vel solam vnam partem materiæ, verbi gratia, confessionem condonando alias: nam vox de se apta erat ad significandum quocumque modo. Quod autem vox, *pœnitentia* videatur sonare solum actum pœnitentis; parum refert, quia contingit nomen aliquod impositum ad significandum totum desumi ex vna parte magis nota. Sic enim Baptismus videtur sonare solam absolutionem & extrema vnctio solam materiam; imò aliquando ex solo effectu, vt *ordo*. Qui potiùs videtur effectus Sacramenti, quàm ipsa actio ordinandi.

57. Certum etiam videtur, peccata non importari in recto, sed solùm de connotato, quatenus importatur confessio peccati commissi. Ratio autem potest esse, quia cum Sacramentum sit id quod mouet Deum ad dandam gratiam; peccatum autem ex se magis moueat ad auferendam illam, non detur significari secundùm se, & directè per nomen Sacramenti, sed solum de connotato.

58. An verò aliæ partes importentur omnes æquè in recto? Dicendum videtur primò aliquando videri importari solam absolutionem in recto, vt dicebat tertia sententia; & hoc quidem non sine sufficienti fundamento. Hoc enim Sacramentum institutum est per modum condonationis, & remissionis: quando autem vnus homo condonat offensam, aut debitum alteri, tota actiuitas, & efficientia videtur esse in ipsa condonatione, & licet ad eius valorem prærequiratur debitum, vel offensa condonanda, illud tamen requisitum videtur se habere ex parte materiæ, non ex parte efficientis. Vnde concipiendo actiuitatem huius Sacramenti per species illius remissionis humanæ, videmur concipere totam actiuitatem tenentem se etiam ex parte absolutionis & remissionis: & licet reuera absolutionis verba non habeant etiam ex se efficaciam completam, quando non præcedit confessio, & alia requisita: concipimus tamen ex parte modi concipiendi illa omnia per speciem dispositionum, licet reuera sint partes: vnde cùm in vsurpatione nominum sequamur plerumque modum concipiendi, & habeamus similem modum significandi, non mirum, si per hoc Sacramentum significamus etiam directè sdlam absolutionem connotando in obliquo cætera omnia, quæ licet non legemus esse partes, ex modo tamen significandi, significamus illas per modum conditionum prærequisitarum; sicut multa etiam solemus significare per aliqua nomina per modum alteri adiacentis, & ad modum accidentium, quæ reuera sunt substantiæ, & non adiacent. In hac ergo vsurpatione vocabuli; Sacramentum pœnitentiæ erit essentialiter absolutio hominis confessi cum dolore peccatorum commissorum; integraliter autem, & completè erit etiam impositio satisfactionis, & eius exequutio; nam hoc Sacramentum, vt est integrum, non solum est condonatio, sed est punitio etiam, quæ includit sententiam, & eius exequutionem.

59. Addo tamen, frequentissimè hoc Sacramentum importare in recto non solam absolutionem, sed confessionem etiam, prout volebat secunda sententia: qui etiam modus significandi habet magnum fundamentum in reipsa. Hoc enim Sacramentum institutum est à Christo per modum iudicij: iudicium autem humanum intrinsecè constat non solum ex sententia Iudicis, sed ex aliis actibus, iudicialibus, scilicet, accusatione, examine, confessione, &c. Cùm ergo hoc Sacramentum apprehendamus etiam per speciem aliorum iudiciorum, in quibus hæc omnia significamus in recto; non mirum, si hoc etiam iudicium significemus ad modum aliorum importando omnes eius partes in recto; vnde infero, non solam confessionem pœnitentis importari hoc modo; sed etiam auditionem, quæ se tenet ex parte confessarij, & examen, quo ipse interrogat pœnitentem, hi enim etiam sunt actus iudiciales, & pertinentes ad compositionem intrinsecam huius iudicij Sacramentalis.

60. Hæc ratio non videtur probare de dolore importari etiam in recto, cùm ipse non sit actus iudicialis, nec pars aliorum iudiciorum. Cæterùm cùm hoc Sacramentum institutum etiam sit per modum reconciliationis, vnde aliquando hoc nomine solet appellari, apprehendimus etiam illud per species reconciliationis humanæ, quæ procul dubio constat ex voluntaria vtriusque quasi reuocatione, non solùm ex parte offensi, sed etiam ex parte offendentis, qui eo ipso retractat offensam: reconciliari enim est vtrumque redire illuc, vnde voluntariè discesserat: cùm ergo Christus dedit potestatem Sacerdotibus, vt eius nomine reconciliationem facerent cum peccatoribus, necessariò in hac reconciliatione includitur affectus pœnitentis redeuntis sponte sua ad Deum; & per consequens hic etiam affectus in reconciliatione completè sumpta importatur in recto: reconciliari enim est, hominem redire ad Deum, & Deum redire ad peccatorem.

61. Adde, dolorem etiam, sicut & confessionem, & absolutionem concurrere partialiter ad gratiam, quæ in hoc Sacramento significatur, & producitur: quare cùm Sacramentum; vt Sacramentum sit, quod significat, & causat gratiam; potuit æquè importari in recto dolor, sicut absolutio, & confessio, cum æquè significet, & causet gratiam. Quod cum proportione de satisfactione dicendum videtur, quæ partialiter concurrit ad perfectam expiationem peccatorum.

62. Dices, imò hoc titulo solam absolutionem debuisse in recto importari, quia vt supra diximus, absolutio sola est, quam Sacerdos ponit, vt Christi Minister, vnde cùm efficacia Sacramenti proueniat ex eo, quod sit actio Christi, quam facit per suum Ministrum: sola absolutio est, quæ Deum mouet ad dandam gratiam: confessio autem & dolor mouent quidē non secūdùm se, sed prout integram absolutionē in ratione actionis Christi, eo quod Christus (vt diximus) non dederit potestatē Sacerdoti absoluendi eius nomine, nisi pœnitentiam cum dolore confessum: absolutio ergo sola in recto mouet Deum; confessio verò, & dolor solùm in obliquo, quatenus denominant absolutionem hîc, & nunc datam nomine Christi.

63. Respondeo in primis non solam absolutionem fieri nomine Christi, quia auditionem peccatorū, & interrogationem, aliasque actiones, quas Sacerdos exhibet

exhibet in hoc iudico, agit nomine Christi, & vt eius minister ad hoc ab ipso deputatus. Deinde dico, licet dolor, & confessio in recto non sint operationes factæ nomine Christi, atque ideo non sint actiones habentes ex se condignitatem, & valorem ad causandam gratiam: esse tamen etiam in recto actiones, quę mouent moraliter Deum ad dandam gratiam propter ipsas, non quidem de condigno, sed de congruo: accedentibus autem Christi meritis eleuatæ sunt, vt infallibiliter mouerent Deum ad dandam gratiam, quare iam sunt causæ, si non condignæ, infallibiliter tamen causantes illum effectum de congruo, non enim repugnat, aliquam esse causam moralem infallibilem, licèt hanc infallibilitatem habuerit ex meritis alterius, vt probauimus tomo præcedenti exemplo contritionis, quæ extra Sacramentum affert infallibiliter gratiam, quam licet non mereatur de condigno, sed de congruo, licèt hanc infallibilitatem habeat ex Christi meritis; ipsa tamen contritio non est mera conditio, sed causa moralis gratiæ. Sic ergo intra Sacramentum dolor, & confessio potuerunt ex Christi meritis habere, vt congruitas, quam ex se habent ad causandam moraliter gratiam, acceperetur infallibiliter semper ad eum effectum, & per consequens iam ipsæ etiam in recto causabunt moraliter gratiam. Hoc autem sufficit; vtin recto concipiantur nomine Sacramenti, quod quidem in suo conceptu solùm importat id, quod sensibiliter significat, & causat gratiam infallibiliter, siue id sit causa condigna, siue congrua: Vtraque enim est vera causa moralis, quantum requiritur ad rationem Sacramenti.

Solùm posset obstare, quod ipsa confessio non semper sit actus vndequaque honestus, ita vt possit placere Deo: potest enim contingere, quod procedat ex aliquo fine vanæ glorię venialiter culpabili, & per consequens non poterit ex se mereri gratiam etiam de condigno.

Cæterùm, quidquid de hoc sit, ad hoc, vt per nomen Sacramenti poterit in recto significari; sufficit, quod communiter loquendo, & regulariter ipsa etiam in recto causet gratiam modo explicato, licet in aliquo particulari casu id non habeat: nomina enim imponuntur secundùm communem modum concipiendi, qui etiam sumitur ex communi modo operandi. Aliunde autem semper erunt partes intrinsecæ Sacramenti, & concurrent partialiter ad causandam gratiam saltem in obliquo, quatenus semper integrabunt, & denominabunt absolutionem in ratione absolutionis factæ nomine Christi, & ex ipsius auctoritate, vt supra explicatum est. Et hæc sint satis de hac quæstione de nomine.

Solet hoc loco disputari, quid sit in hoc Sacramento illud, quod est res, & quod est Sacramentum, & quod est res simul, & Sacramentum, de quo P. Suarez *disp.* 18. *sect.* 5. & P. Vasquez *q.* 81. *art.* 1. *dub.* 3. de hoc tamen dixi latè *in tract. de Sacramentis in genere disp.* 2. *sect.* 8. vbi eam quæstionem semel pro omnibus Sacramentis explicuimus.

Posset etiam agi de necessitate huius Sacramenti, de hoc tamen dicemus infrà agentes de necessitate confessionis. Item de eius iterabilitete, de qua etiam dicemus agentes de materia confessionis; an possint esse peccata eadem sæpius repetita? Denique agi solet hìc de potestate clauium, & remittendi peccata: de qua dicemus disputatione sequenti agentes de sensu & potestate verborum absolutionis.

DISPVTATIO XIII.

De forma Sacramenti pœnitentiæ.

SECT. I. *Vtrùm, & quæ verba sint necessaria ad formam huius Sacramenti.*

SECT. II. *Quem effectum habeant verba in forma huius Sacramenti.*

SECT. III. *Quem sensum habeant verba in forma huius Sacramenti.*

SECT. IV. *Vtrùm forma absolutionis possit per modum deprecationis proferri.*

SECT. V. *Vtrùm absolutio Sacramentalis possit dari sub conditione.*

SECT. VI. *Alia dubia circa eamdem formam absolutionis.*

SECT. VII. *Vtrùm forma absolutionis possit proferri à pluribus Ministris.*

Diximus de partibus huius Sacramenti, quæ in communi, & in confuso, nunc iam agendum est de singulis distinctè, & in particulari. Inuertimus autem aliquantulum doctrinæ ordinem, agentes priùs de forma: quàm de materia; tum vt sequamur in hoc sanctum Thomam: qui idem facit, tum etiam quia cùm materiæ plures sint partes, & longiorem tractatum desiderent oportuit priùs hanc expedire quæ, & magis necessaria est, & breuior, vt posteà liberior sit nobis; disputatio de materiæ partibus in particulari.

SECTIO I.

§. 1. *Vtrùm, & quæ verba sint necessaria ad formam huius Sacramenti.*

DVo quæruntur sub hoc titulo: Primum, an requirantur essentialiter verba propriè dicta? Secundum, quæ sint illa verba? Circa primum nonnulli iudicant, non requiri essentialiter verba propriè dicta, sed sufficere scripturam, vel aliquid, quod Sacerdos manifestet se remittere peccata. Palud. Molin. Petrus de Soto & Nauarrus quos affert Suarez *in præsenti. disp.* 19. *sect.* 1. *n.* 1. Ratio autem potest esse, quod hoc Sacramentum institutum est per modum iudicij: ergo id, quod sufficit in rigore ad valorem sententiæ in aliis iudiciis, sufficiet in hoc: quare sicut Sacramentum matrimonij absque verbis perfici potest, eo quod sequatur naturam contractuum; sic hoc Sacramentum perfici posset eo quod sequatur naturam iudicij; imò in hoc ipso Sacramento pœnitens potest nutibus, vel scripto manifestare sua peccata Sacerdoti præsenti, & Sacerdos etiam potest nutibus, vel scripto imponere pœnitentiam; ergo & poterit etiam absoluere. Nec enim ex Christi institutione aliud potest colligi; nam verba illa? *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis*, &c. Non minùs verificabuntur in hoc casu; qui enim nutibus, vel scripto remittit offensam verè, & in rigore illam dicitur remittere.

An requirantur essentialiter verba propriè dicta.

Ioan. 20.

Contraria sententia cõmunis est, & certa apud Theologos cum Magistro *in* 4. *distinct.* 14. & S. Thom. *in præsenti q.* 84. *art.* 3. & 4. Probatur ex Cõcilio Florentino *in decreto Eugenij* & Trident. *sess.* 14. *c.* 3. in quibus forma huius Sacramenti dicitur cõsistere in verbis illis *Ego te absoluo* &c. Et generaliter Eugen. dixit, omnia Sacramenta perfici verbis

Requiruntur verba.

bis,& quamuis postea de matrimonio, dixerit, regulariter perfici verbis indicans posse aliquando fieri sine illis, hæc ipsa exceptio firmat regulam in contrarium,cùm de aliis Sacramentis nihil tale dicatur. Imò hoc ipsum ostendit, verba propriè accipi, quando exiguntur ad alia Sacramenta, quia alioquin non oporteret dicere,quod matrimonium regulariter fiat per verba, semper enim fit per verba,si sermo sit de verbis propriis, vel impropriis,in hoc autem Sacramento exigit verba simpliciter, *quæ sacerdos* (inquit) *profert, dum dicit*, &c. Proferre enim *& dicere*, indicant verborum proprietatẽ requiri essentialiter. Idem habetur in Concilio Colon.& Mogunt.*c.1.in fin.*

3. Ratio potissima desumitur ex institutione Christi, quam traditio,& cõsuetudo Ecclesiæ perpetua manifestauit. Desumitur item non minus efficaciter ex aliorum Sacramentorum exemplo. Si enim istud posset nutibus, vel scriptura ministrari; non apparet, cur etiam de ordinatione. v. g vel baptismo idem dici non possit; cur enim Episcopus, vel Sacerdos mutus applicando materiam illorum Sacramentorum,non posset scribere: *Ego do tibi potestatem offerendi Sacrificium*, vel *Ego te baptizo*? &c. Sicut ergo in aliis Sacramentis Ecclesiæ traditio declarauit, requiri essentialiter verba ex Christi institutione; sic in hoc Sacramento debemus id confiteri.

4. Ad exempla verò, & fundamenta in contrarium adducta dicendum est licet hoc Sacramentum institutumsit per modum indicij,non tamen subire omnem conditionem iudiciorum communium, in quibus non creditur soli reo pro se, & contra se, sicut in hoc Sacramento. Adde in aliis iudiciis requiri etiam aliquando ex superioris lege solemnitatem aliquam determinatam in prolatione sententiæ, vt ea sit valida. Quare ex hoc capite b ene potuit in hoc iudicio præscribi certa formula, & ritus,sine quo sententia non valeret. Discrimẽ autem inter matrimonium, & hoc Sacramentum est clarum, quia Christus inuenit iam matrimonium institutum,nec fecit aliud, nisi illud eleuare ad rationem Sacramenti: Cùm ergo matrimoninm ex se posset priùs confici absque verbis, sic etiam potuit & nunc:nec oportebat mutos excludere ab illo statu, ad quem ex naturæ conditione ordinati erant.At verò hoc Sacramentũ,& iudicium, non erat institutum ante Christum; vnde potuit eius essentiam, & conditionem omnino de nouo instituere: nec erat inconueniens, si muti non possent absoluere, possent enim esse alij confessarij absque illo impedimento.

5. Est etiam alia differentia inter matrimonium & hoc Sacramentum, quæ multum refert ad hoc propositum,& debet haberi præ oculis,vt satisfiat aliis exemplis supra adductis:nam verba in matrimonio solum requiruntur ad hoc,vt humano modo constet alteri coniugi de consensu alterius:quare non sufficit prolatio verborum, nisi alter coniux ea percipiat & intelligat, quia ad hoc solùm ordinantur:vnde si alter coniux per scripturam,vel nutu intelligat meliùs, quàm per verba, non oportet venire ad verba.At verò in aliis omnibus Sacramẽtis verba non requiruntur, ad hoc,vt recipiens Sacramẽtũ,vel aliquis alius ea intelligat,& percipiat. Vnde omnia aliqua præter matrimonium ministrari possunt dormienti vel furioso, si priùs explicuit se habere intentionem ea recipiendi & licet hîc,& nunc sit sui compos, quando percipiat,vel intelligat formam,quæ à ministro profertur, quod etiam procedit in Sacramento pœnitentiæ, in quo verba absolutionis proferuntur latinè, & voce plerumque ita demissa,vtà pœnitente neque intelligantur neque audiantur,ex quo aperte colligitur, illa verba non ordinari ad manifestãdam mentem illi, qui Sacramentum suscipit, sed proferri Sacramentaliter,hoc est,magis in ordine ad Deum, quàm in ordine ad hominem, magisque ad manifestandã Deo nostram intentionem nomine Christi, quàm ad manifestandam aliquid illi, cum quo videmur loqui.

6. Ex hoc autem oritur iam ratio congruentiæ, & discriminis inter verba, quæ requiruntur ad formã & inter alia exempla suprà adducta, ram in matrimonio,vt dixi, verba solùm requiruntur,vt manifestetur coniugi consensus alterius cõiugis:in cõfessione autem verba requirũtur,vt Sacerdos intelligat peccata pœnitẽtis. Vnde si Sacerdos illa verba non audiret, vel non intelligeret, non esset valida illa confessio: impositio etiam pœnitentiæ fit per verba, vt pœnitens sciat quam debeat satisfactionem exhibere: quare hęc omnia possunt æquè bene fieri per nutũ,aut alia signa, quibus æquè bene resilla manifestetur. At verò verba absolutionis sicut forma baptismi, & aliorum Sacramentorum non sunt, vt pœnitens vel recipiens Sacramentum intelligat, sed potiùs, vt Deus intelligat (vt ita dicam) nostram mentem, & intentionem,atque ea de causa verba absolutionis, & aliæ formæ appellari solent ab antiquis Patribus preces, & orationes Sacerdotum, vt videbimus *sectione sequenti*; quia nimirum, licet proferantur enunciatiuè simplicitè tamen, & quoad vim, & efficaciam,videntur esse preces, & intimationes nostræ voluntatis, quæ Deo offeruntur. Cum Deo autem per verba potiùs oris, quàm per scripturam, aut nutum loquendum nobis est. Scriptura enim solum vtimur in supplementum verborum, vt loquamur cum absentibus, vel surdis. Nutus etiam sunt verba valdè imperfecta, & quæ in rigore non habent de se integram significationem, nisi aliis adminiculis adiuuentur: nam quando aliquis me interrogat, anne sim hoc, vel illud? Et ego capite annuo,ille nutus de solo non significat meã voluntatem;sed nutus ille cum tali interrogatione, quare non apponeret sacerdos totam formam apponendo illum nutum; sicut si interroganti pœnitenti an absolueret eũ à peccatis? diceret Sacerdos *etiam*. Illa particula,*etiam*, non esset forma adæquata, nec se sola sufficienter significaret; sed simul cum interrogatione præcedenti, & ideò, nõ sufficeret. Denique nutus etiã, sicut scriptura sunt in supplementum verborũ. Quare dùm in his Sacramentis requiratur à nobis ex eorum institutione loquutio cum Deo,non interna, sed externa,quia sunt signa sensibilia: intelligi id debuit de loquutione, qualis in ordine ad Deum adhibenda erat, quæ non est, nisi per verba propria: quando autem petitur loquutio in ordine ad homines, vt ipsi nos percipiant, intelligi meritò potuit de loquutione etiam per scripturam, & nutum prout sæpe cum hominibus loqui necesse est. Quamuis ergo remissio offensæ, quæ fit per nutum, sit vera remissio: quando tamen Sacerdotibus data est potestas remittendi peccata peu remissionem externam; intelligi debuit de remissione per solam vocem facienda, quia agebatur de remissione facienda per talia signa:quibus non tam ipsi peccatori, cui fit, manifestaretur remissio, quàm ipsi Deo cuius nomine fit;signa autem externa proportionata ad manifestandum Deo,magis sunt voces, quàm nutus, & scriptura,quibus solùm vtimur in defectum vocum, vt diximus.

7. Dices: scriptura, & nutus, non solum de sertuunt in supplementum vocum, quando de fectus

proueniet

proueńit ex parte audientis absentis, v.g. vel surdi, sed etiam quando prouenit ex parte loquentis qui sit v.g. mutus: ergo licet ex parte Dei non sit defectus, propter quem adhibenda sit scriptura, vel nutus; potest tamen esse ex parte hominis; qui sic mutus, atque ideo, licet formæ Sacramentorum sint potissimè in ordine Ad Deum, deberent etiam posse fieri scriptura, vel nutibus sicut quando loquimur cum aliis hominibus.

Respondeo de possibili quidem non repugnare, quod homines etiam cum Deo ita loquerentur per scripturam, vel nutum: & quod Sacramentorum formæ cum ea latitudine instituerentur: de facto tamen institutam ita non esse probat perpetua Ecclesiæ traditio: congruentia autem poterit esse, quod licet in ordine ad humanum commercium loquutio indifferens sit ad omnes illos modos loquendi: quando tamen exigitur, vel præcipitur loquutio externa cum Deo non solet intelligi, nisi de loquutione per vocem, nsi expiicetur, & extendatur ad alia genera loquutionum: sic enim quando ad lucrandum Iubilæum, vel indulgentiam, exigitur orare, vel preces fundere in tali, vel tali Ecclesia, licet sit quæstio, an sufficiat oratio mentalis, vel requiratur externa; illi tamen, qui dicunt non sufficere mentalem, consequenter docent requiri orationem vocalem, nec erit qui dicat, sufficere orationem factam per nutum, vel per scripturam: si aliquis v.g in Ecclesia illa scriberet bis, aut ter orationem Dominicam: quia nimirum preces externæ ad Deum communiter intelliguntur de solis vocalibus; nam illi alij modi sunt extraordinarij, & inusitati. Cùm ergo Christus instituerit formam Sacramentorum, quibus exterius, & sensibiliter Deus esset quasi orandus nobis, & alloquendus: Ecclesia diuinitus edocta meritò potuit id de solis vocibus intelligere, quibus solis homines solent Deum exterius alloqui, & orare.

§. 2. *quæ verba requirantur ad formam Sacramenti Pœnitentiæ?*

8. HIs itaque de priori puncto notatis, de posteriori est maior difficultas, quę verba requirantur essentialiter ad valorem huius formæ? Et in primis certum est, non esse necessaria omnia verba antecedentia, & consequentia, quæ de facto dicuntur: vt illa *Misereatur tui*, &c. *Dominus noster Iesus Christus te absoluat*, &c. quæ ideo præmittuntur, vt effectus subsequentis absolutionis non impediatur: alia etiam subsequuntur, non necessaria; scilicet, *Passio Domini nostri Iesu Christi*, &c. De quorum verborum vtilitate, aut efficacia, & an cōferant aliquem valorem omnibus operibus satisfactoriis pœnitentis, vt ex opere operato satisfaciat per omnia illa, vt eleuantur per hæc verba: dicendum erit, cum agemus de satisfactione. Pro nūc dicimus, ea omnia verba, licet necessaria nō sint; laudabiliter tamen adiungi, vt dicit Tridentinum *sessione 14. cap. 3.* in quo duriuscule loquitur Concilium Colonienſe in Enchiridio sub titulo *de Sacramento pœnitentiæ*, vbi ex Gersone dicit, debere retineri breuitatem, & simplicitatem verborum absolutionis, & nec vtilem esse illam aliorum verborum aut precum additionem.

9. Illud fatendum videtur, posse eas preces absque peccato mortali omitti, & fortasse absque veniali, tamen licèt consuetudine receptæ sint, videtur tamen ea consuetudo libera. Videatur Nauarrus *de pœnitent. d. 6. c. 1. n. 31.*

Certum etiam est, in verbis absolutionis, illud nomen, *ego*, non esse simpliciter necessarium ad valorem Sacramenti, quia, si auferatur, remanet idē sensus, vt in forma Baptismi docet *S. Thom. supra q. 56. art. 5. ad* . quare eius pronominis omissio non erit peccatum mortale; an verò sit veniale? Aliqui negant, aliqui affirmant, eo quod in Cōciliis videatur proponi illa forma obseruanda sub illis verbis. 10 *Ego non est de essentia formæ.*

Restat ergo difficultas de illis verbis, *Absoluo te à peccatis tuis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, de quibus prima sententia docet omnia illa esse necessaria. Hanc tenet Dur. *in 4. dist. 22. q. 2.* vel saltem requiri inuocationem Dei, aut Christi, & fauere videntur Ioannes Maior, *ibid. 14. q. 2.* Ioannes de Neapoli *d. 16. q. 5.* Gerson *Alphabeto 33. tract de absolutione Sacramentali*, quem refert Nauarr. *de pœnitentia d. 6. c. 1. in principio n. 18.* Angelus *Confessio... n.* . Cōciliū etiam Colonieſe, quatenus relatis illis verbis, addit, reliqua nō esse necessaria. 11.

Fundamentum est, tum exemplum Baptismi, & Confirmationis, in quibus ponitur inuocatio Trinitatis tum etiam quia oportet declarari, quod Sacerdos solùm vt Minister, Deum autem vt principalis Auctor absoluit. 12.

Hæc sententia ab omnibus reiicitur quam aliqui dicunt esse omnino improbabilem. Primò quia absque vllo fundamento exigit illa verba ad essentiam Sacramenti, cùm neque ex Ecclesiæ definitione neque ex institutione Christi, id colligatur, qui solum dixit, *quorum remiseritis peccata remittuntur eis*, &c. Vnde patet discrimen à Baptismo, in quo Christus eam inuocationem posuit pro forma, & Confirmatione, in qua ex traditione Ecclesiæ idem habemus; quia nimirum Baptismus introducit ad fidem Trinitatis, & Confirmatio in eâdem fide confirmat ad eam profitendam; ideo debuit expressè illa fides explicari.

Hinc autem probatur secundò, quia in aliis Sacramentis licet fiant omnia auctoritate Dei, non est necesse id explicari in eorum formis, vt constat inductione. Ergo absque fundamento id dicitur de solo Sacramento pœnitentiæ. 13.

Secunda ergo sententia docet, necessaria esse illa verba, *Absoluo te ab omnibus peccatis tuis*. Hanc tenet Gabr. *distinct. 44. q. 2.* & probari potest ex Concilio Moguntin. *c. 24.* vbi ponitur forma cum illo addito ab omnibus. Conc. Mogū

Hanc tamen meritò requirunt alij, & in Rituali Romano reformato dempta est illa particula *omnibus*; neque enim Sacerdos absoluit ab omnibus peccatis, cùm de multis venialibus non doleat pœnitens: mortalia verò connexa sunt; ita vt si ab vno absoluitur pœnitens, omnia remitti debeant. 14.

Tertia sententia dicit, necessaria esse saltem illa verba *Absoluo te à peccatis tuis*. Hanc tenent Palud. *d. 22. quæst. 5.* Maior. *d. 14. q.* . Petrus Soto *lect. 4. de confessione* Viguerius *c. 16. §. 2. vers. 2.* & alij, quia verbum illud, *Absoluo*, de se indifferens est, vt significet absolutionem à peccatis, vel à censuris, vel ab aliquo alio vinculo, debet ergo determinari per aliquid aliud. 15.

Sed certè hoc ad summum probat de illis verbis *à peccatis*, non verò de illa particula *tuis*, absque illa enim sufficienter determinatur significatio, non enim potest absolui Petrus à peccatis alienis. Ergo idem est dicere *absoluo te à peccatis*, ac dicere, *absoluo te à peccatis tuis*.

Quarta sententia potest esse, quæ per aliud extremum dicit, sufficere in rigore ad valorem Sacramenti, illud verbum, *absoluo*, absque vllo alio, quia post auditam confessionem, illud verbum significat sufficienter Sacramentum absolutorium. Ita videtur sentire Sotus *in 4. d. 22. q. 1. art. . §. Postremum* 16.

stremum tandem dubium vbi dicit, quod in articulo mortis, quando periculum esset, ne moreretur homo absque absolutione Sacramentali, posset Sacerdos cum intentione absoluendi simul à censuris, & peccatis proferre verbum *absoluo*, quod sufficeret.

17. *Forma sit in his duobus verbis* absoluo te.

Quinta sententia probabilior, & communior dicit, illa duo verba, *absoluo te*, sufficere ad essentiam Sacramenti. Hanc tenent S. Thom. *q.* 84. *art.* 3. Anton. Caietanus, Sylvester, Navarrus & alij, quos refert & sequitur Suarez *in præsenti disp.* 19. *sect.* 2. *n.* 20. & Vasquez *dub.* 4 cum aliis. Recentioribus communiter. Quibus favet Catechismus Pij V. *de Sacramento pœnitentiæ n.* 15. vbi dicitur formam huius Sacramenti esse *Ego te absoluo*, Adduci etiam solet illud *Matth.* 18. *Quæcumque solueritis super terram, erũt soluta & in cœlo.* Nam licet *Ioan.* 20. exprimantur peccata in illis verbis, *quorum remiseritis peccata* &c. In hoc tamen loco non exprimuntur, sed solum exprimitur absolutio. Hoc tamen non multum vrget, quia nec ibi ponitur verbum absoluendi solum, dicit enim *quæcumque solueritis*, indicans absoluentem dicturum, quid velit soluere.

18. Ratio ergo præcipua desumitur ex eo, quod verbum illud *absoluo*, sicut & verbum *remitto*, habet ex se sufficientem vim ad significandam absolutionem à vinculis, seu remissionem debiti, licet non addatur aliquid aliud. Sic enim in oratione Dominica dicimus, *sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*, non addentes, quid eis dimittamus, & *Ioann.* 11. dixit Christus Apostolis, loquens de Lazaro *soluite eum, & sinite abire*, neque addidit, *à vinculis*: denique, vulgari, & humano sermone, is, qui offensam passus est dicere solet etiam post temporis interuallum, *ego condono tibi, ego tibi remitto*, per quod etiamsi nihil addat sufficienter intelligitur remittere, & condonare offensam: ergo eodem modo Sacerdos, loquens nomine Dei offensi, & dicens, *ego remitto, vel condono tibi*, aut *ego te absoluo*, (quod idem est) sufficienter significat remissionem offensæ, vel debiti ex peccato resultantis.

19. *An hæc verba* Absoluo &c, *possint mutari.*

Obiicies primò, quia si aliquis dicat: *Ego tibi dono*, & non addat aliud non significat sufficienter donationem; nam verbum illud est indifferens ad hoc, & illud donum, & habet significationem suspensam, donec determinetur per aliud ad significandam hanc donationem. Ergo similiter dicens, *ego tibi condono*, nihil aliud addens, non significat sufficienter; quia condonare, est donare aliquod debitum, manet autem suspensa significatio, donec determinetur per tale debitum ad id significandum.

Respondeo negando consequentiam: aliqua enim sunt verba, quæ magis quasi syncategorematice significat, atque adeo suspendunt significationem ad modum termini syncategorematici, donec determinentur per aliud, qualia sunt verba, *adiungo*, *vnio*, *volo*, & similia. Alia verò sunt, quæ magis participant de categoremate; habet enim de se sensum completum, vt *curro*, *existo*, *ægroto*, & similia. Illud ergo verbum, *dono*, pertinet magis ad priorem classem; neque enim explicat, quid donet; at verò verbum *condono*, seu *remitto*, pertinet ad posteriorem, quia significat donationem debiti, & valet idem ac, *dono tibi debitum, quod debes mihi*: quod quidem generat perfectum sensum, vt constat, quamuis nihil aliud addatur.

20. Dices, adhuc manere sensum imperfectum, quia cum sint, vel esse possint multa debita; non significatur sufficienter, nisi explicetur quale debitum remittatur, sicut verbum, *dono*, facit sensum imperfectum propter eamdem rationem.

Respondeo non manere sensum clarum, manere tamen perfectum. Aliud enim est, quod sensus non sit clarus, aliud verò, quod sit suspensus. Illud prius habent omnia æquiuoca, quę ideò sunt æquiuoca, quia de se plura significant, quare, quando dico, me vidisse canem; sensus quidem non est suspensus, sed perfectus, obscurus tamen propter æquiuocationem illius vocis, & quia nescis adhuc de quo cane loquar, an de terrestri, cœlesti vel marino: hæc autem obscuritas, & æquiuocatio tollitur sæpe ex circunstantiis & ex antecedentibus, ac cõsequentibus iuxta regulam summularum. Quando verò dico me vidisse omnem, sensus non solùm est obscurus; sed etiam imperfectus, & suspensus; quia illa vox *omnis*, non significat omnes homines, sed potest consignificare cum voce *homo*: neque est sicut vox *canis*, quæ se sola significat canem terrestrem, licet non solùm illum significet, sed etiam alios. Illa ergo vox, *dono*, propter syncategorema, quod habet, facit sensum non solum obscurum, sed imperfectum, quia solum potest consignificare. At verò verbum, *condono*, vel, *remitto*, facit quidẽ sensũ obscurum propter æquiuocationem implicitam, non tamen imperfectum. Sicut si haberes duos seruos petros, & diceres, *dono tibi seruum meũ Petrum*: oratio quidem faceret sensum perfectum, sed obscurum; quia propter æquiuocationem nominis nõ constaret clarè de tua mente. Sic se habent verba illa *Ego te absoluo*, vel, *Ego tibi remitto*: habent enim de se sensum perfectum, sed obscurum nisi ex circunstantiis & antecedentibus fiat clarus, prout reuera fit; nam iuxta subiectam materiam, & in his circunstantiis intelliguntur de condonatione peccatorum, quorum confessio, & veniæ petitio præcessit. Ipsa tamen verba illam veniam peccatorum significant: nam perinde est dicere *condono*, ac dicere *dono tibi ius, quod habeo aduersus te*; quare si habeam vnicum ius aduersus te, nulla est æquiuocatio: si autem habeam plura iura, sensus est obscurus, & redditur clarus ex circunstantiis, vt in habente duos seruos Petros, & in aliis similibus.

Est autem hæc doctrina adeo rationis naturalis lumini conformis, vt sapientissimi illi Iureconsulti ex hoc principio diuersa responsa ediderint. Aliquando enim dicere videntur, actum non valere, quando vox indifferens est ad plura significanda, vt si tutor detur Titius, cùm duo sint Titij, vel si seruus libertate donetur cum plures sunt serui, & non explicatur aliquis determinatè, vt constat ex lege, *si ita fuit* 11. *ff. de rebus dubiis* vbi varia exempla adhibentur. Cæterùm idem Iureconsulti fatentur, in iis casibus actum non esse in se inualidum, sed carere effectu, non quia deficiat ius, sed probatio iuris, vt acutè dixit Iureconsultus in lege, *duo sunt Titij ff. de Testamentaria tutela*, & obseruauit Glossa in lege *si quis seruum* 8. §. *si inter duos ff. de legatis* 2. Vnde aliquando sustinetur valor, & ponitur effectus, vt cùm quis habens duos seruos Stichos legat Titio Stichum seruum, debet enim dari vnus, quem hæres elegerit, vt habetur in lege *si quis à filio* 32. §. 1. *ff. de legatis* 1. & cùm testator habens duos fundos eiusdem nominis legat fundum per nomem illud commune, dari debet, qui minoris pretij est, vt habetur in lege *Idem Iulianus*. 41. §. *scio ex facto*, eodem titulo *de legatis primo*. Ratio autem est, quia legatum est validum, & solum impediri poterat effectus propter incertitudinem ex defectu probationis: ergo cùm probari possit sufficienter voluntas testatoris, saltem quoad aliquid, seu quoad id, quod minus est id debet omnino dari: non debere autem dari, nisi verba etiam æquiuoca, & indifferentis

rentia sufficerent ad actum externum validum, licet aliquando ex defectu probationis non possit aliquis obtinere id, quod sibi debetur.

22. Confirmatur ex alio exemplo in re magis Theologica; si aliquis v.g. animo hæreticali diceret: *Maria non fuit Virgo*, intelligens vtique interiùs de sanctissima Deipara, postea verò, vt pœnam fugiat, dicat se loquentum de Maria Magdalena, vel alia: hic certè licet in foro externo non posset puniri ob defectum probationis: vere tamen fuisset hæreticus externus, & incurrisset censuram, vt ex consensu Doctorum probaui tomo superiori *disp. 11. de Eucharist. sect. 6.* & fatetur Suarez *tom. 5. in 3. p. disp. 4. sect. 3. num. 17.* & *disp. 21. de fide, sect. 1. num. 10.* & Thomas Sanchez *lib. 2. in Decalog. cap. 8. n. 26.* Sufficit ergo, quod verbum de se possit aliquid significare, ad hoc, vt possit esse loquutio humana, & causare suos effectus, licet propter indifferentiam ad plura significata, non possit certificare audientem de illo, quod à loquente intenditur significare. Vnde licet verbum *Absoluo* ex se sit indifferens ad significandam absolutionem ab hoc, vel illo vinculo, aut debito; poterit ex loquentis intentione determinari ad significandam absolutionem à peccatis.

23. Dicet aliquis, etiam verbum, *dono*, significat donari aliquid, nã qui donat dat vtique aliquid quod erat suum: & tamen verbum illud non facit sensum perfectum, nec significat perfectè, donec determinetur per aliud ad significandum hoc, vel illud donum: ergo licet condonatio significet donationem debiti, non tamen significabit perfectè, donec determinetur per aluid ad significandum hoc, vel illud debitum determinatè.

Respondeo verbum illud *dono*, sicut alia similia, significare quidem, quod aliquid detur, quod priùs erat ipsius donantis; non tamen supponere pro ipso dono; nam vt aduertunt Summulistæ, latiùs patet in vocibus significatio, quàm suppositio, hæc enim vox, *Pater*, significat etiam filium, cùm faciat venire in cognitionem filij; non tamen supponit pro filio, sed pro Patre. Sic etiam hoc verbum, *dico*, vel, *promitto*, facit audientem venire in cognitionem alicuius rei dicendæ, vel promittendæ; non tamen supponit pro ea, sed habet, communiter loquendo vim suspendendi sensum, donec adiungatur, quid dicam, vel promittam, nam si dicam *promitto tibi*, nondum est sensus perfectus donec addam, librum, vel pallium: item si loquens dicat *Pater dico tibi*, non fit sensus, donec addat, quid est, quod dicit. Verba ergo illa significant inchoatiuè rem promittendam, vel dicendam, quatenus indicant subsequi postea aliam vocem, quæ pro ea re supponat; non tamen ipsa verba supponunt pro illa, & tale est verbum, *dono*, quod non supponit pro re donata; nam sicut in hoc complexo *liber, qui est meus*, illæ voces, *qui est meus*, indicant præcedere, vel subsequi voces, per quas significatur aliquid, de quo dicitur esse meum; ipsæ tamen non supponunt pro illo, sed illa vox, *liber*: sic quando dico, *librum dono tibi?* sensus est *librum facio esse in tuo dominio, qui erat meus*, qui sensus ita distribuitur per illas voces, vt illis *dono tibi* respondeat illud solum, scilicet, *facio esse in tuo dominio, qui erat meus*, qui sensus, vt constat, est imperfectus, & connotat illam aliam vocem, *librum*, per quam complea-tur, & quæ supponet pro ipso libro. At verò verbum, *condono, remitto, dimitto*, non est eiusmodi, sed ex iis, quæ non solum significant vtcumque, sed etiam supponunt pro illo, quod condonatur; vel remittitur, nec habent vim illam necessariam suspendendi sensum, aut exigendi aliã vocem, per quam compleatur suppositio. Hanc autem esse vim horum verborum, constat ex communi modo loquendi hominum, qui vtuntur his verbis frequenter sine addito, quod quidem in verbo *parco*, frequentissimum est; nam ferè semper dicimus, *parce mihi, parco tibi*, absque alio addito, quia ipsum verbum solum facit sensum perfectum, & supponit pro debito, quod dimittitur. Idem autem videtur esse de verbis, *condono, remitto, absoluo*, &c. Et ideo diximus validam esse formam absque eo, quod dicatur *à peccatis*.

24. Obiici potest secundò hinc sequi, veram esse quartam sententiam supra relatam, quod verbum, *absoluo*, absque pronomine, *te*, sufficiat ad valorem formæ; nam sicut illa verba, *absoluo te*, ex se indifferentia ad significandam remissionem huius debiti, vel illius; aut ablationem huius vinculi, vel illiùs; ex materia tamen subiecta determinantur ad significandam remissionem peccatorum; sic illud verbum, *absoluo*, licet ex se sit indifferens ad significandam absolutionem huius, vel illius, determinatur tamen sufficienter ex circunstantiis præsentibus ad significandam absolutionem huius, qui se accusauit, & petiit veniam. Sic enim in matrimonio si interroganti de volũtate nubendi, respondeat fœmina, *volo*; illud verbum de se indifferens sufficienter significat hîc, & nunc consensum ad nuptias, & sufficit ad valorem matrimonij.

25. Respondeo negando sequelam, nam verbum illud, *absoluo* non habet secundùm se vim significandi, vel supponendi pro persona, qua absoluitur, quare si ex circunstantiis, vel interrogatione præcedenti hîc, & nunc eam significet: tunc sensus, & significatio non tribuetur solis verbis, sed etiam circunstantiis, vel interrogationi, quæ partialiter concurrent ad illam significationem: Christus verò voluit formam huius Sacramenti esse talem, vt secundum se ipsa verba significent sufficienter. In matrimonio autem, quod perfici potest nutibus absque verbis, non est mirum, si illud verbum, *volo*, simul cum aliis circunstantiis sufficiat ad eius valorem, illud tamen non potest afferri in exemplum ad pœnitentiam, in qua certum est, non valere absolutionem, si pœnitenti interroganti, *vis me absoluere? aut mihi remittere peccata?* respondeat Sacerdos, *volo*, ergo neque etiamsi respondeat, *absoluo*: quia in communi modo loquendi hoc verbum solum non significat perfectè, sicut nec verbum, *do*, nisi dicatur, *do tibi*, nec alia verba similia.

26. Addo tamen, licet verbum, *Absoluo*, per se non sufficiat; sufficere tamen, si Sacerdos diceret; *absoluo à peccatis tuis*; quia in illo *tuis*, implicitè centineri videtur illud *te*. Nam sicut in baptismo sufficit dicere, *Baptizatur Petrus in nomine Patris*, &c. Sic in Sacramento pœnitentiæ sufficeret dicere: *Remittuntur à me peccata Petri*, &c. licet non diceretur, *Remittuntur Petro peccata sua*: quia eo ipso, quod dicis remitti peccata Petri, dicis implicitè remitti Petro: ergo sufficiet dicere: *remittuntur peccata tua*, quia implicitè dicitur, *remittuntur tibi*, &c. Atque ideo sufficiet dicere, *Remitto peccata tua*, seu, *absoluo à peccatis tuis*, quia idem videtur significari, si dicam, *soluuntur vincula, vel peccata tua*, ac si dicam; *Absoluo à vinculis, vel peccatis tuis*. Nam licet modus ille loquendi iuxta Grammaticæ legem non videatur carere barbarismo propter defectum accusatiui, quem exigit illud verbum *Absoluo*: hic tamen idem ferè defectus reperitur in il-

la loquutione; *Remitto vel cõdono peccata tua*: cùm illa etiam verba exigant datiuum personæ, cui condonatur: in vtrâque tamen videtur esse sufficiens sensus, vt fiat Sacramentum: si enim Iudex proposita accusatione & examinato processu proferret sententiam his verbis: *Ego absoluo ab hac instantia & accusatione*: sententia videretur valida, quia satis significat absolui reum ab accusatione proposita. Similiter ergo in absolutione Sacramentali dicendum videtur.

27. Obiicitur tertiò ex Conciliis Florentino, & Tridentino, in quibus pro forma huius Sacramenti non proponuntur illa verba; *Ego te absoluo*; sed additur particula, & *cætera*, quæ indicat, alia etiam verba pertinere ad essentiam formæ.

Ad hanc obiectionem constabit ex dubio sequenti.

§. 3. *an illa sola verba* Absoluo te, *concurrant de facto ad effectum Sacramenti?*

28. ESt igitur dubium graue inter Theologos, an licet in rigore sufficerent ad valorem formæ illa verba, *absoluo te*, de facto tamen concurrant etiã illa alia, quæ adduntur, ita vt effectus non ponatur donec omnia proferantur?

Pater Vasquez, *in præsent. num.* 4. opinatur, de facto illa verba, *à peccatis tuis*, cùm opponitur, pertinere ad substantiam, & essentiam formæ, atque adeo concurrere, nec poni effectum, donec illa perfecta sint; Quam etiam sententiam docuerunt P. Henriquez *lib.* 4. *de pœnitent. cap.* 11. *num.* 3. & alij multi.

Probat P. Vasquez hanc sententiam quia quando verba, quæ adiunguntur, continebantur implicitè in verbis aliis, tunc illud idem expressè, & explicitè additum, non minus operatur; quam si solum implicitè contineretur. Sic enim illud pronomen, *Ego* quod implicitè contineretur in vergo, *Absoluo* non minus operatur, quando expressè ponitur: ergo cùm illud, *à peccatis tuis*, implicitè etiam contineatur in verbo, *absoluo*, & quando implicitè solùm ponitur, operetur, non minus debet operari quando expressè & explicitè ponitur. Vnde infert, non esse dicendum hoc de illis verbis, quæ Græci addunt in consecratione corporis Christi, scilicet *quod pro vobis tradetur*, & Latini in consecratione sanguinis, scilicet *Nouũ, & æterni Testamenti mysterium fidei*, &c. quia hæc nullo modo continebantur in prioribus, quæ sola sufficerent, & ideo licet ponantur explicitè, nihil operantur.

29. Hæc ratio difficilis est, Primò quia si illud à *peccatis*, potest concurrere sufficienter, quatenus implicitè continetur in verbo *absoluo*; Ergo antequam adiungatur expressè, ponet suum effectum Ad hanc enim per te satis est implicita continentia, non potest autem differri effectus, postquã posita est sufficiens causa illius: vel ergo negandum est nunc in verbo, *absoluo*, contineri implicitè illud, *à peccatis*, vel negandum est, differri effectum, ve, alia ratio reddenda est eius dilationis.

Secundò, quia regula, quam assignat, scilicet, verba, quæ includebantur in verbis necessariis, hęc quando exprimuntur, concurrere, quæ autem non includebantur, nihil facere licet exprimantur. Hæc inquam, regula non videtur vera; quia si aliquis consecraret, dicens, *hoc est corpus meum aëreum*: non consecraret validè, & tamen illud *aëreum*, non cõtinebatur implicitè in verbis præcedentibus; ergo effectus non ponitur statim post verba necessaria, quando id quod sequitur, non continet uimplicitè in præcedentibus; nam si hoc esset verum, debuisset poni effectus consecrationis statim post illa verba, *hoc est corpus meum*, quia illud *aëreum* nõ est aliquid implicitè contentum in verbis necessariis.

Respondebit aliquis ex doctrina eiusdem Vasquez *ibi num.* 5. in eo casu vitiari formam, non quidem propter verbum illud quod, postea adiungitur, sed propter intentionem vitiosam, quam Sacerdos habebat quando protulit priora verba, siquidem ea proferebat cum intentione addendi illud *aëreum*, per consequens absque intentione significandi per priora verba id, quod debebat, nempe verum Christi corpus, ex cuius intentionis defectu impeditur effectus consecrationis. 30.

Sed contra hoc est, quia licet aliquis sacerdos ignarus linguæ Latinæ, velit proferri illa verba ad consecrandum, quoniam audiuit illam esse formam consecrationis; adhuc non consecrabit, sicut si aliquis rusticus cum eadem ignorantia baptizaret, *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti minoris*, quæ verba accepisset ab aliquo tanquam formam, certè hic non daret validum baptismum, licet haberet intentionem baptizandi, & per consequens significandi per illa verba id, quod deberet ad verum baptismum: ergo non sola intentio, sed significatio, & legitima, & debita impeditur per verbum illud, quod postea adiungitur.

Dices in iis casibus impediri etiam effectum propter defectum intentionis debitæ: nam qui vult proferre illa verba vult significare id, quod prædicta verba significant; verba autem cum illo adiuncto non significant verum corpus Christi, nec verum Spiritum sanctum, sed fictum 31.

Sed contra, quia ex hoc ipso videtur probari quod ante illa verba, *à peccatis tuis*, habeatur effectus, nam verba præcedentia prolata fuerunt cum debita intentione absoluendi, & significandi, id quod requiritur ad veram absolutionem, & aliunde illa verba priora de se sufficiũt: ergo ante prolationem sequentium, habent iam significationem sufficientẽ, & per consequens producunt effectum. 32.

Alia posset afferri ratio, pro illa sententia desumpta ex modo, & vi, quam voces habent ad significandum, scilicet quod non faciant sensum perfectum, donec absoluatur tota propositio, & interim suspendant sensum, cùm adhuc sint indifferentes ad hunc, vel illum. Quod probari potest, quia verba non habent vim significandi, nisi quatenus faciunt, quod audientes concipiant rẽ, prout in mente loquentis, seu loquentem habere hoc vel illud in mente, ille autem, qui audit me dicentem, *tibi dabo librum commodatum*, non potest prudenter iudicare, me velle donare librum antequam ego absoluam totam propositionem. Ergo illa priora verba, quando aliquid eidem propositioni restat addendum, suspendunt ex natura sua sensum, & per consequens nec pariunt obligationẽ, nec possunt operari, antequã absoluatur propositio. Cùm ergo illa verba, *à peccatis tuis*, pertineant ad eamdẽ propositionem, faciunt, quod priora non significent perfectè, nec operentur, donec tota propositio absoluatur, atque ideo illa etiam concurrunt ad effectum gratiæ, & ad remissionem peccatorum, quam significant. 34.

Contra hanc tamen rationem, & contra illam sententiam restat adhuc difficultas, quam latiùs prosequutus sum, *disp.* 11. *de Eucharist. sect.* 4. quia ex illa sequeretur, quod si aliquis de facto, postquã dixit, *absoluo te à peccatis*, omitteret *tuis* propter inaduertentiã, vel aliud impedimentũ, absolutio nõ esset valida. Interrogo enim, quãdo habuit 35.

effectum

effectum? non quidē quando dixit, *à peccatis*, qua adhuc poterat adiungere, *tuis*, & per te quando adiungitur, *tuis*, nō datur effectus, antequam illa etiā vox, *tuis*, proferatur. Debuit ergo incipere esse valida quando decreuit postea non addere *tuis*, vel quādo impeditus fuit ab ea voce proferenda. Hoc autem absurdum, quia verba præcedentia haberent suum effectum, quando non sunt, post morulam notabilem, atque adeo esset in potestate Sacerdotis suspendere effectū formæ pro aliquo tempore post prolationem; nam posset proferre verba, relinquendo sibi libertatem ad adiungendum aliud verbum postea, vel non adiungendum; vnde suspenderetur effectus vsque ad omissionem, vel adiectionem aliorum verborum, quod videtur valde absurdum: nam verba significant de præsenti, & pro tempore præsenti, non pro futuro post prolationem. Nec satisfacit, si dicas nunc statim fieri effectum, quando re ipsa verbum aliud adiungendum non est: hoc enim esset dicere proferri verba priora cum intentione conditionata, quasi dicat minister: intendo operari nunc per hæc verba, si alia postea non adiungam; si autem alia adiungam, volo non operari nunc, sed postea. Hæc autem intentio non est minus absurda; constat enim in Sacramentis (excepto Matrimonio, de quo est controuersia) non posse confici valide sub conditione, dicendo: Ego nunc te absoluo, si cras restitues, quod debes, vt videbimus infrà sect. 5. Ergo nec poterit validè absoluere illa intentione absoluendi nunc, si postea aliud verbum non sit additurus, nam hæc est intentio sub conditione de futuro. Sequeretur ergo, vt diximus, quòd Sacerdos omisisset casu aliquo illud, *tuis*, postquam dixit, *à peccatis*; absolutio non fuisset valida. Consequens autem videtur contra omnium mentem; nam verbailla, *Ego te absoluo à peccatis*, satis explicuissent, & significassent remissionem peccatorum. Et quidem si aliquis Episcopus consecrans Sacerdotem, proferret verba illa formæ, *accipe potestatem offerendi sacrificium, & Missam celebrandi*; postea verò non proferret, vel mutilaret verba sequentia, scilicet *tam pro viuis, quàm pro defunctis*; valida iudicaretur ordinatio, cùm per verba priora sufficienter explicata sit potestas Sacerdotis; & idem dicendum videtur de formis aliorum Sacramentorum, in quibus ablatio verbi tunc solùm vitiat valorem, quando non manet sensus requisitus. Ergo cum maneat sensus absque illa particula, *tuis*, non potest dici, formam, illo casu fore inualidam per defectum illius vltimæ particulæ.

34. Verius ergo videtur, etiam quando de facto addunt illæ voces, *à peccatis tuis*, non concurrere ad effectum, sed hunc dari ante earum prolationem, quam sententiam tenet Suarez vbi suprà, num. 20. cum aliis recentioribus.

Ratio autem sumitur ex principio oppositō quia scilicet ante adiunctionem aliorum verborum, iam in rigore propositio est absoluta, & perfecta per priora verba, quæ reddunt sensum perfectum, & significant totum obiectum: verba autem posteriora deseruiunt solùm ad idem clariùs significandum, quare sicut in prolatione vltimæ syllabæ requisitæ, non debet ad effectum expectari totum tempus, quo duret prolatio illius syllabæ, hæc enim potest protrahi, præsertim si cantetur; sed statim in prima prolatione illius syllabæ fit effectus; quia iam tunc significatur sufficienter, & illa prolatio, seu continuatio prolationis non significat aliquid nouum, sed clariùs, & meliùs significat idem obiectum: sic prolatio verborum, *à peccatis tuis*, non est expectanda propter eamdem rationem: quia nimirum ante illam habet iam sensum, & illa verba non significant aliquid nouum, sed idem clariùs, & meliùs, & licet verba in propositione de præsenti non debeant significare obiectum præsens pro toto tempore ab initio prolationis, vt constat ex verbis consecrationis, sed solùm præsens in fine prolationis, vt diximus in tractatu de Eucharistia; agētes de verbis formæ, hoc tamē intelligitur de fine prolationis, non quidē quando profertur vltimum verbū materiale illius propositionis, sed quando profertur vltimum, quod requiritur ad exprimendū sensum illius propositionis, tunc enim debet esse obiectū præsens, quare licet postea sequantur alia verba, quibus magis explicetur idē sensus, attendi tamē debet ad tēpus quo primùm fuit sufficiēter significatus, tunc enim fuit iā propositio prolata in toto rigore.

Hinc infero primò, cur in Conciliis Florentino, & Tridentino addita fuerit illa particula, *&c.* scilicet ad significandū, quod illa etiam verba, *à peccatis tuis*, pertineant ad formam huius sacramenti, quod in rigore verissimū est, nā semper ponuntur, & concurrunt, vel explicitè, vel saltē implicitè: quare sicut illa Concilia ponunt etiam in forma pronomen illud, *ego*, dum dicunt forma esse illa verba, *ego te absoluo*, &c. quia nimirū illud necessariò requiritur vel seorsim, vel saltē inclusum in verbo *absoluo*; sic potuerunt idē dicere de illis verbis *à peccatis tuis*, propter eamdem rationem; & sicut pronomen, *ego*, aliquando explicitum concurrit: si illud, *à peccatis tuis*, posset aliquando explicitè positum concurrere, si v.g. quis dicat, *ego à peccatis tuis te absoluo*. Tunc enim verba illa *à peccatis tuis*, procul dubio concurrerent ad effectum. Cur autem Concilia non posuerint illa etiam verba expressè, sicut priora, ratio potuit esse, vt indicarent, nec illa requiri explicita ad valorem sacramenti, ideo addita est particula, *&c.* qua iudicatur aliquid aliud de facto adiungi, quod ad formam pertineat, licet non cum eodem gradu necessitatis.

Infero secūdò illa verba, *quod pro vobis tradetur*, quæ adduntur à Græcis in consecratione corporis Christi, non concurrere ad effectum consecrationis, sed hunc poni antequā ea proferantur, eo quòd illa, licet non contineantur implicitè in præcedentibus, non tamen pertineant ad illam propositionē, sed ad aliam, quia sensus primæ propositionis iam manet perfectus, ita vt licet secunda propositio esset falsa, adhuc prima fuisset vera, sicut si dicam, olim venit Romā Petrus Apostolus, qui quater negauit Christum, prima quidem propositio est vera, licet secunda sit falsa: at verò si adderetur illa particula *aëreum*, pertineret ad primam propositionem, scilicet, *hoc est corpus meū aëreū* quæ tota redderetur falsa: nam veritas, vel falsitas totius propositionis attenditur secundùm sensum completum illius, vt alibi diximus *in tractatu de Eucharistia, disp. 11. sect. 3. & 4.* vbi etiam reddidimus rationem *sect. 6.* cur ad ponendum effectum non sit expectanda aliqua temporis morula, qua constet propositionem ibi esse terminatam, & non progredi vlterius. Vide quæ ibi dicta sunt.

Dices, ergo licet Sacerdos dicat, *ego te absoluo, ab alienis peccatis*, absoluo erit valida, quia prolato verbo, *absoluo*, statim datur effectus.

Respondeo facilè, si priora verba dicantur cū legitima intentione, & post illa prolata mutetur intētio, & addantur illa *ab alienis peccatis*, absolutio fuit efficax, si autē ab initio fuit intentio proferendi totum illud, non est valida, quia sensus, qui intendebatur, & contra ritum, & ille sensus nondum est sufficienter significatus per priora verba.

38. *Verba* In nomine Patris, *&c. an concurrant ad effectum?*

Contra hanc doctrinam vna restat adhuc difficultas,quod scilicet ex ipsa fieri videtur, quod de facto concurrant ad effectum sacramenti,illa etiam verba *in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti*, quę adduntur de facto in absolutione à peccatis.Nam donec illa proferantur, non erit absoluta propositio,& non continetur implicitè in præcedentibus, ac per consequeus sensus adhuc manebit suspensus;ergo redire debemus ad regulam P.Vasquez, & dicere,hæc verba,licet opponantur,non concurrere, quia nec etiam continebantur implicitè in verbis necessariis.

Respondeo tamen negando sequelam, quia illa verba sunt diuersa propositio in rigore, licet non videantur afferre nouam copulam explicitam:nam illa dicuntur inuocando Personas Trinitatis: Inuocatio autem procul dubio est oratio diuersa à præcedentibus. Quod verò illa sit inuocatio constat ex forma Baptismi,in qua eadem verba dicuntur ad inuocandam Trinitatẽ, vt constat ex Patribus & Conciliis dicentibus,in forma Baptismi debere inuocari Trinitatem; sic loquitur Zacharias Papa *Epist.* 11. *ad Bonifacium Episcopum* relatus in c.*In Synodo*,de Consecratione *dist.*4. Innocent.III. *in Concil. Lateran.* relatus in c.*firmiter*, de summa Trinitate;& Eugen. IV. *in decreto vnionis* loquens de forma baptismi, & alij communiter. Inuocare autem, propriè loquendo, est in auxilium vocare aliquem, vt constat ex Latinis Auctoribus apud Calep.Vocatur ergo in auxiliũ sancta Trinitas per illa verba post absolutionem à peccatis. Quod cõfirmari potest,quia illa verba, *In nomine Patris, & Filij*, &c. non minus videntur referri ad absolutionem præcedenẽ à censuris, quàm ad absolutionem à peccatis; ponuntur enim quasi clausula, & finis totius absolutionis præcedentis:omnes tamen supponunt, absolutionẽ à censuris habuisse significationem, & effectum completũ ante absolutionẽ à peccatis.Illa ergo cõclusio *In nomine Patris*, &c. non reddit suspensum sensum præcedentium verborum. Cùm ergo aliàs ea inuocatio non requiratur ad valorem sacramenti,vt in baptismo,non est cur illa,etiam quando apponitur,concurrat ad gratiam,& remissionem peccatorum.

Obiiciet aliquis S. Thomam *suprà q.*60.*art.*8.*in corpore* vbi dicit illum baptismum fortasse nõ fore validum in quo dicitur: *Ego te Baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti,& B. Virginis* Ergo illa inuocatio B. Virginis etiam post inuocationem necessariam Trinitatis suspendit sensum verborũ præcedentium, & vitiat formam; ergo similiter inuocatio Trinitatis post absolution em à peccatis
39. suspendit sensum verborum præcedentium.

Respondeo, discrimen magnum esse, quia illa verba *Beatæ Virginis*,in casu posito non sunt noua oratio,sed pars orationis,seu inuocationis præcedentis;perinde ac si dicerem *Inuoco Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum & Beatam Virginem*;quæ quidem est oratio, in qua affirmatur inuocatio quatuor personarum; quare non est mirum, si illa vltima verba suspendant, & vitient sensum totius orationis. In nostro verò casu inuocatio est oratio noua vt diximus,& nullo modo est pars absolutionis præcedentis, quæ habuit iam suum sensum, & significationem perfectam.

SECTIO II.

Quem effectum habeant verba in forma huius Sacramenti?

40. HÆc quæstio necessariò præmittenda est ad aliam de sensu horum verborum, quæ ab ista omnino dependet, quem scilicet effectum operentur Sacerdotis verba, seu quam potestatem Sacerdotes à Christo habuerint in ordine ad remittenda peccata.

Ratio autem dubitandi est quia vel peccator, quando accedit ad Sacramentum, est contritus;& tunc iam culpa remissa erit virtute contritionis ante absolutionem, & per consequens Sacerdos non dimittit culpam;vel peccator non erat contritus;& tunc non videtur dispositus ad consequendam remissionem peccati: neque enim Sacerdos potest remittere peccata absque dispositione debita ex parte peccatoris.

Varij sunt modi dicendi: & omissis erroribus hæreticorum, qui negant potestatem Sacerdotis 41.
ad remittenda peccata, vel dicunt hanc non esse potestatem diuersam à potestate prædicandi, vel baptizandi, contra quos latè Bellarmin lib 1. de pœnitentia, & alij Controuersistæ; inter Catholicos,etiam Doctores non defuerunt, qui hanc potestatem nimis restrinxerint, & existimarint, numquam extendi ad dandam primam gratiam iustificantem in hoc sacramento,qui licet non conueniant cum hæreticis, sed potestatem Sacerdotis agnoscant, quam hæretici negant: difficilè tamen explicant verba Christi, dantis potestatem ad dimittenda peccata,quare varias adhibent interpretationes, & varij sunt in assignando effectu huius Sacramenti.

Primò, aliqui dicunt Sacerdotem absoluere à 42.
pœna æterna, debita peccato; postquam Deus solus iam priùs remiserat culpam ante sacramentum. Ita docuit Hugo Victorinus *lib. 1. de Sacramentis, part.*14. *c.* 8. Ricardus item de S.Victore 1.*p. in lib de potestate ligandi,atque soluendi.c.*12.

Hoc tamen inuoluit contradictionem. Primò 43.
quia iuxta Tridentinum *sess.*6. *c.*14. pœna æterna vna cum culpa remittitur:si ergo ante sacramentum remissa erat culpa, remitti debuit etiam pœna æterna.

Secundò, culpa mortalis non deletur nisi per infusionem gratiæ: non potest autem stare cum gratia reatus pœnæ æternæ:nam gratia est semen gloriæ, & filiatio Dei adducens ius ad hæreditatem diuinam.

Tertiò, quia ante aduentum Christi homini cõtrito non solùm remittebatur culpa, sed etiam pœna æterna,iuxta illud Ezech. 18. *Si impius egerit pœnitentiam*, &c. *vita viuet, & non morietur: omnium iniquitatum eius,quas operatus est,non recordabor*:non ergo minorem efficaciam habet nunc contritio extra Sacramentum.

Ab his parum differt, secunda explicatio Ioan- 44.
nis Medinæ *Cod.de pœnit.tract.* 2.*q.*38.§.*Videtur ergo*,qui dicit, per contritionem absolui homines à culpa,& à pœna æterna; non tamen ab exilio patriæ cœlestis, quam patriam, quia Sacerdos absoluendo aperit;ideo dicitur habere claues regni cœlorum,non enim repugnat:aliquem carere culpa,& reatu pœnæ,& tamen adhuc exulare à cœlo, sicut Ioannes Baptista,& alij exulabant in limbo Quid autem intelligat nomine exilij explicuit ipse Medina de hoc interrogatus à Corduba, provt testatur ipse Corduba 1.*quæstionarij.q.* 1. *opin.* 3. cui respondit,se in hoc differre à prima explicatione Ricardi,& Hugonis, quod illi dixerint, absolutione remitti pœnam damni, & sensus; ipse verò solum pœnam damni.

Imò si attentè legatur hanc ipsam pœnam damni sensit remissam iam fuisse priùs per contritionem,non tamen omnino absolutè, sed sub conditione,si postea culpabiliter non omittat absolutionem

Sacramentalem; quam si omittit, punietur etiam pœna damni propter propria peccata.

Hęc explicatio eisdē argumentis reiicitur, quia eo modo, quo remittitur culpa, debet remitti etiā, pœna æterna; hæc autem includit pœnam sensus & pœnam damni: Ergo vtraque remittitur per cōtritionem præcedentem, sicut & culpa. Dicit remitti quidem, sed sub conditione, si fecerit alia, quæ debet; scilicet, confiteri, & seruare alia præcepta legis nouæ. Sed contra. Primò, quia hoc non est remitti absolutè pœnam, nec dari absolutè ius ad gloriam, provt Scriptura, & Concilia loquuntur.

Secundò, quia nec hoc modo absolutio remitteret pœnam, sed esset conditio, sub qua iam per te remissa fuerat, sicut etiam aliorum præceptorū obseruatio subsequens, sub cuius etiam conditione fuerat remissa, non dicetur remittere pœnam æternam precedentis peccati.

Tertiò, Idem potuisses dicere de pœna æterna sensus, remitti etiam per contritionem sub conditione solùm confessionis futuræ: non enim est maior difficultas in vna quàm in alia.

Quartò, Eodem modo dici posset per contritionem ante Baptismum non remitti pœnam damni æternam absolutè, sed sub conditione baptismi non omittendi.

Quintò, quia in lege veteri per contritionem tollebatur absolutè culpa, & pœna damni æterni; ergo & nunc, cùm non sit minus efficax contritio, quod attinet ad vires, licet nunc afferat obligationem confitendi.

Sextò, quia quando Theologi docent, peccata semel, dimissa non redire, nec quoad culpam, nec quoad pœnam, non adhibent discrimen inter peccata, quæ dimissa sunt per contritionem, vel per absolutionem, sed de omnibus in vniuersum loquuntur.

Nec denique obstat, quod affertur de Patribus in limbo; nam illi non habebant reatū pœnæ damni, sed ius ad gloriam: detinebātur tamen, eo quod nondum erat solutum pretium sanguinis Christi, & non expediebat, quod ipsi prius quàm Christus intrarent ad gloriam; sicut nec modo carentia glorię corporis est aliquis reatus pœnæ damni, sed dilatio gloriæ debitæ ob iustam congruentiam.

46. Tertia explicatio est, homines absolui à culpa, & à pœna per absolutionem Sacerdotis, nō re ipsa susceptam, sed in voto; vnde quando postea proferuntur verba, homo liberatur solùm ab obligatione confitendi, quam retinuerat. Ita Gabr. *dist.* 18. *quæst.* 1. & eius supplementum *d.* 21. *quæst.* 1. *art.* 2. Okamus relatus à Gabriele, & Nominales antiqui quos referunt Alex. *quæst.* 89. *membr.* 1. *art.* 1. & Bonauent. *dist.* 18. *quæst.* 1. *art* 2.

Hæc etiam explicatio reiicitur ab omnibus, Primò quia non esset absoluere à peccatis, sed ab obligatione confitendi peccata, quod est valdè diuersum.

Secundò, quia hoc est in re negare claues Ecclesiæ, & potestatem: siquidem non esset ad mundandam animam; sed ad cæremoniam extrinsecam adhibendam.

Tertiò, quia in confessione de solis venialibus non tollitur per absolutionem aliqua obligatio prior de illis confitendis, cùm nulla esset, ergo non procederet ex potestate vera absoluendi.

Quartò, quia ad hunc effectum non oportuisset instituere formam absolutionis; nam si obligatio, à qua absoluitur homo erat solùm confitendi; per solam confessionem absque alia absolutione, esset iam homo solutus ab illa obligatione.

Quintò, neque ex potestate tali, absoluendi argueretur, conferri gratiam in hoc Sacramento, quia ad soluendum hominem ab obligatione manifestandi peccata, non est necessaria gratiæ infusio, quæ gratia nunc arguitur ex remissionem peccati, quæ ibi fit.

Denique non magis, concurreret confessio, & absolutio ad tollenda peccata, quàm cætera omnia præcepta; nam omnium datur votum implicitum in contritione; quare eodem modo dici posset remitti peccata homini pœnitenti per communionem in voto, per obseruantiam festorum in voto, & alia similia.

Quarta explicatio est Alexandri & Bonauenturæ; quod potestas Sacerdotis non sit ad absoluendum à culpa, ne à pœna æterna, ex opere operato; sed tantùm à pœna temporali, quę aliquando dicitur absolutio à peccato, iuxta illud 2. Machab 12. *Sancta ergo & salubris cogitatio est pro defunctis orare, vt à peccatis soluantur*, hoc est, à pœna pro illis debita. Addunt tamen aliquando de congruo. Sacerdotem per modum deprecationis impetrare pœnitenti primam gratiam, ad quod conducunt illæ orationes, *Misereatur tui* &c. 47.

Hæc etiam explicatio tollit ferè totam efficaciā huius Sacramenti, nam ad tollendum reatum pœnæ temporalis, suppetunt alia remedia faciliora, neque ad hoc requiritur noua gratię infusio, vt constat in Indulgentiis, & sacrificio Missæ; quare non possemus ex illo effectu arguere, dari gratiam in hoc Sacramento, denique argumenta ad probandam nostram conclusionem, probabunt clarè falsitatem huius explicationis.

Quinta deniq; & celebris sententia est Magist. *in 4. d.* 18. *§. non autem*, & *§. ligant quoque*, qui docet, Sacerdotem verbis illis, *Ego te absoluo*, solùm intendere significare, *Ego te ostendo, & declaro absolutum per contritionem præcedentem*, quam sequuntur Maior, & alij apud Suarez *in præsenti disput.* 18. *sect.* 2. *num.* 3. quia aduertit hoc tempore esse omnino erroneum. 48.

Contra illam ergo, & omnem aliam sit conclusio certissima, in Sacramento pœnitentiæ conferri veram remissionem peccati, etiam quoad culpam virtute ipsius Sacramenti, & absolutionis sacerdotalis. Hęc est S. Thom. *in præsent.* & aliorum omnium, quos non oportet sigillatim referre. Probatur autem primò ex verbis Christi, Ioannis cap. 10. *quorum remiseritis peccata*, &c. quę in proprio, & rigoroso sensu significant remissionem peccati, etiam quoad culpam Matth. 16. & 18. *Quodcumque ligaueris, & quodcumque solueris.* &c. Nam illa vniuersalis omnia vincula videtur comprehendere. Idem etiam videtur probare nomen clauium regni cœlorum, quod potissimè per culpam mortalem clauditur, & per eius remissionem aperitur. *In pœnitentia sacramento confertur vera remissio peccati etiam quoad culpā virtute absolutionis sacramentalis.* Matth. 16.

Probatur secundò ex Conciliis Florentino in Litteris vnionis, Cōstantiensi in Bulla Martini V. contra errores Ioannis Hus & clariùs ex Tridētino *sess.* 14. *c.* 1. vbi dicitur Sacerdotibus datā potestatem *reconciliandi fideles post baptismū lapsos*, & *c.* 2. hoc Sacramento homines *à peccatis liberari*, sicut per baptismum liberantur à prioribus peccatis & *c.* 3. & *can.* 1. effectum huius Sacramenti esse reconciliationem cum Deo, & *can.* 2. hanc esse secūdam tabulam post naufragium, & *can.* 9. absolutionem non esse nudum ministerium pronunciandi, & declarandi remissa esse peccata confitenti, sed actum iudicialem, & *c.* 4. attritionem cum hoc Sacramento 49.

disponere ad primam gratiam, & remissionem peccati obtinendam, quæ clarè probant, potestatem illam extendi ad dimittendam ipsam culpam, nec posse de hoc ampliùs apud Catholicos dubitari.

50. Tertiò probatur ex Iulio, & Cælestino Pontificibus, & ex Concilio Africano, quorum verba referuntur in *cap. presbyter*, & aliis 26. *quæst.* 6. vbi dicitur: quod Sacerdos denegans absolutionem morientibus reus erit animarum, & quod hominum salutem adimit. Ergo supponitur, quod per virtutem absolutionis confertur prima gratia, & tollitur culpa grauis, quia alioquin non esset causa damnationis ipsa absolutionis negatio. Ad quod etiam facit Aug. *epist.* 180.

51. Quartò probatur ex Patribus qui hanc potestatem in Sacerdotibus agnoscunt. Augustinus *de Catechizandis rudibus cap.* 17. Hieronym *epist.* 1. *ad Heliodor.* S. Leo *epist.* 1. Cyprianus *serm. de baptismo* Cyrillus *lib.* 12. *in Ioann. c.* 56. Ambros. *lib.* 1. *de pœnitent. cap.* 2. & 7. & *lib.* 2. *cap.* 2 Rupert super illud Ionæ: *Vade in Niniuem Ciuitatem*, &c. Bernard. *serm.* 1. *de Sanctis Petro & Paulo*, Hilarius *Can.* 16. *in Matth.* Theophylactus *ibi*, & alij dicentes, quod absolutio Sacerdotis præcedat absolutionem Dei,
Matth. 16. Vnde clarè sequitur, non esse declaratoriam, & colligitur ex ipsis verbis Christi, *quodcumque solueris super terram, eris solutum & in cœlis*; non enim dixit,
Chrysost. *fuit solutum*, sed *erit*; quasi consequenter, quod etiam indicat, illa dictio, & hoc est, *etiam in cœlo*, quasi hoc consequatur, & illud præcedat. Videri etiam possunt Gregor. *hom.* 26. *in Euangel.* Chrysost *hom.* 5. *in verba Isaiæ. Vidi Dominum.* & *lib.* 3. *de Sacerdot. capite* 4. vbi clarè dicit, *nostris Sacerdotibus, non corporis lepram, verùm animæ sordes, non dico purgatas, probare, sed purgare prorsus concessum est.* Vide alios apud Canisium. 2. *part. Catechismi cap.* 1.

52. Quintò probatur ratione; quia si Sacerdos solùm declaret hominem esse absolutum, vel illa declaratio fit Deo, & hoc est ridiculum, vel fit Ecclesiæ, & id est inutile, quia Ecclesiæ adhuc nó cõstat, & quia repugnat secreto, & institutioni huius Sacramenti: ergo illa non est declaratio præcedentis absolutionis, sed vera absolutio, vt verba sonant.

Sextò probatur ex communi mente omnium fidelium, quia cum se in mortis articulo constitutos vident, statim confessionis Sacramentum omni cura, & studio procurant, vt æternæ damnationis periculum vitent, credunt igitur Sacerdotes, non habere solùm potestatem declarandi præcedente sanctitatem, aut minuendi pœnam tẽporalem; de hoc enim non essent adeò soliciti, sed etiam remittendi culpam & pœnam æternam, vt dixit Tridentinum *sess.* 6. *c.* 14. vbi etiam apertè videtur definita hæc Sacerdotis potestas, cùm dicatur in hoc Sacramento remitti (nimirum virtute Sacramentalis absolutionis) culpam simul cum pœna æterna.

Contra hanc ergo certissimam veritatem aliqua
53. afferuntur, quæ breuiter dissoluemus. Obiicitur primo loco illud *Ecclesiastici cap.* 17. *A mortuo quasi nihil perit confessio.* Ergo confessio peccatoris quandiu mortuus est per peccatum, nihil ei prodest.

Respondeo, ibi nec esse sermonem de confessione Sacramentali, nec de morte spirituali, sed naturali, & sensus est, confitere peccata tua ante mortem cum eorum detestatione practica, quia post mortem etiam impij in inferno confitentur sua scelera, sed sine vllo fructu.

Secundò obiicitur exemplum veterum Sacerdotum, qui quidem non auferebant lepram, sed declarabant, hominem esse iam mundatum, vt con-
Matth. 8. stat ex *Matth.* 8

Respõdeo, In hoc excedere nostros Sacerdotes, quod & lepram spiritualem sua potestate auferant, vt notauit Chrysost. verbis supra relatis.

Tertiò obiicitur, quia solus Deus peccata remittit Matth. 9. *Quis potest remittere peccata, nisi solus* Matth. 9. *Deus?* quæ verba licet sint dicta à Iudæis, vera tamẽ erant, vt notauit Beda *in c.* 2. *Marci*: erat quippe commune proloquium inter illos ex illo Isai. 43. *Ego sum qui deleo iniquitates*, & Psal. 31. *Remisisti impietatem meam mihi*: vbi August. & Cassiodor. indicant Deum solum dimittere peccata; & quidem cùm peccatum sit offensa Dei, ad Deum solum spectat illam remittere, non ad illum, contra quem non est.

Respondeo, hoc probaret etiam, nec Christum, vt hominem posse remittere peccata, quæ sunt contra Deum, vt Deum. Dicendum ergo est, Deum solum remittere peccata potestate propria, & principaliter; posset tamen id fieri à Sacerdote, ex commissione, & delegatione Dei sicut procurator potest ex facultate Domini remittere debitoribus, quod Domino debent. Similiter dicitur in Psalm. 71. quod *Deus facit mirabilia magna solus*, quod tamen intelligitur principaliter, non instrumentaliter; nam hoc modo de iusto dicitur Ecclesiastici 31. *Quod fecit mirabilia in vita sua.* 55

Quartò obiicitur historia Lazari, quem Christus solus ad vitam reuocauit, postea verò à discipulis iussit dissolui, quo facto adumbrata fuit absolutio Sacerdotalis: Vnde Augustinus *tract.* 6. *in Ioann.* ex illo facto colligit, Christum sibi retinuisse potestatem remittendi peccata, seruis ministerium dedisse, ne seruus in seruo speraret. Et clarius Matt. 16. *Christus* (inquit) *per se iustus viuificat*, *nos* Augu. *nostris potestatem soluendi post vitam tribuit, qui nullum soluere possunt, nisi viuas.* Quod idem fere repetit *serm.* 44. & 48. *de tempore*, & *in cap.* 11. Ioan. *Nemo* (inquit) *tollit peccata, nisi qui est agnus tollens* Ioan. *peccata mundi*, in Psalmum 87. super illa verba: *Nũquid medici suscitabunt.* &c. *Viuentes* (inquit) *curare ministerio suo possunt Sacerdotes, non autem mortuos suscitare.* Eodem exemplo Lazari vtitur Gre- Greg. gor. super Euangelia relatus in *cap. Plerumque* 11. *quæst.* 3. vbi ait: *Quas omnipotens Deus per gratiam compunctionis visitat, hos sententia pastoralis absolnat; tunc enim vera est absolutio præsidentis, cum æterni iudicis sequitur arbitrium*; quod confirmat exemplo Lazari, & inde infert, quod *illos nos debemus absoluere, quos auctorem nostrum cognoscimus per suscitatem gratiam viuificare.* In eamdem sententiam vi- Ambros. dentur loqui Ambros. relatus in *c. Verbum Dei, de pœnit. d.* 1. *Verbum* (inquit) *Dei dimittit peccata, Sacerdos Iudex est, Sacerdos officiũ suũ exhibet, sed millius potestatis iura exercet*; ille *solum peccata dimittit, qui pro peccatis nostris mortuus est.* Et difficilius Hieron. loquitur Hieronym. in illud Matth. 16. *Quodcumque ligaueris*, &c. *Istum locum* (inquit) *Episcopi, & Presbyteri non intelligentes aliquid sibi de Pharisæorum assumunt supercilio, vt vel damnent innocentem, vel soluere se noxios arbitrentur: Cum apud Deum non sententia Sacerdotum, sed reorum vita quæratur. Legimus in Leuitico, de leprosis vbi iubentur, vt ostendant se Sacerdotibus, & si lepram habuerint, tunc à Sacerdote immundi fiant; non quod Sacerdotes leprosos faciant, & immundos, sed quod habeant notitiam leprosi, & non leprosi, & possint discernere qui mundus, quive immundus sit. Quomodo ergo ibi leprosum Sacerdos mundum vel immundum facit, si & hic alligat vel soluit Episcopus, & Presbyter; non eos, qui ligat vel soluit Episcopus, & Presbyter; non eos, qui ligandi sunt, vel nocij, sed pro officio suo, cum peccatorum audierit varietates, scit qui ligandus sit, quive soluendus.*

Ad

56. Ad exemplum Lazari in se ipso facilè Respondetur Dùm enim sit ille sensus allegoricus, non est necesse, quod sit simile in omnibus: satis est, quod, sicut ibi ab Apostolis verè fuit solutus Lazarus, sic à Sacerdote pœnitens verè soluatur vinculis, quibus tenetur. Viuit tamen priùs peccator non semper vita gratiæ habitualis, sed actualis, qua dolet de peccatis, & mouet se motu vitali, & exit foras, quæ vita est à solo Deo interius viuificante, postea tamē viuificatur etiā à Sacerdote. Vnde inter propositiones Michaëlis Baij, hæc etiam prohibetur à Gregor XIII. Greg. XIII. *Peccator pœnitēs non viuificatur ministerio Sacerdotis absoluētis, sed à solo Deo, qui pœnitētiam suggerens, & inspirans viuificat eum &, resuscitat: ministeri autem Sacerdotis solus reatus tollitur.*

Augustinus verò, & Gregorius, vtentes, illo Lazari exēplo intelligi debent ex ipsomet Augustino *tract. 49. in Ioann. & lib. 50. homiliarum hom. 27. & in Psalm. 101. Concion. 2. & de verbis Domini serm. 8.* quibus in locis dicit; Ideo Deum dici suscitare mortuum quia clamorem suo cum vocans facit, vt veniat foras, hoc est, foras prodeat per confessionem peccatū, quod occultum erat hoc enim ipsum prodire foras, & viuere: subiungit autem Augustinus: Aug. *Dicet ergo aliquis: Quid prodest Ecclesia, si iam confessor voce Dominica suscitatus prodit?* cui obiectioni respondet: *ipsum Lazarum attende, cum vinculis prodit: iam viuebat confitendo, sed nondū liber ambulabat vinculis irretitus: quid ergo facit Ecclesia, cum dictum est, quæ solueritis, soluta erunt, nisi quod ait Dominus continuò ad discipulos, soluite illū, & sinite abire?* Ecce Augustin. nomine vitæ confessionem solam intelligit, quam ante absolutionem Sacerdotis pœnitens habet à solo Deo, in quo etiam sensu intelligendi sunt Clitouæus *lib. 7. in Ioan. cap. 27.* qui additus est Cyrillo Alex. & Alcuininus relatus à S. Thom. *in Cathena super Ioann. c. 11.* qui eodem modo videntur vsurpare exemplum illud Lazari resuscitati.

57. Ad locum Ambrosij, respond. non inueniri ea verba apud Ambros. in eo loco, in quo citantur à Gratian. scilicet, *lib. 2. de Abel. & Cain. c. 4.* vbi Ambrosius ita dicit; *Remittuntur peccata per Dei verbū cuius Leuites interpres, & quidē exequitor est, remittuntur per officium Sacerdotis, Sacramque ministeriū.* In quibus verbis contrarius potiùs sensus haberi videtur potestas Sacerdotis probatur ad dimittenda peccata saltem ministerialiter, hoc est, per potestatem acceptatā à Deo. Adde si alicubi Deus solus dicitur peccata dimittere, intelligi id debere; auctoritate propria, & nomine suo: minister enim, & Oeconomus qui Domini nomine donat, vel remittit non dicitur donare, vel remittere nisi secūdum quid; donare enim, vel remittere est dare id, quod suum est, vel condonare quod ipsi debetur; Sacerdos autem non cedit iure suo, sed Dei quando peccata remittit; ideo non dicitur remittere simpliciter, sed cum addito, scilicet nomine Dei, cuius minister, & Oeconomus est.

58. Ad verba Hieronymi quæ aliqui falsa existimāt, vt Scot. *d. 14. q. 4. ad vltimum*: alij dutiora, respondeci adhuc potest, ipsum voluisse solùm reprehendere, & reprimere nimiam licentiam, quam Sacerdotes aliqui sibi arrogant admittendi, & reiiciendi pro libito ab absolutione, contra quos docet, eorum potestatem non esse absolutam, sed certis legibus sigatam, quas obseruare debent, vt eorum sententia valida sit, absoluendo solùm eos quos Deus iudicat absolutione dignos, nimirum per debitam pœnitentiam, quod idem dixerunt Gregor. in verbis supra citatis, & Clemens Papa 2. *Constit. Apostol. Facta*, inquit, *diligenti inquisitione, num pœniteat, dignusque sit, vt in Ecclesiam admittatur, absolue in dicto tempore.* &c. & Leo Papa relatus in *c. Manet 24. quæst. 1. Manet ergo* (inquit) *Petri Priuilegium vbicumque ex ipsius fertur æquitate iudicium.* Sic ergo Hieronymus dicit Sacerdotem non posse pro arbitrio soluere vel ligare sine prævio examine: Exēplum autem Sacerdotum verum non est in omnib. simile, sed in hoc quod sicut illi priùs examinabant leprā, vel sanitatē, suddit, vt eum ab immūditia legali & interdicto absoluerent, vel non absoluerent; sic nostri Sacerdotes debent diligenter examinare, an pœnitens lepram adhuc retineat impœnitentiæ, an verò eam per pœnitentiam abiecerit, vt sic debitè possint eos, vel à vinculis, quæ restant absoluere vel tanquam adhuc infirmos, impœnitentes in eisdem vinculis retinere.

Quintò obiicitur argumentum supra indicatum, nam vel, pœnitens est contritus, & sic iam est liber à peccato; vel adhuc est in peccato, & sic non est dignus absolutione. 59.

Respondeo pœnitentē cum attritione non esse dignum immediatè gratiæ, esse tamen idoneum vt per absolutionem gratiam consequatur.

Dicunt, hoc Sacramentum esse medicinam, ergo non est ad viuificandum; nam medicina solum prodest viuis.

Respondeo hoc Sacramentum esse medicinam contra vulnera etiam lethalia, quæ licèt non adhuc attulerint mortem damnationis, & ideo homo dici possit viuus, & curabilis: attulerun tamen mortem gratiæ, & in hoc sensu potest hoc Sacramentum viuificare.

Sextò obiiciunt, quia eodem modo data est Sacedotibus potestas ligandi, sicut soluendi, sed illa non est, nisi ad ostendendum aliquem iam esse ligatum, ergo neque hæc est, nisi ad ostendendum esse absolutum. 60.

Respondeo, potestatem Sacerdotis ad ligandum dupliciter declarari. Primò quatenus potest negare absolutionem, & retinere peccata, quod est ligare negatiuè; sicut Deus dicitur indurare, vel excæcare quatenus nō dat auxilia, vel lumen. Ita explicant S. Thom. *opusc. 22. cap. 6.* Adrian. *de clauibus quæst. 2.* Medina *de confess. quæst. 5.* Cordub. *lib. 5. quæst. 1.* & alij multi.

Secundò explicant alij illam potestatem, quatenus potest Sacerdos obligare pœnitentem ad satisfactionem Sacramentalem. Vterque sensus est bonus; primus colligitur ex verbis Christi *Ioann. 20.* vbi potestas ligandi explicatur per potestatem retinendi peccata, quo significatur, retentionem peccati esse actum huius potestatis. Secundus etiam sensus probatur à Tridentino *sess. 14. cap. 8. & can. vlt.* vbi ex potestate ligandi colligitur potestas imponendi pœnitentiam. Datur etiam alius actus huius potestatis ligandi per excommunicationem, quæ impedit Sacramentorum communicationem, de quocumque autem ex his actibus sermo sit, constat actum ligandi non esse solum ostendere, vel declarare aliquem esse ligatum, sed re vera eum ligare siue negatiuè siue etiam positiuè.

SECTIO III.

Quem sensum habeant verba in forma huius Sacramenti?

EXplicato effectu horū verborū, facilior erit iā eorum sensus, de quo tamen variè sunt Theologorum sententiæ. Ratio autem difficultatis est, 61.

tum quia quando pœnitens non est sufficienter dispositus ; non absoluitur à peccatis, & per consequens forma erit falsa : tum etiam quia quando iam condonata sunt peccata, vel per contritionem, vel per aliam confessionem præcedentem, non absoluitur nunc ab illis ; nec enim absoluitur ille, qui vincula non habet, nec potest condonari debitum, quod non est.

Tostati de forma Sacramenti Pœnitentiæ liberior sententia.

Abulẽsis in primis liberiùs de hac forma loquutus est *prima parte sui defensorij cap. 5. & 6.* dicens, quod proprie loquendo nec Sacerdos, imò nec Deus absoluit à culpa, vel à pœna peccati. Primò quia Scriptura nũquam ita loquitur, sed dicit peccata dimitti, deleri, &c. Secundò ex Clementina prima de priuilegiis, vbi Pontifex prohibẽs religiosis absolutionem quandam ipsis non concessam, dicit *nec à culpa, nec à pœna, vt eorum verbis vtamur, absoluant*, vbi Pontifex illam indicat esse impropriam loquutionem. Tertiò, quia homo nec absoluitur à culpa, quia hæc iam præcessit, nec à pœna, quæ nondum aduenit, & per consequens nondum obstringit, sed à reatu pœnæ, seu obligatione ad pœnam, quæ nunc etiam ligat hominem actu. Quartò, quia peccata non sunt vincula, ergo non absoluitur proprièhomo à peccatis.

62. Hæc Abulensis sententia liberior est, sed errat in vocibus : nam ipse suum sensum Catholicum satis expressit, imò in *cap. 7.* in margine additur quædam declaratio, quæ fertur haberi in alio originali, & facta fuisse apud Eugen. Papam, quod scilicet loqueretur de absolutione propriissimè dicta, & de culpa actuali, non de habituali, seu reatu ad pœnam.

Modus tamen loquendi corrigendus est. Primò quia in Scriptura etiam habetur illa loquutio Isai. 58. *Dissolue obligationem impietatis*, &c. & Matth. 16. *Quodcumque solueris super terram erit solutum*, &c. Secundò quia videtur indicare transacto peccato actuali, remanere solum reatum pœnæ ; à quo homo absoluitur, quæ propositio erat vna ex propositionibus Michaëlis Baij, quam reiecerunt Pius V. & Gregor. XIII. & refertur in illa Bulla his verbis: *In peccato duo sunt, actus, & reatus, siue obligatio ad pœnam. Vnde in Sacramento baptismi aut Sacerdotis absolutione propriè reatus peccati, duntaxat tollitur, & ministerium Sacerdotum solum liberat à reatu.* Fatendum ergo est, manere peccatum habituale seu reatum culpæ, quod sit etiam propriè peccatum, & à quo pœnitens absoluitur. Quid autem sit ille reatus seu macula habitualis diximus *disput. 7.*

Matth. 16.

Pius V. & Greg. XIII.

Hinc constat ad fundamenta contraria. Ad verba verò illius Clementinæ dicendum est, Pontificem non reprehendere vocabula, sed eorum vsurpationem ab illis, qui talem facultatem ostentabant, cùm illam non haberent.

63. Denique constat, pœnitentem absolui à culpa habituali, qua ligatur, hæc enim est obligatio manens ad odium Dei, quandiu ab ipso Deo non condonatur : fatemur quidem, hoc non esse vinculum physicum sed morale, atque adeò per translationem, & metaphoram extendi vocabulum : hoc tamen non tollit, quod in eo sensu propriè dicatur homo absolui à peccatis.

Supposito ergo, quod verba illa propriè vsurpentur, alij dicunt eorum sensum esse: *Ego te ostendo, & declaro absolutum.* Alij. *Ego te libero ab obligatione subiiciendi hæc peccata Ecclesiæ clauibus* Alij. *Ego te libero à debito pœnæ æternæ.* Alij *à debito pœnæ temporalis*, sed hæ sententiæ supponunt fundamenta falsa circa potestatem Sacerdotis, quæ impugnauimus *sect. præcedenti.* & adhuc non soluunt difficultatem ; nam potest contingere, quod iam non habeat debitum pœnæ æternæ, nec temporalis, nec obligationem confitendi hæc peccata, eo quod iam ea fuerit confessus in alia confessione, quare restat adhuc explicandum, quomodo verificentur verba in hoc etiam casu.

Alij ergo dicunt, per hanc formam significari ablationem peccati, vel quoad culpã, vel quoad pœnam, vel quoad reliquias peccati videlicet quasdam inclinationes potentiarum, quæ remanent ex culpa etiam post illam ablatam : & hæ tolluntur magis, ac magis per absolutionem sequentem. 64.

Hæc explicatio reiicitur. Primò, quia aliquando ex vno peccato leui veniali exiguæ reliquiæ manent, quare non est credibile durare illas per totam vitã, per quam repetitis confessionibus potest illud peccatum dari semper pro materia absolutionis. Secundò illi habitus, qui remanent ex actu malo, nec sunt peccatum, nec etiam pœna peccati, quia dimissa tota pœna peccati, adhuc remanent tanquam effectus physici producti ab actu præterito, sicut manet vulnus physicum causatum ab aliquo peccato. Ergo absoluens à peccatis, non absoluit ab illis, sed ab eorum causa.

Ab hac sententia parum distat P. Coninch. *in præsent. disp. 4. dub. 8. num. 61. & sequentib.* dicens. peccatum semper remitti de nouo, quia semper manet aliqua obligatio ex ipso ; quatenus etiam post ablatam culpam, & remissam pœnam, manet semper aliqua indignitas, qua cæteris paribus ille, qui peccauit, minùs dignus est aliquo Dei beneficio peculiari ; quàm alius æquè iustus, qui nunquam peccauit : hoc autem impedimentum, & minor dignitas aufertur magis, & magis per absolutionem propter gratiam habitualem, quæ datur in Sacramento, ratione cuius gratiæ, licet non tollatur illa indignitas provt oritur à peccato præterito, minuitur tamen eius actiuitas apposita maiori gratia, quæ affert maiorem dignitatem, & temperat illam indignitatem ortam ex peccato. 65.

Hic modus explicandi difficilis adhuc est. Primò quia tota illa indignitas quæcumque illa sit potest omnino auferri, & consumi, ita vt iam non possit Deus ratione illius peccati præteriti aliquod donum homini negare, provt de facto in beatis consumpta est, nec enim peccata præterita eos iam possunt ampliùs impedire ab vllo beneficio consequẽdo, vt fatetur idem Auctor *n. 63.* Ratio autẽ à priori est, quia sicut Deus condonando pœnam, cedit iure, quod habebat ad puniendum positiuè hominem propter illud peccatum ; & condonando culpam, cedit iuri morali, seu titulo, quem habebat ad auersionem rationabilem ab illo homine propter illud peccatum ; sic potest liberè cedere, & renunciare omni iuri, & titulo morali, quem habet ad negandum aliquod beneficium illi homini ratione peccati præteriti ; neque enim est minùs Dominus Deus horum iurium, quam illorum : posita autem hac cessione vniuersali, iam non manet illa indignitas, siquidem nullo modo poterit Deus moueri à peccato præterito ad negandum huic homini tale, vel tale donum : ergo potest omnino tolli, & consumi tota illa indignitas, & titulus. Quod quidem inter homines passim fit ; nam sæpe ita reconciliantur, & condonant ex corde, vt dicant se nunquam ad aliquid faciendum, vel negandum, futuros memores prioris offensæ, sed in omnibus se habituros, sicut si offensa non præcessisset ; & tamen adhuc peccatum præteritum esse posset materia absolutionis Sacramentalis. 66.

Secundò contra illum modum facit, quod ex illo sequitur,

sequitur posse id, quod per Sacramentum remittitur, iterum redire itavt iam illa remissio nihil operetur, sed reuocetur, quia per te in tantum remittitur amplius illud peccatum, in quantum datur maior gratia, quæ afferendo maiorem dignitatem impediat indignitatem relictam ex peccato præterito, nec operetur, quantum posset operari: adueniente autem nouo peccato mortali, tollitur illa gratia, & per consequens manet tota indignitas ex peccatis præteritis: quæ erat prius, perinde ac si non fuisset remissa: redit ergo idem debitum quod erat dimissum, & idem vinculum, à quo per Sacerdotem fuerat pœnitens absolutus; quod tamen de culpa, aut pœna semel remissa negant communiter Theologi etiam de possibili, nedum de facto.

Denique displicet in P. Coninch, quod *n.* 55. dicit, verba Sacerdotis facere hunc sensum: *Ego tibi peccata remitto, quantum ex confessione potui cognoscere, te esse eorum reum, & esse bene dispositum ad eorum remissionem.* Hoc, inquam, displicet, quia licet Sacerdos non aduertisset ad dispositionem peccatoris cognoscendam: si tamen ipse re vera esset dispositus, esset valida absolutio; imo licet Sacerdos existimaret, illum non esse bene dispositum, si tamen haberet intentionem absoluendi, quantum posset, validè absolueret, si re vera pœnitens esset dispositus, non ergo est ille sensus verborum.

69. Alij ergo cum S. Thom. *quæst.* 84. *art.* 3. *ad* 5. dicunt, sensum illorum verborum esse: *Ego tibi Sacramentum absolutionis impendo*, qui sensus verus est, etiamsi peccata iam fuerint per contritionem, vel aliam confessionem dimissa, quia non significant effectum nunc poni, sed causam sufficientem ad illum effectum.

Hæc explicatio, licet quoad rem significatam vera sit, quoad modum tamen videtur difficilis, nisi amplius declaretur. Primò quia in aliis Sacramentis verba formæ non significant collationem Sacramenti, sed applicationem materiæ, vel aliquid aliud, vt verba illa, *Ego te baptizo*, significant absolutionem: illa, *hoc est corpus meum*, significant præsentiam corporis Christi, & sic de aliis: ergo illa verba *ego te absoluo*, non significant positionem Sacramenti, quia hoc esset dicere; *Ego pono hæc verba, quæ sunt Sacramentum*; cùm enim Sacramentum hoc constet ex materia, & forma, materia verò ponatur à pœnitente, & forma à Sacerdote. Sacerdos, dicendo: *ego pono Sacramentum*, diceret *ego pono verba, seu formam Sacramenti*, atque adeo verba illa significarent suimet positionem, quod videtur durissimum.

70. Secundò verba Sacramentalia vsurpari debent in eâdem significatione, quam ex hominum institutione habent in humano sermone; non enim possunt significare, nisi id, ad quod significandum sunt instituta, & ideo illa vox; *ego*, & illa vox *te*, idem significant intrà, & extra Sacramentum; hæc verba *ego te absoluo*, ex hominum institutione non habent significare se ipsa per significationem reflexam, sed aliquid condistinctum ab ipsis; ergo nec in Sacramento significant directè se ipsa, sed aliquid aliud.

71. Eodem modo arguitur contra explicationem similem, qua videtur P. Suarez *sect.* 3. *num.* 19. vt sensus sit; *Ego tibi gratiam sanctificantem confero, quantum est ex se remissiuam peccati.* Hæc, inquam, explicatio videtur etiam difficilis, quia ex hominum institutione non habent significare gratiæ collationem, sed remissionem debiti, & solutionem vinculi; ergo licèt in hoc Sacramento causent gratiam; ipsa tamen de se id non significant: Pro quo aduertendum omnino est, in verbis Sacramentalibus duplicem esse significationem, alteram quam verba habent ex hominum institutione, & quæ est propria verborum, vt verba humana sunt: Alteram vero Sacramentalem quam habet etiam materia, verbi gratia aqua, oleum, &c. quatenus ex Christi institutione significant gratiam, quam conferunt. Et quidem loquendo de hac secunda significatione, verba absolutionis significant procul dubio gratiam sanctificantem, sicut & confessio, & dolor, quæ est materia Sacramenti; nunc autem non loquimur de hac significatione, sed de illa priori, quam habent verba, vt verba humana sunt, quæ sola debet attendi ad cognoscendum eorum sensum, & veritatem, nam verba in matrimonio, v. g. solum sunt vera, quatenus significant consensum in obligationem mutuam, hunc solum sensum faciunt, licet quatenus sunt Sacramentum, significent gratiam habitualem quam conferunt. Sic ergo verba absolutionis, licet significent, & conferant gratiam ex Christi institutione; vt tamen sunt verba humana, eam determinatè non significant, nec faciunt eum sensum; quia ex hominum institutione non sunt imposita ad gratiam significandam, sed remissionem, vel solutionem à vinculis, vnde etiamsi peccata tollerentur absque infusione gratiæ prout loquendo de possibili, de venialibus videtur ceitum, & de mortalibus probabilius; adhuc verba essent vera in omni rigore; non ergo faciunt illum sensum determinatum *ego tibi confero gratiam sanctificantem peccatorum remissiuam.*

72. *Sensus verborum formæ absolutionis est is quem ipsa sonare videntur iuxta impositionem hu manam.*

Restat ergo quod sensus illorum verborum sit, quem ipsa sonare videntur iuxta institutionem, & impositionem humanam; scilicet, *Ego te soluo à vinculis*, vel *tibi remitto offensam diuinam*; ita vt significatum directum harum vocum, non sit infusio gratiæ determinatè, sed condonatio peccati. Manet tamen adhuc explicandum, quomodo hic sensus verè significetur semper his verbis. Et quidem quando homo non est dispositus sufficienter ad gratiam, si Sacramentum sit nullum, non est inconueniens, quod verba non sint vera; sic enim contingit in aliis Sacramentis, vt cùm Episcopus ordinat aliquam incapacem ordinis, quia v. g. non est baptisatus, tunc licet dicat, *Accipe potestatem*, &c. non dat potestatem, & sic verba non sunt vera. Si vero Sacramentum pœnitentiæ cum sententia probabili, admittatur aliquando esse validum, & informe, hoc est non causans actu gratiam ex defectu dispositionis sufficientis; tunc verba erunt vera, sicut sunt vera verba Episcopi ordinantis eum qui est in peccato. Dicit enim, *Accipe Spiritum sanctum*, &c. quæ verba vera sunt quia faciunt hunc sensum *Quantum est ex me, do tibi Spiritum sanctum*; sic in præsenti verba sunt vera, quia significant: quantum est ex me remitto tibi peccata: cum quo stat, non poni remissionem, quandiu non aufertur obex per debitam dispositionem; quia verba hæc in ore Sacerdotis, qui non est Dominus absolutus; sed minister cum potestate limitata, non habent sensum omnino absolutum, sed limitatum, scilicet, si adsint requisita. Sicut iudex ordinarius, quando declarat, aliquem esse innocentem, vel delinquentem, verba illa non faciunt sensum omnino absolutum sed limitatum, scilicet *secundum allegata, & probata.*

73. *Quomodò verificatur hic sensus, peccatis iam per contritionem ablatis*

Maior est difficultas, quomodo verificatur hic sensus in illo alio casu, quando peccata iam fuerãt ablata per priorem contritionem, vel confessionem præcedentem. Dicimus tamen, in eo etiam casu esse vera verba, quia non mentitur, qui post dimissum semel debitum, vel offensam, iterũ rogatus dicit, se

dimittere.

dimittere. Nam sicut, qui semel se obligauit alicui ad aliquid præstandum, potest iterum se ei obligare ad idem, & qui semel vouit, vouet iterũ, & iterũ & promittit sæpiùs idem obiectum, sic qui remisit debitum, potest iterum idem remittere, nam remittere in rigore, est obligare se per cessionem iuris, ad non vtendum iure acquisito ratione offensæ in ordine ad talem, vel talem effectum; quare sicut possumus per obligationẽ repetitam dare id ius, seu ius ad idem alicui, ita per remissionem repetitam possumus renunciare eidem iuri in fauorem alicuius. Sic per professionem religiosam renunciamus sæculo, diuitiis, &c. & tamen repetentes professionem, vel vota religiosa, repetimus absque mẽdacio eandem renunciationem. Ad renunciandum ergo, & cedendum absolutè, non est necesse, quod actu sit adhuc nostrũ id, cui renunciamus, sufficit fuisse aliquando nostrum; per cessionem enim repetitam significamus voluntatem efficacem nostram transferendi à nobis illud ius, seu quod non sit ampliùs in nostro dominio, quam quidem voluntatẽ possumus repetere, & declarare sæpius verè, & validè, nam illam concessionem esse validam, non est aliud nisi ponere titulum sufficientem, ratione cuius nõ possumus iam vti iure illo, quod aliquando habuimus, talis autem est quælibet noua remissio, & cessio, si quidem ponit titulum nouum impedientem, ne vtamur iure illo quod aliquando habuimus. Et quidem hunc solum esse sensum illius verbi, *remitto*, cõstat ex vsu omnium hominum qui eamdem offensam solent sæpius remittere, ne tamen putant, se mentiri, quando secunda vice remittunt.

74. Idem autem est sensus verbi *absoluo* cùm in hoc Sacramento constet, illud non habere diuersam significationem ab ea, quam haberet verbum, *remitto* quia per illud verbũ *absoluo*, exercetur potestas Apostolis data illis verbis, *quorũ remiseritis peccata*, &c.

Vnde obiter infero explicationem D. Thomæ in hoc sensu intellectam legitimam esse, Dicere enim: *Ego tibi Sacramentum absolutionis impendo*, non debet intelligi de ipso Sacramẽto causãte, sed de causato (vt ita dicam) q.d Ego, quantum est ex me; pono absolutionem (ad quam quidem ordinatur hoc Sacramentum) id est remissionem peccati seu titulum ad hoc, vt peccatũ sit remissũ, & ius ex peccato ortum sit ablatum. Infero etiã per hæc verba iuxta suã institutionẽ humanã non significari directè, & determinatè gratiã, sed arguitiuè quatenus directè significatur remissio peccati: hæc autem ex lege Dei non fit sine infusione gratiæ, & ideo arguitur infusio gratiæ. Potest tamen ipsa infusio gratiæ, in exequutione esse prior aliquo modo, & magis directa, licet per verba significetur minus directè, & quasi posteriùs, quia in executione gratia est causa formalis expellens peccatũ habituale, & per cõsequens quasi ex primaria, & directa intẽtione infunditur, licet verba directè solùm significent remissionem peccati, & arguitiuè gratiã, quæ ponenda est, vt expellatur peccatum debito modo iuxta legem Dei.

Quomodo gratia conferatur in hoc Sacramento dum confessio est de solis venialibus.

75. Contra hanc explicationem multa possunt obiici, Primò quia licet ad remissionem peccati mortalis necessaria sit de facto gratiæ infusio, alioquin enim maneret homo sine gratia, & peccato, ad remissionem tamen venialis non requiritur. Vnde si verba absolutionis directè significãt solũ remissionem peccati non est, vnde colligatur, conferri gratiam in hoc Sacramento, quando confessio est de solis venialibus.

76. Respondetur, ex remissione peccati, quam significant directè verba colligi virtutem, quã habẽt ad causandam gratiam etiam quando confessio est de solis culpis venialibus: quia non potest remitti culpa etiam venialis de facto, vt suppono, absque culpa mortali, quare per illã absolutionẽ debẽt saltem indirectè remitti mortalia, si quæ sunt; hæc autem nõ possũt remitti absque gratia; ergo de primo ad vltimũ, verba quę habent vim ad remittenda venialia, habent etiam vim ad causandam gratiã, quæ simul expellat mortalia, si quæ fuerint. Hęc autẽ actiuitas Sacramenti non impeditur, quo minus causet gratiam, ex eo quod hic, & nunc nõ sint expellenda mortalia, nam si Sacramentum ex se habet illam virtutem, operatur effectum, ad tollenda, quantũ est de se impedimenta remissionis venialis. Sicut Baptismus, qui est ad mundandum hominem etiamsi sit iustus, iam ille, qui baptizatur, adhuc producit nouam gratiam, quia de se habet actiuitatem ad producendam gratiam, qua tollatur sordes, si fuerint. Sic etiam Pœnitentiam habet eandem vim eodem modo, & habet etiam alium titulum ad causandam gratiam, quia scilicet est Sacramentum reconciliationis, quod ex se tendit ad reconciliandum hominem Deo: reconciliatio autem ex se affert redintegrationem amicitiæ, & expulsionem inimicitiæ: cùm ergo inimicitia hominis cum Deo non possit expelli, nisi per gratiam, quæ sola est amicitia cũ Deo, consequens est, quod per Sacramentum reconciliationis semper producatur gratia expulsiua omnis inimicitiæ.

77. Secundò obiici potest, quia si verba non significant actualem ablationem peccati, & solutionem vinculi, sequitur posse verificari formam, & conferri validum Sacramentum hoc, etiamsi nullum præcessisset verum peccatum, si pœnitens fateretur peccatum dubium, vel existimatum, & doleret de illo. Nam peccatum, quod iam fuerat dimissum, non magis ligat nunc, quàm illud, quod nunquam fuit: ergo si respectu illius datur verum Sacramentum; sic etiã dari poterit respectu huius; quia vtrobique verba significabunt solam conditionem, & remissionem, quantum est ex parte creditoris.

78. Respondetur, negando sequelam. Ratio autem discriminis est, quod in illo casu verba essent falsa ex defectu obiecti, & propositio esset quasi de subiecto non supponenti, cùm diceret, remitto tibi tale peccatum, quod peccatum nunquam fuit. Sicut si aliquis falsò putans dari posse chymæram, promitteret mihi chymæram; promissio esset omnino irrita, & nulla ex defectu obiecti: Sic si Sacerdos absoluat me ab occisione Angeli, absolutio erit nulla, si non habet aliam materiam, cum non habeat obiectum, nec ius, cui nomine Dei renunciet per illam cessionem. Similiter ergo, quando remittit peccata, quæ nunquam fuerunt; remissio erit nulla, quia facit hunc sensum: renuntio illi iuri, quod acquisiuit Deus ex tali peccato: cùm ergo nullum ius Deus acquisierit nulli iuri renunciat, & per consequens non est vera remissio, atque adeo propositio erit falsa, cùm affirmet remissionem, vbi nulla est remissio. Quando verò peccatum iam fuerat priùs condonatum, adhuc secunda remissio esset vera remissio: versatur enim circa verum obiectum, & circa verum ius, cui secundò renunciat, & quod iterum vult non perseuerare in Deo, vt supra explicuimus.

79. Dices in Sacramento extremę vnctionis verba illa formę: *Indulgeat tibi Deus quidquid peccasti*, vetiuerit, ergo verba etiam. *Absoluo te à peccatis*, posset eodem modo verificari, licet nullum verum peccatum præcessisset.

Respondeo

Respondeo primò, Transeat antecedens, & nego consequentiam; Nam Sacramentum vnctionis ex sua institutione respicit peccata solùm sub conditione, vt constat ex verbis Iacobi, *si in peccatis fuerit, dimittentur ei*, quod potest explicari dicendo quod datur primariò, & absolute ad confortandam mentem, & corpus, tanquam vtriusque medicina, ideo datur per vnctionem olei, quod est medicamentum confortatiuum: hinc autem habet sanare infirmitatem spiritualem ex pecato si fit, vel saltem minuere infirmitatem animæ intrinsecam ad resistendum peccato, ne fit; olei enim medicina vtroque modo confortat, requirit tamen absolutè corporis infirmitatem, & morbum actualem hoc Sacramentum, quia datur tanquam remedium præsens ad confortandum contra periculum spirituale, & corporale præsens mortis instantis hinc est, peccatorum remissionem in illis verbis intelligi solùm sub conditione; nam similiter dicitur in forma *quidquid peccasti per visum*; cùm contingere possit ægrotum nunquam per visum peccasse, præsertim si erat cœcus, in Sacramento autem pœnitentiæ debet intelligi absolutè, cùm primariò tendat ad remissionem peccati; & reconciliationem hominis cum Deo, & ex sua institutione solam habeat remissionem peccati, vt constat ex Christi verbis, *quorum remiseritis peccata* &c. vbi ad hunc effectum solùm datur potestas Sacerdotibus, quare vbi nullum est peccatum non potest applicari tale Sacramentum, sicut nec Sacramentum matrimonij, vbi non est coniux, cui alter coniux possit coniungi.

Dixit tamen transeat antecedens, quia fortasse ad Sacramentum etiam illud requiruntur peccata absolute præterita. Si enim peccata sub conditione solùm intelliguntur in forma extremæ vnctionis, cur non datur illud Sacramentum infantibus morientibus.

80. Dices, non diti, quia deficit finis primarius qui est confortasse mentem, & sanare illum, contra tentationes, & pericula morbi, & mortis. Nam infans non debet resistere, vel præliari contra spiritualem hostem.

Sed contra Sacramentum confirmationis tendit etiam primariò ad confirmandum contra hostes fidei, ne homo illis succumbat: & tamen dati potest infanti. Dices id esse, quia infans armatur nunc eo Sacramento, vt postea prælietur, cùm fuerit adultus: vnctio verò extrema datur, vt pugnat nunc in conflictu iam præsente: quare frustra daretur non præliaturo. Sic nec datur perpetuò menti propter eadem rationem. Sed contra adhuc vrget; nam extrema vnctio datur ei, qui post rationis vsum incidit in amentiam etiam diuturnam; & quidem hic potest viginti annos amentiæ tam imporens est nunc ad præliandum contra Dæmonem, quàm perpetuus amens: nec enim maior spes est de illo, quàm de hoc, quod recuperaturus sit rationis vsum in hoc morbo: ergo finis primarius illius Sacramenti non est præcisè confortare ad prælium vltimum, sed delere reliquias peccatorum; vnde nullis præcedentibus peccatis dari non potest, sicut dicimus de Sacramento pœnitentiæ.

81. Vnde faciliùs responderi potest secundò, negando, quod in obiectione supponitur, scilicet quod Sacramentum extremæ vnctionis dari possit illi, qui nunquam peccauit saltem venialiter. Nam licet Recentiores id asserant: contrarium tamen videtur expresse docere S. Thom. *in supplemento ad 3. part. q. 22. art. 4 ad 1. & 2.* vbi eandem tenet Franciscus Syluius latè, M. Nuñus *ibi, art. 2. difficult. 2.* Ledesma *2.4. q. 34. art. 2.* & alij quod colligitur, tum ex Trident. *sess. 14. ante c. 1. de extrem vnct.* vbi dicitur hoc Sacramentum esse pœnitentiæ confirmatiuũ, quare ij soli videntur capaces ipsius, qui fuerint etiam capaces Sacramenti pœnitentiæ; tum ex vsu Ecclesiæ, quæ vt vidimus, non dat hoc Sacramentum iis, quos certum est nunquam peccasse, sed iis solis, qui aliquando peccauerunt, quales sunt iis omnes qui aliquando saltem vsum rationis habuerunt, vt constat ex Rituali Romano in Sacramento extremæ vnctionis: cuius ratio alia reddi non potest, vt vidimus, nam posse peccare, si re vera non peccatur, parum refert; potuisse enim peccare, non est aliquid mundandum per hoc Sacramentum, cùm non fit aliquod malum, vel reprehensibile, solùm ergo attenditur ad peccata ipsa, quæ tales homines commiserunt ante amentiam, ratione quorum forma Sacramenti est vera; cùm tamen non sit vera in perpetuò amentibus, eo quod nunquam peccauerint. Denique ratio esse potest, quia Sacramentum illud est medicina, hæc autem non potest applicari, nisi post verbum, & vulnera, requiritur ergo, quod hæc anima fuerit aliquando vulnerata, vt sic possit vtiliter vngi oleo sancto, quod Christus instituit contra vulnera spiritualia, & contra debilitatem, quę ex illis vulneribus potuisset prouenire in agone vltimo, & ideo in forma huius Sacramenti mentio fit peccatorum, quia debilitas cui intenditur applicari remedium, est quæ prouenit ex peccatis commissis, & in forma Ecclesię Græcæ, quam affert Arcadius *de Sacrament. Ecclesiæ Orientalis lib. 5. c. 2* fit etiam mẽtio de peccatis, dum petitur à Deo, vt tribuat ægroto sanitatem ab infirmitate spirituali, & corporali; subponitur ergo infirmitas peccati præcedentis. Quãuis autem in forma exprimantur peccata per visum, v.g. non requiritur necessariò, quòd peccauerit per visum, quia ex omnibus illis formis partialibus fit vna integra, cuius sensus est: *Indulgeat tibi Deus quidquid peccasti per sensum omnem*; ad cuius veritatem sufficit quod peccauerit per aliquem sensum, sicut etiam quando Sacerdos absoluit à quatuor peccatis, quorum vnum non fuit verè peccatum absolutio est valida, & vera, quia absoluit indiuisibiliter à reatu illius collectionis: Sic ergo verificatur hæc forma. De hoc tamen ex professo disputare non est huius loci, sed pertinet ad tractatũ de extrema vnctione nunc sufficiat tetigisse.

Vrgebis adhuc; quia si aliquis iam sit solutus à vinculi scorporeis, quibus antea tenebatur, nõ potest postea aliquis cum veritate dicere *ego te soluo à vinculis*, neque ad veritatem huius loquutionis, sufficit habere voluntatẽ quantũ ex se est, soluendi illum, si solutus non esset. Ergo nec erunt vera illa verba in absolutione Sacramentali, quando re vera pœnitens nullis vinculis ad ringitur, quia iam olim ab eis omnino fuit solutus.

Respondetur, negando consequentiam. Ratio differentiæ inter vincula corporea, & vincula spiritualia peccatorum hæc est, quod propositio illa prolata de solutione vinculi corporei habet pro obiecto immediato ipsam solutionẽ vinculi corporei, quam solam affirmat; vnde si re vera non sit à parte rei solutio præsens à me posita propositio mea non est vera. Quando verò affirmo solutionem vinculi spiritualis, obiectum immediatũ, quod affirmo, non est ipsa ablatio externa vinculi, sed actus meæ voluntatis, quo ego interius cedo iure acquisitio ex offensa, & obligo me ad non vtendum eo iure ad id, ad quod prius poteram ratione offensæ rationabiliter vti Quando enim dico, *condono*, seu *remitto* vel *dono*, affirmo actum voluntatis,

ris,qui est cessio,remissio, cõdonatio , seu voluntas me obligandi idem autẽ affirmo,quãdo dico, *absoluo* ;nam verbum, *absoluo* & verbum *remitto* , idem prorsus significant in hoc Sacramento , vt constat ex eius institutione,in qua vtroque verbo indifferenter vsus est Christus. Potest ergo verè affirmari vtrumque etiamsi iam antea peccatum iterum remissum esset;quia licet homo solutus à vinculis corporeis non possit ampliùs solui : potest tamen offensa seu debitum remissum iterum atque iterum remitti,quia potest offensus,vel creditor iterum atque iterum se obligare ad non exigendum illud debitum, nec indignationem concipiendam propter illam offensam,quod propriè cedere iure, & remittere offensam , vt vidimus , sicut se iterum potest obligare id , ad quod iam priùs erat obligatus.

85. Instabis : ergo posset aliquis iterum , atque iterum contrahere matrimonium cum eâdem coniuge,quia contrahere matrimonium,nõ est aliud, nisi obligare se,& dare coniungi potestatẽ supra proprium corpus:potest autem coniux iterum , atque iterum se obligare,addito nouo vinculo obligationis nouæ ad id , quod iam antea erat obligatus; poterit ergo fieri de nouo cõtractus matrimonij, & per consequens nouum Sacramentum ; cùm nõ detur matrimonij contractus inter baptizatos,quin detur etiam verum Sacramentum.

Respondetur,negando sequelam , potest quidem coniux iterum,& sæpius se obligare de nouo , & addere nouum vinculum , quod se iterum obliget ad seruandum id,quod promisit in matrimonio illa tamen obligatio , aut promissio non est matrimonium ; quia contractus matrimonij , non est quæcumque promissio,aut obligatio mutua,sed illa traditio actualis,per quam coniux tradit se , & introducit coniugem in possessionem actualem. Introductio autẽ in possessionem,& traditio actualis non potest repeti, cùm significet inceptionem: possunt ergo sponsalia de futuro sæpius fieri addita semper noua obligatione , quia non afferunt traditionem,nec introductionem actualem in possessionem : matrimonium autem cùm eâdem non potest repeti, nisi priùs fuisset legitimè dissolutum prout dissoluitur matrimonium ratum non consummatum per summi Pontificis auctoritatem : tunc enim posset iterum postea de nouo celebrari inter eosdem . Sic etiam professio solemnis religiosi non potest repeti: potest quidem religiosus renouare sæpius vota suæ professionis , & obligare se de nouo addito nouo vinculo,sicut & potest renouare sæpius vota simplicia obligando se de nouo: illa tamen renouatio,& noua obligatio non est noua professio, quia professio est traditio actualis,& introductio in possessionem , quod non potest iterum fieri, nisi prior professio auctoritate Summi Pontificis fuisset irritata , quod idẽ de matrimonio , & aliis similibus contractibus dicendum est.

84. Tertiò principaliter obiici potest, quia si absolutio Sacerdotis significat & operatur remissionẽ culpę,nõ possumus explicare,quomodo verum sit id,quod multi ex Patribus communiter dicũt,scilicet sententiam Petri præcedere,& sententiam Dei subsequi,quem modum loquendi vsurpãt Cypriã. Hilarius, Bernard.Hugo de S.Victore,quorũ verba affert Vasquez *in præsenti art.* , *dub.* 1.*n.* 8.& 9.cum Ruardo,& VValdens.qui idem obseruarunt : si autem Sacerdos absoluit à culpa,non constat , quid postea soluat Deus : non ergo sequitur sententia Dei,post sententiam Sacerdotis.

85. Hæc difficultas magis vrget contra illam sententiam supra relatam :nam si Sacerdos non absoluit, sed declarat eum qui iam erat solutus , vel si non absoluit à culpa sed à pœna,minùs potest intelligi quod sententia Petri præcedat; debuisset enim dici è contra sententiam Dei præcedere, & Sacerdotalem subsequi.

Tripliciter ergo explicari potest ille modus loquendi Primò, vt verè eadem Dei sententia simul absoluẽtis per os Sacerdotis , nec sint duo tribunalia , aut appellatio à sententia vnius ad alium iudicem;dicatur tamen subsequi sententia diuina,hoc est,approbatio,&cõplacentia in sententia Sacerdotis.Quã explicationẽ P.Vasquez tribuit Augustino *tom.* 4 *lib.de vera,& falsa pœnitent. cap.*9 in illis verbis: *Quodcunque solueritis super terram soluetur,& in cœlis: hoc est ego Deus,& omnes ordines cœlestis militiæ , & omnes sancti in mea gloria laudant vobiscum , & confirmant, quos ligatis , & soluitis super terram.* Aduerte tamen , illum librum non esse August. sed alterius,qui *c.* 17.citat sententiam eiusdem August. aduertite etiam illa verba non haberi *c.*9.sed 10.eiusdem libri. Augustin.

86 Secundò , & facilius explicari potest de sententia Dei , quæ proferenda est , vel in die Iudicij vniuersalis,vel in iudicio particulari singulorum in eorum morte : tunc enim Deus terminat totam causam, & reddit præmium, vel pœnam iuxta id quod priùs à Sacerdote in terris fuerat iudicatum.

Tertiò , & fortasse verius explicari potest quatenus post Sacerdotis sententiam Deus eius intuitu vult producere gratiam , qua re ipsa homo soluitur à peccatis,atque ita Sacerdos qui præit,Deus subsequitur exequens solutionem,quam Sacerdos decreuerat.

87. Contra hanc doctrinam obiici potest quartò,si verba Sacerdotis significant verè remissionẽ culpæ, ergo pro eo signo,pro quo intelligũtur verba prolata intelligitur iam culpa remissa ; Tũ quia pro eo priori intelliguntur vera ; ergo conformia suo obiecto : Tũ etiã quia vt intelligatur debitũ extinctũ sufficit intelligi remissionẽ creditoris , si ergo pro illo priori signo iã est remissio Dei per os Sacerdotis,iã intelligetur etiam debitum remissum. Consequens autem est falsum , quia culpa de facto non expellitur,nisi per gratiam habitualẽ, quæ est forma iustificans,& causa formalis nostræ iustificationis,gratia autẽ non intelligitur producta pro illo priori,quo sũt verba,quia gratia est effectus verbotũ,siue physice siue saltem moraliter , ergo verba intelligũtur pro priori naturæ ante gratiam,& per consequens remissio intelligitur , antequam debitum sit remissum : remissio enim per se significatur per ipsa verba Sacerdotis. Debemus ergo fateri, quod verba non significant remissionem secundum se , sed gratiam habitualem remissiuam, seu expulsiuam peccati.

88 Respondetur , verba Sacerdotis procul dubio intelligi pro aliquo priori, antequam peccata sint remissa , vt argumentum probat. Ad inconuenientia verò,quæ inferebantur : Respondetur ad primum,non requiri ad veritatem verborum , quod pro eodem signo, quo sunt verba, sit etiam obiectum;sed satis est si sit pro eâdem durationeq realis sic enim verba consecrationis sunt causa præsentiæ corporis Christi sub speciebus; & per consequens sunt pro aliquo priori naturæ ante ipsam præsentiam:pro quo tamen signo naturæ intelliguntur vera veritate radicali , non formali,vt explicuimus *in tractatu de Eucharist.disp.* 11.*sect.* 6. Sic dicimus nunc de verbis absolutionis , pro illo priori pro quo præcedunt suum effectum.

Ad

89. Ad secundum verò inconueniens, quod inferebatur, scilicet, quod pro illo priori intelligeretur iam debitum extinctum, respondimus ex professo *disp. 7. de virtut. pœnit. sect. 9. n. 160. & sequentib.* vbi variis modis illud argumentum dissoluimus. Porro ex ibi dictis aduertendum vltimò est, gratiam habitualem, licet sit primus, & principalis effectus, quem verba causant in hoc Sacramento, non tamen significari directè, & determinatè per verba, sed solum indeterminate, vel arguitiue, sicut etiam in Sacramento matrimonij verba contrahentium causant gratiam, non tamen eam significant directe, quatenus humana verba sunt, sed solùm consensum, & obligationem, & in Sacramento ordinis verba Episcopi: *Accipe potestatem offerendi sacrificium*, &c. licet causent immediate gratiam; non tamen eam significant, vt verba humana sunt, sed potestatem Sacerdotalem, licet eam significent, prout verba Sacramentalia sunt. Sic in præsenti verba absolutionis causant gratiam non tamen eam directe, & determinate significant, provt verba humana sunt, sed arguitiuè, quatenus remissio peccati de facto non sit, nisi media gratia habituali, licet provt verba Sacramentalia sunt, eam directè, & determinate significent.

90. Dixi tamen semper gratiam non significari per verba determinate, quia indeterminate, & quasi sub disiunctione non nego significari: significatur enim remissio peccati: hæc autem, vt dixi, fieri debet vel extrinsece, vel per formam intrinsecam, ergo qui dicit, *remitto* significat se altero ex illis modis remittere scilicet vel extrinsecè, vel per formam intrinsecam. Hoc tamen non sufficit, vt gratia dicatur simpliciter significari ex vi verborum, quia sicut in Eucharistia illa vox, *corpus*, significat corpus humanum, viuum, vel mortuum, & tamen corpus viuum non ponitur ex vi verborum, quia verba illud determinate non significant; sic verbum, *remitto*, significat remissionem extrinsecam, vel intrinsecam: quando autem ponitur de facto intrinseca per gratiam habitualem, non dicitur poni omnino ex vi verborum, quia verba de se eam determinate non exigebant ad sui veritatem, & in hoc sensu diximus, sensum formæ non esse: *Ego confero tibi gratiam remissiuam peccati*, quia scilicet, verba non faciunt determinate illum sensum, cùm possent verificari absque illo.

SECTIO IV.

Vtrùm forma absolutionis possit per modum deprecationis proferri?

91. Absolutio non valet modo deprecatiuo. EXempla communia sunt, si sacerdos dicat: *Absoluat te Deus:* vel, *Absoluatur seruus Christi*, &c. an valide absolueret? Auctor quidam coætaneus S. Thomæ contendebat, non solùm posse, sed expedire magis illum modum deprecatorium, contra quem scripsit S. Thomas *opusc. 22.* Alij verò videntur eam formam admittere saltem tanquam sufficientem, quos refert Suarez *in præsent. disp. 19. sect. 1. n. 24.* & confirmari potest ex vsu Græcorum, qui eo modo dicuntur absoluere per solam deprecationem. Alia verò fundamenta inferiùs afferemus.

91. Communis Theologorum sententia docet, formam non posse valere sub modo deprecatiuo. Hanc docuit ex professo S. Thomas *opusc. illo 22. & in præsenti q. 84. art. 3.* & alij, quos referunt, & sequuntur Suarez *vbi suprà*, & Vasquez *in præsenti quæst. 84. art. 1. dub. 1.* & quidem sententiam contrariam, quatenus addebat, non debere formam proferri modo enunciatiuo, sed deprecatiuo, S. Thom. meritò appellat temerariam, & præsumptuosam; tum quia audet reprehendere formam communem Ecclesiæ Romanæ, Tum quia nititur fundamento absurdissimo; scilicet, quod Deus solus absoluat, sacerdos verò non habeat potestatem clauis ad absoluendum.

Rationes pro hac certa conclusione aliquæ adduci solent. Prima, quia sacerdotes non concurrunt ad effectum huius Sacramenti, sicut sancti viri ad operandam miraculosè sanitatem, ad quam solùm concurrunt impetrando: At verò ad effectum Sacramenti concurrunt instrumentaliter physice, debet ergo hoc ipsum significari per formam. Sed hæc ratio patitur instantiam contra se in extrema vnctione, in qua etiam Sacerdos concurrit instrumentaliter, & tamen forma profertur deprecatoriè; quid enim obstat, quominus verba deprecatoria acceperint virtutem à Deo infallibilem ad causandam gratiam? Adde, falsum esse id quod supponitur, sacerdotem concurrere physicè ad effectum Sacramentorum, vt diximus in tractatu de Sacramentis in genere. 93.

Secunda ratio est, quia Sacramenta nostra significant, quod faciunt: si ergo sacerdos verè absoluit, debet verbis significare se absoluere. Hoc tamen patitur eamdem instantiam; nam in extrema vnctione sacerdos verè confert gratiam Sacramentalem; & tamen suis verbis solum orat Deum pro remissione peccatorum illius infirmi. 94.

Melius ergo probatur conclusio ex ipsa institutione huius Sacramenti: Primò quia institutum est per modum iudicij: forma ergo debet proferri per modum sententiæ: certum est autem, sententiam non proferri à iudice verbis deprecatiuis, sed enunciatiuis: ergo Sacerdos non absoluit valide deprecando, sed potestatem suam ostendendo verbis enunciatiuis.

Secundò ex eadem institutione probatur, quia Christus non dixit, peccata, pro quorum remissione oraueritis, dimittentur, sed peccata, quæ vos remiseritis, remissa erunt: aliud autem est petere alicui veniam peccati, aliud verò remittere illi peccatum, vt constat: ergo vt verificetur promissio Christi, Sacerdos nō debet orare, sed remittere, quia alioquin non ponitur id, cui promissa est ablatio peccati. 95.

Denique confirmari potest ex vsu Ecclesiæ, in qua Sacerdos ante illa verba, *Ego te absoluo*, præmittit deprecationem, dicens *Misereatur tui*, &c. *Dominus noster Iesus Christus te absoluat*, &c. quibus verbis non confertur effectus Sacramenti, vt docet Concilium Tridentinum *sess. 14. cap. 3.* dicens formam Sacramenti, huius positam esse in illis verbis, *ego te absoluo*, &c. *Quibus verbis* (inquit) *Ecclesiæ sanctæ more preces quædam laudabiliter ad-iunguntur: ad ipsius tamen formæ essentiam, nequaquam spectant.* Ergo verba deprecatoria non sufficiunt ad formam huius Sacramenti, quia alioquin ante illa verba, *Ego te absoluo*, posita esset forma sufficiens in illis deprecationibus præcedentibus. 96. Trident.

Obiicitur primò modus loquendi Patrum, qui formam absolutionis vocare solent orationem, & preces sacerdotis. Dionys. *de Eccles. hierarch. c. 7.* vt exponit Turrian. 4. *contra Magdeburg. c. 12.* Aug. 4. *de Baptismo* relatus in c. *Manus*, 1. *q. 1. & lib. 3 de vnico Baptismo cap. 15. & 16. in lib. de pœnit.* relatus in c. *Agite*, de pœnit. dist. 1. Leo Papa *epist. 91. ad Theodor. in princip.* & refertur in c. *Multiplex*, de consecratione *dist. 1.* vbi ait, indulgentiam peccatorum sine sacerdotum supplicationibus non posse obtineri. 97.

Respondetur, formam absolutionis appellari aliquando nomine orationū, & precum, primò propter preces cōsequentes, & cōcomitantes, quæ cum

forma dicuntur, sicut totum, quod dicitur in officio diuino, appellatur *Oratio*, licet in illo legamus etiam historias & vitas Sanctorum, quæ certè non sunt precatio, sed narratio, totum tamen dicitur oratio, & preces à precibus contentis: Secundò appellatur absolutio *Oratio*, quia implicitè & virtualiter continet orationem, qua ex Christi institutione Sacerdos nomine eiusdem Christi petit efficaciter remissionem peccati. Propter vtramque etiam rationem verba consecrationis dicuntur aliquãdo à Sanctis Patribus preces, & supplicationes sacerdotis, quamuis certum sit, forma Eucharistię non posse esse deprecatoriam.

98. Obiici adhuc potest Aug. *lib. 50. homil. ser. 13.* qui habetur etiam in homiliario Doctorũ in die S. Mariæ Magdalenæ, vbi reprehendere videtur eos, qui dicunt, *dimitto tibi peccata.* Ergo ea forma non erat tunc in vsu, sed deprecatoria.

Respõdetur tamẽ ex ipso contextu cõstare Aug. mentem, qui solùm carpit sensum hæreticorũ, qui significare volebant, se propriis meritis peccata dimittere, & propria auctoritate, quã arrogãtiã, vt cohiberẽt Patres aliquãdo in cõtrariã partẽ videtur inclinare, & dicere, sacerdotẽ nõ dimittere peccata sed solũ Deũ, quod tamen intelligi debet, vt supra explicuimus, non retinere propria auctoritate, aut pro arbitrio suo sed solùm ex delegatione, & iuxta præscriptum Dei, qui est præcipuus dimittẽs, quẽ sensum satis declarat August. in eo loco: vt cõstare poterit legenti attentè totũ contextũ. Cùm enim sibi obiecisset: *si nõ dimittunt homines peccata, falsũ est, quod ait Christus, quæ solueritis in terra, soluta erũt & in Cœlo:* Non respondit sacerdotem non soluere aut nõ debere vti forma illa à Christo præscripta; sed solùm dici quod non soluant, vt homines, sed propter virtutẽ Spiritus sancti qui in illis operatur. *Nescis,* inquit, *quare hoc dictũ, sit quomodo dictum sit? Daturus erat Dominus hominibus spiritũ sanctũ,* August. *& ab ipso Spiritu sancto fidelibus suis demitti peccata, non meritis hominũ volebat intelligi dimitti peccata. Nam quid es homo, nisi æger sanandus? Vis mihi esse Medicus; mecum quære Medicũ; Nam, vt hoc euidenter ostenderet Dominus, à Spiritu sancto, quem donauit fidelibus suis dimitti peccata, non meritis hominũ quodam loco sic ait resurgens à mortuis: Accipite Spiritum sanctum: & continùo subiecit. Si cui dimiseritis peccata, dimittuntur ei: hoc est, Spiritus Domini dimittit, non vos.* Vbi non negat verba formę, sed sensum superborum hominum, qui sibi arrogabant remissionem peccatorum.

99. Secundò principaliter obiicitur, quia in extrema vnctione sacerdos vtitur verbis deprecatoriis ad remissionem peccatorum: cur ergo non poterit eis vti in Sacramento pœnitentiæ?

Respõdetur, rationẽ potissimã desumi ex Christi institutione, qui Sacramentum vnctionis ita instituit, vt constat ex eius promulgatione facta ab Apostolo Iacobo: Pœnitentiæ verò Sacramentũ aliter instituit *Ioan. 20.* vbi nõ dixit, peccata, pro quorũ remissione oraueritis, remittẽtur, sed quæ remiseritis, remittẽtur. Cur autẽ hoc fecerit? dicunt aliqui, rationem fuisse quod in extrema vnctione effectus aliquis, scilicet, sanctitas corporis, nõ semper infaillibiliter sequatur, sed hoc non videtur satisfacere, quia per verba formæ non exprimitur salus corporis, sed remissio peccatorũ *Indulgeat tibi Deus quidquid peccasti,* hęc autem remissio, si non sit obex semper ponitur. Alij dicunt, id fieri propter statum suscipientis Sacramentum, qui cùm ægritudine teneatur oppressus, & sit quasi in extrema indigentia propriis viribus destitutus, & veluti iã incipiens exire à foro Ecclesiæ, & in solius Dei manibus constitui, meritò incipit orationibus sacerdotum Deo commendari. Itẽ quia illud Sacramentum ordinatur ad obtinendum per modum indulgentię, quod in Sacramento pœnitentiæ per modũ iudicij obtineri non potuit; ideo Sacerdos iam nõ agit ampliùs, vt iudex, sed vt deprecator illis verbis, *Per suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus,* &c. Ratio potissima est quam supra indicauimus, quod Sacramentum pœnitentiæ institutũ est per modum iudicij, in quo forma debet proferri per modum sententiæ, & per consequens non deprecatoriè.

100. Tertiò obiicitur, Christus dedit etiam potestatẽ Apostolis curãdi infirmos *Matth. 10. & Luc. 9.* & tamen eam potestatem exercebant verbis deprecatoriis. Ergo potestatem sanandi animę vulnera, quam similiter acceperunt, similibus verbis deprecatoriis exercere poterant.

Respondetur ex dictis, omissis aliis solutionibus, in Sacramẽto hoc nõ fuisse datã potestatẽ curandi animam quocumque modo, sed solùm per modum iudicij: iudex autẽ, vt iudex nõ potest liberare reum nisi per sententiam, quę (vt diximus) non profertur verbis deprecatoriis.

101. Quartò obiicitur: Christus sicut dedit potestatem soluendi à peccatis, dedit etiam potestatem absoluendi à censuris, hæc autem potestas exerceri potest per verba etiam deprecatoria, ergo, & potestas etiam absoluendi à peccatis.

Respondetur in primis: à censuris posset etiã per scripturam, & per nutũ validè absolui, saltem quatenus est ex natura cẽsuræ, nisi id aliquo iure positiuo prohibeatur, vt notat Suarez *tom. 5. de censuris disp. 7 sect. 9. n. 13.* quod tamen in absolutione à peccatis locum non habet; quia nimirum absolutio hæc est Sacramẽtalis, atque ideo fieri debet eo solùm ritu, qui à Christo institutus est: illa verò absolutio à censuris pendet ex hominum institutione, sicut & ipsæ censuræ, qui potuerunt hùc, vel illum modum absoluendi decernere. Denique negari potest id, quod supponitur, scilicet, absolutionem à censuris validè fieri per verba deprecatoria, imò oppositum videtur ex ipsa praxi colligi; Nam confessarius proximè ante absolutionem à censuris, præmittit illam orationem, *Dominus noster Iesus Christus te absoluat,* per quæ tamen verba nondũ intelligitur pœnitens absolutus à censuris, donec audiat: *Ego te absoluo ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis,* &c. Ergo verba illa deprecatoria de facto non sufficiunt ad absolutionem à censuris impertiendam.

102. Quintò obiici potest, quia iuxta cõmunẽ hominũ sẽsũ hæc verba, *parcat tibi Deus,* æquiualent his, *Ego parco tibi:* Itẽ qui dicit, *Deus ignosce illi,* eo ipso ignoscit ex parte sua: ergo sacerdos petẽdo à Deo quod ignoscat, & parcat, ipse etiam exprimit sufficienter se remittere, & consequenter adhibet validã formam: illa enim verba sufficiunt ad formam, quibus sacerdos significat sufficienter se remittere.

Respõdetur, illa verba, *parcat tibi Deus,* in rigore loquendo non esse formaliter condonationem loquentis, sed arguitiuè, quatenus arguimus, eum, qui desiderat cõdonationẽ Dei, condonare etiã ex parte sua. Cęterũ propriè loquẽdo, aliud est me condonare offẽsã, aliud verò desiderare quòd Deus ex parte sua cõdonet: cũ enim diuersũ sit ius Dei aduersus meũ debitorẽ, & offensorẽ à iure meo, possum ego desiderare, & petere, quod Deus remittat ius suum, & tamen simul velle retinere ius meum. Vnde sicut nec sententia iudicis valeret sub ea verborum formula, *Absoluat te Deus,* sic multò minus sententia sacerdotis valet, ad quam requiritur formalis

formalis absolutio, & non solùm arguitiua, vel interpretatiua.

Dices, in casu nostro non solùm arguitiuè, sed formaliter significari per illa verba condonationem ipsius Sacerdotis; nam Sacerdos non potest remittere aliud ius, nisi illud idem ius Dei, nec potest absoluere, nisi nomine Dei: ergo velle, quod Deus condonet, & absoluat, est velle, quod non maneat illud ius, & per consequens petere à Deo, quod parcat, est velle tollere illud ius, non solùm arguitiuè, sed etiam formaliter.

103. Respondetur, licet idem sit ius Dei, quod Deus, & sacerdos Dei nomine possunt remittere, adhuc non est idem, sacerdotem velle illud remittere, aut velle, quod Deus ipse remittat. Explicari hoc potest in confessario potente dispensare verbi gratia, ex facultate Pontificis in aliquo voto, vel absolute ab aliqua censura: adhuc hic sacerdos posset petere à Pontifice, vt ipsemet dispensaret, vel absolueret, & quidem non censeretur confessarius ille dispensare, vel absoluere, dicens, peto à Pontifice, vt dispenset tecum, vel absoluat te, aut dicens Pontifici: Beatissime Pater, dispensa cum hoc homine vel absolue illum, &c. quia nimirum, licet obiectum dispensationis, aut absolutionis esset idem respectu pontificis, & inferioris confessarij; actualis tamen dispensatio, vel absolutio esset diuersa, & possum ego desiderare, & petere, quod tollatur hoc ius per talem dispensationem vel absolutionem Pontificis, & nolle quod tollatur per meam. Similiter ergo posset sacerdos petere, quod Deus absoluat pœnitentem, absque eo quod velit ipsemet sacerdos eum absoluere.

104. Sextò obiici potest, quia non minùs benedicit formaliter sacerdos, dicens *Benedicat te Deus*, quàm si dicat, *benedico te*, imò communis formula formalis benedicendi est per modum deprecationis, ergo non minus absoluet formaliter, dicendo *absoluat te Deus*, quam dicendo, *absoluo te*.

Respondetur, negando consequentiam; nam *benedicere*, in sensu Ecclesiastico nihil aliud est, quam bonum precari, seu bona dicere ei quem benedicimus. Vterque ergo propriè; & in rigore benedicit, tam qui petit à Deo bona huic, vt quando Isaac dicebat: *det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ*, &c. quàm qui dicit *benedico te*. Nam hic etiam significat idem his verbis, scilicet, se petere, & desiderare bona ei, quem benedicit: absoluere verò aut remittere non ita se habent: non enim significat desiderium solùm, aut quod precemur veniam ei, quem absoluemus, sed actum potestatis nostræ, qua dicimus iure nostro, vel alterius, cuius personam gerimus: non ergo absoluit formaliter, 105. qui petit à Deo absolutionem alicuius.

Septimò obiici potest, quod supra tetigimus ex consuetudine sacerdotum Græcorum, qui verbis precatoriis absoluunt.

Respondetur, eum vsum non esse vniuersalem etiam apud schismaticos, grauiores enim, & petitiores addunt illa verba, *& ego habeo te absolutum*, quæ apud Græcos habent eumdem sensum, quem apud nos, *Ego te absoluo*, vt latè probat Petrus Arcudius *lib. 4. de Sacramentis Ecclesiæ orientalis cap. 2. de forma Sacramenti pœnitentiæ*: illi autem, qui solis precibus vtuntur, inualidè absoluunt, nec mirum, si in tenebris schismatis, hoc etiam errore 106. laborant.

Restat circa hoc breue dubium; an eadem verba, non in sensu deprecatiuo, sed imperatiuo prolata, *Absoluat te Deus*, sufficiant ad valorem formæ huius Sacramenti.

Respondeo breuiter, hanc formam posse esse magis dubiam, & quidem si diceretur, *absoluatis à me*, vel, *per me*, vel *absoluat te Deus per me*, &c. videtur omnino valida, quia satis significatur effectus, provt ab ipso absoluente procedit: Idem credo, si diceretur absolute: *Absoluatur seruus Christi*, sicut dici solet de illa forma Baptismi, *baptizetur seruus Christi*, quæ attribui solet communiter Græcis (sed immeritò, quia Græci non dicunt, *baptizetur*, sed *baptizatur seruus Christi*, &c.) illa tamen, *baptizetur*, & illa, *absoluatur*, esset valida; quia ibi imperatur ipse effectus, & per consequens significatur sufficienter actio ministri, & licet Nauarr. *de pœnit. d. 6. cap. in princip. n. 16. & 17.* differentiam ponat, quo ad hoc, inter Baptismum, & pœnitentiã, sed immeritò, & absque sufficienti fundamento. Illa verò, *absoluat te Deus* esset mihi magis dubia etiam in sensu imperatiuo, quia per illa verba videtur sacerdos non velle ponere immediatè effectum auctoritate sua, sed imperare Deo, vt ipse ponat, quod est valde diuersum; Explicarique potest exemplo supra posito. Si legatus Papæ verbi gratia, habeat facultatem absoluendi ab excommunicatione reseruata, poterit Papa aliquem excommunicatum vel per se ipsum immediatè absoluere, vel remittere ad legatum, cui præcipiat, vt eum absoluat, & quidem in hoc secundo casu Papa dicens, *absoluat te meus legatus*, vel imperans legato, *absolue hunc*, non censeretur absoluere, sicut nec è contra legatus dicens imperatiuè, *absoluat te Papa*, non absolueret, quia non imperaret immediatè effectu, provt à se, sed imperaret Papæ absolutionem. Sic sacerdos habet quidem potestatem ad ponendum effectum immediatè ex commissione Dei antecedenter facta,; non verò habet potestatem imperandi Deo, vt ipse Deus absoluat; nam licet exsequutio sententiæ, & productio gratiæ, qua te vera homo soluitur à peccatis, sequatur post absolutionem sacerdotis, non tamen sequitur sententia noua absolutionis; esset enim frustra, cùm prolata iam fuerit sententia à sacerdote nomine ipsius Dei. Vnde frustra imperaret Sacerdos Deo prolationem alterius sententiæ absolutionis supra eisdem peccatis.

Aliundè tamen videtur in aliquo sensu imperatiuo subsistere illam formam, quatenus sacerdos per illam non imperet nouam prolationem sententiæ sed exsequutionẽ ipsius, sicut si iudex reum detentum in carcere absoluat, per hæc verba, *Soluat te custos à vinculis*, valida erit sententia: similiter ergo sacerdos validè videtur absoluere, dicendo: *solnat*, vel *absoluat te Deus à vinculis peccati*, quibus teneris; hæc enim solutio vere mandatur exsequutioni à Deo per gratiam, quam producit in homine: esset autem illud imperium non proprium cùm homo non possit propriè imperare Deo, sed improprium, seu intimatio voluntatis facta ex potestate iudiciaria, quam ipse homo accipit à Deo: esset ergo fortassè valida illa forma in hoc sensu: adhuc tamen videretur dubia, & ideo omnino vitanda.

SECTIO V.

Vtrum absolutio Sacramentalis possit dari sub conditione?

SI conditio sit de præterito, vel de præsenti, cõstat inter omnes, absolutionẽ sub cõditione datam, validam esse, si cõditio posita sit, sic enim Baptismus confertur etiam sub conditione, *si non es baptizatus*, & absolutio posset ita conferri, quando sacerdos prudenter dubitat, an formam bene protulerit, &c. 107.

Tota difficultas est de conditione de futuro, vt si dicat, *Absoluo te si cras restitueris*, &c. In quo etiam

aliquid distinguunt inter conditiones necessarias, & contingentes, ac sub illis docet valere absolutionem, verbi gratia, *Absoluo, te si sol eras orietur*, non verò sub his.

Sed hæc differentia attento verborum rigore inutilis videtur, quia vtraque conditio pariter suspendit actum, vt benè notauit P. Coninch. *supra q.64.art.8.dub.2.n.61.* atque ideo vtraque conditio æquè impedit effectum Sacramenti de præsenti Dixi, *attento verborum rigore*, quia aliunde præsumi posset, illam conditionem adiici non ad suspendendum actum, sed ad declarandam certiùs intentionem, quasi diceret, *tam certò te absoluo, sicut est certus ortus solis.*

108. Dubium ergo est, an adiectio conditionis futuræ; qua effectus suspenditur, reddat inualidum sacramentum, an verò validum, sub conditione, qua adueniente incipiat absolutè habere valorem.

Non defuit modernus aliquis Theologus, qui id speculatiuè probabile esse dixerit, & stando in ratione, licet propter auctoritatem communem nõ sit practicè probabile. Fundamentum præcipuum desumitur ex Sacramento matrimonij, quod validè fit sub conditione honesta de futuro, sicut alij contractus; ergo & absolutionis sententia similiter prolata valida esset, sicut aliæ sententiæ iuditiales.

Adde, si absolutio consideretur, quatenus remissio est, & condonatio debiti, vel offensæ, debere etiam esse validam, sicut aliæ condonationes, & remissiones sub conditione de futuro validæ sunt conditione impleta. Denique cùm absolutio à censura sub conditione data sit valida, non apparet, cur id de absolutione à peccato negatur, cùm Christus pro forma Sacramenti huius absolutionem solam, seu remissionem Sacerdotis instituerit.

109. Cæterùm omnes Theologi communiter id negant, quod sequuntur Vasquez, *in præsenti dicto art.3.dub.4.* Suarez *tom.3.disp.13.sect.3.* Coninch. *loco citat*, & alij communiter. Rationes tamen pro hac sententia multæ afferri solent, quæ videntur parùm efficaces: Prima est, quia actus legitimi non recipiunt conditionem, neque, diem, vt habetur in Regul, *Actus legitimi.* De regulis iuris in sexto, ex *L. actus ff.* eod titulo. Glossa autem in dicta Reg. in 6. inter actus legitimos numerat sententiam iudicis: Ergo absolutio, quæ sententia est, non potest sub conditione proferri. Hæc tamen ratio est infirma. Primò, quia illa Glossa matrimonium etiã numerat inter actus legitimos, qui non admittũt cõditionem; Cuius tamen contrarium verius est, vt mox dicam. Secundò quia Glossa in c *Biduum 2.q.6.* vbi prohibetur sententia sub cõditione proferri, notat, id debere intelligi de sententia solùm definitiua, & adhuc hanc prolatam sub conditione valere, licet id fieri prohibeatur. Denique etiamsi esset nulla, adhuc id totum esset ex iuris prohibitione, non ex natura rei, quare in Sacramento pœnitentiæ sententia etiam lata sub conditione ex natura rei esset valida.

110. Alij ergo, Secundò respondent, negando exemplum, quod affertur de matrimonio valido sub conditione de futuro: dicunt enim id repugnare etiam matrimonio, quatenus Sacramentum est quia Sacramentum non potest esse, nisi quando est materia, vel forma ipsius, matrimonium autem sub conditione celebratum non esset Sacramentum, quando celebratur, cùm adhuc maneat suspensum, & deficiente conditione, non subsistat; sed neque adueniente conditione potest tunc incipere esse Sacramentum, quia iam tunc non est materia, aut forma ipsius: nunquam ergo erit Sacramentum. Ita Suarez, Vasquez, & alij multi.

Cæterùm licet hæc sententia propter auctoritatem communem Theologorum sit probabilis, contraria tamen est multò verior, quam cùm communi Canonistarum, & aliis multis docet latè Thom. Sanchez, *lib.5.de matrim.disp.8.* P. Coninch *vbi supra dicto dub.2.* & infra *disp.29.n.13.* & alij multi; quia Christus non variauit naturam contractus in matrimonio; sed solùm illam, qualis in se erat, eleuauit ad rationem Sacramenti: si ergo priùs contractus ille erat validus, sicut alij contractus, etiamsi fieret sub conditione, non minùs erit validus in ratione sacramenti, imò vt benè probat Sanchez ibi, communiter celebratur sub aliqua conditione in rigore loquendo: nam primus contrahens non præstat suum consensum omnino absolute, sed sub conditione si alter consenserit, atque adeo suspenditur consensus ipsius vsque ad consensum alterius, quo posito, statim prioris consensus fit absolutus; ergo præstitus etiam sub qualibet alia conditione, poterit fieri absolutus posita illa conditione absque aliquo alio.

Matrimonium valet sub diuersis de futuro.

Tertiò probant aliqui nostram conclusionem, quia licet id fieri possit in matrimonio, non tamen in Sacramento pœnitentiæ, in quo ante aduentum conditionis posita esset iam tota materia, & forma Sacramenti; quibus positis vt dicebamus, non potest suspendi effectus Sacramenti: in matrimonio autem ante aduentum conditionis non est posita tota materia, quia nondum est positus consensus absolutus, qui tamen requiritur, vt materia in illo Sacramento: Vnde non est mirũ si nondum sit positum Sacramentum, nec eius effectus. Ita P. Coninch. *vbi supra dict. art.82.& 87. & dicta disp.29.* 111.

Hoc etiam nisi explicetur, non videtur satisfacere; quia non minùs requiritur ad Sententiam, vel ad remissionem validam, consensus Iudicis, vel creditoris remittentis: quam ad valorem matrimonij consensus contrahentis; ergo sicut in matrimonio ob defectum consensus absoluti, nondum est matrimonium, nec contractus, donec ponatur conditio; sic in absolutione conditionali ante aduentum conditionis non erit absolutio, nec remissio ob defectum consensus absoluti, & per consequens nec erit Sacramentum ante conditionem expletam, quia nondum est absolutio perfecta, quæ est forma Sacramenti; sicut nec datur matrimonium ante aduentum conditionis, quia nondum est consensus absolutus ex presſus, posita verò conditione, sicut matrimonium incipit iam esse contractus, & Sacramentum, quia incipit dari consensus expressus absolutè, sic incipiẽt esse Sacramentum pœnitentiæ, quia incipit dari absolutio, & remissio expressa absolutè, quę priùs non erat ab defectum consensus absoluti, in absoluente. Et quidem non est cur magis consensus dicatur materia in Sacramento matrimonij, quàm consensus absoluentis dicatur materia, vel forma in pœnitentia; cùm in vtroque requiratur essentialiter, & eodem modo Siue autem dicatur, vel non dicatur materia, aut forma, negari non potest, requiri essentialiter in vtroque Sacramento. Quare sicut ex eius defectu non subsistit Sacramentum matrimonij ante conditionem expletam, eo quod consensus sit essentialiter requisitus ad illud, sic propter eiusdem consensus defectum non subsisteret Sacramentum pœnitentiæ ante expletam conditionem: post illam verò subsisteret, quia ponitur pars illa essentialis, quę deerat, sicut in matrimonio.

Quarta ratio est P. Vasquez *vbi supra n.8.* qui probat nostram sententiam ex eo, quod conditio illa, sub qua daretur absolutio, vel esset impertinens ad

ad absolutionem, v.g. *Absoluo te, si Imperator cras venerit ex Germania*: & talis absolutio esset omninò inualida, quia non est credendum, Christum reliquisse potestatem ad absoluendum sub tali conditione impertinenti: vel conditio est pertinens ad dispositionem debitam verbi gratia, *Absoluo te, si doleueris de peccatis*, &c. & tunc etiam absolutio erit nulla, quia absolutio, cùm sit iudicium de causa pœnitentis, supponit dispositionem: si enim Sacerdos non cognoscit prius dispositionem pœnitentis, non est valida eius sententia.

115. Hæc ratio vndequaque videtur debilis. Primò, quia licet conditio apposita de præterito sit ex impertinentibus; adhuc forma erit valida, v.g. *Ego te baptizo, si pater tuus fuit baptizatus*, de qua forma nemo dubitabit, si conditio verificatur: ergo quod conditio sit impertinens; non tollit valorem formæ: cur ergo addita eadem conditio de futuro tollet? Deinde falsum etiam videtur, quod supponit, scilicet, absolutionem esse nullam, si confessor prius non cognoscat dispositionem pœnitentis: nam si Sacerdos ex inaduertentia non attendat ad doloré pœnitentis considerandum, vel ad sufficientiam propositi; vel quia existimat minorem dolorem sufficere vel nullum requiri, vel quia fortasse ex verecundia non audet negare absolutionem, licet non credat pœnitentem esse dispositum habet tamen intentionem absoluendi quantum potest, absolutio quidem videtur valida, si verè pœnitens re ipsa habebat dispositionem sufficientem. Denique in illa ratione non numerantur sufficiéter omnes conditiones, quæ possunt de futuro in absolutione apponi; potest enim apponi conditio aliqua, quæ nec sit impertinens, nec etiam sit de dispositione prærequisita absolutionem, sed de obligatione consequenti adimplenda, v.g. *absoluo te, si ieiunaueris cras in pœnitentiam, vel si restitueris*, &c. quæ conditiones non sunt de dispositionibus prærequisitis ex se ante absolutionem.

116. Aliam ergo rationem adducit idem Vasquez ad idem probandum *num.* 6. & 7. quia, scilicet, voluntas illa conditionalis de futuro, licet videatur sonare voluntatem præsentè, est tamen voluntas potiùs ponenda de futuro, quando conditio ponetur: quare dicere, *ego te absoluo, si cras restitues*, est dicere: *ergo cras te absoluam, quando restitues*: posita autem conditione, debet ex vi prioris voluntatis poni alia noua volutatis saltè virtualis, & interpretatiua; quia qui dixit priùs, *Ego te absoluo sub conditione*; eo ipso impleta conditione; dicitur virtualiter manere in priori voluntate. In Sacramentis autè non sufficit virtualis, & interpretatiua voluntas, nisi adsit formalis, & præsens saltè confusa; ergo consensus ille, seu voluntas solùm sub conditione posita non est sufficiens ad valorem Sacramenti: vnde infert Vasquez, idem esse dicendum de Sacramento matrimonij, sub conditione celebrato, quod peculiare dicit esse in contractu matrimonij, vt propter suâ excellentiam sic purum requirat consensum.

117. Hæc tamen ratio sic explicata videtur adhuc infirma. Primò quia supponit aliquid minùs verum in matrimonio, in quo; licet sit Sacramentum, sufficit illa voluntas conditionata, quæ postea virtualiter perseuerans transit in absolutam, vt ex probabiliori sententia supposuimus.

Secundò quia idem argumentũ fieri potest etiam in eodem matrimonio; quando absolutè celebratur, prout communiter fit; nam voluntas primi coniugis non perseuerat physicè, sed virtualiter solùm, quando consentit secundus; & tamen tunc habet suum effectum prior voluntas, quia dum non reuocatur; manet virtualiter: si autem reuocata fuisset etiam interiùs, non valeret matrimonium; quia iam non maneret virtualiter prior voluntas, ergo sufficit voluntas manens virtualiter ad Sacramentum matrimonij.

Tertiò non adducitur ratio aliqua, cur alij contractus validè fiant per solam voluntatem præteritam, vt virtualiter manentem; matrimonium autem non valeat.

Denique cùm Christus ad Sacramentum pœnitentiæ requirat absolutionem, seu remissionem Sacerdotis; remissio autem in aliis debitis possit fieri sub conditione, & reddi valida, quando impletur conditio; non apparet, cur similis voluntas non sufficiat ad verificandum, quod Sacerdos absoluit, & remittit.

118. Possumus tamen hanc rationem aliter applicare, & supposita traditione, & vsu Ecclesiæ, in qua nunquam hoc sacramentum confertur sub conditione de futuro, rationem discriminis reddere inter ipsum, & matrimonium. Et quidem omnes debemus fateri, non bene argui à Sacramento matrimonij ad absolutionem Sacramentalem: si enim illud argumentum esset bonum, posset etiam aliquis colligere, posse absolutionem dari in scriptis, vel per internuncium; sicut matrimonium potest vtroque modo celebrari: rursus posse Sacerdotem per nutum absoluere absque verbis realibus, posse etiam per procuratorem, sicut coniuges possunt contrahere matrimonium, quæ omnia absurda sunt: non ergo possumus arguere ab vno ad aliud Sacramentum, quia illa omnia specialia sunt in matrimonio, in quo (vt diximus) Christus non mutauit contractum humanum, sed illum omnino, qualis in se erat elegauit ad rationem Sacramenti, quare cùm priùs posset iis omnibus modis fieri; sic etiam poterit postquam est Sacramentum; in aliis verò Sacramentis Christus instituit de nouo quosdam peculiares ritus, & cæremonias sanctas, quibus coleretur Deus, & daretur gratia.

119. Adhuc autem finem propter multas rationes Christus noluit, nutum, aut aliud genus verborum æquiualentium, & virtualium adhiberi, sed verba propria, & realia humana voce prolata. Vnde fit, quod absolutio data sub conditione de futuro non valeat, etiamsi ponatur postea conditio: quia verba realia non fuerunt prolata absoluta, sed conditionalia, quæ licet posita conditione, transeant in absoluta; hoc tamen non fit per positionem realem verborum absolutorum, sed per positionem virtualem, quatenus priora verba non secuta reuocatione, & posita conditione, censentur moraliter; seu virtualiter manere, & proferri absolutè absque conditione: hoc autem totum non est aliud, nisi prolatio virtualis verborum absolutorum: cùm ergo in aliis Sacramentis præter matrimonium non sufficiant verba virtualia, sed requirantur realia, sicut non sufficiunt mutus, aut scriptura, consequens est, vt neque sufficiant illa verba absoluta virtualia, quæ dantur impleta conditione, sed requirantur verba absoluta realia & formalia. Quod itaque P. Vasquez dicebat de voluntate formali requisita ad Sacramenta, ita vt non sufficiat voluntas virtualis, & moraliter manens: hoc nos dicimus de verbis, quæ ad Sacramenta alia præter matrimoniũ requirũtur ex Christi institutione formalia, & realia, nec sufficiunt verba virtualia, aut æquiualentia, quod colligimus ex vsu Ecclesiæ, & ex absurdis, quæ sequuntur, nimirum posse dari absolutionem per nutum, scripturam, internuncium, &c. Quæ sunt verba virtualia.

Similiter neque ex eo, quod absolutio sit sententia iudicis, colligi potest, quod dari possit sub conditione de futuro; nam dato, quod aliæ sententiæ eo modo proferri possent; non licet etiam arguere ab aliis sententiis ad hanc, vt constat, quia aliæ sententiæ possunt etiã scripto proferri, & per Notariũ ex præcepto iudicis: quæ omnia in absolutione Sacramentali non habent locum. Ratio autem est, quam diximus; quod, scilicet, Christus non instituit sententiam vtcumque, sed sententiam taliter prolatam per talem ritum, & formulam verborum, non æquiualentium, sed formalium, & realium, vt dictum est.

121. *Alij contractus, non simoniali di sub conditione, sicut matrimonium.*

Solum restat difficultas supra tacta ex aliis contractibus, quorum exemplum, si aliquid probat; videtur etiam probare, quod matrimonium initum sub conditione de futuro validũ fiat impleta conditione; etiamsi alter coniux ante aduentum conditionis suum consensum reuocauerit; nam cæteri contractus validi sunt in eo casu, quantumcumque contrahens reuocet consensum ante conditionem impletam, Hoc autem in matrimonio nemo concedit, vt fatetur Sanchez *vbi supra num.* 1. Ergo fatendum est, hoc prouenire ex eo, quod matrimonium sit etiam Sacramentum, nullum autem Sacramentum recipi potest validè contra voluntatem absolutam recipientis: nam si consideraretur solùm, vt contractus est, non apparet, cur in ipso non deberet seruari regula aliorum contractuum, quod si hoc verũ est, iam videtur non subsistere principium à nobis positum, quod, scilicet, Christus eleuans matrimonium ad rationem Sacramenti noluit alterare contractum, sed qualis priùs ex se erat, talem omnino reliquit. Si autem alterauit in aliquo, potest consequenter dici quod eodem modo alterauit, quoad eius valorem, quando sub conditione fieret, vt in hoc etiam sequeretur regulam aliorum Sacramentorum.

122. Respondent aliqui in aliis contractibus, quantumcũque aliquis reuocet consensum ante impletam conditionem, valere contractum, adueniente conditione, quia ius supplet consensum actualem, qui tunc deficit: in matrimonio tamen non supplerí eiusmodi consensum; non quia Sacramentum est, sed propter naturam, & excellentiam talis contractus, in quo respublica non potest supplere consensum contrahentium. Ita videtur docere Victoria *in relect. de matrimon. in 2. puncto 1. part.* nam licet ipse doceat, matrimonium sub conditione de futuro non valere, nisi postea confirmetur, & reperatur consensus; dicit tamen, alios contractus validos esse ex legum auctoritate supplente consensum actualem: eamdem etiam solutionem sequitur Sanchez *d. disp. 8. n. 8.*

123. Hæc tamen doctrina difficillima semper visa mihi est; neque enim in quam inuenimus, humanum ius quoad hoc specialiter derogasse iuri naturæ, aut voluisse supplere consensum in aliis contractibus: sed potiùs si validi sunt, valent vtique ex natura sua, quod apertè constat in voto sub conditione de futuro emisso. Si quis enim voueat castitatem sub conditione, si Petrus saluus redeat; redeunte Petro, reus erit voti, quantumcumque consensum retractauerit ante impletam conditionem. Nec vllus cogitauit, valorem illius voti prouenire ex dispositione iuris Canonici supplente consensum; sed omnes fatentur id prouenire ex natura ipsius voti conditionalis, cuius obligatio conditione posita, transit in absolutam. Ergo idem dicendum est de aliis contractibus humanis, nam quoad hoc eadem est ratio de illis, ac de voto, nec minor consensus requiritur ad valorem voti, quàm ad valorem aliorum contractuum.

124. Vnde impugnatur facile doctrina, quam ibi supponit Victoria, scilicet, quod in contractu conditionali detur solùm promissio quædam contrahendi postea posita conditione, quia tota illa forma contrahendi est potiùs promissiua, quam effectiua contractus absoluti, vel translatiua dominij. Hoc, inquam, impugnetur ex illo exemplo voti conditionalis: nam si votum castitatis conditionale esset solùm quasi promissio quædam vouendi absolutè posita conditione, sequeretur, quod si aliquis reuocaret hanc voluntatem ante aduentum conditionis, vel ea posita nollet se obligare, peccaret quidem contra priorem promissionem, non tamen peccaret contra votum charitatis, si tunc haberet copulam illicitam etiam post conditionem impletam, quia reuera nondum fecit votum castitatis, sed promisit illud facere, quare haberet se sicut qui vouet ingredi religionem, & profiteri in illa, nam licet peccet contra hoc votum, non ingrediendo religionem, eius tamen peccata contra castitatem non habent specialem malitiam contra votum castitatis interim dum non facit professionem. Hoc autem dici non potest in casu posito de voto conditionali castitatis: omnes enim supponunt, impleta conditione, peccata contra castitatem habere specialem malitiam contra votum, licet prius reuocauerit consensum, ergo votum illud non fuit solùm promissio vouendi, sed verum votum castitatis ipsius, quod posita conditione transit in absolutum.

125. Aliter ergo ad obiectionem respondetur iuxta principia posita, matrimonium sub conditione celebratum esse nullum, si ante aduentum conditionis reuocetur consensus, id tamen non prouenire ex eo, quod sit Sacramentum, sed ex natura specialí talis contractus. Nam vt bene notauit Suarez *tom. 3. de Relig. lib. 6. de profess. religios. cap. 12. num. 18. & seqq.* Contractus, non omnes habent eamdem naturam. Alij enim sunt, qui solum ponunt de præsenti, quando fiunt, obligationem, non autem traditionem, aut exequutionem obligationis, & in his potest poni obligatio præsens respiciendo tempus futurum aut exequutionem ponendam post aduentum alicuius conditionis, & eiusmodi contractus facti sub conditione validi sunt, licet ante aduentum conditionis reuocetur consensus; manet enim obligatio semel contracta ad faciendum aliquid, quando ponetur talis conditio: sicut si ego hodie promittam tibi dare cras librum, obligatio est iam præsens hodie ad actionem crastinam, atque adeo non possum hodie reuocare meam promissionem, nec ea reuocatio reddit inualidum contractum, & quidem in hoc genere sunt vota conditionalia, & alij contractus regulariter loquendo. Alij autem sunt, qui, dum fiunt, non solùm ponunt obligationem ad aliquid futurum, sed afferunt secum essentialiter eius exequutionem, & traditionem rei, quare non possunt fieri in solum tempus futurum, aut sub conditione futura. Talis videtur esse traditio possessionis, quæ cùm sit essentialiter præsens, non potest nunc dari pro tempore solùm futuro, aut sub conditione futura, quia esset præsens exequutio, & non esset præsens, Tale autem videtur esse matrimonium, quod non est promissio vtcumque in futurum (vt sic enim essent sponsalia) sed est contractus essentialiter afferens ex se exequutionem præsentem, & traditionem actualem vtriusque coniugis; quæ omnia si actualiter non afferat, non erit contractus matrimonij, sed alius diuersus, quem homines non intelligunt nomine matrimonij

trimonij,& qui non habet eosdem effectus, neque enim coniungit inseparabiliter,cùm adhuc non sint coniunges,& per consequens nec coniungit actualiter ante aduentum conditionis: talis est etiam in sententia eiusdem Suarez professio religiosa, quæ est quasi quoddam matrimonium spirituale coniungens actualiter professum cum religione coniunctione præsenti; atque adeò si fieret sub conditione de futuro, non esset valida, si ante aduentum conditionis reuocaretur consensus.

116. In his, quæ Suarez docet conuenio facilè cum ipso: addit tamen ille, & colligit, etiamsi non reuocetur consensus ante aduentum conditionis, matrimonium, vel professionem non subsistere in ratione matrimonij, vel professionis, nisi post positam conditionem, ponatur iterum actualis consensus; quia ille consensus antea præstitus, cùm esset in futurum, non erat sufficiens ad talem contractum, qui essentialiter exigit fieri de præsenti, atque adeo solùm potuisse illum valere in ratione promissionis, qua se obligauit homo ad contrahendum matrimonium, vel ad profitendum posita tali conditione.

117. Hæc tamen doctrina difficilis est, vt supra dixi, quia in rigore loquendo coniux non consentit in coniunctionem, & matrimonium omnino præsens sed futurum, quando alter coniux præstet suum consensum, qui præstatur post aliquam temporis morulam; & tamen absque alia confirmatione fit matrimoniũ per verba priora,quatenus adhuc moraliter perseuerant, ergo idem dici posset, etiamsi prolata fuissent sub conditione explicita.

118. Confirmatur, quia quando matrimonium fit per procuratorem, consensus non præstatur à coniuge absolutè,sed sub conditione,scilicet, *si procurator nomine meo postea consentiat*: consentiente autem postea procuratore nomine coniugis tunc fortasse dormientis, & ignorantis quid fiat, tunc coniux censetur absolute consentire: qui consensus tunc non est physicus, & formalis, sed moralis, & virtualis propter consensum præteritum non reuocatum,quo consensit in futurum, nempe in tempus, quo procurator postea consensum daret,qua conditione posita, iam ille consensus præteritus transit absolutum, & fi moraliter præsens. Vnde, si interim reuocatus fuisset, matrimonium non subsistere, quantumuis procurator consentiret: quod idem esset,si in amentiam incidisset, qui mandatum dedit procuratori. Omnes ergo debemus fateri, non esse contra valorem matrimonij, quod fiat per verba, quæ explicent consensum sub conditione de futuro.

119. Adhuc itaque retentis principiis P.Suarez possumus defendere valorem illius matrimonij sub conditione celebrati (& idem erit de professione,) quando voluntas prior non fuit reuocata, licet non repetatur consensus post impletam conditionem,quia licet antea non fuerit matrimonium; & licet ad essentiam matrimonij requiratur consensus in coniunctionem præsentem; posita tamen conditione incipit esse talis consensus in coniunctionem præsentem non quidem physicè, sed moraliter,&virtualiter;nam consensus præteritus sub conditione præstitus, & verba quibus expressus fuit postea dum non reuocantur, censentur moraliter, & virtualiter permanere & transire in consensum,& in verba absoluta,ex vi quorum,vt nunc existentium,& præsentiũ, fit nunc contractus matrimonij,ad cuius essentiam diximus supra sufficere verba virtualia,seu æquiualentia,qualia dantur in hoc casu impleta conditione, quia ex non reuocatis verbis prioribus consurgunt moraliter verba similia præsenti absolutè prolata, quibus nunc sit illud matrimonium. Et in hoc differt ab aliis contractibus, quod alij communiter obligant etiam reuocato consensu ante positam conditionem; quia scilicet non obligant ex vi voluntatis præsentis moraliter permanentis, (hæc enim moralis permanentia tollitur per reuocationem) sed ex vi prioris voluntatis quæ iam tunc obligabat ab initio in ordine ad tempus futurum:at verò in matrimonio, de cuius ratione est obligare in ordine ad tempus præsens, quo fit non potuit talis obligatio oriri ex solis verbis præteritis;illa enim vt præterita non possunt facere matrimonium, sed debet oriri ex eisdem, vt nunc sunt præsentia moraliter per negationem reuocationis, quatenus qui manifestauit suum consensum ad diem crastinum, postea non reuocat, censetur eras perseuerare in eâdem manifestatione & consensu, & tunc perficere matrimonium per illum consensum, & per illa verba, vt tunc moraliter perseuerant.

Hinc tamẽ redire iterũ videtur difficultas princi- 129.
palis supra posita de absolutione Sacramentali: nam alij contractu communiter sub conditione de futuro facti,validi sunt (vt diximus) ex ipsa rei natura sequuta conditione, etiamsi consensus reuocetur ante conditionis aduentum, quia nimirum obligatio nascitur ex verbis præteritis, quæ obligabant ad futurum: idem ergo dicendum erit de conditione debiti, quæ videtur esse species quædam donationis, atque adeò qui remittit debitum sub conditione de futuro, etiamsi reuocet voluntatẽ ante conditionem; ipsa tamen aduenientẽ,obligatur,nec potest debitum repetere, ergo remissio offensæ facta etiam conditionaliter valebit, & habebit effectum,non quatenus postea virtualiter perseuerat, sed quatenus ab initio posita fuit, obligauit in ordine ad tempus futurum. Non ergo potest iam excludi valor absolutionis conditionalis illo capite,quod illam supra reiecimus, quia nimirũ verba virtualier,& æquiualenter solùm existẽtia non sufficiunt ad formã huius Sacramenti:nã in hoc casu forma nõ erunt verba, vt æquiualẽter, & virtualiter existũt,sed vt physicè, & realiter extiterunt,quando prolata sunt. Tunc enim incepit obligatio creditoris remittentis debitum, licet nõ remitteret in ordine ad illud tempus, sed ad aliud post aduentum conditionis. Sicut etiam votũ castitatis factum sub conditione obligat conditione impleta,non quatenus tunc moraliter sit, & virtualiter permanens voluntas præterita (quid enim si interim fuerit reuocata?)sed propter ipsam promissionem realem,& formalem,quæ priùs præcessit,& obligauit in ordine ad hoc tempus.

Respondetur tamen ex dictis,duobis modis po- 130.
tuisse defẽdi valorem absolutionis Sacramentalis *Duo modi quibus absolutio sub conditione futura poterat defendi impugnantur.*
sub conditione futura,quorum vtrumque oportuit impugnare.Primus erat,dicendo absolutionem illã priùs præstitã sub conditione, postea aduenientẽ conditione manere moraliter, & virtualiter, sicut manent verba matrimonij,sub cõditione celebrati; atq; ideo posse postea subsistere Sacramentũ pœnitentiæ per illam absolutionem moraliter manentem, sicut subsistit matrimonium. Hunc autem modum explicandi impugnauimus supra eo argumẽto,quod non sufficeret ad Sacramentum pœnitentiæ forma verborum virtualium,aut æquiualentium, sicut sufficit ad matrimonium.

Secundus modus explicandi posset esse,qui nunc 131.
adducitur,dicendo Sacramentum pœnitentiæ subsistere per formam,& verba realia, & physica,quæ priùs prolata fuerunt,significando remissionem pro

tempore sequenti, sicut alij contractus conditionati subsistũt præcisè per obligationem priorem verborum, quibus homo se obligauit ad tempus subsequens.

132. Hic ergo secundus modus reiiciendus est alia via, scilicet, ex eo quod Sacramenta nouæ legis ex vi suæ institutionis hoc habent, vt alligentur ad eandem gratiam, vel effectum pro tempore ipso, pro quo ponuntur, vel applicantur, neq; enim potest Minister ponere totum, & Sacramenti, & velle suspendere eius effectum ad diem crastinum. Potest quidem suspendere effectum, differendo aliquam partem illius Sacramenti, vt si post auditam confessionem, differat absolutionẽ, vel post effusam aquã in Baptismo differat aliquantulum prolationem verborum: posita tamen materia, & forma cum intentione faciendi Sacramentum, non potest suspẽdere effectum, sed alligatur ad facienda solùm Sacramenta, quæ tunc operentur quantum est ex se, non quæ postea operentur tempore sequenti, nisi forte propter obicem, qui per accidens impedit. Hinc est non posse Sacerdotem consecrare Eucharistiam per hæc verba, *Hoc erit corpus meum*, sed solùm per hæc de præsenti. *Hoc est corpus meum*, & sic in aliis Sacramentis. Cùm ergo Sacerdos absoluens sub conditione, ponat tunc totã formã, & omnes partes Sacramenti non potest suspendere eius effectum ad tempus subsequẽs, hoc enim perinde esset ac si absolueret, dicens, *Ego te absoluo pro die crastina*, seu, *Ego ex nunc remitto tibi peccata pro die crastina*, quod quidem Sacerdos facere non potest quia solum accepit potestatem ad remittendum de præsenti, sicut & ad conferendam gratiam præsentem; seu alia Sacramenta.

133. Dices Sacerdos non solum absoluit à culpa per illa verba, sed etiam à pœna temporali saltem partialiter iuxta proportionem satisfactionis, quã imponit, & tamen ab hac parte pœnæ non absoluit absolutè: sed sub conditione satisfactionis postea implendæ de futuro, & per consequens suspendit quoad eam partem effectum absolutionis; ergo posset similiter eum effectum suspendere, quoad remissionem culpæ.

Respondetur, illum effectum expiationis pœnę temporalis non suspendi, sed poni etiam tunc quãdo ponitur Sacramentum: nam licet præcesserit absolutio, nondum erat posita tota materia illius Sacramenti, deerat enim adhuc satisfactio, quæ est pars materialis, & illa posita statim ponitur effectus, nec potest vlteriùs suspendi. Vnde si satisfactio posita fuisset ante absolutionem, vt aliquando fit, postea sequuta absolutione, non suspenditur vlteriùs ille effectus; quia iam positũ est Sacramentum quoad omnes partes, in nostro autem casu differetur effectus absolutionis post omnes partes Sacramẽti positas, quod diximus omnino repugnare.

Non ergo repugnat, absolutionem ferri sub conditione de futuro propter conceptum præcisum absolutionis, vel condonationis; nam absolutio à pœna est etiam condonatio, & absolutio, & tamen suspendit suum effectum, vsque ad positionem satisfactionis; sed repugnat ex eo, quod, Sacramenta nouæ legis, vbi primum ponuntur debent operari, nisi adsit obex, nec potest eorum effectus suspendi in futurum. A qua regula generali, non excipitur matrimonium; nam in hoc etiam quando fit sub aliqua conditione de futuro, non suspenditur effectus, sed ponitur, vbi primum ponitur matrimonium: matrimonium tamen ipsum non ponitur, donec, impleatur conditio, qua impleta, fit statim matrimonium per consensum, & verba virtualiter, & moraliter præsentia ex verbis præteritis non reuocatis, quæ verba cũ præsentia virtuali, & æquiualenti sufficiunt ad Sacramentum matrimonij, licet ad alia Sacramenta non sufficiãt.

Petes, quid si absoluat aliquis hoc modo, *Ego te absoluo, si Deus iam scit, te cras restituturum*? Tunc enim non suspenditur effectus, cùm conditio illa sit iã præsens, nam scientia Dei, si vnquam est, ab æterno est præsens. Omnes supponunt, id esse illicitum propter dubium, & periculum, cui Sacramentũ eo modo exponitur. Aliqui dicũt, etiã esse inualidũ, quia nõ minùs suspenditur effectus Sacramẽti per illã formam; nam semper manet in potestate pœnitẽtis restituere, vel nõ restituere, & per cõsequẽs facere, quod habeat, vel nõ habeat effectum absolutio; ergo adhuc manet effectus Sacramenti dependens à libertate pœnitentis, ita P. Coninch *in præsenti*. 134. *Absolutio sub conditione quam Deus nunc scit, præuidet an sit valida.*

Sed hæc ratio non videtur efficax, aliud enim est, quod effectus maneat suspensus, hoc est nondũ positus, & hoc non probat: aliud verò, quod effectus iam sit positus, sed dependenter à restitutione liberè postea ponenda, & iam præuisa, & hoc non videtur absurdum. Idem enim dici debet de scientia visionis Dei, & de reuelatione, & prædictione facta à Propheta, & aliis eiusmodi quæ licet pendeant ab obiecto futuro, verè tamen sunt, & existunt ante ipsum obiectum. Quare nunc est in mea potestate quod Deus viderit, vel non viderit me loquentem nunc: sed tamẽ iam ab æterno est visio meę loquutionis in Deo, quia ego nunc liberè loquuturus eram. Sic dici potest iam heri positum fuisse effectum illius absolutionis in casu nostro: quia tunc erat in Deo præscientia restitutionis hodiernæ liberæ ponendæ. & licet nunc sit in potestate pœnitentis non restituere, & per consequens impedire, ne heri fuerit valida absolutio, quia tamen ipse liberè restituet, fuit iam heri in Deo præscientia, & absolutio data sub conditione illius præscientiæ fuit valida. Nec video, quod maius absurdum sit in eo quod gratia hodie ponatur dependenter à restitutione futura iam præuisa, quàm quod ponatur hodie reuelatio, aut assensus fidei supernaturalis de obiecto libero futuro dependenter etiam à libertate hominis, qui posturus est liberè tale obiectum. Imo gratia etiam posita fuit aliàs nõ ponenda in Patribus antiquis dependenter à meritis Christi liberis præuisis, vt futuris; quare sicut postea erat in potestate Christi ponere, vel non ponere illa merita: sic videtur, quod erat in eius potestate impedire, ne fuisset gratia data antiquis Patribus, non enim data fuisset, nisi eius merita præuiderentur. 135.

Meritò ergo P. Suarez *3. tom. in 3. partem disp. 13. sect. 3. §. sed vrgebis*, fatetur, se non inuenire rationem sufficientem ad negandum tale Sacramentum fore validum, si reuera in Deo sit illa præscientia, sub cuius conditione confertur Sacramentum à Ministro.

Solùm potest obiici, quod si illa forma sub conditione tali est valida, & efficax, poterit etiam Sacerdos validè, & efficaciter applicare missam suam hodiernam pro illo, quem Deus nunc iam præuidet ipsi ablaturum primum stipendium pro Missa; nam hoc modo sacrificij fructus non manebit suspensus, sed statim applicabitur, cùm iam sit præsens illa Dei præscientia. Consequens autem videtur esse contra responsum Cardinalium Congregationis Concilij, quod affertur, & refertur apud Barbos. *tom. 1. de potestate Episcopali allegat. 24. num. 12.* Petrus Cenedo *in quæst. Canonicis quæst. 28. num. 6.* Aloys. Ricc. *in praxi part. 3. resol. 361. num. 3.* Homobonus *in exam. Eccles. part. 1. tract. 4 cap. 14. quæst. 230.* & alios 136. *An Sacerdos possit applicare missam pro illo quem Deus nunc præuidet ipsi oblaturum primum stipendium.*

alios, vbi ex consensu Pontificis prohibetur illa Sacerdotū consuetudo, tanquam periculosa, scandalosa, & præter vsum communem Ecclesiæ.

137. Respondetur, in puncto illo de applicatione Missæ sub illa conditione esse duas sententias satis communes: alteram concedentem, esse validam, alteram negantem. Priorem tenet Henriquez *lib. 9. de Eucharist. c. 21. n. 2.* & alij multi, quos refert Anton. Diana *tract. de celebrat. Missar. resol. 15.* Posteriorem verò sequitur ipse Dian. cum aliis, quos refert, quorum tamen plures non loquuntur de illo casu, sed de applicatione anticipata Missæ pro eo, qui postea primus venerit non referendo conditionem ad scientiam Dei iam præsentem. Et quidem, si prior sententia intelligatur cum moderatione quadam scilicet, quod Sacerdos applicet sacrum hodiernum, non indifferenter pro quocumque primo venturo, & ablaturo stipendium, sed pro primo, quem Deus iam videt oblaturum stipendium ad sacrum faciendum pro necessitate aliqua iam nunc existente, scilicet, pro aliquo iam nunc defuncto, non pro necessitate postea futura; tunc speculatiuè loquendo nihil est, quod impediat valorem talis applicationis, vt fateri videntur ipse etiam Aduersarij.

138. Ad illud verò responsum Cardinalium responderi potest. Primò reddi dubiam auctoritatem ipsius ex ipsis auctoribus, qui illud referunt, qui certè videntur sibi contradicere; dicunt enim, fuisse editum iussu Clementis octaui, cùm tamen dies ibi designatasit decima quinta Nouembris anno 1605. & Clemens mortuus fuerit tertia Martij eiusdem anni; sed reuera responsum fuit à Congregatione Concilij Tridentini iussu Pauli. Quinti ad interrogationem Cardinalis de Gueuara Archiepiscopi Hispalensis, vt dixi *dist 19. de Eucharist. sect 10.* Admisso itaque illo, respondeo, merito ibi prohiberi consuetudinem illam tanquam periculosam, quia sæpè sæpius occurrere posset, quod necessitas illa, pro quo postea Missa petenda est, nondum sit præsens, quandos Sacerdo Missam applicat, & per consequens non prosit illi, qui postea offert stipendium. Vix enim continget, quod iam tunc sit præsens tota necessitas, cui postea petens Missam, vult subueniri, nisi quando petitur pro mortuo (vt dixi) qui iam tunc esset mortuus. Nam si pro viuo offerretur, sæpè continget, illum priùs non fuisse capacem percipiendi fructum, vel quia erat in peccato mortali, vel quia non indigebat satisfactione, vel quia si indigebat pro aliquibus culpis venialibus, nondum tamen de illis dolebat, & per consequens non poterat liberari à reatu pœnæ per sacrificium quandiu non liberabatur à reatu culpæ per pœnitentiam. Meritò ergo prohibetur in praxi illa applicatio tot periculis exposita; vnde ipsimet Authores primæ sententiæ fatentur illam in praxi debere à Prælatis prohiberi, vt notat Henriquez *vbi supra n. 1. in fin.*

139. Denique per illam anticipatam applicationem, minuitur ad minùs fructus, si non qui prouenit ex parte Sacerdotis offerentis; ille tamen, qui prouenit ex parte offerentis stipem, qui etiam petendo Missam, & dando eleemosynam concurrit aliquo modo, & offert illud sacrificium cum Sacerdote, cui oblationi correspondet partialis fructus, vt suppono ex tractatu de Sacrif. Missæ: In prædicto autem casu careret hoc fructu, non enim posset per petitionem hodiernam missæ concurrere ad offerendum Sacrificium, quod iam heri fuit oblatum, sed solùm ponit conditionem, sub cuius præuisione heri iam præsēti, aplicatus fuitei fructus respōdens oblationis Sacerdotis, qui tunc obtulit.

Hæc autem non tollunt, quod speculatiuè illa applicatio Sacerdotis tali modo facta habuerit tunc valorem, vt vidimus, & multò minus habent locum in quæstione nostra de forma Sacramentali sub tali conditione diuinæ præscientiæ prolatæ, licet vt benè aduertit Suare, modus ille ministrādi Sacramentum iniquissimus esset, & omnino contra reuerentiam Sacramentis debitam.

SECTIO VI.

Alia dubia circa eamdem formam absolutionis.

DVbitari potest Primò, quæ mutationes verborum reddant formam inualidam; Regula generalis est, illam mutationem, quæ non destruit sensum, sed retinet illum in æquiualenti, non nocere valori; è contra verò illam, quæ non retinet sensum eumdem saltem in æquiualenti, nocere. Descendendo autem ad aliqua particularia. Certū est primò non nocere; si aliquis auctoritatis gratia dicat, *Nos te absoluimus*, sicut loqui solet Summus Pontifex, vel si è contra reuerentiæ gratia dicat *Ego absoluo vestram dominationem, aut vestram maiestatem*, &c. 140. *Quæ mutatio reddat inualidam formam.*

Secundò constat ex supradictis, validā esse formam sine pronomine, *ego*, & sine illis vocibus, *à peccatis tuis*, Tertiò valida erit forma, si Sacerdos vrgente, v. g. necessitate plures simul absoluat, dicens, *ego vos absoluo*, &c. Quartò videtur omnino valida hæc forma, *ego remitto tibi peccata tua*, sicut & hæc, *condono tibi peccata tua*, sumitur enim ex verbis Christi, *quorū remiseritis peccata*, &c. Quintò videtur similiter valida hæc, *ego absoluo Petrum à peccatis*, si tamen ipse sit præsens, sicut & valeret hæc: *tu absolueris à me*; vel etiam, *Petrus absoluitur à me*; sic enim valet forma Baptismi, *baptizatur seruus Christi*, &c. atque ideo valeret etiam in voce actiua, *Ego baptizo hunc seruum Christi*, &c. 141.

Maius dubium potest esse primò si dicatur, *absoluatur seruus Christi*, &c. sed de hoc iam diximus *sect. 4.* si illa verba faciant sensum deprecatiuum, non valere; si verò sumantur imperatiuè, valere; quia licet non exprimatur explicitè persona Ministri, ex ipso tamen loquendi modo satis significatur; nam qui imperat, eo ipso videtur præstare actioni suam auctoritatem. Aliter tamen esset, si illa verba accipiantur in sensu optatiuo. Scilicet, *vtinam absoluatur*, vel *absoluaris*, nam per optatiuum non significatur effectus, vt in actuali exequutione. 142. *Variæ formæ de quibus dubitatur.*

Secundò est dubium de hac forma, *placet, quod absoluaris*, vel, *quod absoluatur hic homo*, vel, *iubeo Petrum absolui*. Quas formas valere docet Scotus cum aliis quos refert, & sequitur Vasquez *in præsenti q. 84. art. 3. dub. . n. 11.* quia illæ omnes sunt formulæ iudiciariæ, quibus vtūtur iudices ad proferendam sententiam in aliis materiis. Quare immeritò ea Scoti sententia reprehenditur ab vtroq; Soto, Caiet. & aliis, quos refert, & sequitur P. Henriquez in præsenti, *lib. 2. c. 13. n. 4. lib. 1.* 143.

Dicunt, in Eucharistia non fore validam illam formā, *fiat nobis hoc corpus, & sanguis Christi*, aut *iubeo, hoc esse Corpus Christi*, &c. ergo nec in pœnitētia valebit. Sed consequutio non est bona, quia in pœnitentia Sacramento non est determinata alia forma à Christo, nisi ea, quæ explicat actum absolutionis; vnde cùm iudices aliquando absoluant per illa verba, *absoluo te*, aliquando per illa, *iubeo hunc absolui*, seu, *placet, quando absolutus sit*, &c. hæc etiā sufficient in hoc Sacramento; in Eucharistia verò fuerunt à Christo determinata verba consecrandi-

crandi; quorum sensus valde mutaretur, dicendo, *iubeo, hoc est corpus Christi*. Aliud enim est enunciare, *hoc est corpus meum*, aliud imperare, vt cõstat.

144. Tertiò, quæritur de hac forma, *remittuntur tibi peccata tua*, & idem est de hoc, *absolueris à peccatis tuis*. Multis videtur insufficiens, eo quod oporteat explicare personam Ministri, quæ illis verbis non explicatur, nec obstat forma Baptismi Græcorum, *baptizatur seruus Christi*, &c, in illo enim Sacramento satis explicatur persona Ministri, cùm ipsemet suis manibus actu baptizet: at verò in Sacramento pœnitentiæ, cùm Sacerdos nullam actionem externam exerceat circa pœnitentem, oportet, vt verbis saltem explicet, se absoluere. Alij tamen illam formam admittunt, vt validam. Petrus de Soto *lectione 4. de confessione* Henriquez, *vbi suprà numero 4.* & alij. Probatique potest ex verbis Christi *Matth. 9.* & *Lucæ 5.* vbi dixit Paralytico: *remittuntur tibi peccata tua*. Quæ verba ab iis, quæ aderant in eo sensu accepta sunt quasi dixisset *remitto tibi peccata tua*: & ideo scandalizati sunt, dicentes, *quis potest dimittere peccata nisi solus Deus?* Christus autem approbauit sensum, in quo verba intellexerant, dicens: *vt autem sciatis, quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata*, &c. vbi clarè ostendit, verba priora, illum sensum habuisse, nec ipsos in hoc erasse, sed in eo, quod Christum iudicassent, tanquam sibi arrogantem potestatem quam non haberet. Denique hoc ipsum probat communis hominum sensus; nam si creditor debitori dicat, *remittitur tibi tuum debitum*; videtur omnino condonare. Item si Pontifex dicat, *datur tibi talis præbenda*, videtur eam conferre, aut si dicat, *dispensaris in tali impedimento*, vel, *irregularitate*, omnino dispensat, similiter si iudex dicat *Petrus damnatur ad mortem, propter tale crimen, Ioannes absoluitur*, &c. videntur sententiam validè proferre: ergo similiter in nostro casu Sacerdos qui iudex est, & gerit vices creditoris Dei poterit validè illis verbis proferre sententiam, vel condonare, &c. Propter auctoritatem tamen multorum, qui de illa forma dubitant, vel eius valorem negant, videtur adhuc dubia. Multò magis dubia esset illa, *remittuntur peccata*; nam sicut verbum, *absoluo*, absque pronomine, *te*, vel alio æquiualenti, non sufficeret; ita nec prædicta verba absque illa particula, *tibi*, vel, *tua*, vel alia æquiualenti, propter eamdem rationem.

145. Denique illud, quod aliqui addunt, *ego auctoritate Papæ absoluo te à peccatis, de quibus contritus, & confessus es*: reprehenditur communiter à Theologis, & merito videatur Petrus de Soto *libro 2. de confessione*, Gersonius *Alphab. 33. tractat. de absolutione Sacramentali*. Dominic. Soto & Nauarr. quos refert Henriquez *vbi supra littera A.* & quidem in illis verbis, *auctoritate Papæ*, minus esset periculi, maximè quando à peccatis mortalibus absoluitur, cùm ab ipso omnis iurisdictio deriuetur in alios confessarios: licet verè impertinentissima sint: in illis autem verbis, *de quibus contritus es*, maius est periculum: quid enim si contritionem non habuit, sed attritionem? Imò in sententia satis communi absolutio est valida etiam absque perfecta attritione in aliquibus casibus, in quibus Sacramentum sit informe. Addunt tamen Doctores, piè interpretandam esse mentem confessarij in prædicto casu, vt non velit dependentem facere valorem absolutionis ab illa conditione, sed potiùs absoluere ab omnibus peccatis, in quantum potest.

Cæterùm Sacerdos videtur contrarium verbis 146.
suis significare, nec facile apparet, quomodo, possit contrariam verbis intentionem habere. Aliter posset valor talis absolutionis defendi, dicendo, quod nomine contritionis intelligat quemcumque dolorem, siue contritionis perfectæ, siue attritionis, siue etiam attritionis imperfectæ. Illa verò verba *à peccatis, quæ confessus es*, videtur aliquibus duriora, quia iam non extenderetur absolutio ad ea peccata, quorum inculpabiliter oblitus est pœnitens, & quæ non est confessus. Hoc tamen non multum vrget, quia absolutio directè, & ex intentione confessarij, cùm sit sententia Iudicis; sufficit, si directè cadat supra peccata declarata in confessione; ad alia enim tendit indirectè propter connexionem, quam habet remissio vnius peccati cum remissione omnium mortalium; ad hoc autem non requiritur, quod ex intentione confessarij dirigatur.

Secundò dubitari solet circa absolutionem Sa- 147.
cramentalem, an possit conferri absenti? Et quidem *An possit conferri in absentem.*
olim ante Clementem VIII æstimabatur probabilis sententia affirmatiua, quam docuerent antiquiores Palud. Anton. Syluester, Summa Confessor. Margarita Confessor. Armilla, Tabiena, Raynerius, Petrus de Tarantasia, verque Soto, ex aliis verò Nauarr. Adrian. Palatios, Richard. Maior, Alex. Rutilius, quos referunt, & congerunt P. Suarez *in præsenti disputat. 19. sect. 3.* & P. Coninch. *in præsenti disputat. 4. dubitat. 10.* & *in opuscul. de absolutione moribundi num. 33. & sequentibus.*

Contraria tamen sententia est iam omnino cer- 148.
ta, quam plures, etiam ex antiquioribus docuerũt, quos referunt, & sequuntur Suarez & Coninch. *loc. cit.* Tolet. etiam *in summ. c. 6.* Valentia *in præsenti disp. 7. q. 11. p. 1. § quod autem.* Vasquez *in præsenti q. 91. art. 4. dub. 1.* Steqh. Fagundez *de præcept. Eccles. præcept. 2. lib. 2. cap. 10.* & alij omnes Recentiores. Nec potest iam de hoc dubitari, postquam Clemens Octauus contrariam doctrinam, & eius praxim sub ex communicationis pœna prohibuit. Quomodo autem ex verbis illius decreti inferatur defectus valoris, dicam *disp. 17. sect. 4.*

Rationes pro hac sententia plures afferri solẽt Præcipuè hæ sunt Prima ex vsu Ecclesiæ, quem declarauit Clemens Papa in prædicto decreto; in ritu autem Sacramentorum necessariò, debemus omnino stare vsui Ecclesiæ, tanquam firmissimæ regulæ, & interpreti institutionis Christi. 149.

Confirmatur, quia si semel admittas, absolutionem posse conferri in absentia, eo quod Christus solùm dixit, *quorum remiseritis peccata*, &c, Et quia illa absolutio in absentia est vera remissio, pariter poteris concedere, ordinationem posse confici nutibus, vel scriptura; non enim minus explicat voluntatem tradendæ potestatis hoc modo Episcopus quàm vocibus: posset etiam Sacerdos vngendo infirmum orare non vocibus, sed scriptis, non enim minùs potest quis orare, & loqui cum Deo scribendo, quàm vocem proferendo, & aliunde Iacobus Apostolus solùm dixit, quod Presbyteri vngentes oleo orent, &c. Cum ergo hæc omnia non admittantur, quia sunt contra Ecclesiæ vsum exigentem voces, sic nec debet admitti absolutio absenti data propter eamdem rationem.

Secunda ratio ab exemplo aliorum Sacramen- 150.
torum, quæ omnia (vno matrimonio excepto) contici debẽt in præsentia subiecti, cui conferũtur. Debemus autẽ arguere in Sacramento pœnitentiæ ab aliis potiùs Sacramentis, quàm à matrimonio: quia si

si liceret arguere à matrimonio, sequeretur, posse etiam absolutionem dari absque verbis: per scripturam, aut per procurationem, vel nuncium, vel etiã nutibus, sicut fieri potest matrimoniũ. Cùm ergo hæc omnia non concedantur in absolutione; nec matrimonij exemplũ quidquã probat sic; nec valorẽ in absentia probauit, quia matrimoniũ (vt sæpè diximus) est contractus humanus, quẽ Christus reliquit in eodẽ prorsus statu, nec immutauit eius materiam, quando illũ ad rationẽ Sacramenti elenauit. Cætera autẽ Sacramenta instituit de nouo, quoad ritus peculiares, qui essent materia, & forma.

151. Dices, in aliis Sacramentis requiri ex parte materiæ ablutionem, vel manus impositionem, aut aliquid simile, quod circa absentem exerceri non potest; ideo alia non posse in absentia conferri, quod tamen in absolutione non inuenitur. Sed contra, quia licet in ordinatione v. g. requiratur traditio materiæ, non tamen requiritur existentia mataphysica inter materiã & formam sed coniunctio moralis, itavt proximè præcedant, aut sequantur verba. Ponamus ergo post traditã materiã statim ordinatum exire ex cubiculo illo, itaut non sit iam moraliter præsens, & tunc Episcopũ proferre formã dicendo, *diuina gratia ordinat talem in Presbyterum*, &c prout dicunt Græci; tunc non erit fundamentum ad negandum valorem illius formæ, nisi reducatur ad vsũ Ecclesiæ; vel ad, aliquid aliud quod nõ minùs habeat locum in Sacramentum pœnitentiæ, quàm in aliis?

152. Hinc potest colligi tertia ratio generalis, quia scilicet Sacramenta sunt cæremonię sacræ ad hoc institutæ, vt iis homines cõsecrentur Deo, initientur, sanctificentur, & benedicantur. Consecratio autẽ, aut benedictio nunquam fit, nisi in præsentia rei, quæ consecratur, & benedicitur: & in particulari in Sacramento pœnitentiæ peccator Sacerdotũ ministerio quasi benedicitur, dũ absoluitur, vt qui per peccatũ pollutus fuerat, per reconciliationẽ, & absolutionẽ Sacerdotalẽ quasi rebenedicatur (vt ita dicam) & iterum sanctificetur. Vnde hoc Sacramentum olim nõ conferebatur sine manus impositione Sacerdotis super caput pœnitentis, vt colligitur ex Cõcilio Carthagin. 3. *cap.* 32. & refertur in c. *Presbyter.* 26. *quæst.* 6. & ex Concil. Nicen. *canon.* 9. Imò Sacramẽtũ ipsum appellabatur, *manus impositio* vt constat ex August *lib.* 5. *de Baptismo cap.* 23. *& in psalm.* 146. super illa verba, *qui sanat contritos corde & alligat contritionem eorum, & libr.* 1. *de adulterinis coniugiis cap vltim. & libr.* 2. *capit.* 6. quæ manus impositio actio est benedicentis, & consecrantis, & licet matrimonij Sacramentum possit in absentia per procuratorem recipi, id tamen (vt diximus) specialissimum est in illo Sacramento, in quo nullum ritum Christus instituit, sed ipsam actionem profani contractus, qualis in se erat, elenauit ad rationem Sacramenti in hominibus baptizatis: vnde hoc solùm Sacramentum fit per verba: quæ ex se videntur profana, & nullam benedictionem, aut consecrationem sonant: in aliis verò Sacramentis verba, & actiones sonare videntur benedictionem, vt cùm dicitur: *Ego te baptizo in nomine Patris*, &c. *Signo te signo Crucis, & confirmo te*, &c. *Per istam sanctam unctionem indulgeat tibi Deus*, &c. *Accipe Spiritum sanctum, accipe potestatem offerendi sacrificium*, &c. In Eucharistia autem materia ipsa maximè, & solemniter consecratur, suscipiens verò consecratus postea per contractum, & sumptionem sacr. tissimi corporis Christi, Oportuit ergo ex generali ratione Sacramentorum, pœnitentem non nisi præsentem absolui, quomodo enim benediceretur, & consecraretur Sacerdotalibus cæremoniis, nisi ipsi Sacerdoti præsens esset?

Quarta ratio congruentiæ sumi potest speciali- 153.
liter ex institutione huius Sacramenti, cuius Minister debet, vt exactus Iudex ante absolutionem examinare, & cognoscere totum statum conscientiæ pœnitentis, quantum ipse pœnitens humano modo potest manifestare: oportet ergo, quod, dum absoluitur, sit præsens, quia alioquin fortasse habet aliquod delictum de nouo commissum, vel in memoriam renocatum post confessionem, quod explicare non potest dum absens est, ad quod periculum vitandum congruum fuit non posse absolui, nisi præsentem.

Dices, hoc periculum omninò cessat, quando pœnitens peracta confessione, amittit vsum rationis: Tunc enim, etiamsi absens esset, posset moraliter constare confessario de eius incapacitate ad nouum peccatum committendum.

Sed contra, quia in primis etiam tunc non po- 154.
terat scire Confessarius quod nunc iam non recuperasset vsum rationis, quando absens absoluitur. Denique licet in eo casu mataphysico cessasset periculum; ille tamen casus non potuit conuenienter excipi à regula generali: nam vel institutum fuisset Sacramentum, ita vt absolutio absentis esset inualida, nisi in eo casu, & hic modus non erat decens, quia institutio Sacramenti nõ debeat descendere ad casus adeo particulares & extraordinarios: vel ex vi institutionis solùm præciperetur confessario non absoluere, nisi præmisso examine omni humana diligentia facto: & hoc non inualidaret absolutionẽ, præsertim bona fide datã, etiã sine illo examine, & per consequens absolutio absentis valida fuisset sæpe præter illum casum; atque adeo daretur occasio arbitrandi, & absoluendi sæpius in absentia, aliquando culpabiliter, aliquando inculpabiliter, non præuio examine, quod præmittit tunc deberet, & posset. Cui periculo radicitus obuiabatur exigendo in vniuersum præsentiam pœnitentis ad valorem absolutionis.

Quintò denique probatur ex verbis formæ, quã 155.
tradunt Concil. Florent. & Trident. *Ego te absoluo*, &c. Quę quidem diriguntur ad personam præsentem. Nec satisfacit dicere, quod posset absoluit per alia verba dicendo, *absoluatur Petrus à peccatis*, &c. hoc, inquam, non satisfacit, quia mutatio formæ, vt sit valida, debet esse in verba æquiualentia quoad sensum: non æquiualent autem verba in sensu, si intelligantur de absente: vt constat ex forma Eucharistiæ, quæ quia concipitur per illa verba, *hoc est corpus meum*, non potest mutari in hęc verba, *illud est corpus meum*, quibus loquitur Sacerdos de pane magis distanti, variaretur enim notabiliter sensus formę. Similiter ergo cùm requiratur ex Conciliis talis forma, *ego te absoluo*: non potest mutari in verba, quibus agatur de homine absente propter eamdem rationem. Fateor, in præsentia pœnitentis validam fore illam formam *absoluitur*, *vel absoluatur Petrus*, &c. Sicut & in Baptismo valet, *baptizetur seruus Christi* &c. Quia tunc non variatur sensus. Nam loquendo de homine præsenti: perinde est dicere, *Baptizatur seruus Christi*, ac dicere, *baptizatur hic seruus Christi*, quia verba illa habent vim designandi præsentem eum, de quo tanquam de præsenti loquimur; At verò in absentia variaretur notabiliter sensus illorum verborum, ac per consequens non retineretur eadem forma, quæ, à Conciliis assignatur: Vnde in matrimonio, quod potest contrahi inter præsentes, vel etiam absentes, non determinantur pro forma illa verba, *accipio te in*

meam

meam,sed in communi desiderantur verba, vel nutus,aut aliquid, quo significetur internus consensus contrahentium,in aliis verò Sacramentis, quæ non nisi in præsentia conficiuntur,determinantur formæ, quæ eãmdem præsentiam significant, vt constat ex omnium illorum inductione.

156. Solet obiici factum S.Thomæ Cantuarienſis, quem refert Scotus *in 4.d. 17. q. vnic versùs finem* misisse ad Pontificem Romanum pro absolutione, quam historiam P. Suarez *in præsenti disp. 9.sect. 3.n. 3.* paulò aliter refert, quod scilicet in carcere detentus id fecerit,& *n. 8.* dicit,non esse authenticam, nec apud aliquem inueniri. Sed vera est, & certa,refertùrque ab omnibus scriptoribus in eius vita,vt constat ex Surio,& aliis;non tamen erat in carcere, nec petiit absolutionem Sacramentalem, sed à suspensione, qua ipsemet se punierat,suspendendo se à Missa celebranda, propter quandam conniuentiam,qua bona fide, & ex bono fine Regi promiserat consensum in re,ex qua periculum poterat imminere Ecclesiasticæ libertati. Absolutione verò summi Pontificis habita,celebrauit deinceps absque scrupulo.

157. Obiici etiam solet Cyprianus *epist. 13.* vbi per scripturam suam præcipit aliquibus in periculo existenti bus pacem dare, quam ab eo per litteras petierat. Sed in primis Cyprianus ibi non dicit; pœnitentes scripto petiisse absolutionẽ, aut confessos sua peccata(in quo aliqui Scholastici decepti sunt) sed Martyres scripsisse ad Cyprianum intercedentes pro iis,qui defecerant in fidei confessione,& rogantes eum, vt ipsos in communionem admitteret. Deinde ibi non est sermo de absolutione Sacramentali,sed de reconciliatione cum Ecclesia,à qua separati erant propter illam apostasiam: Vnde reconciliatio illa delegatur à Cypriano,Diaconis, si Presbyter absit, quod fieri non posset in absolutione Sacramentali: & ideo illa vocatur ibi pax,quia nimirũ eò tendebat, vt redirent in pacem cum Ecclesia, quæ meritò aduersus illos indignata fuerat.Deniq; nec illa absolutio quæcumque sit, fiebat in absentia,sed committitur facultas Presbytero,aut Diacono, vt in casu necessitatis absoluat,& reconciliet huiusmodi homines,in præsentia tamen,& manu eis imposita,Vnde potiùs retorqueri potest argumentũ,quod multò minùs possit absolutio Sacramentalis dari omnino in absentia,cum nec illa reconciliatio fieret,nisi in præsentia.

158. Tertiò solet obiici ex *c. Qualis* 30.quæst. 5.vbi dicitur, pœnitentiam adulteræ per scripturam recipiendam.Sed ibi in primis non agitur de absolutione danda in absentia.Deinde scriptura illa non erat confessio Sacramentalis,sed testimonium, vt certius constaret de resipiscentia illius & satisfieret scandalo fideliũ: sicut etiam nunc Inquisitores non solent reconciliare hæreticos, nisi in scriptis fateantur,& abiurent suam hæresim;quod totum (vt constat) non ordinatur ad forum Sacramentale,sed ad externum & iudiciale.

SECTIO VII.

Vtrùm forma absolutionis possit proferri à pluribus ministris?

159. SImilis quæstio tractari solet de Baptismo à Theologis cum S.Thoma *suprà q.67. art.6.* sed non est omnino eadem difficultas, vt ex dicendis constabit.Et in primis non est dubium, quod successiue possint plures Sacerdotes ab eisdẽ peccatis absoluere pœnitentẽ,qui iterum, & iterum eadem peccata clauibus subiiciat. Neque etiam videtur dubium, quod posset pœnitens,si ita vellet, diuidere peccata venialia, quæ sola confitetur, & vni Sacerdoti dare aliqua eorum pro materia absolutionis, & alteri alia atque ita facere, vt ministri etiam absoluerent partialiter, alter ab aliquibus, alter ab aliis peccatis, absolutione saltem directa: vnde inchoata confessione cum vno posset interrumpere aliquantulum, dum aleri confiteretur de aliis, obtenta absolutione, redire ad primum, & perficere confessionem,& obtinere absolutionem: quia cùm illa peccata non sint materia necessaria, non apparet, cur non possit illam diuidere,& partem subiicere huic Iudici, & partem illi. Quare consequenter posset vterque Sacerdos simul pœnitentem absoluere,singuli directè à peccatis sibi manifestatis, & singuli conficerent vnum Sacramentum pœnitentiæ distinctum constans ex partibus diuersis, vt constat. Imò in sententia eorum, qui dicunt posse aliquando superiorem ob iustam causam audire subditum solùm de peccatis reseruatis,& absoluere illum,ac mittere ad inferiorem, qui absoluat à non reseruatis; consequenter debet concedi, quod interuenientibus eisdem causis, posset simul Prælatus, qui sola reseruata audiuit, & inferior, qui audiuit alia, absoluere singuli directè ab iis,quæ audiuit,& indirectè ab aliis: non enim apparent maiora inconuenientia, sed fortasse minora, quàm si successiuè inferior post superiorem absolueret, cùm in vtroque casu dimidietur absolutio directa à mortalibus, & in secundo casu, licet dimidietur,& diuidatur in ordine ad absoluentem; non tamen diuidetur, quoad tempus; sed absoluetur simul directè ab omnibus peccatis. Denique non apparet, cur non possit dari saltem ignorantia inuincibilis qua tam pœnitens, quàm Sacerdos putet, posse licitè dimidiari, & diuidi confessio mortalium: qua ignorantia posita posset pœnitens confiteri aliqua mortalia vni confessa, & alia alteri,sicut diximus posse venialia, & absolui simul ab vtroque,quæ absolutio licita esset propter ignorantiam excusantam à peccato, atque etiam valida:quia quando ex iusta causa, vt obliuio,vel timore scandali, *&c.* pœnitens non dicit omnia mortalia, sed aliqua, adhuc valida est absolutio; quæ directè cadit super illa, sed indirectè supra alia. Difficultas ergo præsens potissimũ est, quando eadem peccata confitetur pœnitens duobus,vel pluribus Sacerdotibus, an possit ab iis simul absolui.

160. Et in primis non videtur dubium,quod absolutio vtriusque esset valida, si vterque simul perficeret prolationẽ formæ,& pœnitens esset dispositus, quia vtraque esset forma prolata à legitimo ministro super materiam debitam, & non esset maior ratio,cur vna absolutio haberet effectum,quàm altera. Dixi tamẽ,*si pœnitens esset dispositus*,qua cum ille modus accipiendi absolutionem à duobus, & confitendi simul vtrique sit contra Ecclesiæ consuetudinem, multi quibus consentit Suarez *in præsenti disp.8.sect.4.num.4.* putant esse illicitum, & posset ex hac parte deficere dispositio necessaria in pœnitente. Aliquando tamen cessat hæc ratio, vt si moribundo, qui confessionem perdidit,aduenãt duo Sacerdotes, & vterque illum sensibus destitutum absoluat,:vel si in naufragio,aut incendio aliquis multis Sacerdotibus præsentibus confiteatur, vt ab illis absoluatur, vel denique si bona fide id faceret existimans ita licere,in his enim, & similibus casibus locum potest habere hæc quæstio, & nunc dicimus,vtramque absolutionem concurrere ad gratiam sacramentalẽ,quia non est maior ratio de vna, quã de altera. Quod autẽ aliqui opponunt

nūt, repugnare duplicem causam adæquatam, quāvis esset illa duplex absolutio; facilè solvitur; Tum quia hæ non sunt causæ physicæ, sed morales, vt suppono ex tractatu de Sacramentis in genere. Tū quia licèt singulæ causæ in actu primo essent sufficientes, de facto in actu secundo attemperaretur concursus vnius propter præsentiam alterius, & causalitas, seu productio gratiæ non esset duplex sed vnica adæquata procedens ab vtraque causa; sicut quando de facto plures Sacerdotes consecrāt eādem hostiam; Tum denique quia in nostro casu faciliùs dici posset, singulas absolutiones habere suum effectum diversum, vt videbimus.

161. Hoc ergo supposito, dubitari solet primò, an in prædicto casu essent duo Sacramenta, vel vnicum tantùm, & quidem de Baptismo S. Thom *dicta q. 67. art. 6.* quem alij multi sequūtur, dicit, esse vnicum Sacramentum, si conferretur à duobus simul, quod latè probat Vasquez *2. tom. in 3. p disp. 148. c. 2.* Eius autem fundamentum est, quia Sacramentum, cùm sit in genere signi, dicit pro formali significationem: ergo quoties vna, & eadem est significatio, non erit duplex, sed vnicum signum; ac per consequens illa duplex ablutio, & prolatio formæ, cùm habeat eandem significationem, non facient duo Sacramenta sed vnum.

An à duobus simul proferatur, an sint duo Sacramenta?

162. Hoc tamen argumentum non videtur efficax. Primò quia concreta accidentalia non petunt pluralitatem formæ vt multiplicentur; nam duo subiecta cum eadē albedine essent duo alba: ergo duo subiecta cum eadem significatione erūt duo signa. Secundò, quia neque esset eadem omnino significatio; nam licèt gratia significata esset eadem, & character significatus esset idem: Verba tamen non solùm significant gratiam, & characterem, sed significant, quod causantur per talem ministrum. Ideo enim persona ministri debet aliquo modo significari; ergo non est eadem omnino significatio vtriusque formæ, atque adeò non erit vnicum, sed duplex signum.

163. P. Suarez *dicta q. 67 disp. 23. sect. 2.* dicit, id esse intelligendum moraliter, & formaliter, quod scilicet esset vnus Baptismus moraliter; & quoad effectum, quia vnicum haberet effectum: re tamen vera fore duo Sacramenta physicè, & materialiter, quia vna ablutio, & vna forma conflat vnum Sacramentum: ergo duplex materia, & duplex forma conficeret duo Sacramenta, quorum quodlibet esset signum sufficiens gratiæ sanctificantis, in quo sensu idem Suarez *in præsenti dict. disp. 8.* dicit, in nostro casu non futurum multiplex, sed vnicum Sacramentum Pœnitentiæ, scilicet moraliter, & formaliter, provt dixerat de Baptismo tomo præcedenti. Alij dicunt, re vera fore duo Sacramenta Baptismi, quos refert, & sequitur Coninch *dicta q. 67. art. 6. dub. 1. n. 40.*

164. Ego existimo, quidquid de Baptismo dicatur, in nostro tamen casu posse esse aliquando duo Sacramenta pœnitentiæ: cùm enim hoc Sacramentum sit iudicium quoddam, constans ex suis partibus, & sit ex sua institutione multiplicabile super eisdem peccatis; non apparet, cur non possit multiplicari in nostro casu, in quo iudex est diversus, & sententia diversa; quod enim posset opponi de vnitate confessionis, & doloris, quæ est materia proxima non obstat, quia infra *disp. seq.* videbimus, eundem numero dolorem non retractatum, & moraliter perseverantem posse deservire ad plures absolutiones, & ad plura Sacramenta pœnitentiæ. Confessio autem in nostro casu, licèt physicè, & materialiter videatur esse vna; moraliter tamen, & virtualiter potest esse duplex: suppono enim, pœnitentem voluisse confiteri vtrique Sacerdoti, & subiici vtriq; in hoc foro; nā si voluit vni soli confiteri, ab illo solo poterit validè absolvi, supposito ergo, quod vtrique voluit confiteri, confessio illa fuit moraliter duplex; quia idem est dicere *Confiteor vobis hoc peccatum*, ac dicere, *Confiteor tibi Petre, & confiteor etiam tibi Paule*; quo casu esset duplex confessio formaliter, & realiter. Sicut ergo illa forma, *Ego vos absolvo*, est virtualiter duplex, quia æquivalet, his: *Ego te absolvo Petre*, &, *Ego te absolvo Paule*: sic confessio illa copulativa *Confiteor vobis*, erit duplex, & æquivalebit duabus confessionibus, quarum singulæ fiant vni. Vnde duplex confessio cum duplici absolutione sibi correspondente debet conflare duplex Sacramentum diversum. Quamvis ergo de baptismo aliquis negaret, posse esse duplex Sacramentum, eo quod Baptismus non sit multiplicabilis & reiterabilis ex sua institutione; de Sacramento pœnitentiæ, quod multiplicabile, & reiterabile est, non debet id negari.

165. Vnde arguere possumus, & explicare magis cōclusionem nostram: quia non videtur negandum, posse aliquem, saltem si habeat solùm venialia, aut mortalia, à quibus iam antea fuit absolutus, posse, inquam, confiteri seorsim duobus, faciendo cum illis confessionem generalem, eadem peccata dicendo hodie vni, & creas alteri, & postea finita confessione, accipere eâdem die absolutionem ab vtroque, mane ad vno, & vespere ab altero, & tunc futurum duplex Sacramentum diversum: quod enim alteri etiam confiteatur, non impedit, quod huic etiam confiteri possit, & ab eodem absolui. Finge ergo, finita confessione, vtrumque Sacerdotem repetiri in eodem loco; cur non posset pœnitens ab vtroque absolutionem petere ratione confessionis singulis factæ; cur ergo non posset vterque simul singuli in solidum absolvere, & diversum Sacramentum conficere, sicut si successiue absolverent? Nam simultas, vel successio tēporis per accidens videtur se habere: nec absolutio vnius aufert potestatem ab altero, quia in hoc foro, etiam post vnius sententiam, potest alius iudicare, & solus recursus ad ipsum facit, quod possit iudicare, & absolvere: cùm ergo pœnitens recurrerit ad vtrumque, vterque habet ius iudicandi, & proferendi sententiam, perinde ac si ad ipsum solum pœnitens recurrisset. Idem ergo erit, quando simul vtrique confitetur, quod enim seorsim illis confiteatur, vel vni coram altero: quod item aliis verbis vnicuique, vel eisdem vtrique, dicendo, *recurro ad vos, confiteor vobis*, &c. patum videtur referre; si tamen animum habet ad quemlibet recurrendi independenter ab altero, & ad singulos in solidum, sicut si seorsim recurreret, & singulis confiteretur.

166. Vnde consequenter inferò, in illo casu per vtramque absolutionem conferri maiorem gratiam, quàm per vnam solam: quia non est, cur vnū Sacramentum impediatur à suo effectu producendo propter consortium alterius Sacramenti: Quare sicut absolutiones illæ; si non simul, sed successiuè præstarentur, singulæ darent effectum suum, & vtraque conferret plus gratiæ, quàm vna sola: sic simul exhibitæ dabunt eumdem effectū, quem darent successiue, quia verè exercentur duo iudicia, & proferuntur duæ sententiæ, quarum quælibet debet habere effectum diversum.

Contra hoc vrgeri potest ex Sacramento Baptismi, in quo si aqua simul à duobus ministris effundatur, & forma ab vtroq; simul proferatur licèt fiāt duo Sacramenta materialiter, & physicè, non tamen causant plus gratiæ, nec alium effectum, quā

si vnus solus minister baptizaret: Ergo idem de Sacramento pœnitentiæ dicendum esset.

167. Respondetur, negando consequentiam, ratio autem desumitur ex diuersa institutione vtriusque Sacramenti, nam baptismus (& idem est de confirmatione, ordine, & extrema vnctione) ex sua institutione ordinatur ad quemdam finem determinatum, scilicet ad generationem spiritualem hominis, & characterem, sicut Confirmatio ad designandum militem Christianum, Ordo ad ministrum Ecclesiæ constituendum, & extrema Vnctio ad roborandum, in vltimo agone, &c. & ideo non sunt reiterabilia (quod intelligitur etiam de extrema vnctione intra eandem infirmitatem) quia non ordinantur ad augmentum sui effectus, sed ad ponendum illum effectum semel, quo effectu semel posito, non deseruit amplius illud Sacramentum ad iterum ponendum, vel augendum. At verò Sacramentum pœnitentiæ ex sua institutione habet, posse reiterari supra eisdem peccatis, quia non alligatur ad semel ponendum suum effectum, sed ordinatur etiam ad iterum, & iterum eum ponendum, & augendum, hoc est, ad remittenda pluries illa peccata, & ad reconciliandum magis, & magis hominem cum Deo offenso. Ex hac autem differentia oritur, vt semel applicatus duplex baptismus non plus operetur, quàm vnus, quia singuli tendunt indiuisibiliter ad eumdem effectum; duplex verò Sacramentum pœnitentiæ confert maiorem effectum, quàm vnum, quia non tendunt ad eumdem effectum indiuisibiliter, sed cum tractu successiuo,

168. hoc est, ad iterum, & iterum illum magis, & magis ponendum. Quod declarare possumus exemplo vulgari ex modo, quo summus Pontifex solet aliquam gratiam, vel indulgentiam concedere. Aliquando enim eam concedere vult solùm semel, & tunc, quantumcumque multiplicetur titulus, non multiplicatur, nec augetur gratia, quæ conceditur, v. g. conceditur accipienti Bullam Crociatæ, vt possit semel in vita, & semel in articulo mortis lucrari Indulgentiam plenariam, vel absolui à reseruatis, &c. Vnde si aliquis simul accipiat plures bullas, non lucrabitur bis indulgentiam illam, nec poterit bis absolui ab eiusmodi reseruatis (nisi specialiter concedatur secunda facultas accipienti secundam bullam,) quia Pontifex ex vi illius concessionis non vult, nisi semel poni eiusmodi effectum. Aliquando verò concedit cum tractu successiuo, v. g. habenti talem imaginem benedictam, & audienti Missam concedit toties, quoties pro singulis Missis quadraginta annos Indulgentiæ, vel indulgentiam plenariam. Vnde si aliquis simul audiret duas Missas in duobus Altaribus, duplicatam lucraretur portionem, sicut si eas audiret successiuè. Vides differentiam ortam ex diuerso modo institutionis, & confessionis. In priori

169. casu homo non plus lucraretur, sed pluribus titulis idem; quia omnes, & singuli tituli tendunt ad eundem effectum semel ponendum: in posteriori casu tituli plures afferrent plus emolumenti; quia non tenderent ad idem indiuisibiliter, sed cum facultate repetendi, & augendi effectum. Sic Christus in Baptismo, confirmatione, &c. concessit facultatem acquirendi semel tantùm talem, vel talem effectum; quare si multiplicetur Sacramentum, habebitur quidem idem effectus pluribus titulis non plus. In Sacramento autem pœnitentiæ dedit facultare consequendi talem Indulgentiam, vel effectum toties quoties: quare sicut plura Sacramenta successiuè suscepta, non solùm afferunt plures titulos, sed plus de effectu, sic etiam quando simul applicarentur, quia non ordinantur ad idem indiuisibiliter, sed indiuisibiliter hoc est, ad pluries, & pluries obtinendam Indulgentiam maiorem, & maiorem. Quod idem dicendum esset in matrimonio, si Deus dispensaret cum aliquo, vt plures vxores acciperet. Tunc enim reciperet simul multa Sacramenta, & maiorem gratiam, si simul duas, vel plures acciperet vxores. Obseruat tamen benè Maior, & alij apud Vasquez, *vbi suprà, c. 1.* in illo casu non dici propriè, quod homo sit bis Baptizatus; sed semel duplici Baptismate, quia *bis baptizari* significat successionem vnius Baptizationis post aliam; sic in nostro casu non diceretur homo bis absolutus, sed semel duplici absolutione: sicut quando eadem hostia consecratur à multis sacerdotibus cũ Episcopo, non dicitur bis, aut pluries consecrata, sed semel per plures formas consecrationis.

Dixi tamen in conclusione, *posse esse aliquando duo Sacramenta Pœnitentiæ*, per duplicem absolutionem simul collatam, quia non semper erunt duo, nec dabunt maiorem gratiam. Nam si moribundus confessionem petat, & ipso tam sensibus destituto, superueniant duo sacerdotes, & re cognita vterq; eum simul absoluat, non fient duo Sacramenta simpliciter, nec maior gratia cõferetur, quã si vnus solus absoluisset. Alioquin si singulorũ absolutio facit vnum Sacramentum diuersum, cõferet distinctum effectum; consequens videtur, quod si secundus Sacerdos adueniret post absolutionem à primo collatã, posset ipse validè, & licitè iterũ absoluere, & resultaret aliud Sacramentum, & conferretur alius nouus effectus, & deinde quotquot superuenirent Sacerdotes possent successiuè id ipsum facere, & multiplicare absolutionem, & augere gratiam morientis. Consequens autem videtur absurdum, & contra praxim Ecclesiæ nemo enim audet iterum absoluere, quem scit ab alio absolutum sine noua cõfessione, aut sine noua petitione absolutionis saltem per nutum, aut signũ aliquod à moribundo exhibitum; quæ certè praxis in maximum animarum detrimentum esset, si licitè & validè posset pluries absolui infirmus cùm iterata absolutio prodesse posset, & ad maiorem securitatem, & ad maius gratiæ incrementum.

Sequela autem illa probatur ex supradictis; quia si singuli Sacerdotes conficiunt diuersum Sacramentum; oporteret, quod vnicuique absolutioni corresponderet sua confessio virtualiter distincta, quia infirmus voluisset huic etiam confiteri, vel absolutionem ab eo etiam distinctam petisset; sicut supra dicebamus esse multiplicem virtualiter confessionem, quando aliquis pluribus simul confitetur dicendo, confiteor vobis, &c. si autem in hoc etiam casu esset illa multiplex confessio virtualiter, & idcirco quilibet Sacerdos haberet ius proferendi sententiã absolutionis, quia ad ipsum etiam recurrerat infirmus, & eius sententiam petierat, consequens est, vt etiam post datam absolutionẽ à primo sacerdote, posset secundus superueniés proferre absolutionẽ propter confessionem ad ipsum etiam ordinatam, sicut supra dicebamus de illo, qui duobus sacerdotibus seorsum confitetur, & ab illis etiam successiuè potest absolui, quia ibi est duplex iudicium; & ideo sententia vnius Iudicis non impedit alterum Iudicem à proferenda sententia. Cũ ergo in nostro casu secundus sacerdos superueniens non possit secundam absolutionẽ proferre, fatendum est, non præcessisse duplicem confessionem virtualiter distinctam, nec incheatim fuisse duplex iudicium, sed vnicum, atque adeo per vnicam sententiam fuisse omnino terminatum.

Tota ergo ratio, quare aliquando fiant duo Sacramenta

Ratio cur quandoque sunt duo Sacramenta per duplicem absolutionem quandoque vnum.

cramenta per duplicem absolutionem, aliquando vnũ solùm, reduci debet ad pluralitatẽ, vel vnitatem iudicij: aliquando enim sunt duo iudicia, aliquando vnum solùm terminatum per sententiã simul duorum iudicum. Quod autem sit duplex, vel vnum iudicium, pendet ex pluralitate, vel vnitate confessionis; quia vnus processus, & vna actusatio inchoat vnum solùm iudicium, sicut duplex processus coram diuersis iudicibus inchoat duo iudicia, Quando ergo pœnitens ita confitetur duobus, vt intendat ad alios, tanquam ad duos Iudices diuisibiliter recurrere, vt à singulis seorsim absolutionem obtineat, quam quilibet tribnat independenter ab altero: tunc interuenit duplex iudicium, & duplex processus, & quilibet ex Iudicibus habet ius terminandi iudicium coram te propositum per suam sententiam independenter à sententia alterius, quia hoc iudiciũ Sacramentale reiterabile, & multiplicabile est ex Christi institutione, vt diximus. Quando verò pœnitens ita confiteretur multis, vt non intenderet inchoare plura iudicia, nec plures processus, sed vnum terminandum à quolibet illorum iudicum, vno vel altero: Tunc per plures absolutiones non fierent plura Sacramenta, nec vnus Sacerdos posset absoluere post absolutionem datam ab alio; quia iam esset terminatum totum illud iudicium, & sententia prolata à legitimo Iudice, nec posset noua sententia proferri, interueniẽte alio processu, & alia accusatione. Totum ergo pendet ex intẽtione pœnitentis, quæ ex diuersis coniecturis & circunstantiis cognosci potest, qualis sit. Quando enim confiteretur duobus, singulis seorsim, vt à singulis seorsim absolueretur: non esset dubium, quod intenderet inchoare duo iudicia diuersa, & ab vnoquoque posset absolui independenter ab altero, vel succesiuè, vel simul, & fierent duo Sacramenta diuersa iuxta supradicta. Quod idem esset, quando plutibus simul confiteretur, dicendo se velle ab illis omnibus absolutionem obtinere, per hoc enim satis manifestaret, se ad omnes recurrere, vt ad Iudices, & velle singulis dare ius proferendi sententiam non obstante sententia iam ab aliis prolata: è contra verò quando aliquis in incendio, vel naufragio publicè confitetur coram pluribus sacerdotibus, volens absolutionem Sacramentalem, non censetur formate plura iudicia, & processus, sed vnicum per vnicam accusationem, & confessionem, per quam vult absolutionem ab aliquo illorum, qui possunt absoluere: nec vllo modo vult; aut explicat, se velle causam corã aliis prosequi post absolutionem ab vno obtentam: solùm enim petit vnam absolutionẽ quare ea semel prolata, non poterunt alij licitè, aut validè absoluere absque noua absolutionis petitione. Quod idem dicendum est de moribundo petente confessionem, & absolutionem ante aduẽtum sacerdotis: non enim petit pluries absolui, sed semel, comparendo eo modo, quo potest, in foro Ecclesiæ ad prosequendam causam, & implorando sententiam Ecclesiæ per aliquem legitimum iudicem. Denique cùm modus ille confitendi pluribus, & petendi ab omnibus absolui collectiuè, insolitus sit, non præsumitur facilè eiusmodi intentio in pœnitente, sed solùm quod petat vnã terminationẽ causę, & semel absolui, quia nõ vult instituere plura iudicia, sed vnũ secũdũ cõsuetũ Ecclesiæ morẽ.

Dices: ergo si moribundo sẽsibus destituto, qui prius confessionem petijt, supereniant duo Sacerdotes, & vterque simul absoluat; & perficiat verba formæ, neuter validè absoluit, quia non est maior ratio de vno; quàm de altero: & pœnitens non petiit duas absolutiones sed vnicam, ergo non potest vtraque validè conferri.

Respondetur, vtrumque valide absoluere: quia pœnitens, licet non petierit pluries absolui, sed semel, voluit tamẽ absolui semel, siue ab vnũ siue à pluribus semel absoluentibus: ipse enim solo, proposuit causam, & instituit iudicium eo modo, quo potuit: per illam autem petitionem absolutionis, singuli Sacerdotes acquisierunt ius, vt iudicarent, & proferrent sententiam; dummodo non essent ab alio præuenti. Cùm ergo vterque Sacerdos sit Iudex legitimus, & neuter ab altero sit præuentus, vterque potest validè iudicare, cùm non inueniat causam terminatam, sed pendentem, vtraque absolutio erit valida, non tamen erit duplex Sacramentum; quia non est duplex iudicium, sed idem terminatum simul per sententiam duorum iudicum: sicut hostia consecrata à duobus simul sacerdotibus, non esset duplex Sacramentum simpliciter, sed vnum Sacramentum constitutum per duplicem formam, physicè & materialiter, non formaliter, aut moraliter, vt supra explicatum est.

176. An possint dicere Nos te absoluimus.

Secundò principaliter dubitari solet; an in prædicto casu, quando duo simul absoluunt: possent singuli dicere: *nos te absoluimus à peccatis tuis*; & an tunc valida esset forma P. Suarez 3. *tom. dicta disp.* 23. *n.* 13. *sect.* 3. affirmat fore validam, si sensus non sit, vtrumque concurrere, vt causam partialem; sed solùm significet, vtrumque causare illum effectum, sicut verũ est dicere, *nos consecrauimus hanc hostiam*: quando duo simul protulerunt verba consecrationis. P. Vasquez *in præsenti quæst.* 91. *art.* 4. *dub.* 1. *n.* 8. negat, fore validam formam, quod latiùs docuerat *tom.* 2. *de forma baptismi disp.* 148. *c.* 5. ibi tamen de forma absolutionis videtur dubitare; consentit Pater Coninch *quæst.* 67. *art.* 6. *dub.* 1. *n.* 413. & fauet S. Thom. *illo art.* 6. & mihi etiam magis placet. Rationes multæ afferuntur, quas latè refert, & refellit Vasquez dicto c. 5. quibus omissis, possumus hoc sic explicare: quia per illa verba, *nos te absoluimus*: potest quilibet velle significare, vel voluntatem absoluendi solum partialiter cum altero, vel voluntatem absoluendi totaliter, quantum potest ex parte suã: in neutro autem sensu videtur valida illa forma: ergo. Minor, quoad primũ sensum in quo eam intellexit S. Thom. loquens de Baptismo, videtur ab omnibus recepta & probari potest; quia in eo sensu non significaret voluntatẽ absolutam, sed conditionatam; nam qui potens absoluere totaliter, nõ vult absoluere solus; sed partialiter solùm, & cum alio; eo ipso videtur velle solùm absoluere sub conditione, si alius etiam partialiter absoluat: quare si ille alius nõdũ protulit formã integrã, cùm nõdũ conditio subsistat, verba illa non habebunt effectũ; nec possunt postea illum habere, quia non potest manere suspensa efficacia verborũ, nec possunt proferri sub conditione de futuro, vt dixi sect. 5. si verò ille alius iã protulit formã integrã, & conditio posita est, redit eadẽ difficultas; nã si ille prior perfecit verba, iam posuit effectum, & ita nihil restat ponendum, quia iam Sacramentum est perfectum, vel certè, si ille prior non posuit effectum, quia solùm intendebat concurrere partialiter, nec modò ponetur, quia verba prioris non possunt nunc operari, postquam transacta sunt, & verba posterioris sola nõ sufficiunt, quia non vult concurrere totaliter, sed solùm partialiter: solum ergo possent deseruire in casu metaphysico, quando vterque proferret vltimam syllabam omnino da simultate mathematica. Non est autem credibile, quod Christus dederit suis ministris hanc potestatẽ concurrendi, & vtendi forma quæ significa-

ret,solùnt concursum partialem , quæ potestas solùm posset deseruire ad casum quendã metaphysicum,& aliunde non erat vtilis,nec connexionem habebat cum potestate,quam dabat absoluẽdi per
177. modum causæ totalis. Fateor enim de facto ex potestate,quam Christus dedit consecrandi, vel absoluendi, sequi,quod possint aliquando duo simul concurrere ad conficiendum Sacramentum,si vterque proferat debitam formam , & simul perficiat prolationem illius:quia hæc potestas includitur in potestate,quam habent consecrandi,vel absoluendi seorsim : non potest enim impediri effectus ex eo, quod operentur duæ causæ,quarum singulæ possũt operari. At verò potestas operandi per formã specialem,quæ significet voluntatem concurrendi solùm partialiter non includitur in potestate operandi per formã quæ id non significet;potuit enim dari vna potestas sine alia,nec vna forma æquinalet alteri;aliud quippè est dicere:ego volo totaliter te absoluere:aliud verò:ego non solus,nec totaliter , sed partialiter cum alio volo te absoluere. Aliunde verò, vt dixi, hæc secunda potestas operandi per talem formã inutilis, imò & noxia esset: vix enim vnquam in casu metaphysico validè proferretur;licitè verò nunquam ; quia sine causa exponeretur vterque minister euidenti periculo faciendi irritum Sacramentum, cùm nunquam posset esse validum , nisi quando vterque simul pro-
178. ferret vltimam syllabam,quod fortè nunquã eueniret. Possunt quidem de facto plures Sacerdotes concurrere ad consecrandam eandem hostiam;sed hoc non nisi ex graui causa,& absque periculo vllo irritandi Sacramentum : quia proferunt singuli formam sufficientem , & quicunque prior perficiet formã,validè consecrabit. At verò si forma solùm significaret concursum partialem, neuter validè absolueret , nisi vterque simul proferret vltimam syllabam. Quod certius adhuc periculũ esset, & necessitas omnimodo,si tres,quatuor,vel plures simul proferrent illa verba. Vnde confirmatur argumentum propositum ; quia si Christus dedisset potestatem significandi per formam , concursum partialem cum alio , dedisset etiam potestatem significandi concursum partialem cum duobus , & cum tribus,& cum pluribus ,quod quidem magis absurdum esset,cùm esset potestas ad actum omnino impossibilem , quod scilicet centum homines simultate mathematica proferrent vltimam syllabam. Hoc autem totum fieret absque vlla necessitate, aut causa,cùm possent singuli vti forma consueta non significante concursum partialem , sed totalem , quantum ex parte singulorum ; non est ergo credibile Christum dedisse talem potestatem, qua sine peccato vti non possemus , & quæ in potestate absoluendi per formam solitam nullo modo includitur.

179. Dices:imò videtur includi:quia Christus de facto instituit hoc sacramentum per modũ iudicij,& sacerdotes constituit Iudices in hoc Tribunali:alij autẽ Iudices humani eo ipso, quod possint singuli iudicare, & condemnare,vel absoluere seorsim ab aliis,possunt multò magis,si velint conuenire duo, vel plures ad eamdem sententiam proferendam, & dicere:*nos te absoluimus*:vel *nos te condemnamus*. Similiter si duo, vel tres exequutores Testamenti habeant à testatore facultatem, vt singuli seorsim possint aliqua exequi ; poterunt à fortiori omnes simul,& significare hanc suam voluntatem cõcurrendi solùm partialiter,& cum aliis per verbũ commune;*nos vendimus,nos emimus,donamus*,&c. Ergo eo ipso , quod Christus dedit Apostolis potestatẽ, vt singuli iudicarent,absoluerent, &c.videtur dedisse potestatem vt idem facerent cum aliis & significarent concursum causæ partialis.

Respondetur,negando consequentiam,quæ non 180.
potest fieri à iudicibus , & ministris humanis ad iudices , & Ministros huius Sacramenti. Ratio autem desumitur ex dictis;quia iudices,aut Ministri humani non accipiunt suam potestatem alligatam ad operandũ per tales voces,quæ sint verba formalia, & non solùm virtualia : imò possunt operari per Scripturam,per nutum, per verba virtualiter solùm,& non realiter permanentia, quare non est periculum irritandi actũ,licèt vtantur verbis significantibus concursum solùm partialem; quia licèt vnus absoluat prior verba , possunt postea verba illa , provt virtualiter permanentia, dum non reuocantur operari , quando alij proferunt verba. In iudicio autem Sacramentali iudices accipiunt potestatem alligatam ad hoc,vt non nisi per vocem,& verba realiter solùm,& physicè existentia operentur : qua institutione,& alligatione non erat vtilis, nec licitus modus ille significandi voluntatem concurrendi solùm partialiter , vt vidimus,quare non potest argui hæc potestas in Sacerdote,ex eo quod Iudices alij,& ministri in negotiis humanis illam habeant.

Nunc probemus secundam partem illius mino- 181.
ris suprà positæ,quod scilicet verba illa, *nos te absoluimus*,non possint esse valida,si significare velit proferens concursum totalem,& non partialem ex parte sua,quia nimirum verba illa,iuxta communem hominum sensum, non sunt apta ad illud significandum,nisi ampliùs explicetur. Quotiescũque enim dico me cum aliis hoc,vel illud facere, saltem si sermo sit de actione inridica , & forensi, non significo me in solidum,& independenter ab aliis id facere,etiamsi aliàs possem ego solus id facere,v.g.si dicas,*Ego & Petrus eminus à te hãc domum*,non significas te solum velle eam emere,etiã nolente Petro, sed potiùs significas consensum ex parte tua ad emendum simul cum Petro:vnde Petro non consentiente , ad nihil teneris, nec aliam voluntatem per eiusmodi verba significasti. Eodem modo si duo tutores, vel testamenti exequtores, quorum singuli possent donare , vel condonare nomine pupilli,vel defuncti;donent,vel condonent simul per verba communia:*Nos Petrus,& Ioannes donamus, vel condonamus tibi*,eo ipso singuli significãt concursum partialem, atque adeo non consentiente,vel subscribente Ioanne,etiamsi Petrus protulisset verba , vel subscripsisset scripturæ actus non subsistere; quia nimirum verba illa, vt dixi , iuxta communem sensum significant solùm voluntatem concurrendi partialiter,& dependenter à concursu ,& consensu alterius. 186.

Similiter ergo Sacerdos, licèt solus posset absol- 182.
uere,id tamen non significat,dum solùm dicit : *nos absoluimus* : atque adeo ex vi illorum verborum non significauit absolutè, & sufficienter,se absoluere in solidum, & independenter ab alio. Fateor ergo validam fore formam,si diceret : *Ego & Petrus te absoluimus singuli in solidum* : quia iam significaret sufficienter voluntatem absoluendi in solidum : perinde ac si diceret : *Ego te absoluo, &* 187.
Petrus etiam te absoluit : quæ verba per priorem partem operarentur,posterior verò non esset practica,sed speculatiua:illa tamen verba,*nos te absoluimus* ,iuxta communem hominum sensum significant coniunctionem, & dependentiam adinuicẽ in operando effectum, saltem quando sermo est de 183.
actionibus forensibus.

Contra hanc doctrinam solet opponi argumen- 184.
tum ex matrimonio : quia si Deus dispensaret, vt aliquis

aliquis plures vxores simul acciperet, ille posset dicere, *ego vos in vxores accipio*: & illæ omnes possent respondere, *Nos te accipimus in virum*: quæ verba sufficerent ad Matrimonium, validum, & essent forma à pluribus ministris prolata significantibus concursum totalem singularum ad vnum Matrimonium validum: ergo illæ etiam voces, *Nos te absoluimus*: possunt significare concursum, & voluntatem singulorum absoluendi totaliter.

184. Omissis variis solutionibus, quæ videri possunt apud Coninch. *loco citato num.* 49. Respondetur, negando consequentiam, quia in Matrimonio ex subiecta materia voces illæ non possunt significare concursum partialem, sed solùm totalem ad vnum matrimonium cum proferente illas: quia ad Matrimonium cum aliis fœminis, non potest hæc vllo modo concurrere, nec ad Matrimonium cum ipsa possunt aliæ concurrere etiam partialiter: debent ergo significare singulæ practicè per illas voces cõcursum suum, & consensum ad suum coniugium, speculatiuè consensum aliarum ad sua. Sic etiam quando Petrus haberet duos creditores, quibus res diuersas singulis deberet, & peteret ab vtroque remissionem. Si illi respondeant, *Nos tibi condonamus*: singuli significant totalem condonationem sui debiti indepẽdenter à voluntate alterius, quia neuter potest concurrere ad condonationem debiti alieni. Quando tamẽ debitum esset commune, non significarent singuli per illas voces voluntatem condonandi independenter ab altero socio. Hoc autem ferè modo se habet res in casu nostro, in quo debitum est idem, & quod ab vtroque potest condonari: & ideo dixi, in hac materia, & in his circumstantiis voces illas non significare volũtatem condonandi in solidũ independenter ab alio, vel certè dubiis erit, & nimis incertus valor illius formæ.

185. *Dubitatur de valore absolutionis partialis.* Dubitari potest tertiò, an validè absolueret, qui diceret, *ego te absoluo*: cum animo non absoluendi, nisi partialiter, hoc est, simul cum alio, qui eodem modo absoluit.

Respondetur ex supradictis non videri validam eam absolutionem, si solùm velit absoluere partialiter: eadem enim videtur esse ratio, ne dederit Christus potestatem absoluendi partialiter, & ne dederit potestatem vtendi forma, quæ significet voluntatem absoluendi principaliter, cùm eadem inconuenientia ex vtraque potestate sequantur, nec fuerit necessariò connexa illa potestas cum potestate absoluendi totaliter, quam dedit: ergo sicut diximus non posse validè proferri formam significantem solùm voluntatem absoluendi partialiter, sic oportet negare posse validè absolui per formam etiam bonam cum intentione absoluendi solùm partialiter.

186. Dixi, si solùm velit absoluere partialiter: quia alio modo posset excogitari, quod Sacerdos dicat, *ego te absoluo*, &c. cum intentione absoluendi insolidum, & vtendi tota sua potestate, sed sub conditione, si ille alius Sacerdos simul absoluat. In quo casu maior est difficultas: quia intentio conditionata sub conditione de præsenti sufficit ad valorem Sacramenti: si ergo vult absoluere, si ille alius absoluit, posita conditione validè absoluet.

187. Oportet tamen aduertere illam conditionem dupliciter posse adhiberi, primò si dicat, *ego intendo absoluere, si aliquis alius simul absoluet*: Tunc autem si ille alius socius habeat intentionem absoluendi absolutam, & perficiant simul formam, vterque absoluit validè, quia conditio, sub qua secundus absoluit, posita est alio absolutè absoluente. Si verò socius etiam habeat similem intentionem solùm conditionatam absoluendi, si alius simul absoluat, neuter videtur absoluere: quia daretur mutua prioritas: ad hoc enim, vt Petrus absoluat, deberet præuideri Ioannes absoluens: & rursus, vt Ioannes absoluat, deberet præuideri Petrus absoluens, quia conditionalis non transit in absolutam, nisi posita conditione: neuter ergo validè absoluit, quia neutrius absolutio supponi potest ad purificandam conditionem.

Secundò posset esse sensus conditionis, *volo absoluere, si alius velit absoluere*. 188. Tunc autem distinguendum est: quia si solum dicat, *si aliquis velit absolutè, vel conditionatè absoluere*: tunc vtriusque absolutio valida erit: quia antequam transeant in absolutam supponere possunt voluntatem alterius conditionatam absque mutua prioritate; nam voluntas conditionata vtriusque simul est, quælibet verò vt cõditionata præcedit voluntatem alterius, vt absolutam; & vtriusque voluntas absoluta erit etiam simul. Si verò sensus esset, *volo absoluere, si alius simul velit absolutè absoluere*: Tunc si vterque ita velit, neuter validè absolnit; quia neutrius voluntas, vt absoluta potest præuideri ad purificãdam conditionem alterius absque mutua prioritate.

Dices, in nullo sensu ex dictis videri validam 189. illam formam: quia qui non vult absoluere, nisi alio absoluente, vel volente absoluere; eo ipso non vult absoluere, nisi partialiter: velle enim operari cum alio, & non aliter, est velle operari solùm partialiter: diximus autem voluntatem absoluendi solùm partialiter non esse validam; ergo neque erit valida voluntas absoluendi solum sub conditione, si alius simul absolnat.

Propter hoc argumentum dubitari posset de valore illius intentionis absoluendi solùm sub conditione, si alius simul absoluat, vel si alius simul ponat aliquid necessariò afferens absolutionem. Aliud enim esset, si conditio non esset talis, v. g. *volo absoluere, si alius simul perficiat verba absolutionis*: possent enim poni verba absolutionis ab alio absque intentione, vel absque iurisdictione necessaria ad valorem. Vnde volens absoluere sub ea conditione, non videtur velle absoluere solùm partialiter, & cum alio, sed etiam solus.

Adhuc tamen ad argumentum respondere pos- 190. sumus, etiamsi conditio sit absolutio absoluta alterius, posse esse validam intentionem absoluendi sub ea conditione, quando non esset mutua prioritas, vt explicuimus. Nam licèt ille ex vi talis intentionis non possit absoluere solus, sed simul cum alio: habet tamen voluntatem vtendi tota sua potestate, & auctoritate ad dimittenda peccata, quantum potest posita illa conditione, ille autem, qui solùm vellet absoluere partialiter, non vult vti tota sua potestate, sed potius vult attemperare suam efficacem, & non facere, quantum potest. Vnde ille prior validè absoluet; quia licèt solùm velit sub conditione; vult tamen idem, ad quod accepit potestatem: eo autem ipso, quod accepit potestatem ad illud absolutè volendum, videtur à fortiori posse illud idem sub conditione præsenti, vel præterita velle; quia voluntas sub conditione, posita conditione, æqualet voluntati absolutæ. At verò iste posterior, qui solùm vult partialiter concurrere, non vult absoluere in solidum, & plenè sed partialiter ad quod diximus non accepisse potestatem, quia non expediebat, nec includebatur in potestate, quam de facto accepit. Sed hæc omnia ad vsum parum referunt; neque enim possunt moraliter in praxi occurrere.

Simile autem ferè est id, quod quartò dubitari 191. solet: an validè absoluant duo Petrus, & Paulus, qui

mul absolunnt cum intentione absoluendi, si alter non absoluit. Et quidem si sensus esset, si alter prius non absoluit, vterque validè absolueret, quia neuter prius absoluit. Si autē sensus sit, si alter tunc non absoluit, neuter validè absoluit; quia vel deberet vterq; vel neuter absoluere, cùm non sit maior ratio de vno, quàm de altero. Vterque autem non potest, quia tunc cōditio nō poneretur; neuter enim vult absoluere, nisi altero non absoluente. Si ergo alter absoluit, alter nō vult absoluere: neuter ergo habet intentionem absoluendi, quia voluntas illa non potest transire in absolutam, nisi destruat se ipsam: non potest enim transire in absolutam, nisi alter non absoluat. Si autem Petrus non absoluit ob imperfectam illam voluntatem, quam habet, eo ipso Paulus non absoluet, cùm habeat æquè imperfectam voluntatem, atque adeo Petrus absoluet, qui supponebatur non absoluere. Neuter itaque absoluet, quia voluntas illa intelligi debet absoluendi modo possibili, si alter non absoluat: ille autem modus esset impossibilis, cùm afferret duo contradictoria.

DISPVTATIO XIV.

De contritione, quæ est prima pars materialis in Sacramento Pœnitentiæ.

SECT. I. *Virum, & quomodo contritio sit pars Sacramenti Pœnitentiæ?*

SECT. II. *Vtrùm ad valorem Sacramenti requiratur, quod dolor præcedat confessionem?*

SECT. III *Vtrùm ad singulas cōfessiones requiratur nouus actus doloris?*

SECT. IV. *Quomodo actus doloris referri debeat à pœnitente ad sacramentum Pœnitentiæ?*

SECT. V. *Vtrùm requiratur propositum non peccandi ad Sacramentum pœnitentiæ?*

SECT. VI. *Vtrùm possit dari Sacramentum Pœnitentiæ validum, & informe ex defectu doloris?*

SECT. VII. *Respondetur ad alia argumenta contra nostram sententiam.*

SECT. VIII. *De dolore requisito in cōfessione de venialibus.*

SECT. IX. *De proposito requisito ad confessionē venialium.*

SECT. X. *An, & quomodo neganda sit absolutio ob defectum propositi?*

1. POST QVAM diximus de forma Sacramenti pœnitentiæ, sequitur, vt agamus de eius materia: Diximus autem, materiam proximam pœnitentiæ habere tres partes, scilicet contritionem, confessionem, & satisfactionem, de quibus nunc suo ordine agendum est, & primò de contritione, seu dolore requisito: ad quod dicendum esset hoc loco de differentia contritionis perfectæ ab imperfecta, quæ appellatur attritio. De hoc tamen dixi latè *suprà disputatio. 5.* Vbi explicui obiectum formale vtriusque, & quomodo contritio perfecta extra Sacramentum afferat semper, & infallibiliter secum gratiam iustificantem; item attritionem supernaturalem sufficere cum Sacramento pœnitentiæ ad iustificationem quomodo vtraque includat virtualiter propositum non peccandi: qualis intensio, vel extensio requiratur in illis, qualiter contritio ipsa contineatur virtualiter in actu dilectionis Dei super omnia, & quomodo hic sufficiat etiam absque dolore formali, & alia eiusmodi, quæ omnia nunc supponēda sunt, vt agamus de iis quæ propriè spectant ad Sacramētum, quatenus Sacramentum est.

SECTIO I.

Vtrùm, & quomodo contritio sit pars Sacramenti Pœnitentiæ?

1. Contritio & pars necessaria.

LOquimur semper de contritione, provt præscindit ab attritione, & à contritione perfecta: vtramque enim supponimus sufficere ad valorem, & ad effectum Sacramenti. Et quidem contritionem esse partem intrinsecam huius Sacramēti probauimus supra *disp. 12. sect. 2.* quod nō oportet iterum in præsenti repetere. Nunc ergo solùm est difficultas, vtrū sit pars essentialis: Potest enim esse pars solū integralis intrinseca, qualis est satisfactio.

2. An sit essentialis?

Non desunt, qui licèt ad effectum Sacramenti, hoc est, ad remissionem peccati requirant essentialiter contritionem; absque ipsa tamen dicant, consistere totam essentiam huius Sacramēti, sicut etiā in baptismo adultus non iustificabitur absq; dolore suorum peccatorum; sine quo tamen recipit totum Sacramentum baptismi. Pro hac sententia afferuntur Ledesma *1. part. 4. q. 31. art 2.* Vega *lib. 13. in Trident c. 15.* eam dicit esse cōmunem, Almainus *d. 14. quæst. 4.* Bernard. de Gannaco in impugnationem Gothfredi *quodlib. 5. q. 14.* imo aliqui addunt, posse aliquem iustificari per hoc Sacramentum susceptum absque vllo dolore, & proposito, si tamen haberet intentionem accipiendi Sacramentum, & non haberet complacentiam actualem in peccatis præteritis, nec propositum committendi alind. Ita enim videntur loqui Rosella verbo, *confessio 2. §. 1.* Sylvest. *Confessio 1. §. 24.* tribuens eandem sententiam Scoto, sed immeritò, quia Scotus illo loco, scilicet, *d 14. quæst. 4. dist. 16.* expresè docet esse inutilè hoc Sacramentum sine contritione, vel attritione, imo ipse Sylvest. cùm teneat, dolorem esse partem essentialem Sacramenti, non videtur consequenter loqui, dum concedit vtile Sacramentum absque vllo dolore, nisi forte intelligat, provt videtur significare, partem essentialem fore tunc contritionem sequentem post absolutionem, quæ contritio cum absolutione præterita faciet Sacramentum completum, quod tamen ex se apparet absurdum, sicut si diceret, posse confessionem sequentem cum absolutione præterita conficere vnum Sacramentum pœnitentiæ.

3. Dolor non est pars essentialis.

Posset eadem sententia tribui aliis, qui negant dolorem esse partem intrinsecam huius Sacramenti, quos affert Suarez *disp. 20. sect. 3. n. 7.* sed vt benè ipse aduertit, ij authores planè non concedunt, dari Sacramentum validum absque vllo dolore, imò aliqui eorum id expresè negant, vt Durandus: licèt in hoc minùs consequenter loquantur.

4. Dolor est pars essentialis.

Vera, & communis Theologorum sententia est, dolorem esse partem essentialem huius Sacramēti: sine qua Sacramēntum non subsistit vllo casu. Plane est S. Thom, & aliorum quos congerit, & sequitur Suarez, *vbi suprà n. 8.* & colligitur clarè ex principiis supra positis, quia dolor est pars Sacramenti, vt constat ex definitione Conciliorum, quæ dicūt, contritionem, confessionem, & satisfactionem esse partes materiales huius Sacramenti: sed non potest

potest esse pars solùm integralis, qualis est satisfactio: ergo debet esse pars essentialis. Minor probatur, quia si esset pars solum integralis, sequeretur, confessionem, & absolutionem absque vllo prorsus dolore esse Sacramẽtum validum. Vnde rursus sequeretur talem confessionem, licèt effectum non contulisset ob defectum dispositionis, non esse repetendam postea, iam enim illa peccata fuerant validè subiecta clauibus in confessione valida, atq; adeo solũ oporteret, postea auferre obicem, vt cum effectu remitterentur. Consequens autem est contra praxim totius Ecclesiæ: nã licèt sit sub opinione, an detur Sacramentum pœnitentiæ validum, & informè ob defectum dispositionis sufficientis, & per consequens sit etiam sub opinione, an debeãt peccata illa iterum explicari in alia confessione, quando prior fuit informis, de quo dicemus sect. 6. omnes tamen fatentur, confessionem factam absq; vllo prorsus dolore, præsertim cognito tunc ipso defectu doloris à pœnitente, vel etiam eo aduertente, confessionem illam esse sacrilegam, omnes, inquam, fatentur, repetendam omnino esse illam confessionem: alioquin nunquam repetendæ essent confessiones ob defectum prouenientem ex parte pœnitentis: Ergo supponunt, illud non fuisse Sacramentum validum ex defectu alicuius partis essentialis, quæ non erat alia, nisi dolor: Cætera enim omnia non defuerunt, scilicet, confessio, & absolutio. Si autem valida fuisset illa confessio, non oporteret repetere illa peccata, sed accusare se ad summum de Sacrilegio commisso in illa confessione.

Dices. Sacramentum illud fuisse invalidum ex defectu ipsius confessionis, qui nimirum, homo non se accusauit de illo ipso peccato, quod in confessione committebat, volendo recipere absolutionem absque dolore, ac per consequens confessio non fuit integra omnium peccatorum.

Sed contra, quia in primis ad valorẽ Sacramenti in tantum requiritur confessio integra, quatenus si non sit integra, affert nouum peccatum, quod est obex dolori requisito: Vnde si confessio non sit integra, & hoc sit absque noua culpa pœnitentis, ille integritatis defectus non vitiabit valorem Sacramenti.

Deinde posset contingere, quod licèt homo peccaret de nouo illa confessione, atque dolore, non tamen aduerteret ad obligationem confitendi illud peccatum in eadem confessione, atque adeo confessio esset formaliter integra, scilicet, omniũ peccatorum, quorum recordatur in ordine ad confessionem: Ergo si tũc etiam Sacramentum esset nullum, provt re vera esset, defectus non proueniret ex defectu integritatis confessionis, sed ex defectu doloris, quæ erat alia pars essentialiter requisita ad valorem Sacramenti.

Rationes verò, cur dolor in hoc Sacramento non sit solùm dispositio essentialiter requisita ad effectum, sicut in baptismo, sed etiam pars, plures assignantur. Præcipua est, quia cùm hoc Sacramentum institutum sit per modum Iudicij, requirit accusationem: accusatio autem non est nuda narratio peccatorum: aliud enim est narrare, aliud accusare; debet ergo esse dolorosa, & ex odio delicti profecta; quia alioquin erit mera historica narratio, ergo requiritur dolor ex parte materiæ, tanquam id, per quod constituitur accusatio in ratione accusationis.

Addi potest ratio altera ex ipsa natura huius Sacramenti; quod reconciliatiuum est: seu per quod homines à Deo per peccatum auersi ipsi reconciliatur: reconciliatio enim, vt talis est, necessariò includit reductionem duarum voluntatum, vt quæ priùs in discordiam abierant, iam postea in concordiam redeant: quare oportet, quod vtraque redeat ad priorem statum. Cùm ergo per hoc Sacramentum reconcilietur Deus cum homine; oportet, quod Deus relinquat auersionem, qua ab homine auersus erat, & homo etiam relinquat auersionem, qua à Deo se per peccatum auerterat: quod fit per contritionem, aut attritionem, quæ est retractatio prioris voluntatis peccaminosæ, & conuersio voluntatis ad Deum, à quo voluntarie discesserat. Sicut ergo in baptismo apponitur pro materia aqua, & in Confirmatione Chrisma, &c. sic in hoc Sacramento affertur pro materia reconciliatio ex parte hominis, & confessio, vt adueniente reconciliatione ex parte Dei, quæ ponitur per absolutionem, fiat reconciliatio completa, & integrum Sacramentum. Meliùs exemplum habemus in Matrimonio, in quo quia est coniunctio duorum; debet interuenire consensus expressus vtriusque; ex quo duplici consensu explicato fit integrum Sacramentum: Sic enim in Sacramento Pœnitentiæ, quod tendit ad resarciendum prius spirituale coniugium per peccatum mortale dissolutum, vel per venialia debilitatum, & obnubilatum, requiritur consensus vtriusque: ita tamen, vt quia homo prior discessit per peccatum à vinculo illo diuini coniugij; sic etiam prior redeat per retractationem, & dolorem; Deus verò, qui expulsus fuit, & coactus discedere propter peccata, redeat posterior vocatus, & rogatus à redeunte pœnitente, ex quo vtroque consensu integratur, seu reparatur prius vinculum, & resultat totum Sacramentum reconciliatiuum. Hæc autem ratio probat etiam de dolore perfecto, & efficaci; nam prior ratio desumpta ex ratione accusationis, forsasse probat solùm de aliquo odio peccati perfecto, vel imperfecto, vt videbimus *sectione sequenti*.

Obiici solet, quod contritio non est sensibilis; ergo non potest esse pars Sacramenti, quod est signum sensibile.

Respondetur tamen facilè, non posse esse partem Sacramenti per se sumptam, Cæterùm sicut potest fieri sensibilis per aliud, nempè per confessionem, ita poterit iam tunc esse pars Sacramenti sensibilis; ad hoc enim non requiritur, quamlibet partem esse per se ipsam sensibilem. Sic in Eucharistia corpus Christi est pars Sacramenti, licèt non sit sensibile per se, sed per species, & verba consecrationis.

Dices; ergo contritio non faciet numerum in ratione partis cum confessione: quia est pars, vt est sensibilis, sed non est sensibilis, provt condistinguitur ab ipsa confessione, sed provt fit sensibilis à confessione; ergo contritio non est pars Sacramenti, provt condistinguitur à confessione; & per consequens contritio, & confessio non erunt duæ partes distinctæ in hoc Sacramento.

Respondetur, negando sequelam, nam licèt id, per quod constituitur contritio in ratione partis actualis, sit sensibilitas confessionis; Ipsa tamen contritio, quæ secundùm suam entitatem recipit denominationem partis, distinguitur à confessione; sicut in composito humano materia, & forma habent esse partes actuales ab vnica, & eâdem vnione, iuxta probabiliorem sententiam; & tamen sunt duæ partes condistinctæ inter se. Item in composito accidentali ex subiecto, & vbicatione modali, subiectum habet esse partem actualem illius com-

positi,& esse vbicatum ab ipsa vbicatione,per quã formaliter vnitur ipsi,& per quam vbicatur;& tamen sunt duæ partes condistinctæ : aliud enim est id,quod est pars,& quod est vbicatum,aliud id,per quod formaliter constituitur in ratione partis, & vbicati;Sicut etiam duæ causæ efficientes, causantes eumdem effectum per eamdem numero actionem sunt duæ causæ cõdistinctæ,licèt causent per eamdem causalitatem:sic in nostro casu contritio; & confessio sunt duæ partes , sunt duo sensibilia, licèt constituatur vtraque in ratione sensibilis, & in ratione partis actualis per eamdem sensibilitatem confessionis.

10. *An contritio sit pars per se.*

Hinc oritur primum dubium , an contritio sit pars huius Sacramenti per se, an solum per accidens ? Aliqui videntur dicere , esse partem solùm per accidens, quia eo modo est pars , quo est sensibilis,sed non est sensibilis per se , sed per aliud, ergo non est pars per se, sed per aliud,ac per accidens: ita videntur sentire Palud.*d.*16.*quæst.*4.*in 2. solutione* , & Ferrar.4.*contra gentes c.*72 *prope med.* Alij dicunt,esse partem per se,& quidem non potest quoad hoc esse quæstio de re ipsa , sed solùm de modo loquendi. Si enim per esse partem *per accidens* , intelligamus , contritionem secundum suam propriam entitatem non intrare ad componendum intrinsecè Sacramentum , sed solùm per sensibilitatem ; negandum est esse partem per accidens. Si verò intelligamus , quod contritio se sola non posset intrare ad componendum Sacramentum , nisi redderetur sensibilis à confessione; verum est : Cæterùm hic modus loquendi non videtur ita proprius. Quare magis placet , quod alij dicunt , contritionem esse quidem sensibilem per accidens, esse tamen partem per se. Hoc est, totam sensibilitatem contritioni prouenire à confessione : non tamen prouenire illi à confessione illam entitatem , quæ formaliter , & intrinsecè componit Sacramentum pœnitentiæ , hæc enim est entitas intrinseca ipsius contritionis.

11. Ex hac doctrina oritur secundũ dubium,quod est magis de re , & difficile. Si enim tota sensibilitas contritionis prouenit ex confessione , per quam ostenditur,& exprimitur dolor internus ; sequitur, quod si pœnitens nondum habuit actum doloris eo tempore ; quo peccata confitetur ; postea verò ante absolutionem se disponit & dolet debito modo de peccatis; hic dolor non poterit esse pars Sacramenti, & per consequens Sacramentum non erit validum ; quia dolor ille consequens confessionem non potuit per confessionem præcedentem exprimi , quæ non procedebat à tali dolore; ergo non redditur dolor sensibilis , & per consequens nec pars Sacramenti sensibilis,de quo dicemus *sect.seq.*

SECTIO II.

Vtrùm ad valorem Sacramenti requiratur , quod dolor præcedat confessionem ?

12 *Sententia P. Coninch.*

RAtio difficultatis proposita est in fine præcedentis sectionis propter quam P.Coninch. *in præsenti disp.*4.*dub.*6.dicit dolorem requisitum ad hoc Sacramentũ necessariò præcedere ipsã confessionem prioritate,non solùm naturæ, sed etiam tẽporis eo quod voluntas confitendi orta ex dolore, & imperans confessionem est instantanea cõfessio autẽ ,cùm sit successiua fit in tempore.Huic sentẽtiæ fauere videtur Layman *lib. quinto,c.*4. *num.* 4.

Hæc sententia singularis est , & habet contra se omnes alios Theologos , quare oppositum videntur sentire Nauarr. *in manual. Lat. cap* 1. *num.* 22.Suarez.*in præsenti disput.*20. *section.*4. *num.* 31. Henriquez *lib.*4.*de pœnitent.cap.*28.*numer.*3.Petrus de Ochagauia *de Sacramento tract.* 2.*de confession. quæst.* 20.*n.*2.Bonacin.*de Sacrament. disp.*5.1. *quæst.* 3.*punct.*2.*n.*8.& eam videtur supponere Vasquez *in præsenti quæst.*92.*art.*2. *dub. vnic. num.* 17. denique eam docet Fagundez *de præcept. Eccles.præcept.* 2.*lib.*2.*cap.*6.*num.*10.vbi alios refert. Habet etiam contra se praxim fidelium ; hi enim si fortè peccata absque dolore confessi sunt,& postea confessarij exhortatione permoti excitantur ad dolorem habendum de peccatis,putãt se sufficienter satisfacere,si tũc doleant ante absolutionem, imò ad hũc finem Confessarij solent pœnitentes tunc potissimũ ad dolorem mouere,vt se disponant ad absolutionem validam suscipiendã;nec obligant eos post dolorem tunc conceptum ad repetendam confessionem,quæ absque dolore præuio facta est. 13.

Respondet prædictus Autor , eo casu confessionem breuissimè repeti,dum pœnitens dicit , se dolere de iis peccatis narratis,& cupere ab iis absolui.Sed contra primò,quia hoc ipsum est contra praxim : non enim solent pœnitentes repetere illa verba , *Cupio ab iis absolui*, nec confessarij solliciti sunt,vt pœnitẽtes id dicant.Deinde sæpè ipse pœnitens nihil prorsus dicens, dolet de peccatis;interim dum Sacerdos illum alloquitur,nec curat suũ nouum dolorem confessario manifestare,nec vllus in dubium reuocat valorem illius Sacramenti.Solent item aliqui confessionem generalem facturi per biduum , vel triduum reseruare actum doloris faciendum vltima die quando absolnendi sunt,nec peccata priùs confessa iterum repetunt ; quæ omnia iuxta illam sententiam condemnenda essent, vtpote contra Sacramenti valorem. 14.

Accedit ratio à priori,quod dolor etiã post confessionem habitus potest esse materia sufficiẽs Sacramenti,vt constabit ex solutione argumentorum contrariæ sententiæ , non ergo oportet, quod necessariò præcedat confessionem.

Tota ergo difficultas est in soluendis fundamẽtis contrarij, quorum primum , & præcipuum est illud , quod confessio debet reddere sensibilem dolorem internum significando illum : non potest autem esse signum doloris;nisi ex ipso dolore procedat , neque enim alio modo significare potest dolorem, nisi tanquam causam,Ergo si dolor non est causa confessionis , non redditur sensibilis dolor per confessionem. 15.

Respondent aliqui , dolorem in prædicto casu reddi sensibilem , saltem per actum pœnitentis subsequentem , quatenus non retractando confessionem , sed expectando absolutionem, & tacitè illam postulando videtur eadem peccata subiicere clauibus , & dolorem suum significare. Hanc solutionem indicat etiam Patres Suarez *loco citato.* Sed contra hoc est , quod posset accidere , per nullum actum subsequentem significari , dolorem. Si pœnitens , verbi gratia , post confessionem factam excitetur à confessario ad dolorem , & interim discedente paulisper confessario ad consulendum aliquem , vel ad aliud breue negotium , pœnitens tunc dolet de peccatis , rediens autem Sacerdos inuenit eum iam carentem vsu rationis , absolnit illum , de cuius dispositione non dubitat ; quo casu absolutio illa videtur omnino valida : & tamen dolor per nullum actum externum sequentem pœnitentis potuit Sacerdoti manifestari ; ergo non oportet, quod 16. *Quomodo dolor in Confessione reddatur sensibilis.* 17. 18.

quod reddatur sensibilis per illud silentium, & perseuerantiam subsequentem.

17. Melius respondetur, fieri sensibilem per ipsam confessionem præcedentem: non dico, quod non possit fieri sensibilis, nisi per confessionem: fateor enim posse etiam reddi sufficienter sensibilem per alia signa externa, v.g. per lachrymas, per suspiria, per verba pœnitentis dicentis, se dolere, &c. Sed dico, ad minus reddi sensibilem dolorem per confessionem præcedentem. Nec ad hoc requiritur confessionem esse effectum doloris, aut dolorem significari, tanquam eius causam: potest enim aliter significari, quatenus scilicet confessio, & accusatio in ordine ad absolutionem significat desiderium obtinendi veniam efficaciter, & per consequens, quod pœnitens vult ponere omnia requisita ex parte sua ad remissionem in illo Sacramento obtinendam. Cùm ergo vnum ex requisitis, & præcipuum sit dolor de peccatis: eo ipso pœnitens deferendo sua peccata in ordine ad absolutionem, ostendit, se vel doluisse, vel quod saltem dolebit de peccatis ante absolutionem. Cùm enim alterum ex illis sufficiat ad valorem Sacramenti, neutrum determinatè significatur, sed saltem sub disiunctione: Vnde dolor postea elicitus sensibilis factus est per confessionem præcedentem, quæ illum, vel vt præsentem, vel præteritum, vel vt futurum significabat.

18. Habemus ad hoc declarandum exemplum in hoc ipso Sacramento. Nam satisfactio, quæ est pars integralis huius Sacramenti, aliquando non est per se ipsam sensibilis, sed debet fieri sensibilis per aliud: quando scilicet imponitur pro pœnitentia aliquod opus internum, vt ægroto non potenti loqui, quod in corde suo inuocet Deum, vel alicui, quod habeat bis, vel ter actum patientiæ, vel conformitatis cùm diuina voluntate, vel quod per horam attendat orationi mentali, & meditetur aliquid de passione Dei, vel examinet suam conscientiam quæ omnes sunt actiones internæ, & insensibiles possunt tamen imponi in pœnitentiam iuxta communem, & veriorem sententiam, quam sequitur Suarez *infra disp. 37. sect. 6.* Tunc autem fiunt sensibiles per verba Sacerdotis imponentis pœnitentiam, & per acceptationē pœnitentis, quæ sunt actiones antecedentes ipsam exsequutionem satisfactionis, vt constat. Similiter ergo per confessionem præcedentem potest reddi sensibilis dolor consequens, quia sicut impositio pœnitentiæ significat, eam postea implendam esse; Sic confessio in ordine ad veniam in Sacramento obtinendam significat dolorem requisitum positum, vel ponendum esse, non enim minor est obligatio habendi dolorem, quàm implendi pœnitentiam sibi à confessario impositam.

19. Dices, si per confessionem pœnitens significabat dolorem præsentem, vel futurum, ergo mentitus fuit, quia suppono ipsum tunc non habuisse dolorem præsentem, nec animum dolendi ante absolutionem, nec enim cogitauerat de necessitate habendi dolorem.

20. Respondetur, non fuisse mentitum. Primò, quia non omnis, qui ponit signum aliquod absque re significata, mentitur: nam lachrymæ sunt signa doloris, & tamen pœnitens, si fleret absque dolore interno sufficienti, non mentiretur in rigore. Requiritur ergo ad mendacium, quod ponatur signum tale: scilicet, loquutio significans per modum locutionis tale obiectum, quod re ipsa loquens non credit esse verum. Confessio autem peccatorum non est loquutio, qua pœnitens dicit, *Ego doleo, vel dolebo*, sed, *ego peccaui*, ergo non mentitur confitens absque dolore. Est tamen confessio signum doloris, non per modum loquutionis, quia signum latius patet (vt dixi) quam loquutio: sed propter connexionem, quàm habet cum dolore, ex eo quod hoc Sacramentum exigit necessariò dolorem ad suum valorem: Vnde qui confitetur ad hunc finem, eo ipso creditur habere dolorem requisitum ad valorem Sacramenti.

21. Secundò explicatur alia ratione, quomodo ille non mentiatur, quia nimirum licèt non cogitauerat explicitè de dolore habendo: habet tamen voluntatem vniuersalem suscipiendi Sacramentum pœnitentiæ à Christo institutum, & per consequēs saltem implicitè, & in confuso habet animum apponendi, quæ necessaria sunt ad valorem eius Sacramenti: Si ergo postea ad hunc finem concepit dolorem; iam hoc ipsum significauit implicitè per confessionem præcedentem, per quam ostendit, se habere animum apponendi omnia necessaria ad suscipiendum Sacramentum validum.

22. Hinc constat iam solutio argumenti propositi ab illo Auctore: nam admissâ maiori, negamus minorem, quod scilicet, non possit dolor per confessionem significari, nisi vt causa per suum effectum: Diximus enim significari, vt effectum voluntatis, à qua oritur confessio, quia cùm confessio procedat à voluntate, suscipiendi Sacramentum, & hæc voluntas inferat positionem doloris necessarij, consequens est, vt confessio significet dolorem propter connexionem cum ipso, tanquam cum effectu eiusdem causæ, scilicet, eiusdem voluntatis suscipiendi Sacramentum validum.

23. Arguit vlteriùs Coninch pro sua sententia quia si confessio externa non debet ex dolore procedere, posset quis absque vllo peccatorum dolore, eiusve significatione per modum historiæ narrare sua peccata; & postea interiùs atteri, & sic absolui, etiamsi internus dolor nullo signo externo proderetur. Respondetur ex dictis, si narratio peccatorum fieret per modum accusationis, hoc est, deferendo illa peccata Sacerdoti ad obtinendam absolutionem, iam eo ipso significaretur dolor, vel præsens, vel futurus, saltem in confuso, vt explicuimus. Si verò narratio non esset in ordine ad absolutionem, nec per modum accusationis; non sufficeret dolor subsequens, eo quod deesset vna pars Sacramenti, scilicet, accusatio, seu confessio iudicialis peccatorum, quæ debet præcedere absolutionem.

Dices, accusatio vera debet esse profecta ex odio delicti: Ergo si confessio non oritur ex dolore non fuit accusatio. Respondetur, accusationem debere oriri ex aliquo odio delicti, & desiderio correctionis, non tamen perfecto, & absoluto, vt dixi *sect. præced.* peccator autem quoties se accusat, habet aliquod odium peccati, & aliquod desiderium salutis, nisi omnino fictè confiteatur.

SECTIO III.

Vtrùm ad singulas confessiones requiratur nouus actus doloris?

24. COnsequenter ad præcedentem doctrinam dubitari potest, si quidem dolor internus est pars Sacramenti, & materia proxima partialis; an in singulis Sacramentis pœnitentiæ debeat apponi nouus dolor de peccatis pro materia proxima; an verò sufficiat vnus, & idē dolor ad duplex Sacramētum pœnitentiæ recipiendum? Casus autem potest in praxi frequenter cōtingere: si aliquis v.g. in confessione obliuiscitur vnius peccati ex quinque, quę

propo

proposuerat confiteri: statim autem post absolutionem recordatur, & addit illud aliud peccatum, quæritur, an indigeat nouo actu doloris, an verò in virtute prioris adhuc virtualiter manentis, possit ab illo peccato absolui?

25. De hoc puncto non loquuntur expresse Doctores. Aliqui tamen cùm de reiteratione confessionis agunt, videntur supponere, ad secundam absolutionem ab eisdem peccatis prærequiri nouam confessionem, & nouum dolorem: ita Bonacina *de Sacram. disp. 5. q. 4. punct. 4. n. 1.* & alij, qui dum fatentur, posse eadem peccata iterum esse materiam secundæ confessionis; dicunt rationem esse, quia peccata sunt materia remota in hoc Sacramento: materia autem remota potest eadem deseruire ad duo Sacramenta vt eadem aqua ad duplicem Baptismum, licèt eadem materia proxima non possit. Vnde videntur supponere dolorem, qui est materia proxima, non posse eumdem deseruire ad duplex Sacramentum pœnitentiæ: & clarius P. Vasq. *q. 92. art. 3 dub. 5. n. 10.* dicit, quando repetuntur eadem peccata in noua confessione debere repeti nouum dolorem, quia materia proxima debet esse noua pro Sacramento nouo.

26. Primo Henriquez. Cæterùm P. Henriquez *lib. 4. de pœnitent. cap. 26. §. 7.* dicit, aliquando vnam, & eandem contritionem ad duo Sacramenta posse, vt partem pertinere, *vt cùm semel absolutus, iteratâ mox nouâ confessione explicet præteritum dolorem, & peccatum oblitum, hic enim nouum,* (inquit) *effectum gratiæ antè videtur recipere, dum absque nouo dolore recipit absolutionem, quia adsunt requisita omnia, scilicet, noua confessio, vt signum peccati, & doloris; Nam dolor prior vt in virtute extensus est ad peccata oblita, perinde valet, ac si esset nouus dolor de peccatis oblitis.* Henriq. Addit tamen statim, aliud dicendum esse, si confessio secunda fiat de eisdem peccatis, à quibus directè pœnitens fuerat absolutus; tunc enim debet habere nouum dolorem eorumdem peccatorum, qui subiiciatur nouæ absolutioni, sicut debet esse noua confessio.

27. Hæc opinio, quo ad priorem partem confirmari potest ex praxi: Nam licèt vnus, vel alius confessarius fortassè admoneat pœnitentem in prædicto casu de renouando dolore: alij tamen omnes communiter id non faciunt. Eadem item praxis est in moribundo, qui propter instantis mortis periculum absoluendus est audito vno, vel altero peccato, & deinde prosequenda est confessio de aliis: tunc enim non solet postea cogi ad renouandũ dolorem post primam absolutionem, sed absolmitur secundò ab aliis peccatis ex vi prioris doloris moraliter permanentis. Rursus in eo casu, quo aliquis propter peccata reseruata dimidiare potest confessionem, confitendo superiori sola reseruata qui alia audire non vult & deinde inferiori eadem cum aliis, tunc, inquam, iuxta communissimam sententiam, quam sequitur Hentiq. *lib. 6. de pœnit. c. 15. §. 4.* cum multis, quos affert, datur duplex absolutio Sacramentalis supra eandem confessionem, quæ partim sit cum superiore, partim cum inferiore. In quo casu nemo dicet, pœnitentem teneri ad habendos duos actus doloris, si prior dolor extendebatur ad peccata reseruata, & non reseruata. Ergo nec in casu nostro debet repeti dolor, cùm prior se extenderet ad peccatum etiam, cuius oblitus fuit pœnitens in confessione, & quod auditur in secunda reconciliatione.

28. Id verò, quod in contrarium opponebatur; quod scilicet, dolor sit materia proxima Sacramenti, atque ideo non possit duplex forma cadere supra eumdem dolorem: hoc, inquam, retorqueri potest ostendendo, posse aliquam materiam proximam partialem deseruire eandem pro duplici forma Sacramentali. Sic enim Corpus Christi est materia proxima partialis in Sacramento Eucharistiæ, & tamen idem substat omnibus cõsecrationibus. Item in hoc eodem Sacramento pœnitentiæ satisfactio est materia proxima partialis, & tamen non videtur repugnare, quod eadem satisfactio materialiter sumpta, hoc est, idem ieiunium, v. g. deseruire possit pro materia integrali duplicis Sacramenti. Si enim impositum tibi fuit pro pœnitentia ieiunium crastinum, & rursus confitearis hodiè, poterit secundus confessarius præcipere tibi in pœnitentiam idem ieiunium crastinum, iuxta communem sententiam docentem, posse imponi in pœnitentiam opera aliunde debita ex præcepto, imò de facto id videntur supponere, qui dicunt, quod per illa verba *quidquid boni feceris, & patienter sustinueris*, &c. eluantur omnia opera bona ad hoc, vt sint satisfactio Sacramentalis: nam in secunda confessione repetit Sacerdos illa verba immediatè post primam, & per consequens per vtramque absolutionem eleuat eadem opera subsequentia, ad hoc vt sint pars integralis vtriusque Sacramenti.

29. Dices, in eo casu, licèt vnum, & idem ieiunium esset pars integralis vtriusque Sacramenti; formaliter tamen esset diuersum; quia esset pars vnius Sacramenti, in quantum impositum ab hoc confessario & esset pars alterius, quatenus fuit impositum ab altero. Sed contra, quia eadem est ratio, quoad hoc de dolore; qui esset etiã pars vnius Sacramenti, quatenus significatur per alteram confessionem, quare sicut ibi ieiunium esset vnicum, sed impositio ipsius esset duplex; sic in nostro casu, licèt dolor esset vnus, significatio ipsius esset duplex, scilicet, per duplicem confessionem diuersam.

30. Dices; si idem dolor potest deseruire ad duo Sacramenta; Ergo poterit etiam eadem confessio deseruire ad duplicem absolutionem, & ad duplex Sacramentũ pœnitentiæ: non enim est minùs materia proxima dolor, quàm confessio, atque adeò eadem erit ratio de vtraque parte. Respondetur negando consequentiam; nam licèt vtraque pars sit materia proxima, longè tamẽ diuerso modo: cùm enim hoc Sacramentum institutum per modum iudicij, non potest secundò exerceri absque noua confessione, quia postquam sententia valida prolata est à iudice in aliqua causa, non potest iterũ sententia proferri, nisi fiat noua accusatio, & nouus processus; fiat enim iudex functus est suo munere. Ad nouam ergo absolutionis sententiam requiritur nouus processus, & per cõsequens noua accusatio, & testificatio, quam ponit pœnitẽs, qui est accusator, testis, & reus. Totum autẽ hoc potest poni absque nouo dolore, vt constat, & per consequens potest poni materia proxima noui Sacramenti. Hinc etiam est, quod licèt in nouo Sacramento pœnitentiæ possit iuxta illam sententiam, quam retulimus, imponi idem opus, idẽ ieiunium, v. g. debet tamẽ intervenire nouum præceptum, seu noua impositio pœnitentiæ, ita vt idem ieiunium debeatur iam ex obligatione duplici orta ex duplici sententia Sacramentali. Ratio autem differentiæ est eadem, quia nimirum ad nouum iudicium requiritur noua sententia, non tamen requiritur, quod pœna, quæ imponitur, materialiter sumpta, sit diuersa: potest enim eadem deberi ex duplici sententia. Cùm ergo impositio pœnitentiæ sit pars sententiæ, quam in Iudicio Sacramentali profert Sacerdos, & sine qua iudicium non est integrum; oportet, quod in nouo Sacramento sit noua impositio pœnæ, licet non impositio nouæ pœnæ. Similiter ergo requiritur noua accusatio, licèt

sicet non requiratur semper nouus dolor; quia sicut satisfactio Sacramentalis significatur per sententiam præteritam, & aliquando fit sensibilis per ipsam, quando scilicet imponitur pro pœnitentia aliquod opus internum; sic dolor significatur, & redditur sensibilis per confessionem; sicut ergo eadem satisfactio potest significari per duplicem sententiam præcedentem in duplici Sacramento, sic idem dolor poterit significari per duplicem confessionem sequentem in duplici Sacramento, quia vtrobique remanet integrum iudicium, & completus processus iudicialis constans ex accusatione, testificatione, & sententia, quæ requiruntur nouæ ad rationem noui iudicij, eo quod super eodem processu non possit proferri secunda sententia post primam validam.

Hinc constat priorem partem illius sententiæ, quam ex P. Henriquez supra adduximus, videri satis probabilem; ex his autem, quæ in eius fauorem posuimus, argui potest contra posteriorem partem eiusdem sententiæ, qua dicebat, si confessio repetatur de eisdem peccatis, requiri nouum dolorem. Si enim vera sunt, quæ adduximus in confirmationem prioris partis, non apparet, cur aliquando circa eadem etiam peccata non possit repeti confessio, & absolutio noua in virtute doloris præcedentis perseuerantis adhuc moraliter, & virtualiter. Nam in primis in prædicto casu, quando superior audit sola reseruata, & ab illis absoluit, & deinde inferior audit omnia, ac iterum absoluit; Secunda confessio non est de solis non reseruatis, sed etiam de reseruatis, à quibus iam absoluerat superior, vt docent Auctores, quos refert, & sequitur ipse Henriq. *dicto lib. 6. c. 15. vbi supra.* Ergo si in virtute eiusdem doloris perficitur illa secunda confessio coram inferiore circa eadem peccata reseruata; iam admittitur aliquando duplex Sacramentum circa eadem peccata saltem partialiter posse subsistere absque nouo dolore. Nec enim quidquã refert quod in ea secunda confessione addantur alia peccata diuersa, scilicet, non reseruata: hoc, inquam parum refert, quia Sacramentũ illud, provt versatur etiam circa reseruata, est verum Sacramẽtum, & absolutionis forma illis etiam applicatur, ad hoc enim subiiciuntur in secunda confessione, vt fiat confessio integra omnium peccatorum vni, & eidem Sacerdoti; & tamen absolutio, provt versatur circa illa peccata, non inuenit nouum dolorem: Ergo licèt illa peccata sola fuissent tota materia confessionis, posset secunda absolutio illis applicari absque nouo dolore, si potest, quando sunt materia partialis.

Ratio item videtur esse eadem in vtroque casu; nam si aliquid cogit ad exigendum dolorem nouum in secunda absolutione, illud est, quod, scilicet, dolor est materia proxima Sacramenti, & non potest duplex forma applicari eidem materiæ proximæ; hæc autem ratio probaret etiam, fieri non posse in priori casu; nam licèt peccata noua dicantur in secunda confessione; dolor tamen est idem: ergo si in eo casu ratio illa non conuincit, non debet in posteriori conuincere.

Respondet Henriquez tacitè huic obiectioni *in margine littera V.* in priori casu non solùm apponi pro materia nouum peccatum, sed etiam nouum dolorem virtualiter; quia attritio præcedens secundùm quod extendebatur ad peccatum omissum, non fuit informata directè per Sacramẽtum prius, & per absolutionem; ac perinde quatenus respicit illud peccatum, habet se sicut noua attritio illius peccati. Quod potest explicari considerando attritionem præcedentem, sicut si essent plures attritiones partiales de pluribus peccatis, ex quibus illæ, quæ versabantur circa peccata explicata in primâ confessione, fuerunt directè informatæ per primam absolutionem; illa autem attritio partialis, quæ versabatur circa peccatum omissum, non fuit directè informata prima absolutione, ac proinde potest esse pars secundi Sacramenti. Quando verò secunda confessio est de eisdem peccatis non ponitur nouus dolor iam virtualiter, quia totus ille, provt respiciebat hæc peccata, fuit directè informatus prima absolutione.

Sed hæc responsio retici potest primò, quia dolor ille secundùm totam suam vniuersalitatem fuit vera pars essentialis prioris Sacramenti. Suppono enim ex dicendis *sectione 5.* ad valorem huius Sacramenti requiri voluntatem efficacem, quæ ex se opponatur cum omni voluntate peccandi; hæc autem est voluntas vniuersalis; Ergo secundum totam illam vniuersalitatem requirebatur ad prius Sacramentum. Secundò, quia quidquid sit de hoc, ille tamen dolor numero non potuit esse pars prioris Sacramenti, provt terminabatur ad talia peccata, nisi esset etiam eius pars secundùm totam suam vniuersalitatem: Nam suppono, per illum actum doluisse hominem de illis peccatis, non propter aliquod speciale motiuum; & quia talia peccata erant, sed sub motiuo vniuersali, & quia peccata erant, vel propter gehennam, & c. sed dolor ille fuit pars prioris Sacramenti, non solum provt terminatus ad obiectum materiale, scilicet, ad talia peccata, quæ explicata sunt in priori confessione: sed multò magis, provt terminatus ad obiectum formale, à quo accipit honestatem, & moralitatem: ergo ille dolor fuit pars talis Sacramenti, secundùm quod respiciebat tale motiuum vniuersale: ergo provt respiciebat alia etiam peccata omissa, quia in tantum ea respiciebat, in quantum versabatur circa motiuum vniuersale, sub quo omnia illa comprehendebantur: ergo de primo ad vltimum dolor ille secundùm totam suam vniuersalitatem fuit pars prioris Sacramenti, atque adeo non est nouus dolor etiam virtualiter, qui sit pars Sacramenti posterioris.

Adde, exempla supra à nobis adducta, si quid probant procedere etiam in hoc posteriori casu; nam corpus Christi idem realiter, & virtualiter est materia proxima Eucharistiæ sub diuersis speciebus panis: Item satisfactio Sacramentalis eadem secundùm suam entitatem, idem scilicet ieiunium, v.g. est pars integralis vtriusque Sacramenti pœnitentiæ, quando idem ieiunium præcipitur ab vtroque confessario. Denique etiam in hoc casu procedit, quod dicebamus de nouitate iudicij in ratione iud cij; Nam in hoc etiam casu datur nouus processus, noua accusatio, noua testificatio, noua sententia absolutoria, & condemnatoria etiam per nouam impositionem pœnitentiæ; ergo datur quidquid requiritur ad nouam sententiam ferendam in virtute præcedentis doloris adhuc moraliter, & virtualiter perseuerantis. Non ergo video ratione discriminis sufficientem, cur valeat confessio secunda in priori casu absque nouo dolore, & non in posteriori: & licet Auctores non agant expresse de hoc pũcto, ex modo tamen, quo loquuntur, videntur hoc insinuare, cùm enim dicunt posse secundam absolutionem cadere supra eadem peccata, addere solent *si tamen detur noua confessio*: de dolore autem nouo nihil dicunt, si vnum, vel alterum excipias, imò P. Ioannes de Salas in manuscriptis de pœnitentia *q. 84. art. 10.* relatâ sententiâ aliquorum Recentiorum, qui dicebant, requiri nouum dolorem, sicut nouam confessionem ad valorem

secundæ

secundi Sacramenti ; ipse dicit contrarium verius esse, & sufficere, quod partes sensibiles sint novæ, & addit, satisfactionem, licèt sit pars insensibilis, posse fortasse eandem esse partem duplicis Sacramenti. Eandem sententiam indicauit obiter quidam alius Magister Salmanticensis in hac eâdem materia, dicens, illam non videri improbabilem: clariùs autem, & expressè eam docuit Petrus de Ledesma *in Summa, c. 4. de Sacramento Pœnitentiæ* & Io. de la Cruz *in director. p. 2. de Sacram. Pœnit. q. 1. dub. 8. conclus. 2.* Apud alios nihil inuenio pro hac parte, nec etiam contra illam, quam quidem ego non auderem reprobare.

35. Dices hinc sequi, quod posset aliquis initio anni habere dolorem de aliquibus peccatis, & in virtute illius doloris non renouati, confiteri singulis diebus toto anno eadem peccata. Respondetur, id pendere ex alia quæstione, ad quam omnes debent respondere : scilicet, quanto tempore possit antecedere dolor ante confessionem, vel absolutionem, ad hoc vt dici posset habere moralem vnionem cum ipsa in ordine ad constituendum vnum Sacramentum. Omnes enim debent taxare aliquod tempus, intra quod debeat esse dolor, ne fortè propter longam distantiam non possit esse vnio moralis inter partes adeo distantes. Adde, dolorem priorem interrumpi per peccatum subsequens, atque adeo ex eo etiam capite debere iterum renouari.

SECTIO IV.

Quomodo actus doloris debeat à pœnitente referri ad Sacramentum Pœnitentiæ?

PRæcedenti dubio affine videtur esse aliud; an, scilicet, dolor, qui est pars Sacramenti pœnitentiæ, debeat elici à pœnitente ex intentione, & relatione ad confessionem : an verò postquam elicitus est absque memoria confessionis, possit pœnitens eo dolore vti ad recipiendum Sacramentum pœnitentiæ ? P. Suarez *disp. 20 sect. 4. num. 29.* videtur exigere relationem aliquam doloris in ordine ad confessionem faciendam : à quo videntur accepisse illum modum loquendi alij recentiores. Bonacina *de pœnit. disp. 5 q. 2. p. 2. n. 17.* dicens, requiri quod dolor formaliter, vel virtualiter referatur ad confessionem, v. g. si doleat homo cum proposito confitendi, vel recogitet peccata cum dolore, vt ea confiteatur, & virtute illius propositi, & intentionis confiteatur. Alij verò Recentiores addunt, si quis doleat de peccatis in ordine ad confessionem hodiè faciendam, v. g. hunc dolorem non sufficere ad confessionem cras faciendam ; quia sine hac relatione non videtur habere vnionem moralem cum confessione sequenti.

36. *An debeat elici ex intentione confitendi.*

37. Suarez. Oppositum tamen videtur verum : nec credo, P. Suarez in illa fuisse sententia ; nam loco citato explicans, qualiter debeat referri dolor ad confessionem, sic ait: *quod fit quoties quis peccata recogitat, & de eis dolet, vt ea confiteatur, vel præbet signum sui doloris in ordine ad confessionem faciendam, seu absolutionem obtinendam ac denique quoties quis dolet de peccatis cum expresso proposito illa confitendi, ex cuius virtute postea confessionem facit : nam quilibet ex his modis sufficit ad veram accusationem, aliqua verò huiusmodi relatio necessaria est*, &c. in quibus verbis satis apertè indicat, sufficere illum secundum modum referendi dolorem, qui datur, quando quis in ordine ad confessionem, vel absolutionem præbet signum aliquod sui doloris præcedentis. Eodem modo loquitur P. Valerius Reginaldus *in praxi tom. 1. lib. 5. n. 54.* vbi ait, eum, qui ex contritione priùs habita excitatur ad confessionem, & examen peccatorum, non debere postea de illa iterum conteri.

Potest autem hoc probari primò ex Tridentino *sess. 14. c. 4* vbi de dolore in vniuersum dicitur, præparare hominem post Baptismum lapsum ad recuperandam diuinam gratiam, & remissionem peccati obtinendam, si cum fiducia diuinæ misericordiæ, & voto præstandi reliqua, coniunctus sit, quæ ad rite suscipiendum hoc sacramentum requiruntur. Item additur, attritionem, si voluntarem peccandi excludat cum spe veniæ, esse donum Dei, quo pœnitens licèt non extra Sacramentum, in Sacramento tamen pœnitentiæ ad Dei gratiam impetrandam disponitur. Quæ omnia verificantur in casu nostro, nam si attritio habeatur ex metu gehennæ, vel ex alio sufficienti motiuo, & postea homo ad impetrandam Dei gratiam velit confiteri, & absolui, concurrunt omnia, quæ à Concilio petuntur, scilicet, dolor de peccatis, votum præstandi omnia, quæ requiruntur ad Sacramentum pœnitentiæ (hoc enim votum semper continetur implicitè in qualibet attritione, quatenus in ea includitur propositum seruandi omnia præcepta) rursus adest actus excludens voluntarem peccandi cum spe veniæ, ergo dantur, quæ disponunt iuxta mentem Concilij, sufficienter ad impetrandam gratiam, & remissionem in hoc Sacramento. Frustra ergo petitur illa alia relatio doloris ad Sacramentum, vel ad confessionem.

Secundò probari potest ex communi fidelium sensu; si enim aliquis dum legit, vel dum audit concionem, moueatur ad intensum dolorem, & detestationem suorum peccatorum, & postea ex desiderio veniæ cogitet de confessione facienda, & Sacerdoti confiteatur, nemo dicet, hunc non esse optimè dispositum ad absolutionem recipiendam, imò ille videtur esse modus aptissimus, cùm ex dolore peccatorum, & desiderio veniæ procedat ad procurandam confessionem, & absolutionem. Tunc autem dolor non processit ex desiderio confessionis, nec ordinatus fuit ad illam relatione aliqua antecedenti, sed consequenti, quæ licèt fuerit paruò post ipsum dolorem, hoc parum interest: Idem enim esset, si tribus, vel pluribus horis post dolorem homo recordaretur confessionis, & eam procuraret, quia adhuc verum esset confessionem illam fieri à pœnitente cum vero dolore, & dolorem significari per ipsam confessionem, (quod solùm perebat Suarez:) ergo licèt in ipso dolore homo non recordetur confessionis, poterit tamen postea vti illo dolore ad obtinendam absolutionem, sicut ad Baptismum.

Tertiò probari potest ex ipsa natura, & institutione huius Sacramenti, in quo magis connaturale est, quod ex dolore, & contritione oriatur desiderium confitendi, quàm quod è contra ex desiderio confitendi oriatur dolor, & contritio: Si enim consideretur hoc Sacramentum, vt quoddam iudicium est, certum videtur, in iudicio humano ex displicentia, & odio delicti oriri accusationem, & desiderium deferendi illud ad iudicem, & procurare remedium, non verò è contra ex desiderio accusandi oriri odium delicti; ergo similiter in hoc Sacramento ordo connaturalior est, si homo ex odio peccati veniat in cogitationem, & desiderium procurãdi remedium illius in hoc iudicio Sacramẽtali. Deinde si cõsideretur hoc Sacramẽtũ, quatenus est

est condonatio,& relaxatio offensæ:Certum etiam videtur,quod sit modus aptior,& congruentior ad impetrandam veniam,quando quis ex odio offensæ,quam intulit,& ex pœnitentia interna,mouetur ad petendam veniã à Sacerdote Vicario Dei,quàm si ex desiderio remissionis moueatur ad dolendum de offensa Dei: Imò ipse dolor eò perfectior erit, quo purior,& solùm propter motiuum diuinæ offensæ;minus autem haberet de hac puritate, si ex relatione antecedenti ad confessionem, & ex desiderio Sacramenti imperaretur actus doloris de peccatis:iam enim tunc dolor haberet saltem pro motiuo extrinseco desiderium Sacramenti, & eo minùs moueretur homo à malitia offensæ diuinæ ad dolendum,quò magis moueretur, & impelleretur ab extrinseco imperio procedenti ex alio motiuo.

41. *Omnes actiones Sacramentales debent fieri ex intentione Sacramenti.*

Dices, actiones Sacramentales debent fieri ex intentione Sacramenti;neque enim sufficeret ablutio præcedens facta sine intentione Sacramenti; licet immediatè post referret eam aliquis ad Sacramentum Baptismi,& adiungeret formam: ergo cùm actus doloris sit pars huius Sacramenti,debet etiam fieri ex intentione Sacramenti; nec sufficit,si postea ad eum finẽ referatur.Alioquin enim idem posset aliquis dicere de confessione,quæ licet fuisset facta absque ordine ad absolutionem Sacramentalem, posset postea referri ad eum,finem, & fieri materia Sacramenti.

41. Respondetur in primis falsum est,omnes actiones Sacramentales debere fieri ex intentione expressa recipiendi Sacramentum;nam in matrimonio licet aliquis ignoret illum contractum esse Sacramentum inter Christianos, solùm intendat facere contractum, adhuc recipiet Sacramentum, quod est inseparabile à contractu. Deinde ex eo quod aliquid sit materia Proxima Sacramenti,non arguitur, quod debeat fieri ex intentione Sacramenti;nam species panis sunt etiam materia proxima Eucharistiæ, & tamen non debent ipsæ species fieri ex intentione Sacramenti,sed sufficit,cõsecrationem fieri ex ea intentione. Denique in dolore est specialis ratio,cur non requiratur in ipso talis intentio antecedens,qua scilicet, dolor nõ fit à pœnitente, tanquam Christi ministro; solus enim Sacerdos operatur,vt Christi minister in hoc Sacramento, illæ autem Sacramentales actiones quæ fiunt à ministro,debent fieri per intentionem explicitam, vel implicitam Sacramenti ponendi, quia non potest aliquis operari, vt minister alterius,nisi operetur nomine ipsius,nec potest operari nomine ipsius nisi id velit & intendat.Vnde in ipso etiam Sacramento Matrimonij coniuges, qui sunt ministri, debent habere hanc intentionem saltem implicitam, quam habent, quoties volunt contrahere verum matrimonium: Cùm enim hoc inter Christianos non possit fieri sine Sacramento, eo ipso quod volunt omnino perficere matrimonium validum,volunt implicitè perficere Sacramentum, sine quo non fit matrimonium validum: si autem haberent intentionem efficacem repugnantem, & omnino excludentem rationem Sacramenti, non efficerent contractum matrimonij. Talis etiam est ablutio in Baptismo, quam minister operatur, vt minister Christi & ideo debet fieri ex intentione Sacramenti; nec poterit ablutio absque ea intentione facta,referri postea ad Sacramentum Baptismi adiungendo formam. Contritio verò; vel dolor non est actus talis, quam pœnitens faciat nomine Christi;Vnde ex eo capite non requirit intentionem antecedentem, qua referatur ad Sacramentũ.

43. Potest autem ad hoc ipsum confirmandum afferri id, quod aliqui Theologi dicunt de satisfactione Sacramentali, suppositia enim probabilissima, & communissima sententia, quod pœnitens satisfaciat præcepto confessarij,etiamsi satisfactionem adimpleat in peccato mortali,eo quod præceptũ Confessarij solùm sit de ieiunio,vel de eleemosyna:addunt aliqui,nec etiam requiri, quod pœnitens impleat satisfactionem ex intentione satisfaciendi præcepto:nam sicut præcepto Ecclesiæ audiendi sacrum satisfit audiendo sacrũ absque vlla prorsus intentione satisfaciendi præcepto iuxta cõmunem Theologorum doctrinam, quia præceptum non est de motiuo,sed de auditione sacri:sic etiam dicunt,præcepto cõfessarij de recitandõ hodie rosario, satisfieri per rosarij recitationem hodiernam, factam absque memoria, vel intentione satisfaciendi præcepto; quod docet Thomas Sanchez *lib.1.in decalogum, cap. 12.n.17.& lib.4.c.13. in fin.*Hæc autem doctrina debet eodem modo explicari,dicendo,satisfactionem illam,licet sit pars Sacramenti, non tamen exigere peculiarem illam intentionem Sacramenti recipiendi, eo quod non sit actio Ministri,sed pœna imposita à Ministro ad quam subeundam, & implendam non requiritur intentio,sicut neque in aliis præceptis.

44. Obiicies tamen aliquis esse actiones Sacramentales, quæ non fiunt Ministro, sed à recipiente Sacramenti, & tamen exigunt intentionem Sacramenti.Sic in Sacramento Ordinis, ille qui ordinatur,debet tangere materiam cum intentione Sacramenti, & in hoc ipso Sacramento Pœnitentiæ pœnitens debet habere intentionem faciendi confessionem in ordine ad Sacramentum recipiendum. & tamen hi sunt ministri.Ergo licet dolor non sit actio ministri,adhuc exiget intentionem.

45. Respondetur, illas actiones requirere quidem intentionem; licet non sint actiones ministri: id tamen prouenire ex aliis capitibus, & rationibus, quæ non procedunt in dolore:nam tactus materia in ordinatione(si re vera ad valorem necessarius sit, id enim multi probabiliter negant) in tantum requiritur,in quantum sine illo non detur completa actio ministri ordinantis, quæ est traditio,quia traditio esse non potest sine acceptatione, sicut nec ablutio actiua in Baptismo potest esse sine ablutione passiua: cùm ergo actio Episcopi sit traditio humana,requiri acceptationem humanam ex parte illius,qui accipit, neque enim ego dico tradidisse humano modo aliquid si ille alius materialiter, & sine attentione,vel intentione accepit: ideo in ordinando requiritur acceptio, & tactus cum intentione accipiendi humano modo, hoc est, accipiendi ad eum finem, ad quem traditur.Item in confessione requiritur intentio aliqua,quia ad hoc Sacramentum requiritur confessio iudiciaria,hæc autem est,quæ fit iudici,vt iudici, debet ergo pœnitẽs dicere peccata Sacerdoti,tanquam iudici,quia sine hac intentione non poneret confessionem iudiciariam,& hoc est formalissimè intendere saltem implicitè finem Sacramenti.In dolore autem nulla ex his rationibus militat,vt constat;quare non est, vnde in ipsius exercitio requiratur talis intentio antecedens:quâ referatur ad Sacramentum.

46. Dices;non solùm requiritur intentio in ministro Sacramenti,sed etiam in suscipiente,si sit adultus, ergo pœnitens,dum habet actum contritionis, debet habere intentionem,saltem quatenus actu recipit aliquid Sacramenti, scilicet, vnam partem materiæ. Respondetur intentionem in suscipiente Sacramentum requiri regulariter tunc,quando minister confert illi Sacramentum nomine Christi: v.g.dum baptizat, vngit,imponit manus, profert

verba, &c. ratio autem videtur esse: quia (vt notat Suarez 3. tom disp. 14. sect. 2. circ. med.) per Sacramenta homo initiatur & consecratur Deo; ille autem qui consecratur, non debet inuitus consecrari, & dedicari Deo: consecratur autem, quando à ministro vngitur, tangitur, abluitur, &c. proferuntur verba: ideo qui ordinatur verbi gratia, tunc debet præstare consensum, quando accipit materiam vel ordinatur, quia tunc accipit potestatem: datio autem potestatis absque acceptatione eius, qui habet vsum rationis, non est valida, & completa: ideo tunc debet esse intentio in suscipiente. Quod idem procedit de aliis Sacramẽtis cum proportione, in quibus datur etiam aliqua potestas, vel aliquod donum à ministro nomine Christi. Quando verò fit contritio, non consecratur pœnitens à ministro, nec accipit ab eo potestatem aliquam, quam debet acceptare, sed disponit se ad consecrationem per absolutionem Sacerdotis accipiendam; non ergo requiritur tunc alia intentio præter ipsammet contritionem, quæ se sola sufficienter disponit.

47. Sed contra vrgebis, primò quia infans non potest acceptare potestatem in Sacramento, & tamen illud validè recipit, ergo potest esse valida, & completa traditio potestatis absque acceptatione suscipientis, atque adeo ex hoc capite non requiretur intentio. Respondetur, acceptationem requiri ad valorem aliarum donationum, quando fit donatio adulto, non quando fit infanti, vt cum aliis obseruat Thomas Sanchez *lib. 1. de matrim. disp. 6. n. 15. & 27.* Sic ergo de Sacramentis, quando ministrantur infanti non habenti propriam voluntatem, sufficit voluntas Christi, vel Ecclesiæ absque eius consensu, vt traditio potestatis sit valida.

48. Vrgebis secundò, quia ex hoc capite non requireretur intentio suscipienris toto tempore, quo minister loquitur, vel operatur, sed sufficeret intentio in fine. sicut quando aliquis donat tibi librum, non requiritur consensus tuus ab initio loquutionis, sed sufficit quando ille absoluit verba acceptare donationem; ergo licet ille qui baptizatur non haberet intentionem, quandò abluitur, sufficeret eam habere, quando absoluuntur verba. Respondetur, quando hoc esse differentiam inter Sacramenta, & contractus humanos, in quibus sufficit acceptatio in fine, quia adhuc perseuerat moraliter voluntas donantis. In Sacramentis verò non sufficit, quia eorum effectus non potest suspendi, sed debet operari, quando fiunt, vel applicantur. Vnde non sufficit consensus accipientis post finem verborum, quia iam non est sacramentum, neque etiam sufficit consensus post prolatam mediam partem v.g. formæ, vel applicatam materiam, quia illa pars, & illa consecratio præcedens non operatur, vt nunc moraliter perseuerat, sed vt fuit, quãdo physicè fuit. Nam si aliquis cum debita intentione effudisset aquam & postea cum debita intentione proferret verba, licet per possibile vel impossibile reuocasset intentionem, quoad effusionem aquæ præteritam, validum esset Sacramentum: quia non attenditur ad non reuocatam voluntatem, sed ad intentionem, quam habuit, quando effudit aquam: ideo ergo ab initio requiritur intentio suscipientis, vt singulæ partes consecrationis, & operationis ministri acceptentur, dum fiunt, quia si tunc non acceptantur, postea non poterunt acceptari, quando solùm moraliter perseuerant.

49. Sed vrgebis tertiò ex Sacramento matrimonij, in quo si fœminâ non cogitante de matrimonio, dicat vir cum intentione debita: *Ego te accipio in meam*: ipsa verò tunc cum eâdem intentione respondeat acceptando, & dicat *Ego etiam te in meum*; fit Sacramentum, licet intentio non fuerit in fœmina suscipendi Sacramentum ab initio, dum vir illud ministrabat: ergo non requiritur in Sacramentis intentio suscipientis toto tempore, quo minister illud ministrat.

Respondetur, ideo dixi supra, *regulariter*, eam intentionem exigi, vt scilicet exciperem matrimonium, quod sicut irregulare est, quoad alia multa; sic etiam quoad hoc. Quę differentia oritur ex duplici, vel triplici capite. Primò, quia in hoc Sacramento ritus, & verba non videntur sonare consecrationem, sed solam obligationem profanam. Secundò, quia est contractus, qualis antea erat: cùm ergo de se non exigeret acceptationem antecedentem, sed sufficeret acceptatio consequens, sicut in aliis contractibus, non debuit variari natura contractus per rationem Sacramenti supradictam. Tertiò, quia in Matrimonio non requiritur verba physica, sed sufficiunt virtualia, vt suprà diximus; atque adeò sufficiunt verba præterita moraliter manentia: cùm enim prolata fuerint à viro sub conditione, si fœmina acceptaret; fœmina postea acceptante, incipiunt eadem verba non reuocata, existimari verba nunc prolata absolutè: quæ verba virtualia, & moralia sufficiunt in illo Sacramento, licet in aliis non sufficiant. Habemus ergo ex his, non requiri semper intentionem Sacramenti in suscipiente, quoties ponitur aliqua pars intrinseca Sacramenti ex ratione generali partis Sacramenti, atque adeo neque eam intentionem requiri, quando ponitur dolor, qui est pars materiales.

Denique quod Aduersarij opponebant de vnione morali requisita inter dolorem, & confessionem, ad faciendum vnum Sacramentum, quæ vnio videtur fieri per illam relationem doloris ad confessionem. Hoc, inquam, parum vrget, satis enim coniunguntur moraliter; si intra debitum tempus dolor præcedens significatur per confessionem subsequentem; sicut etiam in iudicio humano, si aliquis ex odio precedenti scelerum, & ex desiderio remedij moueatur postea ad accusandos scelerato; sufficienter coniungitur accusatio cum odio præcedenti in ordine ad constituendam accusationem dolorosam, seu iustificatam. Nunc iam dicamus aliquid de proposito non peccandi.

SECTIO V.

Vtrùm requiratur propositum non peccandi ad Sacramentum pœnitentiæ.

TRes sunt Sententiæ. Prima docet, esse necessarium ad valorem Sacramenti propositum, sicut dolorem. Ita Ioannes Medin. *Cod. de confession. quæst. de confess. ficta* Toletus, *lib. 3. summæ cap. 4. §. Quinta est*, & alij, qui id probant ex Concil. Florent. & Trident. in quibus dicitur primam partem huius Sacramenti esse contritionem, ad quam pertinet dolor de peccato cum proposito non peccandi de cætero. 51. The second

Secunda sententia dicit, non requiri propositum formale, aut virtuale. Ita Soto, & alij, quos affert Suarez *in præsenti disputat. 10. sectione 4. num. 32.* 54.

Tertia sententia docet, requiri quidem ad Sacramenti valorem propositum, vel formale, vel virtuale, quod in actu doloris includitur. Hanc tenet Suarez *ibi num. 33.* & est communis inter Recentiores. 55.

Ego distinguendum existimo, aliquando enim dolor

Distinguendum §.

dolor est talis, in quo virtualiter includitur propositum requisitum; & tunc non exigitur ad valorem Sacramenti aliud propositum formale: aliquando verò dolor non includit tale propositum, & tunc requiritur propositum vniuersale præter dolorem. Potest enim dolor esse, non ex motiuo vniuersali, sed speciali, propter quod pœnitens dolet de peccatis illis, quę confitetur: & quidem hic dolor nec virtualiter continet propositum vniuersale non peccandi de cætero, sed ad summum continet propositum non committendi illa peccata, de quibus homo dolet. Alius verò est dolor de peccatis ex motiuo aliquo vniuersali comprehendente omnia peccata mortalia; vt si doleat homo propter offensam grauem Dei, propter irreuerentiam Dei, propter pœnas inferni, & carentiam beatitudinis, quæ correspondet omni peccato mortali: & quidem hic dolor virtualiter saltem continet propositum non peccandi mortaliter de cætero. Quando ergo dolor est prioris generis, requiritur propositum vniuersale, cùm in ipso actu doloris non contineatur: quando verò dolor est posterioris generis, ipse dolor sufficit ad valorem Sacramenti; cùm in se contineat virtualiter tale propositum vniuersale. Impossibile enim est, quod aliquis doleat efficaciter de furto, verbi gratiâ, præcisè, quia est offensa grauis Dei, & quo simul velit offendere Deum grauiter alio peccato diuerso: quia per priorem actum odit offensam grauem Dei super omnia: per posteriorem verò vult offensam grauem Dei ad vitandam iacturam alterius boni inferioris; quæ esset contradicto: ergo ille prior actus implicitè extenditur ad vitanda omnia peccata mortalia, quæ sunt etiam offensæ graues Dei.

53. Nec obstat verba Conciliorum Florentini, & Tridentini, quæ exigunt cum dolore propositum non peccandi: illa enim intelliguntur de proposito formali, vel virtuali, & implicito; quia nimirum potest esse dolor aliquis, vt diximus quia non affert secum tale propositum vniuersale: ideo explicuerunt Patres dolorem, non vt cumque, sed cum proposito non peccandi, siue formali, siue virtuali. Quod autem virtuale etiam sufficiat, colligi potest ex eodem Tridentino illa *sessione* 14. *cap.* 4. vbi dicitur, attritionem ex gehennæ metu, v. g. si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ, peccatorem disponere ad recipiendam gratiam iustificationis cum sacramento Pœnitentiæ: vbi non requiritur alia conditio ad hunc effectum, nisi quod attritio sit talis, quæ voluntatem peccandi excludat: ergo quoties hoc habuerit attritio, disponit sufficienter ad valorem Sacramenti. Dolor autem ille vniuersalis à nobis explicatus excludit omnem voluntatem peccandi, vt constat: ergo iuxta Tridentinum ille sufficit ad effectum huius Sacramenti, & per consequens id, quod superiùs dictum fuerat in eodem capite, contritionem esse dolorem ac detestationem de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero, intelligi debet de proposito, siue incluso in eodem actu doloris, siue non incluso, vt constat ex verbis posterioribus, quæ adduximus.

54. Obiicies primò, si dolor absq; alio proposito diuerso sufficit ad valorem huius Sacramenti: ergo etiam è contra sufficiet propositum efficax non peccandi absq; alio dolore diuerso: sicut enim dolor, & detestatio præteriti includit implicitè propositum circa futurum, sic propositum efficax videtur includere detestationem & odium peccati præteriti: Consequens autem videtur esse contra Tridentinum *illa sess.* 14. *capite* 4. vbi dicitur contritionem requisitam non esse solùm cessationem à peccato, & vitæ nouæ propositum, sed veteris etiã vitæ odium.

Respondetur, propositum & dolorem in aliquo posse æquiparari, & in aliquo differre. Conueniunt quidem in hoc, quod sicut dolor ex efficaci, & vniuersali odio peccati, & offensæ diuinæ includit virtualiter propositum circa futura; sic etiam propositum non peccandi ortum ex efficaci, & absoluto odio peccati, eo ipso continet implicitè detestationem peccati præteriti: vnde qui diligit Deum, super omnia actu efficaci; & ex hoc motiuo proponit firmissimè custodire eius mandata, eo ipso dicitur communiter habere contritionem virtualem, quia in eo actu continetur implicitè detestatio peccati præteriti, licet homo non recordetur, nec putet se peccasse, & offendisse Deum: ergo similiter, qui ex metu inferni concipit odium peccati, & proponit efficaciter vitare omnia peccata, eo quod displiceat illi super omnia quodcumque peccatum exclusiuum à Regno Cœlorum, & inductiuum damnationis æternæ, iam eo ipso continet implicitam detestationem peccati præteriti, in quo tota illa ratio odibilitatis reperitur. 55.

Differunt tamen adhuc quoad hoc actus detestationis, & actus propositi, quod detestatio efficax, & dolor de peccato præterito magis necessariò includit propositum implicitum, quàm è contra: nam qui detestatur super omnia peccatum præteritum, eo quod sit, v. g. inductiuum inferni, eo ipso ostendit, quod quantum est ex se vellet non esse positum peccatum, ne ponaretur aliquid inductiuum inferni, hoc enim est dolere efficaciter de illo, ergo eo ipso significat, quod si in ipsius potestate esset nunc, non permitteret poni peccatum, ne sequeretur illud malum, ergo si nunc se offerret occasio peccandi, non potest acceptare illam, nisi cesset ab illo priori actu, contradiceret enim sibi dicendo, quantum est ex me, vellem non esse positum, & vellem auferre tale malum positum, & aliunde volo illud de nouo ponere. At verò propositum non ita secum affert necessariò detestationem præteriti peccati. Nam qui proponit, ex vi propositi solùm dicit, volo deinceps nullo modo peccare: potest autem stare, quod quis firmissimè velit non iterum peccare, licet non displiceat illi peccasse olim: possum enim præscindere peccata præterita à futuris, & complacere in præteritis, vel saltem de illis non curare, negando tamen mihi omnia futura. Sic senex impeditus facilè proponit castam ducere vitam in futurum, licet non displiceat illi lasciuia suæ iuuenturis, nec contradicit sibi dicendo, placet mihi, quod feci, sed nullo modo volo iterum id facere, sufficit semel fecisse. Hinc ergo est, quod Concilium meritò ad contritionem requirat non solam mutationem vitæ, & propositũ vitæ nouæ, sed odium veteris, siue hoc includatur implicitè in actu propositi efficacis propter talem modum tendendi in obiectum formale, siue sit alius actus diuersus: nam propositum solum vitæ nouæ non sufficit ad veram pœnitentiam, cum possit etiam reperiri in non pœnitente. 56.

Obiicies secundò, posse reperi attritionem ex metu gehennæ, in qua non continetur implicitè tale propositum non peccandi de cætero. Si enim aliquis cogitans secum, acerbitatem inferni, diceret: ego mallem peccare mortaliter, quàm pati illas pœnas, peccat in hoc actu, & quidem hic homo 57. *An aliquis possit ex metu gehennæ attriti de illa propositione præteriti.*

Mallem peccare mortaliter quàm pati pœnas inferni.

postea, dum habet attritionem de suis peccatis ex metu inferni, non habet propositum etiam implicitum vitandi hoc peccatum; quomodo enim potest ex odio inferni moueri ad vitandum hoc peccatum? quippe iam sibi contradiceret, quia ex vna parte diceret; ego volo vitare infernum omnibus modis, & ad hunc finem volo vitare omnia peccata: ex alia verò parte diceret, ego volo potiùs pati infernum, quàm peccare, quæ duo repugnant inter se: ergo ex illo motiuo inferni non potest proponere vitationem huius peccati.

58. Respondetur, si argumentum hoc aliquid probat, probat etiam magis directè, non posse ex illo motiuo, & odio inferni concipi detestationem, & dolorem de illo peccato præterito; nam detestari illud, videtur esse dicere: Ego retracto, quod dixi, & assero, quod voluissem potiùs eligere infernum, quam peccatum: hæc autem prælectio non videtur posse fieri ex odio inferni; quis enim ex odio inferni eligat infernum potiùs, quam aliud malum? Si verò detestatio potest fieri ex motiuo illo, poterit etiam fieri propositum eodem modo, siue explicitè, siue implicitè. Quomodo autem possit quis ex illo motiuo detestari tale peccatum per veram attritionem; explicari potest hoc modo, quia omnia, quæ ex se afferunt aliquod malum, possumus detestari, & odisse ex odio illius mali, quod afferunt: sed illud idem peccatum attulit de facto dignitatem æternæ damnationis, ergo homo, qui aduertit, se per illud peccatum incurrisse damnationem æternam, potest ex odio illius damnationis dolere de tali peccato, per quod illud malum incurrit. Nec per hoc contradicit sibi in ipsa retractatione, quasi per ipsam velit simul duo contradictoria: non enim dicit, ego eligo infernum potiùs, quàm peccatum, sed solum retractat actum priorem, & dicit, vellem non fecisse illam electionem peccati præ inferno, & si esset in mea potestate, vellem, quod talis electio non fuisset, eo quod talis actus electionis attulit mihi damnationem æternam. De electione verò opposita facienda nihil dicit homo per hunc actum, sed solùm de illa mala electione non habenda, quia illa ipsa affert damnationem, quam volebat vitare: sicut qui habuit peccatum inuidiæ, quo doluit de bonis alterius, quia bona illius sunt, & vellet potiùs ipse ea habere cum alterius damno, non oportet ad dolendum de hoc peccato, quod dicat, ego gaudeo positiuè de bonis illius, & malo, quod ipse ea habeat, quàm ego; satis enim est, si dicat, doleo quod doluerim de bonis illius, & vellem non habuisse talem actum doloris; de obiecto autem illius actus inuidiæ nihil dicit, sed de ipso actu. Sic in casu nostro ad retractandum peccatum non est necesse decernere de obiecto illius, & velle electionem contrariam, sed satis est damnare actum ipsum propter damnum quod attulit, nihil decernendo de eius obiecto.

59. Hinc autem constat, eodem modo posse fieri propositum de illo peccato, iterum non committendo, licèt circa eius obiectum nihil proponatur; neque enim dicit homo: volo subire potiùs infernum, quàm peccare, sed dicit, volo non habere actum electionis, quo ostendam, me potius velle peccatum quàm infernum, eo quod talis actus electionis afferet mihi ipsum infernum.

Adde, etiamsi in illo proposito diceret homo: volo eligere, & velle potius Infernum, quàm peccatum; adhuc non vellet per illud propositum infernum ipsum, non enim est idem velle offerre se ad aliquod obiectum, ac velle ipsum obiectū. Imò qui scit quod si se offerat inimico ad mortem, euader mortem, potest ex desiderio vitandi mortem, velle se offerre occidendum suo inimico. Sic ergo homo ex desiderio vitandi infernum, quod scit vitari hoc modo, scilicet, offerendo se Deo ad patiendum infernum, potiùs, quàm peccandum: potest, inquam, tunc ex illo desiderio offerre se, & velle eligere potiùs infernum, quàm peccatum. Probatur hoc manifestè de facto in actu dilectionis Dei super omnia, quo quidem homo implicitè odit offensam Dei supra omne malum, & supra infernum ipsum: & tamen potest homo ex desiderio beatitudinis, & ex metu damnationis æternæ, imperare sibi actum dilectionis Dei, quo iustificetur: Ecce ex odio inferni imperat sibi, & vult actum dilecti onis; quo præeligit infernum offensæ diuinæ; in quo nulla est contradictio, imò necesse est, quod id fiat, quoties homo ex metu inferni proponit fortiter seruare omnia præcepta: vnum enim præceptum est diligendo Deo super omnia, & per consequens ex metu, & odio inferni vult homo seruare illud præceptum, & elicere actum dilectionis Dei, quo velit potiùs infernum, quàm Dei offensam. Ratio autem est, quia, vt diximus, omne id, quod est vtile ad aliquem finem, nisi aliunde repugnet specialiter, potest eligi ex amore illius finis: cùm autem vtile, imò necessarium sit ad vitandum infernum habere actum, quo homo eligat potiùs infernum, quàm peccatum, & aliunde non repugnet, imò necesse sit, quod homo ex desiderio beatitudinis possit velle omnia media necessaria ad ipsam, ille etiam actus eligi poterit ex odio inferni, & desiderio gloriæ, atque adeo ex tali motiuo potest fieri propositum etiam vniuersale, extendens se ad vitandum peccatum illud, de quo procedebat argumentum.

Petes tamen, quid, si aliquis sciret, quod eligendo infernum, ne peccaret, acceptanda esset à Deo electio, & mittendus esset infallibiliter ad inferos? Tunc enim non posset vllo modo ex odio inferni moueri ad vitandum illud peccatum, cuius vitatio infaillibiliter afferret pœnam inferni, quomodo enim posset eligi ex amore finis, seu ex desiderio fugiendi inferni vitatio peccati, quæ nullo modo esset medium tunc ad vitandum infernum; sed potius afferret infaillibiliter ipsum infernum.

Respondetur, metum inferni de facto esse motiuum sufficiens ad vitanda omnia peccata quæ de facto possunt occurrere in hoc rerum ordine, & statu per se loquendo, & secluſa ignorantia. De facto enim iuxta leges Dei in hac prouidentia non incurret aliquis inferni tormenta, eo quod illa eligat potius, quàm peccare mortaliter, nec peccatum mortale est medium necessarium vlli ad fugiendum infernum: ergo de facto metus inferni est motiuum efficax de se ad vitanda omnia peccata mortalia, quod sufficit ad propositum efficax concipiendum ex illo motiuo nunquam peccandi, & licet in illo casu ficto, & impossibili iuxta præsentem prouidentiam, non esset vniuersaliter efficax illud motiuum ad omnia peccata vitanda, hoc non obstat, quia vt aliquis efficaciter velit numquam peccare, satis est velle non peccare in omnibus casibus, qui de facto possunt occurrere. Dixi autem, hoc motiuum ex metu inferni esse de facto efficax, & sufficiens ad seruanda omnia præcepta *per se loquendo, & secluſa ignorantia*, quia non nego, quod de facto posset aliquis ex ignorantia reduci ad eas angustias, vt cogitaret, sibi hic, & nunc necessarium esse committere aliquod peccatum mortale ad vitandum infernum, vt si Dæmon minaretur alicui, se illum statim ad inferos rapturum, nisi aliquod mortale peccatum committeret. Id tamen non

non tollit sufficientiam motiui ad omnia peccata vitanda: sufficit enim quod quantum est de se, sufficiens sit, licet hic, & nunc per accidens propter ignorantiam, vel inadvertentiam non possit conducere ad vitandum aliquod peccatum.

61. Sic etiam fatendum est, motiuum contritionis ex Dei dilectione super omnia sufficere ad vitandum omne peccatum: & tamen, si aliquis ex ignorantia putaret; aliquod peccatum manens peccatum, & illicitum non displicere Deo, sed placere, non posset ex amore Dei moueri ad vitandum illud peccatum. Item si aliquis ex inaduertentia non attendat, nec aduertat, quod mendacium displicet Deo, licet aduertat ad malitiam propriam mendacij, & peccet venialiter; non tamen potuit hic, & nunc retrahi ab illo peccato committendo ex motiuo dilectionis Dei, cùm non aduerteret, id displicere Deo. Et tamen nemo dicet, motiuum dilectionis Dei super omnia non sufficere ad propositum vniuersale, & efficax circa omnia peccata venialia: quia nimirum illud motiuum, quantùm est de se, extenditur ad omnia, & potest per se loquendo singula impedire, secluſa ignorantia, vel inaduertentia, vt dictum est.

62. Dixi etiam suprà, posse nos ex desiderio alicuius finis eligere omne id, quod est vtile ad illum finem consequendum, *nisi aliunde specialiter repugnet talis electio*: potest enim aliunde repugnare. Vt si aliquis putaret necessarium, vel vtile, esse ad suam salutem habere odium suæ salutis: nõ posset quidem ex desiderio, vel amore salutis concipere odium eiusdem salutis; quia id specialiter repugnat: haberet enim simul amorem, & odium suæ salutis. Amorem quidem quia ex amore, & desiderio suæ salutis moueretur ad procurandam illam per tale medium: ergo haberet actu amorem suæ salutis. Haberet item odium salutis, cum ex desiderio salutis conciperet odium eiusdem salutis; qui duo actus cùm sint incompossibiles ex parte obiecti non posset ex amore salutis moueri homo ad tale medium eligendum: Posset tamen ex desiderio salutis auferre se ad patiendum infernum: quia ipsa oblatio non est amor inferni, nec odium salutis; sed permissio illius, eo quod sciam, illam permissionem, & oblationem ex parte mea esse medium ad vitandum infernum: sicut in exemplo posito posset aliquis ex desiderio vitæ offerre se ad mortem, quia præsciret, illam oblationam esse medium efficax
63. ad vitam, & liberationem consequendam.

Obiicies tertiò, qui dolet de peccato ex efficaci amore salutis æternæ, solum habet virtualem voluntatem mediorum, quæ necessaria sunt ad eamdem salutem, sed ad vitandam damnationem, non est medium necessarium vitare postea hoc peccatum hîc, & nunc: sufficit enim, vel vitare illud, vel saltem postea delere illud per pœnitentiam: ergo in illa detestatione non includitur propositum vitandi peccata in futurum, sed vel vitandi, vel delendi postea illa per pœnitentiam.

Reponderur negando minorem, si salus æterna consideretur in ordine ad me; nam licet Deus possit me saluare, etiamsi ego peccem, & possit dare mihi tempus pœnitentiæ; id tamen non est in mea potestate: quare si ego volo efficaciter saluari, volo non peccare, quia volo non ponere tale impedimentum, quo posito, non sit in mea potestate saluari. Sicut si vis efficaciter viuere, non proiicis in mare vnicum panem, quem habes ad vitam, licet scias, quod Petrus dabit fortasse tibi dimidium sui panis; id enim non est in tua potestate.

64. Dices; si aliquis sciret, se esse prædestinatum ex reuelatione, hic saltem in dolore de peccatis ex metu gehennæ, non includeret virtualiter tale propositum. Cùm enim sciret se, si postea, laberetur deleturum tandem illa peccata per pœnitentiam non apprehendit, tanquam medium necessarium ad salutem, vitare peccatum subsequens: quia etiamsi non vitet illud, non subit periculum damnationis.

Respondetur, etiam in illo casu includi propositum in dolore ex motiuo attritionis: nam sicut dolet homo de peccatis præteritis ex eo motiuo, non quia propter illa damnandus sit, (iam enim scit, se non damnandum propter illa) sed quia ex se attulerunt periculum & causam condignam damnationis æternæ, quod periculum, & quam causam odio efficaciter habet sic eodem odio prosequitur quodcumque aliud peccatum subsequens, quod ex se afferat idem periculum, & eamdem causam damnationis æternæ; vbi enim est idem motiuum, necesse est (vt diximus,) quod actus efficaciter tendens, & absolutè in illud, tendat etiam virtualiter in omnia, quæ necessaria sunt ad illud, vel comprehenduntur sub illo.

SECTIO VI.

Vtrùm possit dari Sacramentum pœnitentiæ validum, & informe ex defectu doloris.

AD complementum doctrinæ traditæ in sectionibus præcedentibus, necesse omnino est tractare hoc punctum, qui si dolor de peccatis est necessarius, tanquam pars Sacramenti, si qui videtur, non posse Sacramentum absque illo subsistere, & per consequens non posse dari Sacramentum validum, & informe, hoc est, absque collatione gratiæ iustificantis: hæc enim confertur, quoties non adest obex: obex autem auferetur per dolorem de peccatis, præsertim cum in dolore dixerimus contineri virtualiter propositum non peccandi, quando est ex motiuo vniuersali. Est autem hæc quæstio satis celebris inter Theologos antiquiores, & recentiores, qui omnes in duas sententias principales diuisi sunt. 65.

Prima negat vniuersaliter, posse vnquam contingere, quod detur hoc Sacramentum validum, & non ponat statim affectum gratiæ sanctificatis. Auctores huius sententiæ non conueniunt inter se: Quidam enim dicunt id repugnare, eo quod quomodocumque ponatur confessio, & absolutio etiã absq; dolore, vel saltẽ absq; perfecto dolore, potest causare gratiã sanctificantem: quæ sententia tribui solet Soto, sed contra eius mentem id esse, probat latè P. Vasquez *in præsenti quæst. 92. art. 1. dub. 1.* vbi tamen pro illa affert Roscellam, & Angelum. Potest etiam afferri Vega *lib. 13. in Trident. cap. 26. 34. & 36.* qui vult, attritionem falsam, sed inuincibiliter existimatam veram sufficere ad valorem, & effectum huius Sacramenti. Sed hæc sententia clarè reiicitur ex supradictis, & ex Trident. *sess. 14. cap 4.* & alibi exigente semper ad iustificationem, veram pœnitentiam, & dolorem peccatoris, sine quo non remittitur peccatum personale. 66. *Duæ præcipuæ Theologorum sententia Prima negat.*

Alij aliter amplectuntur illam sententiam dicentes dolorem illũ, qui est pars essentialiter requisita ad valorem huius Sacramenti, esse dolorẽ perfectum, atque adeo simul esse dispositionem sufficienter ad gratiæ effectum consequendum, nec posse inuenire vnum; sine alio; quare nullum Sacramentum pœnitentiæ erit validum, quod non 67.

cõstet, tanquam ex parte essentiali, ex dolore, qui disponat sufficienter ad iustificationẽ. Hanc sententiam tenent Adrian. Maior, Gabriel, & Ioannes Medina, quos refert, & sequitur Vasquez, *vbi supra art. 2. dub vnico.* Eãdem sequitur P. Coninch. *in præsenti dist. 4. dub. 11.* P. Stephan. Fagundez. *in secundo Ecclesiæ præcepto lib. 2. cap. 7.* vbi alios affert & eam sequuntur plures Recentiores.

68. *Secunda affirmat.* Secunda sententia principalis concedit, hoc Sacramentum aliquando dari validum, sed informe, hoc est, sine effectu gratiæ sanctificantis. Hanc docet S. Thom. *in 4. d. 17. q. 3. art. 4. quæst. 1.* & Thomistæ communiter, Capreolus, Palud. Cajetan. Soto, Cano Ledesm. Sylvest. Richard quos affert Suarez *in præsenti disp. 20. sect. 3.* qui eamdem ex parte sequitur, & hanc etiam amplectuntur communiter Recentiores Thomistę, & Henrìq. *l. 12. de pœnit. c. 11. §. 3.* & Card. Tolet. *l. 1. summæ c. 10. §. tertius casus est,* & alij quos refert, & sequitur Antonin. Dian. *tom. 1. tr. 3. miscell. resol. moral. resol. 31.* qui omnes consequenter docent, talem confessionem validam non esse postea repetendam; sed solùm explicandum in alia confessione defectum illum prioris confessionis, si fuit grauiter culpabilis.

69. Auctores etiam huius sententiæ non vno modo, sed diuersissimis eam explicant, & defendunt. Aliqui primò dicunt, id contingere, quando fit, confessio sine dolore, quam adhuc esse validam, & non repetendam, docuit Bernard. de Gammaco cicatus à Capreolo *in 4. d. 17. quæst. .ad argumenta Gothfredi*: Alij dicunt, eum defectum debere ignorari à pœnitente inuincibiliter. Alij dicunt, ignorantiam non obstare, etiam culpabilem. Alij, sufficere, si pœnitens accuset se de illo defectu doloris in eâdem confessione. Alij dicunt, casum contingere, quando confessio fit cum dolore aliquo, sed imperfecto, & inefficaci; & in hoc etiam potest esse eadem diuersitas de defectu doloris efficacis ignorato inuincibiliter, vel non ignorato, vel manifestato in eâdem confessione. Auctores pro singulis modis dicendi videri possunt apud Suarez, & Vasquez, locis citatis.

70. Hi omnes modi explicandi reiiciuntur efficaciter ex doctrina Concilij Tridentini, & Florentini, in quibus assignatur, tanquam pars necessaria huius Sacramenti contritio, vel attritio, quibus nominibus non intelligitur dolor, & propositum imperfectum, seu velleitas quædam, sed voluntas firma, & absoluta, vt constat ex eodem Tridentino *dict. sess. 14. cap. 4.* vbi contritio, quæ est pars Sacramenti, definitur, *animi dolor & detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de catero*, qui autem solùm habet velleitatem non peccandi, & displicentiam simplicem in præteritis, non habet propositum non peccandi, nec detestatur propriè peccata, cum in ipsis actu complaceat, & illa absolutè approbet. Quod autem ignoretur ille defectus, parum refert; quia dolor existimatus, non est verus dolor, nec verum propositum, quare sicut aqua existimata etiam inuincibiliter non est materia sufficiens baptismi, si reuera est vinum & non aqua, sic nec dolor existimatus erit materia sufficiens Sacramenti pœnitentiæ, si non est verus dolor licet ob inculpabilem ignorantiam excusetur homo à noua culpa in illa confessione facta sine dolore.

71. Vnde secundò argui potest cõtra illos Auctores, quia si reuera potest dari tota materia valida huius Sacramenti absq; vero dolore, & proposito efficaci; sequeretur esse etiam Sacramentum validum, quantumcumque pœnitens aduerteret suũ defectum, & scienter cõfiteretur absq; illo dolore: tam reuera daretur tota materia, quæ reperitur in casu ignorantiæ, scilicet, dolor imperfectus cum cõfessione peccatorũ: si ergo hæc materia est sufficiens, eadem sẽper erit, sufficiens, ad cõstituendum Sacramentũ validum; etiamsi ob aduertentiam pœnitens peccaret tunc mortaliter, quomodo non peccaret, quando id non aduerteret.

72. Argumenta verò, quibus in hoc dicendi modo adducti sunt ij Auctores facilimè dissoluuntur. Primò arguunt, quia si ad valorem Sacramenti requiritur verè dolor perfectus, redderẽtur pœnitentes nimiũ solliciti de repetendis confessionibus, in quibus facile est defuisse talem dolorẽ, Respondetur, si bona fide facta est confessio, postea etiam durante eâdem bona fide, nullum esse periculum; nam etsi reuera fuerit inualida; per subsequentem tamen confessionem dimittentur illa priora peccata indirectè. Cæterùm si postea apertè constiterit defectus prioris confessions, nõ mirum, quod oporteat eam repetere, sicut si constet de defectu iurisdictonis in confessario, qui eam audiuit.

73. Secundò arguunt, quia alia Sacramenta possunt esse valida, & sine fructu: cur ergo non etiam hoc? Respondetur discrimen esse, quod alia Sacramenta non habent pro materia ipsum dolorem, hoc autem habet dolorem pro materia intrinseca, vnde non mirum, quod non possit dari Sacramentum sine fructu, quia eo ipso haberet suam materiam, quæ est dispositio sufficiens ad fructum Sacramenti.

74. His ergo explicandi modis relictis P. Suarez *sect. 5.* aliter defendit illã secundam sententiam, in eo scilicet casu, quo aliquis, quã cõmisit duplex peccatum mortale v. g. alterum furti, alterum odij, confitetur peccatum furti, de ipsoque dolet propter specialem turpitudinem & fœditatẽ furti, de peccato autem odij non dolet, nec illud confitetur, quia illius inuincibiliter est oblitus; in quo casu cùm homo apponat materiam, scilicet, confessionẽ formaliter integram, & dolorem efficacem cũ propositio absoluto, nihil videtur deesse ad hoc, vt adueniente absolutione, fiat verum, & validũ Sacramentum, & tamen non confertur gratia, quia datur obex peccati odij non retracti per dolorem aliquem formaliter, aut virtualiter: nam dolor de facto, cùm sit ex speciali motiuo turpitudinis propriæ furti, vt supponimus, non potest extendi virtualiter ad peccatum odij, quod illam turpitudinem non participet, sed aliã diuersam: vnde remitti non potest etiam indirectè per tale Sacramentum, vt constat: atque adeo Sacramentum in hoc casu erit validum & informe.

75. Hanc sententiam posteriores Theologi impugnare conati sunt, & quidem P. Vasquez, cuius tractatus de pœnitentia postea aditus fuit, huius sententiæ non meminit, nec contra illam aliquod argumentum affert, nec ad eius fundamentum aliquid respondet: quia nimirum, quo tempore illum tractatum composuit P. Vasquez, nondum viderat hanc Suarij sententiam, quæ nondum fuerat in lucem edita P. Fagundez *vbi supra* eam impugnat; Primò quia dolor ille de furto, si attritio est supernaturalis extenditur virtualiter ad peccatum odij, cum odium etiam sit offensa Dei: quare sicut actus charitatis virtualiter continet dolorem de peccatis quibuscumque, sic attritio illa disponit sufficienter ad remissionem peccati, cuius pœnitens non recordatur. Sed hic auctor: dum hoc argumentum multiplicatis verbis replicat, non videtur ad mentem, & rationem Suarij attendisse, qui fanè loquitur in casu

casu, quo pœnitẽs dolet de furto, nõ præcisè quia est offensa Dei, vt sic, sed quia habet talem specialẽ turpitudinem contra virtutem naturalem, vel infusam iustitiæ quod sanè motiuum ad alia peccata non extenditur, vt constat. Adde, etiamsi dolor esset de vno peccato, vt offensiuo Dei, nõ fieriex hoc, quod extendetur virtualiter ad omnia alia peccata. Posset enim aliquis dolere efficaciter de peccato sacrilegij propter specialem eius fœditatem, qua specialiter displicet Deo, & propter specialem, & grauiorem offensam Dei, quam continet, quod motiuum non complectitur etiam virtualiter, alia peccata mortalia inferiora furti, vel detractionis, &c. in quibus illa specialis turpitudo non inuenitur, nec illa specialis grauitas talis offensæ diuinæ.

76. Secundò arguit prædictus Auctor *n.* 10 quia ex illa Suarij doctrina sequeretur, pœnitẽtẽ in eo casu si moreretur cum illo Sacramento valido fore damnandum, quod durissimum videtur; cum sit Sacramentum informe absque eius culpa. Quo argumento dicit Suarium minis oppressum, varias solutiones tentare, vt illud vitaret, quæ magis effugia sunt, quàm solutiones. Sed reuera hic Auctor finxit sibi Suarium oppressum, qui nec difficultatem vllam sensit in argumento, nec varias dedit solutiones, nec necessaria erat Suarij doctrina ad argumentum illud, cui quilibet Theologus vnico verbo satisfaceret: nam sicut, si pœnitens faciendo, quod in se erat, & bona fide, ac cum attritione sufficienti confiteretur alicui, qui communiter existimaretur Sacerdos, & non esset talis, reuera non iustificaretur, sed damnaretur, si moreretur in eo statu, sic in nostro casu dicendum est, in quo nihil est durum, nec admiratione dignum, quia in vtroque casu damnaretur homo non propter culpam in confessione commissam, aut propter negligentiam illam, sed propter culpam merè præteritam, quæ dum reuera non tollitur per verum remedium, infert iustissimè pœnam æternam; sicut puer, qui baptizatur vino pro aqua per errorem, damnabitur, non in pœnam illius erroris, sed in pœnam peccati originalis, quod non fuit expiatum vero Sacramento.

77. P. Coninch *illa disputat. 4. num. 73. & sequentibus*, impugnat aliis argumentis sententiam illam Patris Suarez. Primò quia ad essentiam, & valorem huius Sacramenti requiritur dolor, efficaciter tendat ad reconciliationem cum Deo, ex cuius reconciliationis desiderio nascitur voluntas ipsa cõfitendi. Omnis autem seria voluntas reconciliationis cum Deo implicitè includit auersionem ab omni peccato mortali, & per consequens sufficiet ad effectum etiam Sacramenti ponendum. Minorem probat; quia omnis amor efficax alicuius boni continet implicitè detestationem mali contrarij; ideo enim quilibet actus perfectæ charitatis continet virtualiter detestationem omnium peccatorum mortalium, licèt homo eorum non recordetur, quia nimirum non potest stare ille actus cum actuali effectu ad peccatum mortale: sed neque potest stare voluntas efficax reconciliationis cũ Deo, cum affectu ad peccatum: ergo hæc voluntas, continet implicitè detestationem omnium mortalium.

78. Hæc ratio maiorem apparentiam habet, quã superiores: adhuc tamen non videtur solida: quia licèt ad hoc Sacramentum requiratur voluntas absoluta reconciliationis cum Deo, hæc tamen voluntas non semper includit virtualiter retractationem omnium peccatorum. Quod probari potest in actu spei, iuxta communem sententiam dicentium esse desiderium explicitum, vel implicitum beatitudinis, & tamen non omnis actus spei est detestatio virtualis omnium peccatorũ, neque est virtualiter attritio sufficiens ad iustificationem cum Sacramento, nam in peccatore sicut dantur actus fidei, dantur etiam actus spei absque dolore explicito, vel implicito de peccatis. Ratio autem est, quia desiderium beatitudinis determinat quidem ad volenda media necessaria ad beatitudinem; non est autem medium simpliciter necessarium commisisse peccata; potest enim homo saluari per pœnitentiam, licet priùs peccauerit; ergo illud desiderium beatitudinis non infert necessariò hanc attritionem virtualem. Sic ergo in præsenti potest esse desiderium reconciliationis cum Deo, quod tamen non contineat virtualem retractationem omnium peccatorum. Nam si aliquis ex ignorantia putaret, peccata remitti à Deo absque eorum retractatione per solam eleemosynam; posset velle dare illam eleemosynam, ad impetrandam veniam peccatorum, & posset velle efficaciter reconciliari cum Deo per illud medium; quæ tamen voluntas nullo modo includeret dolorem virtualẽ peccatorum. Alioquin omnes, qui de facto confitentur ad impetrandam veniam peccatorũ, & existimant se esse dispositos, habebunt fructum Sacramenti, quia illi volunt seriò reconciliationem cum Deo, & ex hoc desiderio apponunt illud medium, quod existimant sufficiens: sed tamen multi non iustificantur, quia non curãt de dolore, & proposito habendo, quia non audierunt, hanc esse dispositionem necessariã, vt cõstat manifestè in multis rusticis, & pueris. Quamuis ergo amor efficax finis sit virtualiter amor mediorum, & dolor sit medium necessarium ad reconciliationem cum Deo, non tamen semper amor finis continet æquiualenter, & virtualiter actus illos, qui sunt media necessaria ad finem: nam qui vult saluari, vult seruare præcepta, quorum vnum est dilectio Dei; & tamen ille amor salutis non est æquiualenter dilectio Dei super omnia; quia si hoc esset, iustificaret etiam extra Sacramentum. Continet ergo illos alios actus per modum imperij & causæ; non tamen continet in se perfectionem illorum æquiualenter; quia benè potest actus inferior imperare actum excellentiorem, & superiorem.

79. Vnde constat etiam ad exemplum illud de actu perfecto dilectionis Dei, qui continet semper detestationem omnium peccatorũ: ille enim actus non solùm habet se per modũ imperij respectu talis detestationis, sed versatur circa ipsummet obiectum detestationis: nam amare Deũ super omnia, est præferre Deũ omnibus aliis obiectis, & per consequẽs velle potiùs iacturam omnium quàm displicentiam Dei, ad quam vitandã homo reiicit omnia alia: hoc enim totum continetur implicitè in illo amore Dei super omnia, quia hic amor versatur circa hæc omnia tanquam circa obiectum implicitum: & ideo hic actus est æquiualẽter dolor de peccatis, ad cuius scilicet obiectum terminatur implicitè. At verò desiderium reconciliationis cum Deo, licet velit implicitè actus necessarios ad eam reconciliationẽ, non tamen versatur circa obiectum ipsorum actuũ sicut nec desiderium beatitudinis, & propositum seruandi mandata versatur circa obiectum omnium actuum, qui necessarij sunt ad beatitudinem, & quibus seruantur mandata: non enim est actus charitatis, nec misericordiæ, &c. licet sit imperium omnium illorum actuum.

80. Secundò arguit prædictus Auctor *n.* 73. quia si

ad valorem Sacramenti non requiritur dolor, qui virtualiter se extendat ad omnia peccata mortalia, sequitur, posse aliquem validè recipere hoc Sacramentum cum effectu actuali ad aliquod peccatum mortale; cum hoc enim actuali effectu stare potest dolor de aliquo peccato propter eius specialem turpitudinem. Respondetur negando sequelam: nam licet ad valorem non requiratur dolor vniuersalis de omnibus peccatis: requiritur tamen, vel propositum vniuersale non committendi de cætero vllum peccatum mortale, quod videtur satis indicare Tridentinum *sess.14.d.c.4.* dum contritionem definit detestationem de peccato commisso, cũ proposito non peccandi de cætero, & postea loquens de attritione dicit vtilem esse, si voluntatem peccandi excludat: vel certè, si tale propositum vniuersale non requiritur, sed sufficit speciale circa peccata commissa pro vt aliqui Recentiores volunt, requiritur ad minus carentia propositi actualis peccandi, quam carentiam non habet, qui habet actualem effectum ad peccatum mortale: nam illemet affectus est peccatum, vt constat & per consequens non habet id, quod requiritur ad valorem Sacramenti.

81. Dices, si ad valorem Sacramenti requiritur propositum vniuersale saltem virtualiter: ergo requiritur etiam dolor virtualiter vniuersalis, cur enim magis requiretur vniuersalitas in proposito, quam in dolore? Respondetur, in primis Concilium Tridentinum non eodem modo loqui, quoad hoc de dolore, ac de proposito: nam de illo solum dixit, *debere esse detestationem de peccato commisso*, in quibus verbis non petit dolorem terminatum ad omnia peccata, sed solùm ad commissa: de proposito autem dixit vniuersaliter debere esse *propositum non peccandi de cætero*, & debere excludere voluntatem peccandi, quæ verba vniuersalia sunt, & comprehendunt omnia peccata: in quo etiam sensu Greg. Pap. *hom.34. in Euang.* & *l.9. registri epist.* 39. dixit pœnitentiam esse *commissa plangere* (ecce dolorem de præteritis) *& plangenda non committere*, ecce propositum circa futura, in quibus etiam verbis maiorem vniuersalitatem habet propositum, quam dolor; hic enim fertur ad sola commissa, illud verò ad omnia, quæ committi possunt.

82. Ratio autem congruentiæ duplex potest adduci. Prima desumitur ex ipsa natura doloris, seu retractationis; est enim talis actus, qui iuxta suum modum tendendi, feratur solùm ad ea peccata, quæ apprehenduntur commissa, neque enim retractari potest, nisi quod malè factum apprehenditur. Vnde qui non peccauit, non habet talem actum doloris; non ergo mirum, quod à pœnitente solum exigatur dolor de peccatis commissis, & non dolor vniuersalis: at verò propositum ex natura sua ferri potest æqualiter ad omnia peccata possibilia; vnde meritò ex parte propositi vniuersalitas exigitur.

83. Secunda ratio esse potest, quia ad hoc vt homo admittatur de nouo in amicitiam, & gratiam Dei magis per se exigitur propositum circa futura, quàm dolor de præteritis: hinc enim est, quod si adultus aliquis cum solo peccato originali, & absque alio mortali à se commisso baptizaretur, non indigeret dolore aliquo, aut retractatione, vel aliquo actu terminato ad vitam præteritam, ad hoc, vt iustificaretur, indigeret tamen proposito vniuersali circa futura, & voluntate seruandi præcepta, vt notat Suarez. *tom.3. in 3. part. disp.38. sectione 1. conc.2.* quia nimirum qui alteri se de nouo in seruum, vel domesticum tradit, videtur hoc propositum adducere voluntatis eius exequendæ: vnde non mirum, si magis à pœnitente in hoc Sacramento tale propositum vniuersale requiratur quàm talis dolor vniuersalis. Dolor enim videtur solùm exigi sub conditione, si aliquid contra Deum commisit; sicut autem ab eo, qui non peccauit, non exigitur dolor, ita nec ab eo qui ignorat aliquod suum peccatum, exigitur dolor de illo ad valorem Sacramenti, si afferat dolorem de illo peccato, cuius veniam petit, licet propter obicem non consequatur effectum, propositum autem non petitur sub conditione, sed absolutè ab omnibus, qui de nouo volunt recipi in familiaritatem, & amicitiam diuinam.

Vrgebis adhuc ex actu dilectionis Dei super omnia, qui sanè non solùm infert propositum vniuersale non peccandi, sed etiam dolorem vniuersalem circa omnia præterita: vnde quoties aliquis amat Deum super omnia, disponit se sufficienter ad gratiam, licèt non recordetur sui peccati, ergo voluntas etiam illa reconciliandi se cum Deo non solùm inferet propositum vniuersale circa futura, sed etiam dolorem vniuersalem circa præterita: quæ enim maior connexio est dilectioni, quàm huic voluntati cum dolore illo vniuersali? 84.

Respondetur, in primis non omnem actum dilectionis Dei inferre illum dolorem, aut propositum vniuersale: neque enim quoties peccator dat eleemosynam pauperi propter amorem Dei, disponitur sufficienter ad iustificationem, sed solũ quando habet actum perfectæ dilectionis Dei super omnia, quo scilicet, afficitur erga Deum amore amicitiæ super omnia alia, qui amor, sicut affert secum propositum vniuersale, sic etiam dolorẽ saltem implicitum circa præterita, quia amare, est velle bonum illius, qui amatur: ergo eo ipso, quod homo amat Deum super omnia, & super se ipsum, vult Deum bona magis, quàm sibi ipsi: Vnde sicut non potest homo amare se ipsum, quin eo ipso implicitè odio habeat omnia sua mala, sic non potest amare Deum super omnia, quin implicitè nolit offensam diuinam, & doleat de illa, si posita est. At verò voluntas reconciliationis cum Deo non habet hoc; per illam enim non volumus Deo bonum, sed nobis volumus reconciliationem; cui quidem reconciliationi non opponitur peccatum præteritum; imò in rigore loquendo necesse est quod præcesserit peccatum, ad hoc, vt nunc ponatur reconciliatio, & licet homo eam velit ex amore pacis cum Deo, cui paci aduersatur peccatum; non tamen est necesse, quod amet hanc ipsam pacẽ amore vniuersali; potest enim amare seriò, & efficaciter pacem futuram, non amando pacem pro tempore præterito. Paci autem futuræ non aduersatur peccatum præteritum: vnde potest stare hic amor reconciliationis, & pacis cum Deo sine dolore vniuersali inplicito de omnibus peccatis, licet non posset stare amor Dei super omnia cum affectu erga peccatum præteritum: vnde perfecta charitas vellet, si posset, facere, ne positum fuisset peccatum, quod Deo displicuit. 85. 86.

Alij Recentiores Theologi paulò aliter eamdem sententiam Suarij impugnant; quia licet dolor (inquit) de vno peccato, & non de alio sufficeret ad valorem Sacramenti, quatenus est ex parte doloris; requiritur tamen (vt diximus) ad eumdem valorem propositum vniuersale non peccandi, & quidem hoc propositum: si efficax est, non potest nõ extẽdi virtualiter ad peccata præterita, eaq; implicitè, sed efficaciter retractare, quia propositum generale, vel debet esse sub motiuo generali & communi ad omnia genera peccatorum, vel sub motiuis particularibus omnium virtutum, ergo cùm

cùm illud motiuum comprehẽdat sub se tam peccata præterita (quàm futura, (vtraque enim illi opponuntur) consequens est, vt actus ille efficax non minùs sit detestatio implicita peccati præteriti, quàm propositum vitandi futurum. Sicut enim non potest esse odium efficax peccati præteriti quin sit propositum implicitum vitandi futurum sub eodem motiuo; sic è contra non potest esse propositum efficax vitandi futurum, quin sit odium implicitum præteriti sub eodem motiuo.

87. Hæc tamen ratio dissolui, & impugnari facilè potest. Primò, quia, vt diximus *sect. præcedenti*, licet dolor efficax includat virtualiter propositum in futurum, non tamen è contra propositum efficax includit dolorem efficacem de præteritis, nec sunt pares hi duo actus, quoad hoc, cuius rationem ibi assignauimus: Potest ergo aliquis præteritum non reprobare, & tamen firmissimè in futurum proponere. Sed potest hoc ipsum secundò ostendi ad hominem contra hos Auctores, qui admittunt ex parte doloris sufficere ad valorem Sacramenti dolorem de vno peccato ex motiuo speciali illius virtutis. Ponamus ergo, aliquem dolere ex motiuo iustitiæ de peccato furti, non tamen de peccato luxuriæ, cuius non recordatur: habet item propositum de cætero nunquam peccandi mortaliter ex motiuo generali ad omnia peccata mortalia futura, nimirum propter malitiam reincidentiæ, quæ inuenitur in aliis peccatis mortaliter futuris, à qua aliquam maiorem grauitatem accipiunt, quod quidem motiuum sufficiens est ad propositum vniuersale, & firmum concipiendum, vt constat, & hoc ipso motiuo confessarij excitare solent pœnitentes ad propositum firmum, & Christus videtur illud insinuasse; quando Ioann. 5. dixit Paralytico: *Ecce sanus factus es: iã noli peccare, ne aliquid deterius tibi contingat.* Hoc autem motiuum, licet generale sit ad omnia peccata futura non tamen extenditur ad peccatum luxurię præteritum, supponeenim illud fuisse primum peccatum mortale totius vitæ, nec habuisse malitiam reincidentiæ ergo hic homo habet quidquid requiritur ad valorem Sacramenti absque vlla detestatione etiam implicita illius luxuriæ, habet enim dolorem efficacem de facto, qui iuxta hoc Doctores sufficit in ratione doloris, habet item propositum vniuersale, & firmissimum non peccandi de cætero ex odio reincidentiæ: iæ iam inerit omni peccato mortali futuro, quod propositum videtur etiam ponere quidquid ex parte propositi petitur in Tridentino, cùm excludat omnem voluntatem peccandi: ergo recipiet Sacramentum validum, sed informe propter obicem luxuriæ mortalis nondum retractatæ implicitè.

88. Manet ergo sæpe possibilis casus ille à P. Suario positus, in quo possit dari hoc Sacramentũ validũ, & informe propter defectũ doloris, qui non se extendit ad omnia peccata de facto cõmissa. Nec ego video argumentũ quo efficaciter possit reiici, vt cõstat ex solutione eorũ, quæ alij contra illam doctrinã adduxerunt. Posset vlteriùs aliquis obiicere, quod si ea doctrina vera esset, sequeretur posse dari Sacramẽtũ validũ, etiamsi scienter aliquis doleret de vno peccato, & non de aliis: iã enim haberet dolorẽ sufficientẽ de illo peccato. Hoc tamen ex supradictis solui potest; nã tunc deesset propositum vniuersale non peccãdi: qui enim sciẽter vellet accedere ad Sacramentum absq; dolore de aliis peccatis eo ipso peccaret, & per consequens non haberet propositum vniuersale non peccãdi, quod tamen requiritur ad valorem, vel certè carentia propositi cõtrarij, & cuiusque effectus ad peccatum mortale

89. Quid tamen, si homo ex ignorantia inuincibili crederet non esse peccatũ mortale accedere ad Sacramentum sine dolore de omnibus, dum tamen esset dolor de aliquo? Respondetur consequenter ad illã doctrinam concedendum, quod tunc fieret Sacramentum validum, & informe, quia memoria illius peccati per accidens se haberet ad obligationẽ doloris de illo, supposita ignorantia inuincibili de obligatione talis doloris. Atque ita ipse P. Suarez *lect. 4. n. 26.* consequenter docet Sacramẽtum fore validum, & informe, si aliquis per inaduertentiam inculpabilem doleat solùm de vno peccato & non de alio etiam mortali, quod confitetur: eadem autem est ratio in nostro casu, quando sciẽter non dolet propter ignorantiam de obligatione doloris. In vtroque autem casu oportebit reperere postea illa peccata, quę sine dolore confessus est, perinde ac si non fuissent in confessione explicata.

SECTIO VII.

Respondetur ad alia argumenta contra nostram sententiam.

90. RESTANT soluenda duo fundamenta, quibus P. Vasquez probat, nunquam posse dari Sacramentum hoc validum, & informe. Primum est, quia omnis ille dolor, seu attritio, quæ est pars huius Sacramenti, est etiam dispositio ad eius effectum; nunquam enim in conciliis fit mentio alterius contritionis, aut dispositionis necessariæ ad hoc Sacramentum, nisi illius, quæ est pars. ne distinguunt vnquam duplicem dolorem, vnum qui sit pars; alterum, qui sit dispositio irrequisita ad effectum Sacramenti, vt constat ex Florentino *sess. vltim. in decreto Eug.* & ex Tridentino *sess. 14. cap. 4.* imò eandem pœnitentiam, quam Tridentinum *sess. 6. cap. 6.* assignauit, vt dispositionem necessariam ad effectum Baptismi eandem in Sacramento Pœnitentiæ postea assignat, vt patet, nullam aliam exigens vt dispositionem: pœnitentia autem necessaria ad effectum Baptismi debet esse talis, quæ nunquam careat effectu: illa etiam, quæ assignatur pars Sacramenti pœnitentiæ debet esse talis. Item *eadem sess. 6. cap. 14.* dicitur pœnitentiam in Baptismo, & in hoc Sacramento differre in hoc quod hæc includat etiam confessionem, absolutionem, & satisfactionem; ex parte verò doloris nullam differentiam assignat; ergo talis dolor est ille, qui est pars huius Sacramenti, qualis ille qui est dispositio in Baptismo. Denique *sess. 14. cap. 4.* loquens de attritione, quæ potest esse pars huius Sacramenti, dicit debere esse tale, quæ excludat voluntatem peccandi; ergo attritio quæ debet esse pars, est talis quæ sufficiat ad effectum Sacramenti.

Duo argumenta P. Vasquez quibus hanc sententiam impugnat. Primum.

91. Hoc argumentum videtur posse retorqueri pro sententia P. Suarez ex eodem Tridentino, ex quo constat dari Sacramentum validum, quoties dantur omnes eius partes: nam posita materia sufficienti, forma & intentione Ministri, &c. datur procul dubio Sacramentum, possunt autem dari omnia hæc, absque eo, quod detur effectus huius Sacramenti, potest enim dari dolor de futuro cum propositio non peccandi de cætero confessio, absolutio, &c. absque effectu Sacramenti propter obicem alterius peccati non retractati: ergo dabitur materia, forma, &c. absque effectu.

92. Dices, nunc non dari materiam sufficientẽ, quia materia huius Sacramenti non est dolor de peccato, sed dolor de omnibus peccatis omissis, qui tamen in eo casu non datur. Sed contra quia si

pœniten-

pœnitens commisisset solùm vnum peccatum furti,& doleret de ipso propter eius specialem malitiã cum proposito non peccandi; tunc ad esset pertè materia sufficiens,haberet enim doloré de omnibus peccatis omissis: ex hoc autem probo, quod eadem materia detur in priori casu, quia qui non recordatur secundi peccati commissi, etiam doleat de illo in confuso:ille tamen dolor,prout terminatur ad illud aliud peccatum, quod non confitetur,non esset materia Sacramenti, nec pars illius.Nam ad hoc, vt esset materia,vel pars,deberet reddi sensibilis per aliam partem eiusdem Sacramenti,per nullam autẽ redditur sensibilis; nõ enim per confessionem,quæ non fit(vt suppono) de illo peccato, nec per aliam partem;quia confessio, cùm solùm sit de facto non,plus, vel aliter significat, quàm significaret in secundo casu, quando solùm fuerat commissum furtum,& erat dolor solùm de illo. Redditur quidem sensibilis ille dolor, prout terminatur ad motiuum formale vniuersale, vt dixi suprà *sect.* . non tamen prout terminatur ad hoc peccatum materiale.Ergo licet in primo casu daretur internus de aliis peccatis, ille tamen non esset materia,nec pars Sacramenti & per consequens materia necessaria huius Sacramenti non est dolor de omnibus peccatis commissis(hic enim etiamsi detur, non semper significatur per confessionem. sed est dolor ille,qui redditur sensibilis per actus externos, atque adeo, quoties datur talis dolor cum proposito non peccandi de cætero, datur materia sufficiens Sacramenti.

93. Dices,propositum vniuersale non peccandi pertinet ad materiam necessariam huius Sacramenti,& tamen per confessionem externam non significatur nisi propositum speciale circa illa peccata quæ homo confitetur,& de quibus ostendit doloré.Respõdetur per confessionẽ externã vnius peccati;licet non significetur dolor vniuersalis,significari tamen propositum vniuersale circa omnia peccata; quia significatur desiderium reconciliationis cum Deo,& redeundi in eius obsequium, & amicitiam, ad quod(vt diximus)requiritur voluntas exequendi voluntatem illam in cuius obsequium, vel amicitiam desideramus recipi. Dolor autem solùm requiritur sub cõditione,(vt diximus si præcessit offensa,quare per voluntatem illam amicitiæ diuinæ non significatur dolor vniuersalis,sed dolor de offensis,quarum pœnitens conscientiam habet. Vnde cùm confessio non significet illa alia peccata, nec eorũ conscientiam,non significat dolorem de illis, nisi ad summum sub conditione;nempe, si fuerit eorum scientia: significari autem aliquid præsens sub conditione,non est reddi simpliciter sensibile,cùm non significetur simpliciter esse,sed esse,si talis conditio posita sit, cuius conditionis positio nullo modo nobis significatur.

94. Ad argumentum ergo principale P.Vasquez respondetur omnes debere fateri, quod aliquando per accidẽs aliquis dolor sit dispositio ad gratiã in hoc Sacramento cõferendã;seu ad auferendũ obicẽ gratiæ Sacramentalis,qui tamẽ non sit pars Sacraméti.Quod constat manifestè in eo, qui susciperet Baptismum cum effectu gratiæ. Hic enim si peccaret mortaliter post baptismum, põsset dolere de iis peccatis commissis post Baptismum ex hoc motiuo quod scilicet essent peccata hominis Christiani, quod quidem esset optimum motiuum,& cũ comprehenderet omnia peccata post baptismum commissa,quæ sola sũt materia Sacramenti pœnitentiæ, non videtur dubium quod ille dolor ex tali motiuo sufficeret ad valorẽ Sacramenti:imò cõfessarius sæpè pœnitentem excitat ad dolorem ex tali motiuo, proponendo,scilicet obligationem hominis Christiani ad seruanda præcepta diuina, & turpitudinem peculiarem ingratitudinis & grauitatẽ peccati in homine Christiano:non videtur ergo dubiũ quin pœnitens dolens ex hoc motiuo sufficienter disponatur ad Sacramentum pœnitentiæ: & tamen si ille homo Baptismum suscepisset absque dolore de peccatis præteritis,ac per cõsequens absque effectu gratiæ, quantumcumque postea doleret: de peccatis post Baptismum commissis ex illo motiuo specialis grauitatis,quã habẽt peccata in Christiano, proculdubio non iustificaretur in Sacramẽto pœnitentiæ, nisi aliunde doleret etiam vniuersaliter, vel specialiter de peccatis ante Baptismum commissis:illa enim non comprehendebãtur sub illo motiuo doloris de peccatis hominis Christiani:ergo,tunc dolor, quẽ ex alio motiuo haberet de peccatis ante Baptismũ factis; non esset pars Sacramenti pœnitentiæ,& tamen esset dispositio tollens obicem prouenientem ex peccatis factis ante Baptismum,quæ peccata non essent materia Sacramenti pœnitentiæ:sed tollerentur virtute baptismi antea susceptí,atque adeo dolor de illis nõ esset pars sacramenti pœnitentiæ: tum quia hoc Sacramentum non est institutum ad tollenda peccata facta ante Baptismum,quare sicut confessio eorum peccatorum non esset materia huius Sacramenti, sic neq; dolor de illis: tum etiam quia dolor, (vt sæpe dixi)in tantum est pars huius Sacramenti, in quantũ manifestatur per confessionẽ externam,per hanc autẽ non manifestatur dolor de peccatis ante Baptismum factis, sed de peccatis factis post Baptismum:nam si hæc sola esset in pœnitente, & dolor solùm de istis eadẽ esset confessio externa,& eodem modo significaret dolorem internum: ergo etiam quando dantur alia peccata nondum dimissa, & dolor de illis:hic dolor non significatur per confessionem,nec est pars Sacramenti pœnitentiæ, sed dispositio ad tollendum obicem, quatenus disponit ad hoc, vt virtute Baptismi præterriti tollantur illa priora peccata; & virtute absolutionis præsentis cum dolore de peccatis aliis tollantur etiam posteriora.

95. Simile exemplum afferri potest in homine religioso, qui confitetur sola venialia, & dolet de illis propter oppositionem peculiarẽ, & indecentiam quam habent in statu perfectionis, qualis est status religiosus, quod motiuum, licet non comprehendat peccata mortalia facta in sæculo, non est tamen dubium, quin sufficiat ad verum dolorem, cum quo fiet Sacramentum: & tamen si forte esse hic homo haberet aliquod peccatum mortale in sæculo factum nondum remissum, non iustificaretur in hoc Sacramento propter defectum doloris de illo peccato, de quo si adesset dolor, iustificaretur per hanc confessionem de venialibus, & ille alius dolor de mortali non esset pars, nec materia huius Sacramenti propter rationem assignatam, cùm non significaretur per hanc confessionem externam,sed esset solùm dispositio ad auferendum obicem.

96. Quando ergo Concilia loquendo de dispositione requisita ad remissionem peccati in hoc Sacramento non distinguunt illam à dolore, qui est pars materialis eiusdem Sacramenti; loquuntur per se loquendo seu de dispositione necessaria ad remissionẽ eorumdem peccatorum, quæ per se emittuntur per hoc Sacramentũ:nam ad remissionem peccati furti,v.g.requiritur, vt dispositio necessaria dolor de illo peccato,& confessio ipsius, qui dolor sit pars eiusdem Sacramenti: sic enim loquitur Tridentinum *sess. cap.* 14. dicens hoc Sacramentum continere

continere detestationem peccatorum, & eorumdem confessionem; non ergo continet vt partem detestationem peccatorum quæ facta sunt ante baptismum; Vnde per accidens poterit requiri alius dolor, qui sit dispositio ad remissionem alterius peccati diuersi; sine quo non posset remitti hoc aliud, atq; adeo sit dispositio indirecta ad remissionem huius, vt in casu posito dolor de peccatis factis ante baptismum est dispositio directa ad eorũ remissionem virtute baptismi præteriti: indirecta autem ad remissionem peccati facti post baptismũ virtute absolutionis: & hic dolor, seu hæc dispositio indirecta, quæ per accidens aliquando requiritur, non debet esse pars Sacramenti, nec id vnquã Concilia dixerunt, nec negarunt posse reperiri dolorem hoc modo disponentem ad effectum Sacramenti, qui non sit eius pars: sed loquendo de dolore per se requisito, non distinxerunt duos dolores, vnum, qui esset dispositio, alterum, qui esset pars, quod totum argumentum cum negatiuum sit, non habet vim, quando aliunde constat, posse per accidens dari illos duos dolores diuersos. Et licet solùm dicat in genere pœnitentiam, seu contritionem cum confessione esse partem huius Sacramenti, eo tamen ipso videtur illam limitare, vt sit pars Sacramenti pœnitentia, seu dolor, quatenus est de peccatis in confessione explicatis: Cùm enim non possit esse pars, nisi prout redditur sensibilis, & manifestatur per confessionem: ille solus dolor assignatur, vt pars, qui explicatur per confessionem, scilicet, dolor de illis peccatis, quæ homo confitetur. Denique id, quod additur, attritionem debere esse talem, quæ excludat voluntatem peccandi; non est contra nos, admittimus enim, propositum vniuersale non peccandi de cætero, esse partem requisitam ad hoc Sacramentum, licet dolor, non requiratur cum eâdem vniuersalitate.

97. Secundum argumentum P. Vasquez *n.* 22. est, quia illa est sufficiens dispositio ad effectum huius Sacramenti, quam qui affert, adhibet materiam sufficientem, ad aduenientе forma fiat validum Sacramentum, hic enim iam ex parte sua adhibet, quantũ debet, & habet ius ad petendum sententiã iudicis, cum ponat id, quod requiritur ad hoc, vt sententia sit valida, & firma nec aliam dispositionem debet afferre ad effectum absolutionis, nisi subiicere se absoluenti, & facere ex parte sua, quod sententia absolutionis validè proferatur, ergo dispositio, quæ sufficit ad valorem valebit etiam ad effectum huius Sacramenti.

98. Hoc argumentũ habet quidem vim contra eos, qui volunt, dolorem inefficacem, & propositum inefficax sufficere ad valorem Sacramenti, licet non sufficiat ad effectum: ij enim coguntur concedere pœnitentem non posse obligari ad aliam dispositionem afferendam: non tamen probat contra nostram sententiam, licet P. Vasquez vniuersaliter velit concludere de omni dispositione sufficienti ad valorem, esse sufficientem ad effectum Sacramenti. Respondetur enim facilè, pœnitentem quidem non obligari ad afferendam aliam dispositionem præter illam, quæ sufficit ad valorem, atque adeo cum illa habere ius ad petendam sententiam iudicis: posse tamen contingere per accidens, quod ratione ignorantiæ, vel obliuionis propter impedimentum occultum non consequatur effectum Sacramenti. Quod quidem in aliis Sacramentis passim contingit: Nam qui petit Sacramentum Eucharistiæ, confirmationis, extremæ vnctionis, &c. si non habeat conscientiam peccati mortalis, dignè petit Sacramentum, & habet eius ad illud petendum, licet non afferat positiuum dolorem de peccatis, & tamen licet recipiat verum Sacramẽtum quod rationabiliter petit, si tamen habet obicẽ peccati mortalis, cuius non recordatur, non recipit effectum gratiæ Sacramentalis absq; omni dolere sui peccati: sic ergo in Sacramento pœnitentiæ contingere potest aliquando, quod homo iustè petat absolutionem, & afferat materiam sufficientem ad valorem absolutionis: per accidens tamen careat effectu propter obicem occultum; quẽ si pœnitens, vel confessarius cognosceret, nec hic posset dare absolutionem, nec ille exigere, sicut nec in Sacramento Confirmationis, Eucharistię, & aliis, si obex occultus cognosceretur, posset minister illud ministrare, nec subditus illud petere, vterque tamen excusatur propter ignorantiam. Si autem sufficeret ad valorem huius Sacramenti dolor inefficax non esset obligatio adhibendi aliam dispositionem præter illam, quia si non esset obex alterius peccati, iam sufficienter aufertur obex horum peccatorum per dolorem requisitum, vt validè Sacerdos absoluat nomine Dei: Dispositio enim doloris de his peccatis est, ad hoc, vt ab iis soluatur, & liberetur à Sacerdote; ergo dispositio sufficiens ad validam absolutionem ab his peccatis, est sufficiens ad tollendum eorum obicem, non tamẽ erit sufficiens, vt tollatur obex aliorum, à quibus non absoluatur, pro vt contingit in nostra sententia, in qua non datur Sacramentum validum, & informe, nisi propter aliud peccatum, à quo validè non absoluitur.

99. *An posset ponatur effectus sine*

Ex dictis in hac sectione infertur primò decisio illius dubij, an quando Sacramentum Pœnitentiæ fuit validum, & informe, postea ablato obice causet suum effectum? P. Vasquez *in præsenti quæstione 92. art. 1. dub. 4.* cum quibusdam aliis dicit, etiamsi cõcedatur Sacramentũ pœnitentiæ validum, & informe, non esse admittendum, quod postea ablato obice, causet suum effectum: hoc enim solum de Sacramento baptismi propter peculiarem rationẽ concedi debet: cùm autem in aliis Sacramentis id non afferatur (neque enim, qui Confirmationem, aut Eucharistiam accipit in peccato, habet postea effectum illius, quando post longum tempus iustificatur) non est cur id de Sacramento pœnitentiæ dicatur.

100. Contraria sententia verior est, quam tenent ferè omnes, qui Sacramentum pœnitentiæ validum, & informe concedunt, quos sequitur Suarez *dict. sect. 5. num. 14.* quæ hoc vnico argumento probari potest, quia scilicet, confessio illa postea reperenda non est quoad ea peccata, de quibus dolor sufficens præcessit: si autem non haberet postea suum effectum, repetenda esset: ergo fatendum est eam causare postea suum effectum. Consequentia patet. Maior syllogismi probatur, quia fideles ex Christi præcepto solùm obligantur ad confitenda, & deferenda sua peccata mortalia confessario legitimo intra hoc Sacramentum: in eo autem casu pœnitens id totum fecit, & recepit validum Sacramentum pœnitentiæ, & validam absolutionem, quod autem non acceperit gratiam propter obicem patum refert; nam id non requiritur ad implendum præceptum, sicut qui recipit in peccato, imò & cum nouo peccato Sacramentũ Eucharistiæ in Paschate, implet præceptum communionis Paschalis, iuxta communem Theologorum sententia, quod idem est de præcepto aliorum Sacramentorum; ergo præceptum etiam confessionis impletur multò magis per confessionem non peccaminosam, sed validam, & bonam, licet informem.

101. Minor verò eiusdem syllogismi quod, scilicet, hinc constet, Sacramentum illud habere postea effectum,

ffectum, probatur, quia si non habet postea effectum, iam peccata illa non remitterentur ex vi alicuius confessionis Sacramentalis directè, sed vel per actum cõtritionis solum, quem postea eliceret homo, vel per aliam confessionem sequentẽ de aliis peccatis, in qua illè priora indirecta remitterentur, neutrum autem dici potest: nõ primum, quia per contritionem non remittuntur peccata sine ordine ad confessionem, cuius votum in contritione includitur, vt constat ex Tridentino *dicta sess. 14. cap. 4.* Tunc autem contritio nullum haberet votum confessionis illorum peccatorum, cùm nulla esset obligatio ea iterum confitendi, vt supponitur. Nõ potest itẽ dici secundum, quia in lege noua Christus voluit quod secluſa ignorãtia, vel impotẽtia, omnia peccata hominis, baptizati remittantur directè per Sacerdotẽ: hoc enim significant illa verba *quorum remiseritis peccata, remittentur, & quorum retinueritis*, id est non remiseritis *retenta erunt*. Nec sufficit remissio indirecta ad satisfaciendum huic obligationi; Nam si hoc esset, non esset obligatio confitendi peccata, quorum pœnitens obligatus fuit in priori confessione; & à quibus tunc iam fuit indirectè absolutus: tenetur tamen ea iterum confiteri, vt directè tollantur per Sacerdotem; Ergo non sufficit indirecta ablatio ad satisfaciẽdum præcepto Christi. Hinc ergo infertur, quod si confessio, & absolutio prior informis, nunquam haberet suum effectum, illa peccata deberent, iterum deferri ad confessarium, vt ab ipso aliquando efficaciter tollerentur. Quod tamen cùm non fiat, imò omnes ad hũc finem potissimum defendant Sacramentum validum, & informe, vt liberent pœnitentiam ab onere repetendi illas confessiones, fatendum est, priorem absolutionem exercere postea suas vires, & tollere illa peccata: Vnde patet ad argumenta P. Vasquez: constat enim quidquid sit in aliis Sacramentis, in hoc tamen esse specialem rationem asserendi: quod ablato obice, causet postea suum effectum. Alia argumenta adduximus ad hoc probandum tegentes *de Sacramentis in genere disp. 9. sect. 6.* vbi de aliis etiam Sacramentis explicuimus nostram sententiam. 103.

An ex defectu integritatis confessionis, possit Sacramẽtum esse validum & informe?

Infertur secundò decisio alterius quæstionis de qua P. Vasquez *art. 3. dub. 1.* Vtrùm scilicet ex defectu integritatis confessionis possit esse Sacramentum validum, & informe? Ad hoc enim breuiùs respondetur negatiuè: nam vel peccatum aliquod omissum fuit culpabiliter, & tunc confessio erit nulla propter defectum propositi non peccandi, cùm in ipsamet confessione peccatum sit, vel fuit omissum in culpabiliter, & tunc confessio erit valida, & formata: manebit tamen obligatio confitendi iterum illud peccatum omissum, quod idẽ erit quando peccatum fuit à pœnitente dictum, sed confessarius illud non percepit: perinde enim erit, ac si dictum fuisset. De hoc tamen non est specialis difficultas.

SECTIO VIII.

§. 1. *De dolore requisito in confessione de Venialibus.*

104. SVpponimus ex infra dicendis, peccata venialia etiam sola absque mortalibus, esse posse materiam sufficientem huius Sacramenti: quæstio ergo est, an requiratur ad eodem absolutionem Sacramentalem talis, tantusque dolor, sicut de mortalibus dictum est? Non est autem quæstio nunc, quomodo peccata venialia remittantur extra hoc Sacramentum, an scilicet requiratur pœnitentia de illis formalis, vel virtualis, an remittantur, quoties infunditur de nouo gratia habitualis, & alia eiusmodi, de quibus dixi *suprà disp. 9.* Nunc ergo solùm agimus de peccatis venialibus, quatenus fiũt materia confessionis, & remittũtur directe per absolutionem Sacerdotis an & qualem dolorem exigant, sub quo titulo plura dubia comprehenduntur, quæ suo ordine breuiter proponemus & definiemus.

Primò ergo dubitatur, an in confessione, quæ fit de venialibus, requiratur dolor de illis; sunt aliqui, qui dicunt, nec ad valorem, nec ad effectum Sacramenti requiri dolorem absolutum, & efficacem, sed sufficere inefficacem, quia alioquin nunquam remitterentur per absolutionem: si enim præcessit dolor efficax, per ipsum dolorem remissa erunt, si verò non datur ille dolor, absolutio non esset valida de illis: fatendum ergo est remitti posse per absolutionem Sacramentalem etiam sine dolore perfecto, & efficaci. 105. *An requiratur dolor efficax de venialibus.*

Vera tamen Theologorum sententia negat, confessionem absque dolore efficaci habere effectum, aut valorem, etiamsi de solis venialibus fiat. Videatur Suarez *disp. 10. sect. 6.* colligitur potissimum ex doctrina conciliorum, in quibus partes huius Sacramenti assignantur contritio, confessio, & satisfactio, *&c.* nomine autem *contritionis* non potest intelligi propriè dolor ille imperfectus, seu displicentia inefficax: contritio enim est detestatio peccati commissi, vt definit Tridentinum. Illa autem displicentia non est detestatio, aut retractatio, imò potest stare simul cum proposito iterum committendi illud peccatum, & cum ipso peccato actuali: est autem incredibile, quod Deus remittat peccatum huiusmodi habenti complacentiam in ipso nec deferenti formaliter aut saltem virtualiter priorem voluntatem peccaminosam. 106.

Nec obstat ratio in contrarium adducta. Respondetur enim peccata venialia remitti sæpe per absolutionem. Primò quando homo simul ea confitetur cum aliquo mortali non prius dimisso: Tũc enim licet habuisset attritionem priùs de venialibus, non fuissent remissa, cùm esset in statu peccati mortalis. Secundò, quando homo etiam in gratia habuit attritionem de venialibus, non semper omnia ei remittuntur: vt dixi, *dicta disp. 9. sect. 2.* quare possunt tunc remitti virtute absolutionis. Quod autem diximus de confessione venialium, dicendum est à fortiori de confessione mortalis, quod iam per aliam confessionem, & absolutionẽ dimissum fuerat, ad secundam enim requiritur etiam dolor solutus, & efficax, nec sufficit simplex displicentia inefficax. 107.

§. 2. *An sit mortale confiteri venialia absque vllo dolore?*

HInc oritur secundum, an dubium sit peccatum mortale confiteri sola venialia absque dolore efficaci de illis? Quidã Theologus Recentior id negauit: quia frustrare Sacramentum materia leui, non est culpa grauis: primò quia cum aliquis confitetur plura venialia, si nõ doleat de omnibus, sed de aliquibus, nõ peccat mortaliter, & tamen frustrat Sacramentalem absolutionem ab aliquo effectu partiali, scilicet, in remissione illorum, de quibus non dolet; ergo licet frustretur absolutio in remissione omnium, non erit culpa grauis. 108.

Secundò

Secundò, quia Caietanus, & alij censent Sacramentum Eucharistiæ non conferre gratiam, nisi cum actuali attentione accipiatur: & tamen non erit peccatum mortale carere illa intentione actuali; licèt ea de causa frustretur Sacramentum suo effectu. Tertiò, quia non est culpa mortalis non implere pœnitentiam leuem impositam ob peccata venialia, licèt idcirco Sacramentum, quoad illam partem maneat imperfectum, & frustretur effectu: Quartò, quia non est culpa mortalis contrahere matrimonium absque intentione, & consensu interno ad vitandum aliquod graue damnum, licèt propter fictionem irritum fiat Sacramentum: ergo nec erit mortale non procurare valorem absolutionis in confessione de peccatis venialibus.

Hæc sententia videtur omnino falsa, ex ipsa enim videntur sequi grauissima inconuenientia, si semel admittamus, non esse culpam grauem reddere scienter irritam formam Sacramentalem, sequitur enim, non fore culpam grauem reiterare formam Baptismi, vel si aliquis iam baptizatus, offerat se iterum baptizandum ab ignorante priorem Baptismum; cuius turpitudo consistit in eo, quod faciat proferri verba formæ seriò in eo casu, in quo non possunt esse valida. Hac etiam ratione est peccatum graue, si fœmina sub veste viri faciat se ordinari ab Episcopo, vel si Sacerdos proferat verba consecrationis super aquam scienter, etiam si habeat intentionem postea consecrandi vinum ad perficiendum sacrificium. Similiter est culpa grauis, si homini non ægrotanti ministretur Sacramentum Extremæ-vnctionis, & alia huiusmodi in quibus actio Sacramentalis redditur irrita ex incapacitate subiecti, vel materiæ. Ergo eodem modo erit culpa grauis facere, quod Sacerdos proferat absolutionem Sacramentalem super materia incapaci, scilicet, quando non præcedit confessio cum dolore requisito ad valorem.

Nec satisfacit dicere frustrari Sacramentum in re leui: Leuitas enim, vel grauitas in præsenti non debet attendi secundùm grauitatem, vel lenitatem materiæ secundùm se; sed in ordine ad Sacramentum, cuius irritatio semper est res grauissima. Nam acetum etiam secundum se est res leuissima; & tamen offerre acetum ad consecrationem, est res grauissima, quia proferuntur verba Christi omnino frustra. Similiter ergo, licèt peccata venialia sint culpæ leues, non est tamen leue dare illa pro materia formæ Sacramentalis, quæ profertur nomine Christi, quando re vera ipsa peccata non possunt esse materia, & verba Christi frustra proferuntur: ex hac enim irreuerentia desumitur tota malitia illius peccati, quia scilicet verba Christi, (qualia sunt formæ Sacramentales, quæ à ministris Christi eius nomine proferuntur) applicantur frustra, & quasi irrisoriè, cùm sit absque omni prorsus vtilitate, aut effectu.

Nec etiam satisfacit dicere, quod effectus, quo homo priuatur ob irritationem absolutionis, sit leuis, nempe remissio peccati venialis. Hoc, inquam, non satisfacit, quia in aliis etiam casibus adductis homo patitur iacturam similem, scilicet, quando absque intentione recipiendi Sacramentum faceret se confirmari ab Episcopo, patitur iacturam gratiæ Sacramentalis, quæ non est simpliciter sibi necessaria: item si fœmina se faciat ordinari, non patitur vllam iacturam, & sic in aliis casibus, & tamen in iis sit peccatum grauissimi sacrilegij; quia non attenditur ad id, quod priuatur recipiens Sacramentum, sed ad irreuerentiam, quæ fit contra ipsam actionem Sacramentalem, vsurpando illam inutiliter; ergo similiter, quando absolutio Sacramentalis profertur inutiliter absque valore, & effectu gratiæ peccabitur grauiter propter eandem rationem.

Hinc autem potest desumi aliud simile argumentum; quia si illud non esset peccatum mortale, eo quod pœnitens leuem iacturam incurrat: idem posset dici, quando confessio est de peccatis mortalibus: Nam licet remissio peccati mortalis sit res magni momenti, & granior multò, quàm remissio peccati venialis: non est tamen graue, sed leue, quod peccatum mortale remittatur per hanc absolutionem, vel per aliam: ergo si pœnitens haberet intentionem confitendi hodie alteri Sacerdoti cum debito dolore, non fraudaret Sacramentum in re graui, licèt in alia priori confessione scienter confiteretur peccata mortalia absque dolore; quod tamen absurdissimum est.

Denique confirmari potest; quia si illæ rationes probarent, non esse mortale non afferre illum dolorem, probarent etiam non esse mortale, si aliquis confiteretur vnum solum veniale, quod tamen nunquam fecisset, sed ex lenitate, & mendacio illud diceret; Nam mendacium de re leui etiam in confessione non est mortale, vt suppono; Ergo si aliunde irritatio Sacramenti non est irreuerentia grauis non apparet vnde illud esset peccatum graue: quod tamen esse graue sacrilegium, si scienter fiat, nemo negat præter Philippum Fabrum Patauin professorem, quid id nouissimè ausus est negare *tract. de pœnit. in 4. sent. disp. 17. q. vnic. disp. 14 c. 3. n. 51.* contra omnes Theologos.

Ad rationes ergo illius Auctoris, respondetur. Ad primam admissa maiori, de qua postea agemus, negando consequentiam, quia in illo casu Sacramentum non frustratur toto effectu, nec redditur irritum, cùm maneat aliqua materia valida, quæ sufficit ad hoc, vt verba Christi non proferantur frustra, & irrisoriè: at verò in nostro casu supponimus, nullam manere materiam, & per consequens Sacramentum reddi omni ex parte irritum, quæ sanè est multò granior irreuerentia.

Ad secundam respondetur, illo ipso argumento reiici solere sententiam illam Caietani, & aliorum, quia consequenter ad sua principia deberent concedere, peccare mortaliter eum, qui absque deuotione, & attentione actuali recipit Eucharistiam, vt notauit P. Vasq. *tom. in 3. p. disp. 206. n. 11.* Adhuc tamen est maior ratio in nostro casu ad asserendam culpam mortalem, in quo non solùm impeditur fructus, sed etiam valor Sacramenti per defectum materiæ validæ; atque adeò maior videtur fieri iniuria Sacramento, quàm si solùm priuaretur effectu.

Ad tertiam respondetur, non implendo pœnitentiam leuem non fraudari Sacramentum suo valore, vt constat, neque etiam toto fructu, sed aliqua leui parte fructus, in quo non reperitur grauis irreuerentia; neque enim quælibet minima integritas Sacramenti obligat grauiter; nec debet sub culpa graui homo procurare quàm maximum fructum habere possit ex quolibet Sacramento.

Ad quartam respondetur; argumentum infirmùm esse à Sacramento matrimonij ad alia Sacramenta; multa enim, quæ in aliis Sacramentis non licèt propter reuerentiam Sacramenti, licent in matrimonio; quod cum esset contractus humanus onerosus voluit illum Christus relinquere, qualis in se erat, eleuando tamen illum ad rationem Sacramenti. Hinc est, matrimonium posse valide, & aliquando licitè contrahi sub conditione de futuro, licèt alia Sacramenta non possint validè sub tali conditione celebrari, vt vidimus *disp. præced. sect. 5.* matrimonium item potest per procuratorem,

& in absentia recipi, quod in aliis Sacramentis non contingit: potest nutibus,& signis fieri,cùm alia Sacramenta requirant voces: denique in aliis minister non potest scienter ea ministrare indigno: in matrimonio tamen coniux, qui est minister,potest ministrare illud alteri coniugi, licèt sciat, ipsum esse in statu peccati, quia Christus voluit relinquere hunc contractum humanum; qualis apud homines fiebat ne per elevationem ad Sacramentum difficilior esset.Sic ergo noluit cogere contrahentes, ad hoc vt propter reuerentiam Sacramenti curarent, ne vnquam irritum esset, sed reliquit eis facultatem, quam prius habebant fingendi consensum,& reddendi contractum irritum, qua parte contractus est, notarunt P. Henriquez *lib.11.de matrim.c.9.n.6.*& P.Thom.Sanch.*lib.1.de matrim.disp.11.n.2.* ne grauior esset hic contractus propter rationem Sacramenti, si ea occasion cogerentur homines præstare consensum in suum præiudicium, quando ex natura contractus ad id non tenebantur. In aliis autem Sacramentis, quæ non sunt ad alium vsum, nisi vt sanctificent suscipientes & colatur Deus: non mirum,quod exigatur reuerentia omnimoda, cùm non sint actiones profanæ, qualis est matrimonium, nec ad alios fines necessariæ,sed actiones merè sacræ,& sanctæ, quæ non nisi religioso animo, & piè,ac reuerenter tractandæ sunt.

§.3. *An sit obligatio sub mortali ad dolorem de omnibus venialibus in confessione explicatis.*

117. TErtium dubium consequenter ad hæc est, an dolor efficax ita requiratur ad Sacramentum pœnitentiæ,vt sit mortale non habere dolorem de omnibus venialibus, quæ in confessione dicuntur? Non pauci affirmant, esse mortale,vt testatur Suarez *disp.20.sect.6.num.7.*quia confiteri aliquod veniale absque dolore efficaci, est apponere pro materia Sacramenti id, quod non potest esse eius materia,quare sicut peccaret grauiter,quia apponeret Sacerdoti consecrandas decem hostias, quarum quinque non essent triticeæ, licèt apponeret alias triticeas; sic videtur grauiter peccare, qui offert Sacerdoti pro materia absolutionis decem peccata, quorum aliqua ex defectu doloris non sunt materia absolutionis validæ.

118. Probabilior tamen videtur sententia negans, id esse peccatum mortale,quam tenet Suar. *ibi*,Henriquez *lib.1.de Sacram.pœnitent.c.26.§.7.* Fagundez *lib.2.de secundo Ecclesiæ præcepto cap.1.n.13.* & alij. Probatur exemplo aliorum Sacramentorum, in quibus admistio alicuius partis, quæ non sit materia valida, non est culpa grauis, dum tamen apponatur materia valida. Sic enim in Baptismo cum aqua effundenda miscetur aliqua pars olei benedicti, quæ quidem non est materia valida Sacramenti. Item in Eucharistia, licèt in vino consecrando apponatur immediatè ante consecrationem pars aquæ, quæ iuxta communem multorum sententiam non consecratur,nisi priùs fuerit in vinum conuersa,& licèt illo breuissimo tempore non fuerit conuersa in vinum adhuc licitè proferuntur verba consecrationis.Similiter non esset peccatum mortale secundùm se, & seclusa Ecclesiæ prohibitione,si panis consecrandus decoris,& ornatus gratia,aliqua ex parte leuiter aureis punctis, vel lineis depingeretur, licèt illa particula auri, non posset, verè consecrari. Denique in hoc ipso pœnitentiæ Sacramento frequèter pij homines solent se accusare de imperfectionibus,& defectibus,qui nõ sunt peccata venialia, nec aliquis dixit,eos in hoc peccare mortaliter. Est etiam communior, & verior sententia, pœnitentem falsò se accusantem de aliquo veniali,quod non fecit, non peccare mortaliter,si apponat aliam materiam veram, vt dicemus *disp.16.sect.2.circa finem.* In quo etiam casu apponi videtur pro materia id,quod non est materia valida; Ergo nec in nostro casu accusare se de peccato veniali,absque dolore,& proposito efficaci illius vitandi,erit peccatum mortale: Iam enim apponitur alia materia valida, & per consequens forma non frustabitur, nec carebit omni effectu,licèt careat aliquo quem posset etiam habere circa illud peccatum,de quo pœnitens efficaciter non dolet.

Ad exemplum illud de hostia non triticea appo- 119.
sita cum aliis triticeis.Respondetur negando paritatem & quidem P. Suarez *infrà disp.22.sect.10.n.8.* cùm illud exemplum sibi obiiceret ad probandum, esse peccatum mortale accusare se de aliquo peccato veniali non commisso,respondet,discrimen esse quod forma Eucharistiæ per se primò respicit materiam,& illam designat,& effectum circa illam significat? Vnde si apponatur materia falsa,iam ex illa saltem parte falsificatur forma,forma verò huius Sacramenti per se primo significat personam, & effectum circa illam, dum dicitur, *Ego te absoluo*; quare omnino est vera,licèt non cadat supra omnia peccata à pœnitente adducta. Non enim dicit, *hæc omnia sunt peccata,& condonantur tibi*;sed solùm significatur, quod pœnitens accipiat effectum gratiæ remissiuæ peccati, qui effectus non impeditur, licèt aliquod veniale remissibile non sit ex falsitate,vel indispositione pœnitentis: in quibus verbis vltimis videtur Suarez hanc eandem solutionem extendere ad nostrum casum,in quo non ex falsitate,sed ex indispositione prouenit,quod non absoluatur à tali peccato veniali.

Cæterum,licèt hæc solutio vtilis fortasse sit, si 120.
magis explicetur ad illum casum de veniali falso, in quo dici posset, sensum formæ manere verum, quatenus solùm significatur, hominem manere liberum à reatu,quem ex illis peccatis habuisset,quicumque ille esset, quod videtur verum, licèt aliquod illorum peccatorum non fuisset commissum; Nam adhuc verum est, quod remittitur reatus relictus ex illa collectione narrata, licèt non fuerit relictus à singulis, in nostro tamen casu difficilis est;nam verba immediatè non significant,vt verba sunt,effectum gratiæ vtcumque, vt supra vidimus *disp.13.sect.3.* sed remissionem offensæ diuinæ, & solutionem vinculi: Ergo si re vera Sacerdos hîc, & nunc non remittit hanc offensam, verba secundum propriam significationem,quam habent vt verba sunt; non erunt vera,sed aliqua ex parte falsa.

Melius ergo iuxtà principia ibi à nobis tradita 121.
responderi potest,ratione discriminis inter vtraque formã esse,quod in forma pœnitentis non significant verba omnino absolutè ablationẽ peccatorũ, sed sensus est *ergo quantũ est ex me,remitto tibi peccata*, qui sensus verus est,etiã quãdo ob indispositionem pœnitentis Sacramentum est inualidum, & informe, vt ibi diximus, atque verus etiam erit in casu nostro quando ob defectum doloris de aliquo veniali illud non tollitur; adhuc enim est verum, quod Sacerdos,quantum est ex parte sua, illud remisit nomine Christi,licèt remissio non fuerit valida ob defectum pœnitẽtis. At verò in forma Eucharistiæ verba significant omnino absolutè, illud esse Corpus Christi;quare oportet ex vi verborũ, quod in singulis saltem hostiis sit Corpus Christi, licèt non requiratur ad eorum veritatem, quod non

non sit admixta aliqua particula minima in aliqua hostia, quæ sit ex alia materia, vt saccharo, vel terra; neque enim Sacerdos id intendit affirmare, intendit tamen loqui de omnibus, & singulis hostiis sibi appositis.

122. Ex hoc tamen potest esse secunda obiectio contra conclusionem; quia videtur sequi, quod nec in Sacramento Ordinis sit peccatum mortale si aliquis non Baptizatus, v.g. sinat se ordinari: verba enim adhuc nō erunt falsa, cum etiam non significent absolutè, sed, *Accipe potestatem quantum est ex me*, &c. Respondetur negando sequelam, quia ibi frustraretur, & irritaretur totum Sacramentum, vt constat; quod non contingit in casu nostro, in quo absolutio manet valida, & efficax.

123. Dices saltem quando Episcopus simul ordinat plures, quibus omnibus simul profert verba, iam tunc verba manebunt valida, & vera, & non frustrabuntur, nisi quoad aliquam partem, sicut absolutio in nostro casu. Respondetur, tunc etiam frustrari omnino, quia licèt forma dicatur omnibus simul, fit tamen multiplex Sacramentum, & ipsa forma est virtualiter multiplex, perinde omnino ac si diceret, *Accipe tu potestatem*, &c. & *Accipe tu potestatem*, & sic de singulis seorsim; in nostro autem casu non est forma multiplex eo modo; neque enim posset Sacerdos diuidere absolutionē dicendo, *ego te absoluo à primo peccato*, & postea, *ego te absoluo à secundo peccato*, & sic de aliis: sed vnica forma debet de omnibus absoluere, quia debet vnicum Sacramentum conficere. Adde in ordinatione non esse illum verborum sensum, quantum est ex me, do tibi potestatem, sed absolutè, *do tibi potestatem*: æquiualet enim formæ Græcorum, qui absolutè dicunt; *Diuina gratia constituit hunc Diaconum, vel Presbyterum*, &c. quare essent falsa, nisi re vera acciperet homo Sacramentum validum. Quod etiam idem posset dici in Eucharistia, esse multiplicem consecrationem diuisibilem sicut in ordinatione, at in absolutione est indiuisibilis, & sensus est: Ego quantum est ex me remitto tibi ius, quo Deo acquisitum fuit ex his peccatis, quod totum est verum licèt vnum peccatum sit falsum, vt diximus *disp. præced. sect. 3.*

124. Tertiò obiici potest, quia si non sit grauis irreuerentia contra Sacramentum apponēdo cum alia materia peccatum aliquod veniale absque dolore; sequitur, nec etiam fieri grauem irreuerentiam, apponendo peccatum aliquod mortale falsum, simul cum aliis veris; iam enim apponitur materia valida Sacramenti, & aliunde mendacium illud non videtur graue, cùm possit homo absque graui culpa imponere sibi aliquod peccatum mortale, quod non fecit. Consequens autem est omnino falsum: quia alioquin posset pœnitens absque vllo scrupulo excedere in numero peccatorum; & in aliis similibus, vt securus maneret de vero numero, non omisso, cùm aliunde non esset periculum graue in excessu falso.

Respondetur negando sequelam. Ratio autem est, quia ex alio capite fit contra reuerentiam Sacramenti, quatenus decipitur iudex in re graui, & necessaria; nec enim minùs decipitur per confessionem criminis falsi, quàm per negationem criminis veri; nec minor occasio datur variandi iudicium, provt in hoc Sacramento requiritur.

125. Petes an idem dicendum sit de peccato mortali iam confesso, quod de veniali? Respondetur, quod ad præsens attinet, eamdem esse rationem, si enim aliquis confiteatur aliqua venialia, de illisque doleat propter specialia motiua, & confiteatur simul aliquod mortale, quod iam in alia confessione di-

rectè fuit remissum per confessionem ipsius, & absolutionem; consequenter dicendum videtur, non esse peccatum graue, etiamsi in secunda confessione de illo doleat, dum tamen non habeat de illo complacentiam; quia hæc esset planè mortalis ratione obiecti. Sequela autem probatur, quia Sacramentum adhuc esset validum, cùm adesset alia materia cum dolore sufficienti, & aliunde defectus doloris de illo peccato non est obex valori huius sacramenti. Dixi autem quod ad præsens attinet, esse eamdem rationem, quia aliud videtur esse in ordine ad mendacium; non enim posset quis absque culpa graui accusare se in confessione de peccato aliquo mortali falso, etiamsi diceret, se iam illud iterum confessum fuisse, licèt non sit peccatum mortale accusare se de peccato veniali falso. Per hoc enim non decipitur grauiter iudex, sicut per illud, quod quamvis asseratur, vt dictum iam in illa confessione, adhuc tamen videtur subiici huic iudicio, & variat notabiliter iudicium confessarij circa conscientiam pœnitentis; non quidem in ordine ad imponendam grauiorem pœnitentiam (hanc enim prudenter omittit, eo quod in alia confessione sit iam imposita pœnitentia condigna pro eodem peccato) sed in ordine ad conceptum, & æstimationem de conscientia pœnitentis, quod attinet ad culpam præteritam.

126. Petes iterum, an pœnitens dicens aliquod veniale absque dolore efficaci, debeat saltem sub mortali dicere, se non dare hoc peccatum pro materia absolutionis. Respondetur negatiue: quod credo esse de mente Auctorum omnium nostræ sententiæ. Si enim id diceret pœnitens, non daretur locus quæstionem: neque aliquis negaret, posse pœnitentiam cum illa potestatione narrare omnia peccata, & defectus suos absque vllo dolore, sicut posset extra confessionem. Quando ergo Auctores dicunt, etiam intra confessionem non esse peccatum graue id facere, loquuntur procul dubio de pœnitente, qui dicit illud peccatum, sicut, & alia, atque adeo ex modo dicendi, videtur illud dare pro materia, sicut & reliqua: sufficit ergo, quod pœnitens habeat animum non dandi illud pro materia, vel certè animum conditionatum dandi illud pro materia; si potest, secus verò si non potest propter defectum dispositionis, vel quidquam aliud, quod apertè videtur ita sentire Suar. *infrà disp. 22. sect. 10. n. 9.*

SECTIO IX.

De proposito requisito ad confessionem venialium.

127. DVbitatur, an, & quale propositum requiratur in confessione venialium. Negant aliqui, requiri propositum formale, vel virtuale, quia minus requiritur ad remissionem venialis, quàm ad remissionē mortalis. Contrarium tamen videtur omnino verum: quia dolor efficax includit propositum virtuale, vt sæpe diximus: si ergo requiritur dolor efficax, & absolutus, vt vidimus, non potest non requiri propositum saltem virtuale. Differt autem à peccato mortali in eo, quod extra Sacramētū minus requiritur ad remissionē venialis. In Sacramēto etiam ad remissionē mortalis requiritur propositū non committendi illud, nec aliud; quod tamen non exigitur ad remissionē venialis; sufficit enim propositum non committendi eadem peccata; itē nec requiritur propositum adeo strictum vitandi occasiones peccandi venialiter, sicut requiritur

propositum vitandi occasiones peccandi mortaliter; vnde faciliùs possunt absolui; qui relabuntur sæpius in eadem venialia, quàm qui relabuntur in eadem mortalia, vt benè aduertit P. Coninch *in præsenti disp.2 dub.14.n.130.*

128. Dicunt, possumus detestari vnum peccatum veniale, non detestando etiam implicitè aliud, ergo possumus etiã detestari efficaciter peccatum veniale præteritum per vnum dolorem absque detestatione, vel odio efficaci circa peccatum futurum, vnum enim distinguitur ab alio.

Respondetur, negando consequentiam: nam peccatum præteritum, & futurum simile habent eandem omnino malitiam, vt suppono: non possumus autem efficaciter odio habere peccatum præteritum propter talem malitiam, & retinere affectum erga eandem malitiam; hoc enim esset amare, & odio habere idem obiectum, vt supra probatum est, quæ ratio non probat de peccatis diuersis, in quibus reperiuntur diuersæ malitiæ, quarum vnam possumus efficaciter detestari absque odio simili erga aliam diuersam.

129. *Quomodo possit esse propositum efficax circa venialia?*

Difficultas ergo est, quomodo possit dari tale propositum efficax circa venialia: Nam licèt circa vnum, vel aliud veniale, vel circa aliquam speciem possit fieri illud propositum; circa omnia tamen non videtur possibile: sicut enim est impossibile vitare omnia, sic erit impossibile, & stultum proponere vitare omnia; ergo fatendum est absque eiusmodi proposito posse remitti; potest enim homo accusare se de omnibus venialibus, & dolere de illis; ergo absque proposito efficaci potest absolui ab illis omnibus.

Responderi solet, licèt impossibile sit vitare totam collectionem venialium; possibile tamen esse vitare singula: Quare sufficiet, si pœnitens proponat vitare singula, provt singillatim occurrent: quę doctrina desumi videtur ex S. Thom. *in præsenti q. 87. art.1. ad primum.*

Hæc tamen solutio difficilis est, vt benè notat Suarez *in comment. illius art.1* quia impossibile est, quod pœnitens in confessione proponat efficaciter vitare singula venialia futura, quin proponat vitare collectiuè omnia; nam vult vitare hoc, & illud, & sic de aliis, ergo omnia. Posset quidem velle vitare singula disiunctiuè, si diceret, volo vitare illud, si non vitauero alia, & illud, si non vito aliud, & sic de singulis, hoc tamen non esset propositum absolutum de singulis, sed conditionatum, vt constat: absolutè autem velle vitare hoc, & illud & illud, est velle vitare omnia; quia si sunt solùm decem homines, & ego nunc habeo propositum efficax dandi singulis vnum nummum, habeo certè propositum dandi omnibus singulos nummos, vt constat.

130. Ideo ipse Suar *ibi n.7. & disp.4. sect.3.n.5.* aliter explicat illam distinctionem, & respondet, circa omnia venialia in vniuersum non posse habere propositum illud vniuersale, & efficax, posse tamen haberi propositum faciendi quantum est ex parte nostra, & quantum in nobis fuerit, ad vitanda illa, seu adhibendi omnem diligentiam ad ea vitanda, vel minuenda, quantum humano modo fieri possit: hoc enim propositum sufficit ad hoc, vt in Sacramento remittantur omnia, quæ fiunt confessionis materia.

Hæc etiam responsio videtur pati eandem difficultatem, nam vel per hoc, quod est facere, quantum est ex parte nostra ad vitanda peccata, intelligitur facere quidquid possumus potentia etiã physica, vel solum quidquid possumus moraliter. Si dicatur primum, eadem est difficultas de illo proposito, ac de proposito vitandi omnia peccata collectiuè: Sicut enim certò scio, me non vitaturum omnia, sic etiam certò scio, me nõ facturum quidquid possũ physicè ad illas vitandas; Nam quoties pecco venialiter, non facio, quod physicè saltẽ tũc poteram ad illud vitandum; quare si non possum habere propositum efficax vitandi omnia, quia impossibile moraliter est omnia vitare: sic nec potero habere propositum efficax faciendi quidquid possum ad vitanda omnia, quia est etiã moraliter impossibile; quod faciam quidquid physicè possum ad omnia vitanda. Si verò dicatur secundum, & intelligatur solum de proposito faciendi id quod moraliter possum; contra hoc est, quod illud propositum videtur esse diminutum, nec correspõdere adæquate cum dolore: dolet enim homo de omnibus peccatis venialibus commissis, non solùm de iis, quæ moraliter potuit vitare, sed etiam de iis, quæ moraliter necessaria erant in hac fragili hominis conditione; omnia quippè illa potest confiteri, & dare pro materia Sacramenti; ergo de iis omnibus debet habere propositum efficax alioquin non poterunt omnia illa esse materia absolutionis.

131. Confirmatur primò, quia si non habet de omnibus illis propositum efficax; ergo nec habet dolorem efficacem de illis omnibus; dolor enim efficax, vt sæpè diximus, includit in se propositũ saltem virtuale non repetendi illud peccatum, nam quiefficaciter detestatur, & retractat aliquid non potest stante tali detestatione, illud idem amplecti, & velle. Si ergo habetur dolor efficax de omnibus peccatis venialibus etiam de illis, quæ moraliter vitari non poterunt, ibi includitur propositum efficax circa omnia illa; si autem non habetur dolor efficax, iam erit dolor inefficax, seu simplex displicentia, quæ non sufficit ad valorem Sacramenti.

132. *Propositum debet esse tale, quod non compatiatur secum voluntatem peccandi.*

Confirmatur secundò, quia dolor, & propositũ quod requiritur ad valorem Sacramenti, debet esse tale, quod non compatiatur secum voluntatem peccandi, vt colligitur ex Trident. *dicta sess. 14. cap. 4.* quod cum proportione debet verificari in confessione de venialibus, ad quam requiritur talis detestatio, cum qua non possit simul stare affectus, seu voluntas eadem peccata committendi, Si autem solùm requireretur propositum faciendi quantum moraliter possum ad vitanda illa peccata; posset stare cum tali proposito voluntas absoluta faciendi aliquod ex illis peccatis. 134.

Primò, quia posset occurrere tunc aliquod ex illis peccatis, quæ moraliter non possent vitari, vel propter surreptionem, vel propter defatigationem, vel quia iam sit homo in fine illius temporis, intra quod necesse est moraliter peccare venialiter, in quo casu stare posset vtrumque simul: scilicet propositum faciendi, quod moraliter possum ad non peccandum, & voluntas peccandi hic & nunc, quando moraliter non possum illud vitare: ergo illud propositum non repugnat secundùm se cum voluntate actuali peccandi.

Secundò probatur hoc ipsum, quia hæ duæ voluntates non repugnant inter se ex parte obiecti voliti, voluntas faciendi, quod moraliter possum & voluntas non faciendi, quod moraliter non possum, sed solùm physicè, ergo cum illa voluntate faciendi quantũ moraliter possum ad non peccandũ, possem simul habere voluntatem non faciendi id, quod solùm physicè possum, sed potiùs peccandi in iis, in quibus moraliter non potero resistere: hæc autem ipsa voluntas esset iam peccatum veniale; Nam sicut peccatum factum absque potentia morali, sed cum sola physica, est verum peccatum: Sic voluntas faciendi illud erit peccatũ; quod tamen

tamen non repugnat ex parte obiecti cum proposito illo faciendi, quod moraliter possum; Ergo hoc propositum non est tale, quale requiritur ad valorem Sacramenti pœnitentiæ, in quo requiritur talis dolor, qui ex obiecto suo, non compatiatur secum actualem voluntatem peccandi.

133. Ad difficultatem ergo propositam aliter possumus respondere. Et quidem, quando dolor non est vniuersalis de omnibus venialibus, sed de aliquibus, non est difficultas de proposito, quod fieri possit circa illa solum propter specialem eorum malitiam: quando verò dolor est vniuersalis de omnibus, potest etiam esse propositum correspondens tali dolori: quod possumus dupliciter explicare.

Primùm, dicendo, quod ille, qui se accusat de multis venialibus, potest aliquando intendere accusare se non de singulis seorsim, sed de collectione illorum: Sicut cùm aliquis religiosus accusat se de relaxatione, quam habet circa regularum obseruantiam, quod passim eas transgrediatur, non accusat se de singulis transgressionibus seorsim, sed de collectione illa, seu de negligentia tali, & frequentia transgressionum. Ad hoc autem sufficit dolere de collectione, seu de frequentia, & proponere vitare talem negligentiam, & frequentiam. Sic sufficiet dolor de multitudine, & frequentia venialium, ac propositum vitandi illam frequentiam, & multitudinem, potest enim dari pro materia Sacramenti multitudo ipsa, & frequentia, non singula venialia seorsim sumpta. Sicut potest aliquis dare pro materia nimium excessum quem facit in cibo, non singulas bucellas vel partes illius excessus, item potest dare pro materia nimiam distractionem per semi horam in oratione, non singulas partes illius distractionis. Similiter ergo potest aperire frequentiam, & multitudinem nimiam peccatorum venialium, dolendo de tali frequentia, de tanta negligentia, & incuria in custodia sui cordis, absque eo quod doleat de singulis seorsim, aut proponat circa singula, sed solùm corrigere suam vitam, & vitare illam negligentiam culpabilem, ac frequentiam peccatorum.

134. Dices non posse illum solum dolorem de collectione, frequentia, aut multitudine venialium, & propositum prædictum deseruire ad hoc Sacramentum, quia ex vi illius doloris non videtur posse remitti aliquod peccatum in particulari: nullum enim peccatum remittitur in hoc Sacramento absque aliquo proposito saltem virtuali illud vitandi: pœnitens autem in hoc casu habet quidem propositum vitandi illam frequentiam, & multitudinem venialium; non tamen habet propositum vitandi tale mendacium v.g. quod confitetur, quia non detestatur, nisi frequentiam, & multitudinem: ergo hoc mendacium non poterit remitti in hoc Sacramento, ergo nullum peccatum remittitur; non enim est maior ratio de vno, quàm de alio, cùm de nullo in particulari doleat, aut proponat, sed de frequentia, & multitudine.

Respondetur, quando pœnitens solùm dolet de frequentia, & multitudine, & circa illam proponit; remitti posse ad minus frequentiã, seu multitudinẽ; hoc est, peccata illa, in quibus fuit illa circũstantia frequentiæ, quam odio habet, & detestatur. Quamvis ergo priora peccata nõ remittantur; remitti tamen poterunt posteriora, quæ cõmissa fuerunt cum illa circumstantia frequentiæ, quæ circumstantia non fuerat in prioribus. Sicut quando aliquis se accusat de distractione lõga in oratione, & dolet propter longitudinem, qui de breuiori fortasse distractione non curaret; tunc remittitur quidem ad minus quoad illam partem, qua cœpit iam distractio habere circumstantiam illam longioris.

Sed contrà instabis: ergo qui se accusat de actu malo intenso, de quo dolet propter intensionem, vel de furto mille nummorum aureorum, de quo dolet propter quantitatem nimiam, non remittetur peccatum illud, quoad gradus singulos intensionis v.g. nec quoad furtum singulorum nummorum: quia non dolet formaliter de singulis gradibus seorsim, aut de furto singulorum nummorum seorsim, sed solùm de intensione, aut magnitudine, & excessu furti. Consequens autem videtur absurdum: quia etiam quoad priores gradus intensionis, & quoad acceptationem vnius aurei, fuit peccatum mortale: Si ergo non remittitur, quoad omnes, & singulas partes, non remittitur adæquatè, & totaliter illa culpa. 135.

Respondetur negando sequelam. Nam singulæ partes illius actus, vel illius furti participant circumstantiam, & malitiam; quam pœnitens tunc detestatur: Singuli enim gradus ex simultate cum aliis habent integrare intensionem; & singuli nummi aurei accepti cum aliis conflant summam illam ingentem: quare singulorum nummorum acceptio, provt fit in tali circumstantia cum aliis, habet malitiam, quam pœnitens detestatur, & singuli gradus intensionis, provt fiunt in tali circumstantia, quando fiant alij, habent circumstantiam conflandi intensionem, propter quam detestabiles sunt à pœnitente. At verò peccata venialia priora non participant malitiam frequentiæ, quando facta fuerunt; ideo ipsa secundùm se non videntur detestabilia propter frequentiam, sed sola posteriora, quæ habuerunt iam eiusmodi circumstantiam, & peculiarem detestabilitatem. 136.

Secundò potest contingere dolor vniuersalis de venialibus omnibus, qui feratur etiam ad singula seorsim, cùm correspondeat etiam propositum vniuersale, quod feratur ad collectionem, & ad singula: non quidem per modum volitionis absoluræ, qua homo dicat, *volo nunquam peccare venialiter*, sed qua dicat *quantum est in me, volo pro nunc nunquam peccare venialiter. Scio quidem me postea pro mea fragilitate defecturum ab hac ipsa voluntate, quam nunc habeo; sed tamen pro nunc volo efficaciter non deficere.* Neque enim repugnat, quod aliquis velit, non voluntate absoluta, sed efficaci, quantum est de se procurare aliquid, quod scit non futurum. Sic S. Petrus monitus à Christo de sua negatione futura, poterat pro tunc velle efficaciter, & proponere, quantum de se erat, non negare Christum, licet scitet, se postea, defuturum ab eo proposito. Sic etiam dicunt Theologi communiter, non esse contra valorem propositi requisiti ad hoc Sacramentum etiam circa mortalia, quod pœnitens credat pro sua fragilitate, se non permansurum postea in illo proposito: adhuc enim potest per voluntatem proponere pro tunc efficaciter id, quod iudicat non futurum. Denique licèt sciant homines, quod in inferno peccabunt, & blasphemabunt Deum, & B. Virginem ex odio in ipsos, posset tamen aliquis nunc dicere: pro nunc ego habeo animum, quantum est ex me; non blasphemandi, nec prosequendi odio Beatam Virginem: scio tamen, me tunc hunc ipsum animum, & hoc propositum mutaturum. Sic ergo poterit habere pro nunc animum, & voluntatem non peccandi vnquam venialiter, quantum est ex se, licèt sciat, id postea non futurum ex eo, quod relicturus sit hunc animum, & hoc propositum, quod nunc habet. 137.

P. Ioan. de Lugo de Pœnitentia.

138. Quando verò dici solet non posse dari voluntatem absolutam circa obiectum impossibile; intelligitur de voluntate omnino absoluta, non de voluntate efficaci, quātum est ex me; sic enim peccator per contritionem detestatur efficaciter peccata; non quidem volendo absolutè, quod non fuerint, sed volendo efficaciter, quantum est ex se, quod non fuissent. Sic possum ego velle volare voluntate non absoluta, sed efficaci, quantum est ex me, & velle ac conari, quantum est ex me movere saxum, quod meis viribus moueri non possit; quantò magis possum simili voluntate velle nunquam peccare venialiter? hæc autem voluntas, licèt non sit absoluta, sufficit tamen ad valorem Sacramenti, ad quod solùm requiritur volūtas talis quæ expellat voluntatem peccandi: illa verò est talis: Nam cum illa nunquam poterit coniungi volūtas actualis peccandi, sed vel homo non peccabit, vel desistet ab illa priori voluntate, sicut de memoria nouissimorum dicitur Eccles. 7. *Memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis*, quia scilicet quandiu ipsa durat nō peccat homo. Si cum maiori proprietate cū illa voluntate efficaci nō ponitur vnquā aliquod peccatū, quare illa expellit propriissimè voluntatē peccandi, & sufficit ad valorem Sacramēti.

139. Denique illud quod S. Thom. *d. art. 1. in illa solutione ad primum*, dicit, debere esse propositum de vitandis singulis venialibus, non tamen de omnibus, posset intelligi dupliciter. Primo de confessione venialiū; provt communiter fit: non enim cōfitetur aliquis omnia venialia, sed aliqua: quare licèt homo non posset proponere vniuersaliter circa omnia, quia non potest vitare omnia, sufficeret tamen proponere circa aliqua, scilicet, circa illa, quæ confitetur; nam sicut singula potest vitare: sic poterit circa illa proponere absolutè; in quo differt cōfessio de venialibus à confessione mortaliū, in qua requiritur semper propositum vniuersale vitandi omnia, quod propositum non requiritur ad remissionem venialium: & hoc sufficiebat ad intentum S. Thomæ; nempe posse remitti venialia per pœnitentiam, & requiri actum pœnitentiæ ad eorū remissionem, quidquid sit, an possit esse pœnitentia de omnibus illis, quod non erat necessarium ad soluendum illud argumentum, nec de hoc puncto explicuit suam mentem S. Thomas, nec id definiit; quia ille dolor vniuersalis de omnibus venialibus in vniuersum & confessio de illis regulariter non contingit, sed de aliquibus in particulari, quæ pro tunc occurrūt, & magis aggrauāt cōscientiam.

140. Posset tamen secundò intelligi S. Thomas, etiamsi loquatur de confessione omnium, & dolore vniuersali de omnibus venialibus, quod loquatur iuxta primam solutionem nostram supra explicatam: quod scilicet differat à confessione mortalium in eo, quod mortalia possunt omnia vitari, & ideo debet esse propositum vitandi omnia, & singula; de venialibus verò sufficiat propositum vitandi singula, non omnia, hoc est, singula disiunctiuè, scilicet, hæc, vel illa, ita vt minuatur in futurum eorum numerus. Qui sensus colligi posset ex verbis sequentibus, adiungit enim statim: *debet tamen habere propositum se præparandi ad peccata venialia minuenda: alioquin esset ei periculum deficiendi*; &c. quæ verba indicant, S. Thomam exigere propositum vitandi singula disiunctiuè; hoc enim sufficit ad propositum minuendi peccata priora, quod propositum exigit S. Thomas, & diximus aliquando sufficere, quando aliquis accusat se de pluribus per modum collectionis, propter malitiam frequentiæ. Si autem S. Thomas intelligatur iuxta priorem interpretationem, hæc verba, quæ addit de proposito minuendi peccata venialia, debent intelligi, non ita vt illud propositum requiratur, vel sufficiat, quando homo accusat se de aliquibus venialib. dādo pro materia singula seorsim, sed itaut loquatur ibi per modum consilij vltissimi in vita spirituali quod scilicet, homo etiamsi non doleat, & proponat circa omnia venialia, sed solū circa aliqua, scilicet, circa ea, quæ confitetur, procuret tamen habere propositum circa omnia, minuendi eorum numerum, qui enim non vult proficere, vult deficere, vel certè habet magnū periculum deficiendi.

141. An debeat esse dolor de omnibus venialib. respectu speciei.

Hinc inferri potest decisio alterius dubij, an possit esse dolor sufficiēs de vno veniali, quin sit etiā virtualiter de aliis eiusdē speciei, v. g. An possim habere dolorē de vno mendacio, absq; dolore virtuali de aliis mendaciis, & absque proposito vitandi omne mendaciū. Negant aliqui in vniuersū, eo quod idem motiuum debet alia omnia comprehendere. Ex dictis tamen videtur pars affirmās verior. Potest enim reperiri aliqua inæqualitas in differētia numerica huius peccati, ratione cuius moueatur quis ad dolorē specialem de illo. v. g. quia mendacium fuit cum plena aduertentia, sine vtilitate, aut causa, sed ex mera leuitate, quæ tamen nō faciunt illud differre specie ab aliis mēdaciis, quæ dicūtur cum semipelana aduertētia, vel cum aliqua vtilitate, aut causa. Itē si quis doleat de furto vnius Iulij propter grauitatem aliquā materiæ, quæ non est in minoribus furtis. Poterit ergo dare pro materia confessionis illud mendacium, vel illud furtū leue, de quo dolet propter illam specialem grauitatem, quam habet, cum proposito non committendi aliud simile in futurum, in quo proposito non includuntur alia mendacia, vel furta leuia minùs grauia, licèt sint eiusdem speciei: quod etiam sensit Salas in manuscriptis q 87 *art. 1. dub. 6.*

142. Quæ mendacia debeat pro materia

Restant tamen duo dubia circa confessionem, & dolorem de venialibus. Primum est, quia frequenter contingit, quod pœnitens habeat dolorem vniuersalem, qui se extendat, vel ad omnia venialia, vel certè ad omnia venialia talis speciei, v. g. ad omnia mendacia, & accuset se de mendaciis non explicando eorum numerum. Potest ergo dubitari, quid det pro materia Sacramentitian omnia mendacia, an aliqua, & cur potiùs hæc, quàm illa, cùm ea non determinet? Ad hoc diximus partim *supra disp. 9. sect. 3.* vbi respondi, de facto remitti omnia, vel ferè omnia, quia ex circumstantiis personæ, & temporis Confessarius percipit multitudinem illam confusè iuxta consuetudinem similium personarum. Quod si nullo modo Confessarius id perciperet, remitteretur non omnia, sed aliqua mendacia, v. g. ex illa multitudine, quot per illum confitendi modum possunt intelligi, saltem duo, vel tria; nec ad hoc oportet, quod pœnitens intendat determinatè hæc potiùs quàm illa significare, & dare pro materia, sufficit, quod velit aliquot ex illis dare pro materia, quot, & qualiter per illa verba possunt significari. Sicut si debeas centum nummos, & solūas decem: non oportet, quod determines in debito decem, pro quibus determinatè velis soluere: sufficit velle pro decem. Sic qui decem Clericos occiderat, & petit absolutionem Censuræ ob duos Clericos occisos, non determinando quos: absolutus manet à duabus excommunicationibus, & sufficit, si postea petat absolutionem à censura ob octo Clericos occisos, vt intelligatur iām à decem censuris absolutus. Quæ autem ex illa multitudine remittantur: dici potest, vel remitti duo, vel tria priora, quia priora debita ēēsentur primo loco extinguī

tingui: vel certè grauiora, quia pœnitens censetur velle liberare se quantum potest, & per consequẽs à debito, quo magis grauatur. Sicut si debes Petro duo millia aureorum, & solùs mille, censeris velle extinguere debitum; quod magis te grauat: si v.g. pro mille ex illis debebas soluere interesse, & non pro aliis mille, censeris velle soluere pro illis mille, quæ magis grauant, quia vis te liberare, quantum potes.

143. An retractetur totaliter dolor, si fiat aliquod venialè post illum.

Alterum dubiũ esse potest circa eadem peccata venialia, quando pœnitens confitetur simul mortalia, & venialia; & omnia detestatur ex motiuo vniuersali offensæ diuinæ, quod ad omnia peccata extenditur: tunc enim si pœnitens post dolorem, & propositum debitum, ante absolutionem tamen obtentam committat aliquod peccatum veniale, prout frequenter contingit, v.g. aliquem affectum gloriæ vanæ, vel habeat aliquem actum internum impatientiæ: tunc videtur accedere ad accipiẽdam absolutionem sine debita dispositione: Nam ille dolor & illud propositum vniuersale, quod priùs habuerat videtur iam reuocatum per peccatum veniale nouum, quod illis actibus & eorum motiuo opponitur; ergo oportet elicere de nouo alium dolorem & aliud propositum; alioquin absolutio etiã à mortalibus non habebit effectum propter defectum dispositionis debitæ. Quod argumentum videtur etiã procedere cum proportione, quando aliquis cõfitetur sola venialia, quæ detestatur propter motiuum vniuersale offensæ Dei, vel aliud simile: si enim ante absolutionem admittat aliquod veniale etiam leue, videtur eo ipso reuocari totus dolor, & propositum præcedens. Sicut si aliquis confiteatur sola mortalia de quibus dolet, & circa quæ proponit propter motiuum vniuersale offensæ grauis diuinæ; vel propter metum inferni, aut desiderium beatitudinis; & postea ante absolutionẽ incidat in nouum peccatum mortale, iam dolor, & propositum præcedens reuocari censetur, & oportet de nouo dolere, & proponere, alioquin accedit absque debita dispositione. Idem ergo dicendum erit, si admittat aliquod veniale, cùm nõ minùs opponatur motiuo vniuersali offensæ diuinæ offensa noua venialis, quàm motiuo vniuersali offensæ diuinæ grauis, opponatur offensa noua mortalis, & grauis.

144. Difficultas hæc speculatiuè loquendo, non parũ vrget propter exemplum peccati mortalis noui; & idcirco optimum consilium est ad maiorem securitatem, quod pœnitens doleat seorsim de mortalibus propter grauitatem offensæ mortalis, qui dolor ex tali motiuo nullo modo reuocatur per peccatũ veniale subsequens: item quod doleat seorsim de peccatis venialibus, quæ confitetur, vel de aliquibus eorum propter specialem eorum grauitatem, & specialem offensam diuinam, quam continent, cui dolori non opponitur aliud peccatum veniale nouum, quod non participat illam specialem turpitudinem, quam per priorem dolorem pœnitens detestatus est. Practicè tamen non videtur debere in dubium reuocari valor Sacramenti, etiamsi eiusmodi cautela non adhibeatur; quia iniiceret innumeros scrupulos pœnitẽtibus, atque etiam confessariis ipsis propter obligationem admonendi pœnitentes de obligatione, & necessitate habendi dolorem seorsim ex speciali motiuo, vel de illo renouando immediatè ante absolutionem. Vnde ex cõmuni praxi confessariorum, & pœnitentium, quæ est optima legum interpres, desumi potest argumentum à posteriori non leue ad dicendum, non ita reuocari dolorem, & propositum in illis casibus per nouum veniale, vt non maneat dispositio sufficiens ad valorem, & effectum Sacramenti.

145. Rationem verò à priori possumus explicare ex doctrina tradita *supra disp. 5. sect. 4.* vbi diximus, cõtritionem, licet sit vniuersalis de omnibus peccatis; non tamen terminari æqualiter ad ea omnia, sed inæqualiter iuxta eorum inæqualitatem; itavt magis detestemur mortalia, quàm venialia; magis grauiora, quàm leuiora, vel minùs grauia. Si ergo pœnitens detestatus fuit eodem actu mortalia, & venialia, sed illa magis, quàm istã propter maiorem eorum grauitatem, & detestabilitatem: non sequitur, reuocatum fuisse dolorem circa mortalia, ex eo quod admiserit aliquod veniale; quia cùm hoc minùs detestaretur, quàm illa, potuit retineri detestatio illorum etiam deficiẽte detestatione venialium. quod idem de proposito dicendum est: Sicut enim magis detestamur mortalia, quam venialia, sic magis proponimus circa illa, quàm circa ista. Non ergo arguitur defectus propositi circa mortalia ex eo, quod defecerim in proposito circa venialia, quia deficiente quod est minus, non oportet, quod deficiat quod est maius: & licèt illud propositum fuerit vnus indiuisibilis actus, est tamen virtualiter multiplex propter obiecta plura ad quæ terminatur; & ideo potest mortaliter perseuerare quoad aliqua, licèt videatur reuocari quoad alia.

146. Hoc ipsum cum proportione dici potest, quando pœnitens confessus est sola venialia: Nam licèt ante absolutionem peccet venialiter, non ideo censetur reuocari totus dolor, & propositum præcedens: quia inter ipsa venialia datur inæqualitas, atque ideo per detestationem magis detestamur grauiora, quàm leuiora, & magis proponere videmur circa illa quàm circa ista: Non ergo censetur reuocata totaliter detestatio, vel propositum, provt versatur circa omnia: sed ad summum provt versatur circa æqualia illi nouo peccato superuenienti: quare cùm possit pœnitens dare pro materia illa sola, circa quæ manet dispositio debita doloris, & propositi non reuocati, non est, cur dicamus Sacramentum esse omnino irritum ob defectum dispositionis debitæ.

147. Dices; hoc ipsum dici posset, quando aliquis dolet de mortalibus solis propter motiuum offensæ grauis Dei, & postea incidit in mortale nouum ante absolutionem: posset enim dici, non esse totaliter reuocatum dolorem, & propositum, quia potest manere moraliter in ordine ad peccata grauiora; magis enim detestamur peccata mortalia grauiora, quàm mortalia minùs grauia: non ergo arguitur reuocatio detestationis, aut propositi circa peccata grauiora ex eo, quod defecerit circa aliquod mortale minùs graue.

Respondetur, posse quidem perseuerare dolorẽ, & propositum circa peccata grauiora superueniente nouo peccato mortali; id tamen totum non sufficere ad absolutionem obtinendam: quia ad hoc Sacramentum requiritur, vt supra vidimus, propositum vniuersale non peccandi mortaliter, quod propositum non manet superueniente nouo peccato mortali. Est ergo differentia inter propositum circa venialia, & circa mortalia, quod licèt vtrumque possit ex parte remanere superueniente nouo peccato: propositum tamen circa aliqua venialia, quod remanet, sufficit ad absolutionem accipiendam à grauioribus; quia potest pœnitens illa sola dare pro materia, & aliundè non requiritur propositum vniuersale non peccandi venialiter ad hoc Sacramentum: requiritur tamen, quoties homo se accusat de mortali propositum vniuersale non peccandi mortaliter, quod propositum non remanet adueniente nouo peccato mortali.

SECTIO X.

An & quomodo neganda sit absolutio ob defectum propositi?

148. AD complementum huius disputationis, in qua agimus de necessitate doloris, & propositi, pertinet hoc dubium practicum de absolutione neganda, vel differenda ob defectum propositi efficacis, qui defectus colligitur, vel ex eo quod nolit homo restituere, vel facere id, ad quod tenetur, in quo casu est clarus defectus propositi: vel ex eo, quod nolit relinquere occasionem proximam peccati: in quo casu est maior difficultas, vel ex eo, quod post alias confessiones, & repetitum propositum non emendatur, sed eodem modo relabitur. Nunc dicamus de occasione proxima: postea de relapsu. De occasione ergo proxima tractant Nauarrus *in summa cap.* 3. Corduba *in summa q.* 4. Suarez *in præsenti disp.* 32. *sect.* 2. *in fine*, & aliis, quos affert Thom. Sanch. *lib.* 1. *in Decalogum c.* 8. ex quibus aliqua videntur absque controuersia, aliqua possunt esse magis dubia.

149. *Occasio peccati proxima & remota.* Supponendum itaque est, occasionem peccati esse duplicem; alteram remotam, alteram proximam. Proximam appellant, quando talis est ex suo genere, vt frequenter homines similis conditionis ad peccatum mortale inducat, vel experientia cõstat, in hoc homine talem effectum habere. Remotam verò dicunt eam, quæ talis non est. Cur autem illa appelletur proxima, & hæc remota; ratio videtur esse, quod inter illam, & peccatum nihil videtur mediare, propter quandam coniunctionem necessariam moraliter, quam videtur habere cum peccato; hæc autem non ita videtur coniuncta, sed remota; quatenus mediat maior libertas hominis, per quam consequitur peccatũ. Hoc modo omnis creatura dici potest occasio remota peccati iuxta illud *Sap.* 14. *Creaturæ Dei in odium factæ sunt, & in tentationem animabus hominum, & in muscipulam pedibus insipientium*, cui consonat Aug. *ad Publicolam*, relatus *in c. De occidendis* 23. *q.* 5. & S. Thom. 2. 2. *q.* 43. *art.* 1. *argum.* 4. *& in eius solutione*: Occasionem proximam aliqui dicunt definiri à Gregor. in *c. Negotium* de pœnitentia *dist.* 5. scilicet, *qua non possumus, vel certè non possumus sine difficultate vti absque peccato*. Hoc tamen indiget moderatione; Nam Leo Papa in *c. Qualitas* 2. & in *c. Contrarium* 3. de pœnitentia *dist.* 5. ait negotiationem, aut militiam non posse, nisi difficillimè exerceri absque peccato, & tamen certum est, non obligari mercatorem, aut militem ad relinquenda hæc officia; Vnde *Luc.* 3. S. Ioan. Baptista non consulit militibus relinquere militiam, sed obseruare leges illius status.

Alij ergo addunt, occasionem proximam esse, qua nunquam, vel ferè nunquam vitur homo consideratis circumstantiis absque peccato nouo, vt qui detinet concubinam domi, rarò, vel nunquam desinet cum illa peccare oblata occasione.

150. *Quando neganda sit absolutio propter occasionẽ proximam.* Hoc supposito: Regula communis, & vniuersalis est, eum, qui est in occasione solùm remota, posse absolui, non verò eum, qui est in occasione proxima, quam non vult relinquere. Prima pars cõstat, quia alioquin debueramus omnes de mundo exire iuxta illud *Pauli* 1. *ad Cor.* 5. Ferè enim in omnibus statibus est occasio remota peccati mortalis. Vnde inferunt aliqui ex Auctoribus ciuitatis, prudẽter absolui adolescentes, qui versantur cum fœminis laborando, vel conuersando, quæ in eâdem domo non habitant, licèt sæpè ex tali occasione peccauerint mortaliter cogitatione, consensu, tactibus, vel copula, quia ea non censetur occasio proxima, sed remota; neque enim ex tali occasione semper, aut ferè semper solent homines peccare mortaliter, & aliundè ad tollendam illam occasionem oporteret pœnitentem in eremum abire, vt omni commercio cum fœminis liber esset. Secunda verò pars probatur, quia ille, qui vult manere in illo periculo morali labendi, non videtur habere propositum efficax non peccandi: Ex obligatione enim vitandi peccatum sequi videtur obligatio vitandi ea, quæ tali necessitate secum trahunt peccatum saltem quando moraliter possumus eas occasiones vitare, vt statim dicam.

Hæc regula solet limitari. Primò, vt possit absolui pœnitens, quando habet extraordinarium dolorem, & propositum, hæc enim faciunt, iam illam non esse occasionem proximã, quia homo sic armatus, fortior multò est, quàm erat prius, atque adeo probabilem possumus de ipso sperare victoriam tentationum, à quibus antea semper superabatur. 151.

Secundò limitari solet, quod possit etiam absolui non relicta omnino occasione, quando proponeret alia media adhibere, vt si occasio esset ex fœmina domestica, & proponeret nunquam solus cum sola colloqui, aut inueniri, eius aspectum pro viribus declinare, &c.

Tertiò limitatur, quando occasio relinqui non potest absque scandalo, gratii infamia, vel detrimento magno spirituali, vel temporali. Tunc enim licitè manet in periculo, quod est necessarium & potest sperare diuinum auxilium ad resistendum. Sic Põtifex in *c. Consultationi*, de frigidis, & malefic. declarauit, duos, qui contraxerant matrimonium inualidum propter impotentiam coëundi, posse simul cohabitare, vt fratrem, & sororem propter scandalum, & infamiam, cùm tamen periculum esset tactuum, & aliorum peccatorum. Si ergo poterit filiusfamilias absolui, quamvis maneat domi serua, cum qua solet peccare, quam tamen ipse expellere non potest, nec facilè, aut decenter fiet; & à fortiori, si cum fratre, vel sorore habet occasionem peccandi, à quorum conuictu seiungi non potest absque graui detrimento; debet tamẽ adhibere alia remedia faciliora, quæ potest. Ex hac limitatione inferri potest resolutio plurium casuum; qui in particulari videri possunt apud Nauar. qui *loco citato*, & in additionibus latissimè illos prosequitur. 152.

Contra hanc tamen communem doctrinam occurrere videtur difficultas, quia si scires ex diuina reuelatione, te damnandum, si talem domum intrabis, debes vtique etiam cum grauissimo detrimento ingressum illius domus omnino fugere, ex obligatione saltem charitatis erga te ipsum, qua debes velle, & procurare tibi bonum salutis æternæ cum iactura etiam omnium bonorum temporalium: quid enim prodest tibi, si vniuersum mundum lucreris, animæ verò tuæ detrimentum patiaris? Maius autem malum est peccatum mortale, quàm infernus ipse, & carentia beatitudinis æternæ: Ergo ex eadem obligatione charitatis erga te ipsum debes procurare vitare illud malum, etiam cum grauissimo detrimento, & cum iactura cuiuscumque alterius boni. Si ergo perseuerantia occasionis proximæ affert secum ferè certam ruinam, & lapsum in peccatum mortale; non poteris licitè perseuerare in occasione proxima, etiamsi absque graui detrimento temporali non possis illa relinquere. 153.

Hoc argumentum, si aliquid probat, probaret etiam maiorem esse obligationem vitandi occasionẽ proximam peccati venialis; etiam cum maximo detri

detrimento, quàm vitandi infernum; quia maius malum est peccatum veniale, quàm carentia beatitudinis, aut quàm ipse infernus. Occurrendum ergo est huic difficultati ex doctrina tradita *disput. 5. sect. 3.* vbi ad non dissimilem obiectionem diximus, peccatùm quidem esse maius malum, hoc est, minùs volibile per voluntatem actiuam, & practicã, non verò per voluntatem speculatiuam, & permissiuam, nam licèt debeam potiùs non velle peccare, non velle mortem, vel infernum: non tamen debeo magis non permittere peccatum, quàm mortem, vel infernum: quia peccatum non refundat tantam malitiam in voluntatem sui permissiuam, quàm in voluntatem causatiuam: quod ibi multis exemplis, & argumentis probaui, nec oportet ea iterum repetere.

1554 Vrgebis, lex amicitiæ violatur ab eo qui dat venenum, ex quo certissimè sequatur mors amici, ergo & ab eo, qui ponit occasionem quæ certissimè afferat offensam grauem, & malum Dei.

Respondetur, hoc probaret, quod teneremur etiam cum graui detrimento vitare, & impedire occasionem peccati alieni; Nam illud etiam est offensa grauis, & malum Dei. Dicendum ergo est, legem amicitiæ obligare quidem nos, ne cooperemur positiuè ad malum amici, atque ideo non possumus illi dare venenum, quia hoc esset cooperari, & tũc causaremus illud malum. Non tamen obligat semper ad impediendum malum amici: nam cum graui detrimento non teneor semper impedire malum proximi, licèt aliquãdo tenear, v. g. in extrema proximi necessitate. Vnde licèt scirem, meum in vrbẽ aduentum fore occasionẽ mortis amici, non teneor cum grauissimo meo detrimento impedire illud malum, sed possum illud permittere; cum animi tamen dolore propter amicum, quem diligo. Hoc autem à fortiori locum habet in casu nostro, quo malum peccati Deo nihil incommodi intrinsecum affert, aut felicitatis minuit, sed totum illud in eius extrinsecam gloriam postea conuertetur.

156. Circa hanc communem doctrinam supersunt aliqua magis dubia. Primum est; An qui sæpius absolutus propter graue detrimentum, quod sequeretur ex remotione occasionis proximæ, eodem tamen modo semper relabitur, nec in eo vlla correctio reperitur, cogendus sit subire illud detrimentum, & relinquere occasionem illam proximam? Affirmare videntur Suarez *dict. sect. 2. in fin.* Graffius *in decis. p. 1. lib. 1. c. 28. n. 23.* P. Reginaldus *in praxi pœnitent. tom. 1. lib. 8. num. 19.* quibus fauet Nauarr. *dict. c. 3. n. 21.*

Oppositam sententiam docent Viualdus *in Candelabro tit. de absolut. §. Casus Episcopis reseruati, n. 43.* Ioan. Sancius *in selectis disp. 10. n. 16.* & alij Theologi. Quæ sententia in rigore verior videtur per se loquendo, licèt per accidens possit prior habere locum. Probat Sancius hanc sententiam contra P. Suarez quia absoluimus absque scrupulo pœnitentem confitentem quotidiè eadem peccata venialia, nullo apparente perfecto; etiamsi occasionem peccatorum illorum non auferat, imò etiam quando illam absque graui detrimento potest auferre; ergo non repugnat à fortiori verus dolor, & verum propositum absque ablatione occasionis proximæ, quando talis occasio absque graui detrimento tolli non potest; quoties autem pœnitens habet verum dolorem, & propositum, absolui potest; ergo in nostro casu absolui poterit.

157. Hoc argumentum desumptum à peccatis venialibus non est efficax; quia, vt dixi *sect. præced.* minus requiritur ad propositum circa venialia, quam circa mortalia: neque enim qui proponit circa venialia tenetur adhibere tantam diligentiam in tollendis occasionibus. Fatemur ergo perseuerantiam in occasione non repugnare secundùm se, cùm proposito vitandi illud peccatum; neque ideo negatur absolutio perseueranti in occasione proxima, quia illa perseuerantia præcisè repugnat cum vero proposito; sed quia velle perseuerare scienter in tali occasione proxima peccati mortalis, est nouũ peccatum mortale; obligatio enim non peccandi mortaliter affert obligationem vitandi periculum proximum peccãdi mortaliter, cui obligationi non satisfacit, qui cùm possit, non vult relinquere occasionem proximam, & ideo non absoluitur, quia constat, illum non habere propositum non peccandi, cùm actu peccet non vitando illam occasionem proximam, quam sub peccato tenetur relinquere. Hæc autem ratio non procedit in eo qui confitetur venialia: Nam propter leuitatem materiæ non tenetur homo sub nouo peccato ad tollendas occasiones proximas eorum: tum quia sunt innumeræ: tum quia non tanti refert peccatum leue, vt sub peccato sit etiam obligatio vitandi eius periculum. Sic dicunt Theologi, posse absolui parasitum nolentem deserere illud officium, in quo sæpissimè labitur in verba otiosa, & mendacia iocosa, cum hoc enim periculo potest stare dolor verus, & propositum efficax etiamsi probabilissimè, imò & cum morali certitudine credat, se iterum relapsurum: Nam (vt dixi *sect. præced.*) propositum requisitum non est semper voluntas absoluta, sed voluntas efficax, talis, scilicet, cum qua quamdiu ipsa durat, non possit stare peccatum actuale, quæ voluntas potest esse, etiamsi sciat aliquis, se postea peccaturum, & defecturum ab illa voluntate. Non ergo arguitur benè, quod possit absolui, qui post longam experientiam videt, se non proficere, nec emendari, quamdiu non relinquit occasionem proximã peccati mortalis etiam cum graui detrimento, ex eo quod possit absolui, qui sæpè relabitur in eadem venialia non relicta occasione eorum proxima: Nam si hoc argumentum valeret, probaret etiam, posse absolui eum, qui absque detrimento potest relinquere occasionem proximam peccati mortalis, & eam non relinquit, sicut potest absolui à venialibus is, qui eorum occasionem proximam, quã absque detrimento potest relinquere, non relinquit; quod tamen argumentum absurdum esset.

158. Aliter igitur probanda est sententia illa ex proximè dictis, quia, scilicet, adhuc post experientiam illam nullius profectus potest stare dolor verus, & propositum requisitum absque voluntate auferendi occasionem cum tanto detrimento; ergo potest absolui pœnitens, nihil enim aliud requiritur, nisi confessio cum dolore, & proposito. Antecedens probatur, quia sicut primã vice potuit absolui, eo quod cum tanto detrimento non tenebatur auferre occasionem illam, sic propter idem detrimentum, quod perseuerat, excusatur tempore sequenti ab auferenda occasione; neque est, vnde orta fuerit grauis obligatio nunc auferendi occasionem, quæ obligatio antea non esset: ergo si antea excusabatur, excusatur etiam nunc.

Dices, nunc iam experientia constare, necessarium esse omnino ad vitandum peccatum auferre illam occasionem, quod prius non constabat. Sed contra, quia si hoc non constabat in præcedenti confessione, non teneretur tunc auferre occasionẽ, etiam si absque vllo detrimento potuisset auferri; hæc enim obligatio tunc solum datur, quando constat, illam esse occasionem proximam, hoc est,

qua

qua stante, homò moraliter loquendo ferè semper peccabit : supponimus autem, quod tunc solùm ex eo capite excusatus fuit, quià scilicet absque graui detrimento non poterat auferre occasionem ; ergo tunc etiam constabat necessitas moralis auferendi occasionem ad vitandum peccatum, atque ideo ex eo, quod magis hoc ipsum iam constet diuturniori experientia, non accrescit obligatio grauis, quia totum illud augmentum est secundùm magis, & minus intra idem genus.

159. Ratio autem à priori est quia, vt dixi, potest adhuc cum tota illa experientia periculi stare dolor, & propositum efficax, licet homo ex propria fragilitate, & longa experientia credat, se iterum peccaturum quod quidem ad hominem probari potest, quia ipse Suarez, & alij fatentur, posse illum pœnitentem sæpius absolui, si aliquam emendationem ostenderit, hoc est, non ita frequenter lapsus fuerit, sicut antea : sicut ergo potest stare dolor, & propositum requisitum cum certitudine illa morali de lapsu futuro frequenti, cur non poterit stare cum certitudine morali de lapsu futuro frequenti? propositum enim cum sit vniuersale, non minus videtur opponi cũ certitudine de vno lapsu contra ipsũ propositum, quàm cùm certitudine de multis.

Et confirmatur, quia si occasio esset talis, quæ absque graui scandalo vel detrimento spirituali auferri non posset, non teneretur procul dubio pœnitens ad eam auferendam ad hoc, vt posset absolui; Ergo sicut nunc posset habere verum propositũ requisitum cum illa certitudine morali lapsus futuri, sic etiam quando occasio auferri non posset absque graui detrimento corporali. Denique si occasio esset talis, vt nullo modo auferri posset, qualis est, fragilitas fundata in propria carne, & natura pœnitẽtis; adhuc post totam illam experientiam potest absolui; ergo potest habere dolorem verum, & propositum cum tota illa certitudine futuri lapsus, atque adeo ex hoc capite non erit incapax absolutionis.

160. Dixi tamen, *perse loquendo*, videri hanc partem veriorem, licèt *per accidens*, possit altera sententia locum habere : quia aliquando ex illa experientia arguetur, pœnitentem carere nunc vero dolore, & proposito requisito, qui enim efficaciter proponit, & seriò rem aliquam, quam aliunde moraliter implere potest, non ita facilè obliuiscitur statim sui propositi, sed saltem per aliquod tẽpus perseuerat, & difficiliùs, vel ratiùs cadit. Vnde in ipsis etiam peccatis venialibus solet aliquando argui imperfectus dolor ex vniformi perseuerantia in eisdem sine vlla specie emendationis : in iis tamen facilius potest præsumi propositum validum, quià impossibilitas materiæ facere potest, quod non obstante repetito dolore, & proposito, in eadem sæpius relabamur : in peccato autem mortali, quod cum diuina gratia potest non ita difficilè vitari, maior est præsumptio de imperfectione propositi, quare ex hoc capite posset negari, vel differri absolutio, vt paulò inferiùs dicemus de reincidente sæpè in eadem peccata mortalia absque vlla emendatione.

161. *An sit occasio proxima ad peccatum in communi.*

Secundò principaliter dubitari potest, an sit dicenda occasio proxima illa, quæ nõ esset ad aliquod peccatum mortale determinatum, sed ad aliquod indeterminatum; verbi gratia, scit pœnitens, quod si conuersetur cum Ioanne, est in periculo morali peccandi, nam ferè semper vel peccat grauiter contra castitatem, vel in materia detractionis, vel gulæ, vel alterius peccati mortalis indeterminatè, an teneatur vitare illam familiaritatem, tanquam proximam occasionem peccati mortalis.

Pater Suarez *infra disp. 35. sect. 3. n. 10.* argumento proposito contra se ad probandum, quod confessio frequens obliget sub mortali omnes illos, qui ex propria experientia cognoscunt, se morali certitudine in peccatum aliquod mortale lapsuros, nisi intra annum sæpius confiteantur : respondet, non teneri hominem ad illud remedium adhibendum, quod solùm est necessarium ad vitandum peccatum mortale in communi, quia in ordine ad peccatum in communi nulla censetur moralis occasio proxima : secus si esset medium necessarium moraliter ad vitandum aliquod mortale determinatum in particulari, quam Suarij doctrinam ex ipso desumpsit Fillmcius *tract. 7. n. 40.*

Hæc distinctio difficilis mihi videtur, nec video, cui firmo fundamento niti possit. Si enim admittatur casus, quod aliquod sit medium moraliter necessarium ad vitandum aliquod peccatum mortale in communi, non apparet, cur non sit eadem obligatio apponendi tale medium, quæ est, quando cognoscitur esse necessarium ad vitandum aliquod peccatum mortale determinatũ. Ratio quippè fundans obligationem in secundo casu, eadem, & fortasse maior militat in primo casu ad similem obligationem. Si enim dicas, hanc obligationem oriri ex proposito, quod debemus habere non peccandi mortaliter, cum quo proposito non stat voluntas occasionis, quam morali certitudine consequitur peccatum mortale : hoc ipsum procedit in primo casu ; non enim minus repugnat cum proposito non peccandi velle aliquod peccatum in communi, quàm velle aliquod in particulari; ergo non minus repugnabit velle aliquam occasionem, quam certitudine morali consequitur aliquod peccatum mortale in communi, quàm velle illam, quam consequitur aliquod peccatum determinatum.

Si verò dicas, eam obligationem oriri ex obligatione vitandi peccata mortalia, quorum proximas occasiones propter eorum malitiam debemus vitare, quoties possumus, eadem ratio procedit in nostro casu : non enim est minus malum, nec minùs contra diuinam amicitiam velle peccatum aliquod mortale in communi quàm velle aliquod in particulari ; neque esset amicus, qui sciens præparari aliquod graue damnum suo amico, non curaret illud impedire, cùm possit, licèt non sciat in particulari, quale sit illud damnum : Ergo si homo scit, ex tali occasione se certò lapsurum in grauem offensam Dei, non minus tenebitur ex lege amicitiæ, & charitatis erga Deum illam occasionem vitare, quàm si sciret in particulari, quale peccatum sequi debeat. Pone enim, te diuinitus monitum esse, si hodiè conuenias Petrum, inducendum te infallibiliter ad peccandum mortaliter, nonne eodem modo teneris abstinere à colloquio Petri, ac si scires, quale peccatum in particulari esset a te committendum ; nonne eodem modo argui posses de salute animæ tuæ, & de diuina amicitia parum sollicitus, si eo periculo contempto Petrum adires, ac si peccatum in particulari tibi prædictum fuisset? Imò maior, ac grauior, vt dixi, aliquo modo esset obligatio illud periculum fugiendi : nam qui exponit se periculo fornicationis, contrahit malitiam determinatam illius peccati, nec excedit terminos illius; qui verò exponit se periculo peccati mortalis in communi, nesciens, quale sit futurum illud peccatum, videtur virtualiter contrahere malitiam peccatorũ grauiorum : nescit enim an illud peccatum sit futurũ contrà castitatem, contra religionẽ, contra fidẽ, *&c.* Vnde ex hoc capite videtur aliquo modo grauior obligatio vitãdi huius periculi, propter grauius peccarum, quod sub illo potest latere,

Dices

164. Dices,eam occasionem,eo ipso quod sit ad peccatum in communi;non esse proximam,sed remotam, quia inter illam, & peccatum debet mediare tentatio proxima ad tale peccatum in particulari, nulla enim tentatio proxima est ad peccatum in communi. Respondetur,si hæc esset bona regula, sequerentur multa absurda in hac materia:sequeretur etiam primò, eum, qui experitur,se in ludo frequenter blasphemare, & peierare, non teneri vitare ludum, quia inter ludum, & periurium, adhuc mediare debet tentatio proxima ad periurium aut blasphemiam ex aliqua occasione orta in ludo: secundò is,qui transiens per talem viam concupiscit talem fœminam, non teneretur vitare illam occasionem, quia inter transitum, & peccatum debet mediare aliud,nempe aspectus fœminæ, ex quo oritur tentatio proxima, &c. quæ, & alia similia sunt manifestè falsa. Quare dicendum est occasionem aliquam, non ideo dici proximam, quod inter ipsam, & peccatum actuale nihil mediet,sed quia inter ipsam, & certitudinem moralem peccati futuri nihil mediat. Sic dicunt Theologi, aliquando teneri hominem suæ fragilitatis conscium ad ieiunandum,vel domandam carnem, quando id medium iudicat necessarium ad vincendam tentationem, nam licèt inter carentiam ieiunij, & peccatum mediet tentatio carnis, quæ nondum est præsens,si tamen hodie v.g non ieiunat,est certum moraliter,quod orietur tentatio, & sequetur consensus, quare hodie tenetur ieiunare, ne sequatur illa certitudo peccati futuri.Sic etiam, qui expertus est,esse sibi medium necessarium sumere frequenter Eucharistiam ad resistendum tentationibus carnis, non debet expectare tentationem præsentem;quid enim si adueniat post prandium,quando non potest sumere Eucharistiam,sed debet prius communicare, quia ex carentia communicationis sequitur immediatè certitudo moralis futuri peccati,licèt non sequatur immediatè ipsum peccatum. Sic ergo dicimus in præsenti,occasionem illam ad peccatum in communi dixi proximam;quia licèt inter ipsam, & peccatum debeat mediare tentatio proxima, inter illam tamen, & certitudinem futuri peccati nihil mediat, nec est in meâ potestate posita illa occasione,vitare,quod non sit positum iam id,ad quod moraliter; & frequenter consequitur peccatum mortale;quare iam me conieci in periculum,hoc est, in laqueum certitudinis moralis de peccato futuro.

165. An verò ex hac doctrina sequatur, quod frequentior confessio,quàm annua obliget omnes sub peccato, tanquam medium moraliter necessarium ad vitandum peccatum mortale, quod saltem in communi videtur certò commitendum ab iis, qui solùm post annum confitentur; dicemus infra *disp. seq. sect.* 4. vbi etiam dicemus, non esse idem sentiendum de occasione in communi ad aliquod peccatum mortale, ac de occasione determinata ad aliquod peccatum mortale in communi: nam licèt sit obligatio vitandi hanc, non tamen illam propter rationem ibi explicandam.

An ipsi difficultati occasionis ad excusandum.

Tertiò dubitari potest, an quando occasio proxima tolli non potest propter scandalum, vel grauè detrimentum, possit confessarius differre absolutionem per aliquod tempus? de hoc tamen dicemus in puncto sequenti; est enim dubitatio communis vtrique puncto.

166. Restat ergo nunc,vt dicamus aliquid de illo vltimo puncto, seu vltimo capite cognoscendi defectu propositi efficacis,nempè ex frequenti reincidentia in eadem peccata post multas confessiones absque vlla emendatione,in quo puncto doctrina communis & verba est,si Sacerdos hîc & nunc nõ obstante consuetudine præterita iudicet,pœnitentem habere verum dolorem, & propositum non peccandi;posse eum absoluere,quia dispositio sufficiens est dolor,& propositum præsens,non emendatio futura;atque ita poterit absolui, licèt iudicetur relapsurus. Secundo certum est,quando Sacerdos attenta consuetudine præterita,& propensione,aliisque circumstantiis,iudicat,pœnitentem nõ auerti sufficienter ab illo peccato, non posse eum absoluere,quantumcumque pœnitens dicat,se dolere,quia si Sacerdos id non credit,non habet iudicium requisitum ad conferendam absolutionem. Tertiò ad iudicium ferendum de dispositione præsenti deseruit, si peculiaria signa doloris ostendit. item si iam adhibuit curam aliquam ad consuetudinem extirpandam. Si nunquam admonitus fuit de mediis adhibendis ad tollendam consuetudinẽ: nunc autem admonitus libenter ea suscipit,& proponit adhibere ea media. Denique aliquando vtile erit differre absolutionem per aliquot dies, vt appareat correctio, & obseruatio propositi. In hoc conueniunt Auctores communiter,quos refert, & sequitur Thomas Sanchez *lib.* 2 *in decalog. cap.* 32. *num.* 45.& *lib.* 3. *cap* 5.*num.* 18. Suarez *tom.* 1 *de religione lib.* 3. *de iuramento cap.*8.*in fine*, Reginaldus *in praxi tom.* 2. *lib.* 18.*n.* 87. Henriquez *lib.*4. *de Sacrament. cap.*24.*num.*4.& alij,quos ipsi adducunt.

167. Dubium est primò,an aliquando,cùm confessarius posset credere probabiliter pœnitenti dicenti, se hîc,& nũc habere dolorem,& propositum,possit tamen ad meliùs probandum,& confirmandum illud propositum differre absolutionem per aliquot dies;Secundò,an ipse pœnitẽs inetrrogatus à confessario consuetudine præterita, teneatur respondere; & dicere, se in aliis confessionibus hoc ipsum peccatum sæpius confessum esse,& nullam emendationem postea sequutam esse.

Quidam Auctor modernus Ioannes Sanctius in disputationibus practicis,*disp.*9.*num.*6.*& seqq.* dicit primò confessarium non posse non absoluere statim pœnitentem habentem dispositionem requisitam doloris,& propositi, cui parti fauent etiã alij Theologi.Secundò dicit,pœnitẽtem non obligari ad respondendum; imò posse licitè vti æquiuocatione,& negare,se habuisse antea talem consuetudinem; nemo enim obligari potest ad confitenda bis eadem peccata,saltem quando non erant reseruata: poterit ergo dicere,se non habuisse talem consuetudinem,intelligendo,scilicet,ad confitendam illam nunc,est enim iam ab illa absolutus. Sententiam huius Auctoris cum laude refert Antoninus Diana *in resolut. Moral.tom.*1. *tract de circunstant.aggravantibus resolut.*55.licèt ipse eam nec approbet,sed illis iudicandam proponat.

168 Contrariam sententiam quoad vtramque partem docent communiter Theologi, quos congerit ibi idem Diana; & quidem in hoc etiam puncto aliqua certa sunt; in quibus omnes conueniunt. Primò, posse ex consensu pœnitentis differri absolutionem,volenti enim non fit iniuria; atque adeo optimè facturum confessarium, si pœnitentem suauiter alliciat ad consentiendum. Secundò certum est quando dilatio, vt dicebam, necessaria est ad explorandum firmum propositum pœnitentis,de quo non satis constat,posse,& debere differri absolutionem. Tertiò, non posse licitè differri absolutionem quando pœnitens est sufficienter dispositus,& ex dilatione timetur damnum potiùs spirituale, quàm speretur vtilitas pœnitentis, vt puta,quod tædio affectus non redibit, vel in desperã

perationem actus habenas vitiis laxabit &c. Quartò denique certum est, non debere absolutionem differri absque aliqua iusta, & rationabili causa, quæ prudenter dictet, esse differendam Difficultas ergo esse potest, an possit esse causa rationabilis aliquando ad differendam absolutionem absque consensu pœnitentis, licèt ipse aliunde credatur probabiliter esse nunc dispositus.

169. In quo procul dubio videtur vera communis sententia affirmans. Cuius ratio desumitur ex fundamento contrario; nam licèt pœnitens legitimè dispositus, confessione facta habeat ius ad sententiam, & ad absolutionem; non tamen habet ius ad hoc, vt statim proferatur sententia potest enim Iudex arbitrari, quomodo, & quando debeat vtiliùs proferri sententia: atque adeo potest ante absolutionem præmittere exhortationem spiritualem qua pœnitentem aduersùs tentationes instruat, & armet, nec potest pœnitens id impedire, aut cogere Sacerdotem ad absolutionem statim impertiendam: potest item Sacerdos ante absolutionem docere pœnitentem, quem videt multis ignorantiis inuolutum, quæ de cætero possùt ipsum in plura peccata inducere; & hoc ipsum spectat ad munus doctoris; quod Confessarius exercet. Vnde cõsequenter, si Sacerdos meritò timeat, pœnitentem post absolutionem non rediturum ad doctrinam illam necessariam accipiendam, & aliunde nunc non vacat illum sufficienter instruere, poterit monere, vt redeat post prandium doctrinam, & absolutionem accepturus; nam sicut nunc ex debito sui officij tenebatur ad illum instruendum; sic propter impedimentum necessarium cogitur intertumpere per aliquot horas actionem illam, donec magis expeditus possit illam perficere. Similiter ergo, quando meritò timet, pœnitentem nunc absolutum facilè relapsurum statim in eadem crimina, nisi ipsa difficultate, & dilatione absolutionis tertius meliùs agnoscat gravitatem peccati, & necessitatem emendationis: poterit differre absolutionem vt pœnitens vtiliter admonitus, non maneat in tanto periculo reincidentiæ, quantum alias certissimè subiret.

170. Confirmatur ex communi doctrina Theologorum, qui dicunt, posse confessarium aliquãdo obligare pœnitentem ad impleudam pœnitentiam ante absolutionem, quod licet non possit facere per modum vindictæ, & punitionis, potest saltem facere per modum medicinæ, quando iudicat id esse necessarium, vel vtile pœnitenti, ex eo quod soleat facilè omittere postea pœnitentias sibi impositas, vel vt confessarius certus sit de pœnitentia impleta, vel ob alios fines, vt docent Suarez, Reginaldus, & alij, quos refert, & sequitur Bonacina *de Sacrament. pœnit. disp. 5. q. 5. sect. 3. punct. 2. num.* 20. Imò apud Græcos sic solitum fieri, vt nemo ante expletam pœnitentiam absolueretur, dicit Palatius *in* 4. *dist.* 15. *q.* 1. ex Nicephoro *lib.* 11. *cap.* 26. quod cum publicis peccatoribus olim seruatum fuisse, colligitur ex Catechismo Pij Quinti *de Sacrament. pœnitent. n.* 68. ex qua doctrina habemus, posse confessarium differre absolutionem, quando id vtile iudicat per aliquod tempus, quod certè requiritur, vt pœnitentia impleatur: quid enim si pœnitentia sit ieiunare duobus diebus, vel visitare bis septem Ecclesias, aut aliud simile? Non ergo est contra ius pœnitentis, si absolutio in eius vtilitatem per aliquod tempus differatur.

171. Ratio autem à priori est, quia confessarius non solum est index, vt dixi, sed etiam medicus, vnde sicut in pœnitentia imponenda ita exercet officium iudicis punientis, vt debeat simul exercere officium medici curantis; atque adeo procurare, quod impositio pœnitentiæ sit in vtilitatem, & medicinam pœnitentis, quo reddatur magis cautus, & fortis contra tentationes; sic in proferenda absolutione, licet principaliter exerceat munus iudicis absoluentis pœnitentem dispositum; debet tamen simul procurare, vt medicus in ipsa absolutione curationem pœnitentis, eo videlicet modo absoluendo, qui magis cedat in vtilitatem, & remedium ægroti: ad vtrumque enim habet ius confessarius, nec potest prohiberi à pœnitente, quod in ipsa absolutione exerceat officium medici, sicut nec potest ab eo prohiberi, quod in impositione pœnitentiæ non sit merus iudex, sed etiam exerceat officium medici. Cùm ergo confessarius indicat, expedire dilationem absolutionis ad hoc, vt pœnitens reddatur magis cautus, & confirmetur in proposito non peccandi, nec ita facilè postea relabatur, potest certè, & debet aliquando vt medicus hoc remedium pœnitenti adhibere, nec potest ægrotus rationabiliter conqueri aduersus medicum, cui se in hoc Sacramento curandum tradidit: neque in hoc debemus recedere à sententia communi, cui adstipulatur experientia multorum pœnitentium debilium, qui hoc remedio adhibito breui tẽpore solent curari, & pro pueris potissimùm videtur magis necessarium, qui hoc modo meliùs concipiunt necessitatem perseuerantiæ in proposito non peccandi.

An iuuenis debeat interrogari de circumstantiis.

Sed multò magis displicet altera pars sententiæ illius Auctoris moderni, quod, scilicet pœnitens interrogatus à confessario de consuetudine præterita non debeat respondere, sed possit eam occultare, & cum aliqua æquiuocatione negare. Hoc, inquam, est contra omnes Theologos, contra praxim Ecclesiæ, & contra finem huius Sacramenti: Nam illi etiam, qui tenent, non esse obligationem explicandi in confessione circumstantiam notabiliter aggranantem, quæ non mutat speciem; fatentur tamen, debere pœnitentem illam circumstantiam explicare, si à confessario interrogetur, verbi gratia, si accusat se de furto, & confessarius interroget, quam summam furatus fuerit? non potest negare, aut dicere fuisse decem Iulios, si fuerunt mille, esset enim hoc decipere confessarium in re graui. Non valet ergo illud argumentum; pœnitens ex se non tenetur ad manifestandam consuetudinem præteritam; ergo interrogatus etiam poterit illam negare, sicut licèt non teneatur ex se ad explicandam quantitatem furti, non tamen potest eam negare interrogatus, vt notat P. Vasquez *in præsenti q.* 91. *art.* 1. *dub.* 3. *n.* 4. Nec vllus vnquam timoratæ conscientiæ id faciet.

Quomodo differat à confessario medicus.

172. Ratio autem est eadem, quia, scilicet, confessarius, cùm sit index, & medicus, habet ius ad interroganda illa, quorum notitia necessaria est ad vtilem correctionem, vel pœnitentiam imponendam: quare sicut diuersam pœnitentiam debet imponere pro furto centum millium aureorum, quàm pro furto vnius aurei, & ideo potest illam circumstantiam interrogare, sic multò magis oportet cognoscere statum pœnitentis in ordine ad consuetudinem præteritam, vt sciat, quænam medicina sit illi hic, & nunc applicanda, & an indigeat dilatione absolutionis, vt hoc tandem modo curetur.

Nec hoc cogere pœnitentem ad confitenda bis eadem peccata; nam in hac secunda cõfessione non dat pro materia confessionis consuetudinem præteritam, nec de illa se accusat, sed explicat illam indirectè ad declarandum statum suum, & indigentiam præsentem, qua ratione non est nouum

obligari

obligari aliquando pœnitentem ad declaranda iterum peccata, de quibus antea confessus fuerat: Sic enim monialis, vel alia existimata virgo, cùm re vera non sit, quando accusat se de peccatis contra castitatem, debet explicare, se iam non esse virginem, atque ideo declarare peccatum suum antiquum, quod iam confessa fuerat, vt declaret circũstantiam peccati præsentis, quod scilicet non sit virginis, iuxta sententiam satis communem, quod illa circumstantia faciat differre specie peccata. Item coniugatus qui cognouit consanguineam suæ vxoris, postea peccat, quoties petit ab vxore debitum, & debet explicare suum incestum præteritũ, quem iam fuerat confessus, ad declarandum peccatum præsens. Item Sacerdos, qui filium spurium vult instituere hæredem, debet explicare peccatum illud præteritum, quo genuit filium ad declarandum peccatum præsens de institutione eius in hæredem: & sic in aliis multis casibus in quibus indirectè oportet declarare peccatum præcedens ad confessionem peccatorum præsentium: in quo nulla est difficultas, nec propterea excusari debet pœnitens ab explicanda consuetudine præterita, quando legitimè interrogatur à confessario in ordine ad medicinam applicandam pro peccatis præsentibus. Alioquin sequerentur grauissima inconuenientia; si aliquis per viginti annos concubinam quotidiè inuisens, semper in confessione diceret se illa sola vice cum ipsa peccasse. Quid hoc turpius excogitari posset, & magis contra finem, & reuerentiam Sacramenti, de hoc tamen redibit fortasse iterum sermo infra, cùm de circumstantiis aggrauantibus agemus, an debeant in confessione explicari. Nunc iam veniamus ad secundam partem materialem explicandam, scilicet, confessionem externam.

DISPVTATIO XV.

De Confessione, & eius necessitate.

SECT. I. *Vtrùm confessio sit necessaria ex Christi institutione.*

SECT. II. *An ex Christi institutione confessio fieri possit cuilibet Sacerdoti.*

SECT. III. *Quas personas, & quo tempore obliget præceptum diuinum confessionis.*

SECT. IV. *Vtrùm propter periculum reincidendi in vona peccata obligentur de facto fideles ad confitendũ frequentius, quàm semel in anno.*

SECT. V. *Vtrùm ex diuino præcepto obligetur pœnitens ad confitendum per Interpretem, aut scripto, & vtrùm id fieri possit.*

SECT. VI. *De necessitate confessionis ex præcepto Ecclesiastico.*

SECT. VII. *Quas personas, & quo tempore obliget hoc præceptum Ecclesiæ.*

SECT. VIII. *De aliis qualitatibus confessionis.*

SECT. IX. *Vtrùm confessio ex fine malo ita vitietur, vt Sacramentum sit irritum?* Vbi, *An actus pœnitentiæ possit ex fine extrinseco vitiari.*

SECT. X. *Difficultates quædam contra doctrinam præcedentem.*

PRiùs agendum est de necessitate confessionis, postea verò agemus de eius obiecto, hoc est de peccatis quæ debent, vel possunt esse materia confessionis.

SECTIO I.

Vtrùm confessio sit necessaria ex Christi institutione?

1. *Duplex necessitas, Medij, & Præcepti.*

DVplex est necessitas, scilicet, medij, & præcepti. De vtraque diximus satis *disp. 3. de Sacrament. Euch.* vbi dixi, necessaria necessitate medij esse illa, sine quibus salus obtineri non potest, & quæ conducunt positiue ad ipsam salutem. Vnde Sacramentum pœnitentiæ homini adulto lapso in peccatum mortale post Baptismum est necessarium necessitate medij ad salutem, in re, vel in voto, quia sine hoc Sacramento re ipsa suscepto; vel certè sine eius voto, quod in contritione includitur, saluari nequit: & quidem Sacramentum ipsum, quando suscipitur, vel votum ipsius conducit positiuè ad primam gratiam, sine qua salus esse non potest, quare meritò dicitur medium necessarium ad salutem in re, vel in voto. De hoc tamen dixmus satis *loco cit.*

2. *Duplex item necessitas, ex præcepto Christi & Ecclesiæ.*

Rursus possumus in confessione considerare duplicem necessitatem; alteram ortam ex Christi institutione, & præcepto; alteram ex præcepto Ecclesiæ. De vtrâque dicendum est, & priùs de priori. Circa quam varij fuerunt errores, quorum aliquos refert Suar. *disp. 17. sect. 1. & disp. 35. sect. 1.* quæ res, quia ad dogmata pertinet, spectat magis ad controuersistas, qui hoc aduersùs antiquos, & modernos hæreticos latè confirmant. Videri possunt Bellarm. *tom. 2. disp. 4. generali lib. 1.* P. Valent. *in controuersiis lib. de numero Sacramentorum c. 4.* & *lib. de necessitate confessionis*, & *in præsenti disp. 7. q. 1.* Petrus de Soto *in confessione Catholicæ fidei contra confessionem Vvitembergensem*, Roffensis *art. 6. contra Lutherum*, Alphonsus de Castro *aduersùs hæreses*, verbo *pœnitentia*. Ruardus de Taper ab *art. 3.* Echius in *Enchiridio locorum communium*, *loco 8. & 9.* qui hoc dogma ex professo confirmant.

3. *Errores varij circa institutionem Sacramenti Pœnitentiæ.*

Primus error est, quem refert Glossa prima Ioannis Theutonici *de pœnitentia dist. 5.* quod confessio instituta fuerit à Deo in Paradiso, quando exegit ab Adamo confessionem, quam clarius petiit postea à Cain dicens; *vbi est frater tuus?* quem errorem impugnat Nauarrus *illa dist. 5. de pœnitentia n. 1. & seqq.*

Secundus error relatus ibidem est, quod fuerit instituta *Iosue* 7. cùm Iosue dixit ad Achor, *da gloriam Domino, ac confitere, & indica mihi, quid feceris, ne abscondas*, &c. Tertiò alij relati ibidem dicunt, quod fuit instituta *Iacobi c. 5.* in illis verbis, *confitemini alterutrum peccata vestra*: Vnde in cap. final *de pœnitent. dist. 1.* dicitur, sequendam esse institutionem Apostoli dicẽtis, *confitemini alterutrum*, &c. Quarta sententia, quã tenet illa glossa, est, quod hæc obligatio inducta est consuetudine vniuersalis Ecclesiæ, & sine vlla auctoritate scripturæ. Idem etiam dicit glossa in *c. omnis vtriusque sexus*, de pœnit. & remiss. quem errorem sequuntur, & tuentur hæretici moderni; quibus prævius fuit Erasmus in Dialogo inscripto *pietas puerilis*, quem licèt excusare velint Palatius *dist. 17. q. 5.* & Nauarrus supra, sed re vera idem Erasmus super Hieronymum *in Epitaphio Fabiolæ ad Oceanum*, dicit confessionem secretam nõdum fuisse institutam tempore Hieronymi, sed tantum publicam & generalem, postea verò salubriter institutam, si tamen ea benè vtantur Clerici, & Laici. In eodem puncto errauit etiã Rhenanus *super Tertull. lib. de pœnit.* & alij, quos affert Bellar. Quibus addi possunt Hugo de sancto

Iosuë 7.

4.

Victore, & Bonauentura, quos affert Vasquez q. 90. *artic. 1. dub 1. num. 5. & 6.* qui insinuant, hoc Sacramentum fuisse quidem à Christo institutum, non tamen cum necessitate ex parte pœnitentis, sed pro ipsius arbitrio. Denique Caietan. apud eumdem Vasquez docet, ex illis verbis: *quorum remiseritis peccata*, &c. Ioan. 20. non colligi præceptum confessionis, quod ipsum dixerat Scot. *in 4 dist. 17. q. 1.* licèt neuter præceptum illud diuinum neget, quod posuit ex traditione saltem haberi. Catharinus etiam *lib. contra Caiet. de pœnit. Nauarr. de pœnit. dist. 5.* super Glossam primam *n. 31.* & alij tribuunt Caietano, quod dixerit in prædictis verbis Christi *Ioan. 20.* non fuisse à Christo institutam auricularem confessionem, vt auricularis est, sed institutum Sacramentum: quod verò Confessio fiat publica, vel secreta, relictum esse determinationi Ecclesiæ. Ab hoc tamen se purgat ipse Caiet. *tom. 3. opusc. 15. art. 5.* dicens, se tantum voluisse, quod Ecclesiæ determinationi relictum sit, an peccata publica necessariò essent publicè confitenda, an non: de hoc enim potest Ecclesia sancire, quod voluerit; non verò quod peccata secreta publicè à pœnitente manifestentur.

5. Conclusio Catholica est, confessionem Sacramentalem institutam esse à Christo Domino, & præceptam. Hæc est de fide, & habetur in Concil. Constant. *sess. 8.* vbi damnatur hic error septimus Vviclephi: *Si homo fuerit debitè contritus, omnis confessio exterior est sibi superflua, & inutilis*, quem eumdem errorem damnat Martinus V. in Bulla confirmationis eiusdem Concilij, vbi definit, quod ex necessitate salutis omnis Christianus, etsi habuerit contritionem, debet confiteri, si habuerit copiam Sacerdotis idonei. Item Leo Papa X. inter alios Lutheri articulos damnat hunc octauum, *quod* scilicet, *non essent confitenda venialia, nec omnia mortalia*: & nonum, *quod qui omnia confitetur, nihil misericordiæ Dei ignoscendum relinquit.* Eumdem errorem damnauit Sixtus IV. in quodam Petro Oxomensi, qui dicebat, confessionem hanc humano instituto, & consuetudine Ecclesiæ cœpisse; contra quem Alphonsus Carrillo Archiepiscopus Toletanus auctoritate Papæ de consilio Doctorum Theologorum declarauit hæreticas has propositiones prædicti Petri; *Confessionem peccatorum in specie ex vniuersalis Ecclesiæ statuto, non diuino iure compertam esse: peccata mortalia, quoad culpam, & pœnam alterius sæculi absque confessione, sola cordis contritione, prauas verò cogitationes sola displicentia deleri. Confessionem non necessariò fore secretam. Non esse quemquam secundò absolnendum, nisi peracta pœnitentia. Papam non posse pœnem Purgatorij remittere, nec dispensare super his, quæ vniuersalis Ecclesia statuit, Sacramentum pœnitentiæ, quoad collationem gratiæ, esse institutionis naturæ, & non noui, aut veteris Testamenti.* Quam declarationem Sixtus IV. cum Cardinalium Concilio confirmauit, vt habetur in extrauaganti, quæ incipit, *licèt ea*: & habetur in summa Conciliorum, & apud Castro verbo, *Confessio*; dicunt autem originale conseruari in Ecclesia Toletana. Denique clarissimè definita est hæc veritas in Trident. *sess. 14. c. 1. & 5. & canon. 6. 7. 8 & 9.* Vbi apertè traditur, Christum Dominum *Ioan. 20.* hoc Sacramentum instituisse, quod ante ipsius aduentum non fuerat, dum, scilicet, dixit: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt. Quo tam insigni facto*, (inquit Concilium cap. 1.) *& verbis tam perspicuis, potestatem remittendi, & retinendi peccata ad reconciliandos fideles post Baptismum lapsos, Apostolis, & eorum legitimis successoribus fuisse communicatam, vniuersorum Patrum consensus semper intellexit.* & cap. 5. addit: *ex institutione Sacramenti Pœnitentiæ tam explicata vniuersa Ecclesia semper intellexit, institutam etiam esse à Deo integram peccatorum confessionem, & omnibus post Baptismum lapsis iure diuino necessariam existere, quia D. noster Iesus Christus è terris ascensurus ad cœlos, Sacerdotes sui ipsius Vicarios reliquit, tanquam Præsides, & iudices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Christi fideles ceciderint, quo pro potestate clauium, remissionis, aut retentionis peccatorum, sententiam pronuncient. Constat enim, Sacerdotes iudicium hoc incognita causa exercere non potuisse, neque æquitatem quidem illos in pœnis iniungendis seruare potuisse, si in genere duntaxat, & non potius in specie, ac sigillatim sua ipsi peccata declarassent*, &c. & postea in fine illius capitis damnat eos, qui dicunt, institutionem confessionis ortam à Concil. Lateran. *Neque enim*, (inquit) *per Lateranense Concilium Ecclesia statuit, vt Christi fideles confiterentur, quod iure diuino necessarium, & institutum esse intellexerat, sed vt præceptum confessionis, saltem semel in anno, ab omnibus, & singulis, cum ad annos discretionis peruenitur, impleretur*, &c. Sanctorum Patrum testimonia plura per singula sæcula congerit Bellarm. *loco citato.*

Leo X.

Alph. Carrill.

Conc. Trid.

Plura etiam loca sacræ Scripturæ affert, sed potissimum est illud *Ioan. 20.* ex quo Sacramenti institutionem, & confessionis necessitatem colligit Tridentinum in verbis adductis. Vis autem illationis, omissis aliis explicandi modis, consistit in eo, quod Christus constituerit Sacerdotes non solùm iudices arbitrarios, seu quos pro suo arbitrio possent pœnitentes adire pro venia peccatorum; sed iudices necessarios, sine quibus venia obtineri non possit: quod quidem potissimè colligitur ex illo verbo, *retinueritis*, seu ex potestate retinendi; quam simul cum potestate remittendi eis dedit; quam alibi *Matth. 18.* significauit per verbum alligandi: qui enim potestatem habet ligandi peccatorem, seu excludendi eum à Regno Cœlorum, non est Iudex arbitrarius, sed necessarius, quippè qui per negationem veniæ relinquit peccatorem exclusum à Regno Cœlesti, & ideo dicitur retinere peccata per negationem remissionis; & in eodem sensu dicitur accepisse claues Cœli; quia quando alicui claues dantur domus clausæ, eo ipso fit medium necessarium recurrere ad illum, vt aliquis ingrediatur domum illam. Est ergo necessaria confessio coram Sacerdote, tanquam coram iudice ad obtinendam veniam peccati. Videatur Suarez *dict. disp. 17. sect. 2.* & Vasquez *in presenti quæst. 90. artic. 1. dub. 2.* qui latè vim huius illationis declarant. 6.

Contra hanc argumentationem, & illationem fit communis obiectio ex peccatis venialibus, ad quæ remittenda in hoc Sacramento data fuit potestas Sacerdotibus in illis Christi verbis: & tamen non est necessaria eorum confessio coram illis, vt constat, ergo ex potestate illis verbis data non benè arguitur necessitas confitendi mortalia. Huic difficultati multa solent responderi. Verior solutio est, verbum *remittendi*, debere intelligi propriè de vtrisque peccatis: vtraque enim capacia sunt remissionis, atque ideo remittendi potestas debuit ad vtraque peccata extendi, & multò magis ad venialia, quæ leniora sunt, & facilius solent condonari. Verbum autem *retinendi*, seu *alligandi*, non potuit æquè de vtrisque intelligi, quia non est in illis eadem aptitudo, & capacitas, vt retineantur: hæc enim retentio, seu alligatio, quæ à Sacerdote fit in terris, rata habetur etiã in Cœlis, cùm alligatus sit 7.

sit in Cœlis, qui alligatur in terra : peccata autem venialia non possunt hominem in Cœlis, seu extra hanc vitam alligare, aut excludere à Regno Cœlorum, vt constat; cùm non auferant gratiam, quæ est semen gloriæ, & dat ius ad ipsam: quantumcumque ergo homo maneat cum vinculis peccati venialis, non potest manere ligatus in perpetuum, & per consequens ratione illius non potuit Sacerdotibus intelligi data potestas retinendi: quia hæc significatur per clauem Cœlorum, quæ est ad claudendum; non potest autem claudi cœlum homini propter peccata venialia, cùm hoc sit contra naturam gratiæ habitualis; ergo potestas claudendi; quæ eadem est cum hac potestate retinendi, seu alligandi, non potuit æquè intelligi de peccatis venialibus, sed de mortalibus, quæ verè retinentur, cùm absque Sacerdotis consensu non possint vnquam auferri.

8. Contra dogma illud de confessionis necessitate plura solent auferri argumenta, quæ erudite examinantur, & soluuntur à prædictis Auctoribus. Nos potissima breuiter indicabimus.

Obiectio prima ex Nectario Archiepiscopo Constantinopolitano. Primò ergo obiici solet, quod Nectarius Archiepiscopus Constantinopolitanus propter scandalum ex nobilis matronæ peccato ortum confessionem in sua Ecclesia abstulerit, quod postea aliæ Ecclesiæ Orientales imitatæ sunt. De hac historia agunt Bellarm. Suar. & alij. Videatur P. Vasq. *vbi suprà* qui *dub.* 3. magis ex professo rem totam persequitur. Verius itaque videtur, non fuisse ablatam confessionem secretam, sed quemdam morem Ecclesiasticum, quo pœnitentiarius Sacerdos ad crimina publica, & grauiora excipienda designatus, discernebat aliqua, pro quibus publica pœnitentia ageretur, vt Ecclesiæ satisfieret ante communionem: quem morem propter illud scandalum Nectarius abstulit, & reliquit singulos suæ conscientiæ, vt post confessionem secretam possent communicare, quamuis Ecclesiæ per publicam pœnitentiam non satisfeciissent.

9. Secundò obiici solet Chrysostomus *tom.* 1. *homil.* 2. *in psalm.* 50. & *tom.* 5. *serm de pœnitentia, & confessione*, & *tom.* 2. *hom.* 4. *de Lazaro*: in quibus locis videtur ad confessionem exhortari quæ soli Deo fiat, & non homini; quasi ea sola sufficiat. Respondetur de Chrysostomi mente latis constare ex aliis locis eiusdem, in quibus necessitatem confessionis testatur; præsertim *hom.* 22. *in* 2. *ad Cor.* vbi acriter terret eos, qui differunt diu confessionem cum spe longioris vitæ, & aliis, quæ affert Bellarm. In illis autem, quæ adducta sunt, agit de examine quotidiano conscientiæ, cuius vtilitatem commendat, ex eo quod absque difficultate, & grauamine, quod affert confessio, adducat sæpe veniam peccati: per hoc autem non intendebat negare obligationem confessionis faciendæ debito tempore. Videatur Vasq. *dicto dub.* 3.

10. Tertiò obiicitur Theodorus Cantuarienſis Archiepiscopus relatus in *c. vltim de pœnit. dist.* 1. vbi ait: *Quidam Deo solummodo confiteri debere peccata dicunt, vt Græci. Quidam verò Sacerdotibus confitenda esse percensent, vt tota ferè sancta Ecclesia. Quod vtrumque non sine magno fructu intra sanctam fit Ecclesiam*: in quibus verbis videtur tribuere Græcis, quod de confessione externa non curent: ergo non est ex diuina institutione.

Respondetur, illa verba, *vt Græci*, alibi non haberi, sicut & alia multa illius capitis, neque etiam haberi in Concilio Cabilonensi secundo *can.* 33. vbi eadem verba habentur. Addit Nauar. *de pœnit. dist.* 5. *in princip. super* 3 *partem glossæ n.* 3. Theodorum hominem Anglum potuisse ignorare morem Græciæ remotissimæ ab Anglia. Sed ex hoc capite malè reiicitur, aut minuitur eius auctoritas. Ego enim nullum alium Theodorum inuenio. Archiepiscopum Cantuarienſem, nisi quem Vitalianus Papa illuc misit anno 668. quem dicunt Beda *lib.* 4. *hist. Anglicæ cap.* 1. & Baronius *tom.* 8. *anno* 668. hominem doctissimum, qui non fuit Anglus, sed Tarsensis, & inter Græcos nutritus Meliùs dici potest, defectum aliquorum Græcorum tribuisse Græcis indefinitè. Constat enim Græcos Sacerdotes, & Pontifices vsum confessionis Sacramentalis, cùm celebrare debent, non habere, cùm de hoc arguantur ab Eugen. quarto, in fine Concilij Florentini, atque id fatetur Arcadius *de Sacramento pœnitentiæ*, vbi affert causas, propter quas ille abusus apud ipsos fuerit introductus; scilicet, propter rigorem Canonum pœnitentialium, in quibus grauissimæ pœnitentiæ designabantur Episcopo, vel Presbytero aliqua certa peccata committenti. Alioquin enim certissimè constat ex Sanctis Patribus Græcis confessionis necessitas, vt ex eorum verbis probant citati Auctores.

Denique Theodorus illum Græcorum vsum non probat; nam statim subiungit: *Sed tamen Apostoli institutio nobis sequenda est, vt confiteamur alterutrum peccata nostra*, vbi aduerte, non ideò appellari institutionem Apostoli, quasi hoc solum sit Apostolorum præceptum, sed nomine *institutionis*, intelligit doctrinam Apostoli, qui hanc necessitatem, & efficaciam confessionis docuit.

11. Vrgeri posset adhuc ex verbis sequentibus, in quibus videtur negare efficaciam confessioni externæ. Sic enim ait: *Confessio itaque, quæ soli Deo fit, quod est iustorum, purgat peccata. Ea vero, quæ Sacerdoti fit, docet, qualiter ipsa purgentur peccata.* Respondetur tamen, illis verbis non negari efficaciam confessionis, sed determinari modum, quo tolluntur peccata: quasi dicat: idem est, qui vt Auctor principalis, condonat peccata, modus autem, quo communiter illa condonat, est confessio externa facta Sacerdoti; ideo enim statim subiungit; *Deus namque salutis, & sanctitatis Auctor, & largitor plerumque hanc præbet suæ pœnitentiæ medicinam inuisibilis administratione, plerumque medicorum operatione*; vbi iam concedit efficaciam ipsorum Sacerdotum absolutioni: illud autem, quod dicit, plerumque Deum concedere veniam inuisibili administratione, desideratur in capitularibus, vt notatur in additionibus illius textus, vbi totus textus magis purus legitur.

12. Quartò obiicitur Ambrosius *in cap.* 22. *Lucæ* relatus *in c.* 1. & 2. de pœnitentia dist. 1. his verbis: *Petrus doluit, & fleuit, quia errauit, vt homo. Non inuenio quid dixerit, inuenio quod fleuerit. Lachrymas eius lego, satisfactionem non lego; sed quod defendi non potest, ablui potest: lauant lachrymæ delictum, quod voce pudor est confiteri. Et veniæ fletus consulunt, & verecundiæ. Lachrymæ sine horrore culpam loquuntur*, &c. Respondent aliqui, Ambrosium ibi solùm negare necessitatem confessionis publicæ, sed non videtur ad mentem Ambrosij: cuius duplex alius sensus videtur esse in illis verbis, quem vtrumque magis explicuit *tom.* 5. *sermon.* 48. Prior est, quod Petrus non defendit, non excusauit quod fecerat; non orauit, seu declamauit in causa, vt se tueretur: quod significant illa verba: *lachrymas eius lego, satisfactionem non lego*; & sermone citato addit: *lachrymæ causam non dicunt, & misericordiam consequuntur.* Posterior sensus est, quod Petrus veniam

non postulauit verbis, nec aliquid dixit Deo, nisi flere: qui melior, & aptior modus est veniam impetrandi, quando, scilicet, cum Deo agitur, quàm si venia explicitè petatur. Quem sensum explicat Ambrosius verbis sequentibus: *Inueni, cur tacuit Petrus, ne tam citò veniæ petitio plus offenderet. Ante flendum est, sic precandum.* Et in citato sermone addit rationem: *Solet enim citius mereri indulgentiam, qui verecundius deprecatur.* Non ergo dicit Ambrosius, sufficere lachrymas absque proposito confitendi, sed quando cum Deo agitur, faciliùs veniam impetrari lachrymis, quàm verbis, quibus vel peccatum manifestemus, vel excusemus, vel veniam petamus.

13. Quinta ex Cassiano.

Quintò obiicitur Cassianus *collat.* 20. *cap.* 8. vbi sic ait: *Postremò quis est, qui non possit suppliciter dicere: peccatum meum cognitum tibi feci, & iustitiam meam non operui, vt per hanc confessionem etiam illud confidenter subiungere mereatur: & tu remisisti impietatem cordis mei? Quod si verecundia retrahente, reuelare ea coram hominibus erubescis, illi, quem latere non possunt, confiteri ea ingi supplicatione non desinas, ac dicere: iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper: tibi soli peccaui, & malum coram te feci, qui, & absque vllius verecundiæ publicatione curare, & sine improperio peccata donare consuesti.*

14. Hæc verba dupliciter possunt explicari. Primò, vt intelligantur de confessione publica, quæ apud Monachos erat in vsu, quam tamen si aliquis propter verecundiam fugiebat, poterat lachrymis, & cõfessione secreta satisfacere. Qui sensus colligi potest ex illis verbis, *Coram hominibus*, in plurali, & ex illis *absque vllius verecundiæ publicatione*, quæ solùm videntur excludere confessionem, & verecundiam publicam. Secundò possunt intelligi, quasi in iis hortetur Auctor ad confessionem, & pœnitentiam coram Deo faciendam per veram contritionem, non quia excludat confessionem suo tempore faciendam, sed quia hoc etiam sit medium ad obtinendam veniam: vel certè, etiamsi contritio non sit perfecta, sit medium saltem remotum ad impetrandam veniam, & spiritum veræ contritionis: nam ibi Cassianus enumerat plures modos obtinendi veniam, qui ferè omnes non sunt ex se sufficientes adæquatè ad iustificationem, sed dispositiones remotæ, vt sunt ieiunia, & carnis afflictio, eleemosynæ, morum emendatio, cura de salute proximorum, oratio, & inuocatio Sanctorum, & denique condonatio eorum, quæ aduersùs proximum habemus; inter quæ ponit etiam penultimo loco illud medium supradictum confitendi peccatum coram Deo; non quod sit proximum remedium, sed saltem remotum, sicut & alia enumerata: de quibus omnibus postea subdit: *Quisquis igitur ad indulgentiam suorum criminum desiderat peruenire: istis semetipsum aptare* (hoc est, disponere) *studeat instrumentis, nec obdurati cordis peruicacia à remedio salutari fontem tantæ pietatis auertat; quia etiamsi hæc omnia fecerimus, non erunt idonea ad expiationem scelerum nostrorum, nisi ea bonitas Domini, clementiáque deleuerit. Qui cum Religiosi conatus obsequia supplici mente à nobis oblata perspexerit; exiguos paruosque conatus immensa liberalitate persequitur, &c.* Ex quibus verbis constat, non omnia, & singula illa media posita fuisse ab ipso, quasi ex se solis sufficerent ad veniam peccati afferendam; sed quasi media saltem apta, quæ disponant hominem ad obtinendam gratiam iustificationis. Alia argumenta faciliora, & eorum solutiones, videri possunt apud Bellarm. & alios supra adductos.

Cassian.

SECTIO II.

An ex Christi institutione confessio fieri possit cuilibet Sacerdoti?

15. Affirmatiua sententia tribuitur Armacano *lib.* 10. *de quæstionibus Armenorum à principio*, quam Durandus *dist.* 19. *q.* 2. reputat non improbabilem. Negatiuam tenent omnes Catholici, & quidem in hoc puncto potest esse quæstio de re, & de nomine. De re enim erit controuersia, si aliquis dicat, ita à Christo habere omnes Sacerdotes ex vi suæ ordinationis potestatem absoluendi omnes Christianos, vt si applicetur alta, scilicet, confessio cum dolore requisito; absolutio non possit esse inualida, licèt sit illicita propter Ecclesiæ prohibitionem: quod videtur dicere illa sententia, iuxta quam, licèt Sacramentum etiam sit inualidum, quando pœnitens scienter contra Ecclesiæ prohibitionem vult confiteri huic Sacerdoti: tunc enim peccaret in ipsa confessione, & per consequens careret dolore, & proposito requisito ad valorem Sacramenti: cæterùm quando ex parte pœnitentis non esset illa mala fides; Sacramentum esset validum, sine ex parte confessarij esset mala fides, siue non esset. Secundò verò inter eos, qui negant, potest esse quæstio de nomine, an scilicet, Sacerdos dicendus sit accipere in sua ordinatione totam potestatem, & iurisdictionem ad absoluendum; an verò solùm aliquid illius, itavt completa potestas ab alio postea accipienda sit. 19.

16. Circa primum ergo quod est de re, certissimum est ad valorem Sacramenti non sufficere solum id, quod accipitur in ordinatione. Ita habetur in Trident. *sess.* 14. *c.* 7. vbi dicitur, nullius momenti esse absolutionem, quam Sacerdos profert in eum, in quem ordinariam, aut subdelegatam iurisdictionem non habet; & *can.* 11. damnat eum, qui dixerit, Sacerdotem sine licentia Prælati superioris vere absoluere à casibus reseruatis, vbi apertè negatur valor absolutionis, quando deest facultas superioris. Idem magis implicitè definitum fuerat in Concilio Florentino ab Eugenio in suo decreto, vbi dicitur, ministrum huius Sacramenti esse Sacerdotem habentem, vel ordinatam, vel delegatam potestatem, in quo tanquam in re ad dogmata pertinente conueniunt omnes Theologi. Patuit ex dictis non

17. Contra hanc veritatē duplex est difficultas. Prima ex verbis Christi: *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, &c.* quæ cùm singulis Presbyteris in sua ordinatione dicãtur, videntur vniuersaliter intelligenda, vt sonant: ergo absque vllo alio habet Sacerdos ex sua ordinatione potestatē absoluēdi omnes à suis peccatis. Secunda difficultas desumitur ab exemplo aliorum Sacramentorum: quia enim Episcopus habet potestatem confirmandi, & conferendi ordines, & Sacerdos habet potestatem vngendi infirmum, licèt nec Episcopus possit licitè confirmare, aut ordinare non subditum, nec simplex Sacerdos possit licitè vngere absque licentia Parochi: Confirmatio tamen, ordinatio, & vnctio validæ erunt, quia adest materia, forma, & minister cum facultate, in ordinatione, aut consecratione accepta: ergo absolutio etiam, licèt feratur in non subditum, valida erit propter eandem rationem, licèt non sit licita.

18. Vtriusque difficultatis solutio pendet ex ratione peculiari, quæ est in hoc Sacramento; quam rationem ponderauit Concil. Trid. *illo c.* 7. ad probandam hanc doctrinam, his verbis: *Quoniam igitur natura, & ratio iudicij illud exposcit, vt sententia in subditos duntaxat feratur; persuasum semper in Ecclesia* Tolet.

Ecclesia Dei fuit, & verissimum esse, Synodus hæc cõ firmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet iurisdictionẽ, &c. In quibus verbis totum hoc reducitur ad rationem iudicij, quæ propria est huius Sacramenti, ac non aliorum. Quare sicut ex eo quod Sacramentum matrimonij includat contractum humanum, subit conditiones contractuum, atque adeo eius valor requirit habilitatem contrahentium, quæ tolli, aut poni potest ab Ecclesia: sic hoc Sacramentum, quia iudicium quoddam est, requirit superioritatẽ, & subditos, qui ab Ecclesia dari vel auferri possunt. Vnde verba Christi, licet vniuersaliter videantur sonare potestatem eo tamen ipso quod datur potestas ad absoluendos subditos per modum iudicij, intelligitur data respectu subditorum, qui legitimi subditi sint. In aliis verò Sacramentis, quæ non exercentur per modum iudicij non pendet eorum valor à prohibitione, vel permissione Ecclesiæ, quia validè exercentur etiam circa non subditos.

19. Petes tamen: quomodo ex verbis Christi colligat Ecclesia, sacerdotes non accipere totam potestatem iudiciariam expeditam in sua ordinatione? Possent enim tunc fieri iudices absque vlla dependentia ab Ecclesia in vsu valido suæ iurisdictionis, sicut fiunt medici ad curandos infirmos per vnctionem absq; tali dependentia ab Ecclesia. Respõdetur, id totum colligi ex ratione iudicij: nam iudex qui non est merus arbiter (cuius sententia nõ obligat propter auctoritatem iudicis, sed propter pactum litigãtium, qui promiserunt illam obseruare) debet habere potestatem obligandi, atque adeo debet esse superior eorum quibus ius dicit, vt possit eos ligare: vnde optimè infertur, non posse proferri sententiam, nisi in subditos. Aliunde autem pro certo supponitur, non esse omnes, & singulos Christianos subditos singulorum Sacerdotum ex Christi institutione: hoc enim peruerteret Hierarchicum ordinem, quem Christus in sua Ecclesia reliquit, in qua voluit alios esse superiores, alios inferiores; si autem omnes Sacerdotes ex sua ordinatione haberent omnes Christianos sibi subditos; iã omnes Sacerdotes essent Iudices supremi, & principes æquales absq; vlla subordinatione quod esset omnino contra totum Ecclesiasticum ordinem.

20. Hoc ergo supposito, restat difficultas de secundo puncto, quæ magis est de modo loquendi; scilicet, quæ potestas detur Sacerdoti in ordinatione, & quid desit ei? Nam aliqui dicunt, ex vi ordinationis habere quidem iurisdictionem habitualem, non actualem, quia non potest illa procedere in actum suum, quando ab Ecclesia impeditur. Alij dicunt, dari tunc potestatem iurisdictionis; sed hanc non posse prodire in actum, donec applicetur materia, scilicet, legitimus subditus; quod postea præstat Ecclesia designando subditos huic Sacerdoti. Alij dicunt, Sacerdotes esse quasi iudices illos Chartularios antiquos, qui sanè habebant potestatem iudicandi, quantum attinet ad potestatem suam; non tamen habebant designatos subditos, sed poterant eligi ab iis, qui vellent ad ipsos recurrere. Sic Sacerdotes sunt iam constituti iudices eligibiles: eliguntur autem postea non à subditis vtcumque, sed ab Ecclesia mittente ad illos tales, vel tales causas, in quibus ferant sententiam. Hoc ipsum explicant alij exemplo doctores in Iure Canonico, vel Ciuili, qui eo ipso accipit facultatem iudiciariam, hoc est, vt ex se sit aptus ad ferendam sententiam, si fiat iudex, vel gubernator alicuius reipublicæ. Pater Suar. *disp. 16. sect. 3. n. 27.* considerat in Sacerdote duas potestates, scilicet ad ferendam sententiam, & ad exequendam illam: hanc posteriorem dicit haberi in ordinatione, quia ratione ordinis potest conferre gratiam iustificantem illi, quem absoluit; sententiæ autem prolatio debet magis procedere ex iurisdictione, à qua prouenit mortalitas sententiæ. Hoc tamen difficile est in rigore, quia potestas iurisdictionis reperitur in Parocho non Sacerdote, qui tamen non solum non potest exequi sententiam, sed nec validè illam proferre, vt constat.

21. Cæterùm hi omnes explicandi modi in reipsa parum differre videntur; melior tamen, & communior est, qui in ordinatione dicit conferri potestatem ordinis, postea verò potestatem iurisdictionis. Nam licèt ipsa potestas ordinis possit dici iurisdictio inchoata; est tamen quasi remota: & aliunde illa, quæ postea datur, non debet appellari mera applicatio materiæ, sed vera collatio potestatis, & iurisdictionis: nam si per illam fiunt aliqui subditi huius Sacerdotis, non potest non fieri ipse superior eorum: superior enim, & subditus sunt correlatiui, nec potest vnus non fieri superior, quando alter fit subditus: sicut è contra non potest in ordinatione Sacerdos fieri propriè, & in rigore superior, quando propriè non accipit subditos: vnde cùm nulli tunc ei dentur subditi, non dicitur propriè tunc accipere iurisdictionem, seu superioritatem, sed potestatem solam ordinis. Imò illi etiam, qui dicunt, postea solum poni applicationem materiæ, eo ipso debent concedere postea dari iurisdictionem: nam materia, quæ potest dari, sunt subditi quos solos potest Sacerdos absoluere; non potest autem poni subditus de nouo, vt diximus quin de nouo fiat superior illius; nã velle, quod Petrus sit sub Paulo, est velle quod Paulus sit supra Petrum, seu sit superior Petri; ergo ipsa applicatio, quam vocant materiæ, est collatio potestatis iurisdictionis. Vnde apparet iam clarè discrimen huius Sacramenti ab aliis, in quibus per applicationem materiæ non tribuitur potestas, aut iurisdictio, vt in Eucharistia, applicatio panis, & vini con secrandi non est collatio potestatis; iam enim Sacerdos supponitur cum tota sua potestate, etiamsi non habeat panem, & vinum: at verò in hoc Sacramento absque subditis absoluendis non habet Sacerdos totã potestatem ad absoluendum; non enim habet iurisdictionem, & superioritatem, quæ est potestas quædam, vt constat, quare non est mirum, quod in hoc Sacramento requiratur aliqua potestas præter illam, quæ data fuit in ordinatione.

22. Dices potest Parochus acquirere nouos subditos, quando, v. g. aliqui de nouo veniunt ad habitandum in eius Parochia, & tamen non dicitur tunc accipere ab illis iurisdictionem; hãc enim habebat iam ab illo, à quo factus fuit Parochus; ergo similiter dicere possumus, Sacerdotem in ipsa ordinatione accipere iurisdictionem; licèt postea debeat accipere subditos, in quos illam exercet. Respondetur negando consequentiam, nam Parochus, eo ipso, quod factus est Parochus, habuit iurisdictionem non quidem determinatè super hos, sed confusè sub illa ratione communi habitantium in tali Parochia, postea ergo contrahitur illa indifferentia, ponendo conditionem habitationis, sub qua hic etiam facti fuerant eius subditi: at verò Sacerdos, quando ordinatur, non fit superior aliquorum etiam indeterminatè, & in confuso, sed datur illi potestas absoluendi subditos, si aliquos habuerit: quod quidem non sufficit, vt dicatur iam habere iurisdictionem: nam hac ra-

rione omnes cines possunt dici habere iam potestatem iurisdictionis ; omnes enim habent potestatem, vt exerceant iurisdictionem in subditos, si eis dati fuerint. Cùm ergo totum hoc pertineat ad modum loquendi, debemus seruare modum communem, quo in similibus materiis homines loqui solent.

23. Obiici solet primò, quia quilibet Sacerdos habet potestatem, vt absoluat Summum Pontificem; hanc autem non accipit ab ipso Pontifice qui non potest dare iurisdictionem super seipsum: ergo illam accipit verè in sua ordinatione, & per consequens non accepit solam potestatem ordinis, sed etiam iurisdictionis. Respondent aliqui, Confessarium Pontificis, quando ab ipso eligitur accipere iurisdictionem, non à Pontifice, sed immediatè ab ipso Christo, sicut quando Cardinales eligunt Pontificem, non dant illi iurisdictionem supra Ecclesiam, sed nominant, & eligunt personam, cui Christus immediatè tribuit iurisdictionem vniuersalem & sicut quando ex concessione Prælati aliquis potest eligere Confessarium, non dat ei pœnitens iurisdictionem, sed posita electione, Confessarius accipit iurisdictionem à Prælato, qui licentiam illam concessit. Cæterùm in hoc casu non est opus recurrendi ad Christum, à quo immediatè detur talis iurisdictio Confessario Pontificis; potest enim illam accipere ab ipso Pontifice, nec repugnat ex terminis, quod aliquis det iurisdictionem supra seipsum: nam respublica potest communi consensu aliquem supremum Principem eligere, cui tribuit iurisdictionem, & cui ipsa Respublica tenetur postea obedire, & eius leges obseruare. Sic ergo Christus, qui summo Pontifici concessit plenitudinem potestatis, sicut dedit ei potestatem ad communicandam iurisdictionem supra alios: potuit etiam dare illi potestatem, vt suo Confessario daret iurisdictionem supra se, & vt se redderet subditum Confessarij, quare tenetur Pontifex obedire suo confessario, non minùs quam alij Christiani, & seruare ipsius præcepta.

24. Dices, ergo posset Papa dare aliqui potestatem ad excommunicandum ipsum Papam. Negatur sequela, quia potestas excommunicãdi tota est à Põtifice: vnde non posset postea ligari Pontifex tali excommunicatione, cùm posset ipse pro libito se soluere, quotiescumque vellet. A confessarij verò præcepto non potest se soluere. Cur autem cùm vtraque potestas daretur à Pontifice, possit magis ligari ab vna, quàm ab alia? Ratio videtur esse, quia non potest auferre à se potestatem absoluendi ab omni censura, & dispensandi in omni lege Ecclesiastica, nisi abdicet à se summum Pontificatum: ergo dum manere vult summus Pontifex, vult etiã retinere supremum ius, & per consequens facultatem in omnes leges Ecclesiasticas, qualis est excõmunicatio: quia alioquin posset dare etiam alicui irreuocabiliter alias plures potestates, & paulatim diuidere Pontificatum, itavt mediam partem potestatis à se abdicaret irreuocabiliter, aliisque traderet: quod certum est fieri non posse. At verò in ordine ad hoc Sacramentum alia est ratio: Cùm enim Christus illud tanquam remedium vniuersale instituerit etiam pro ipso Pontifice, eo ipso voluit, quod posset Pontifex hanc iurisdictionem, & potestatẽ supra se alicui Sacerdoti ita cõmunicare, vt eius præceptis ligaretur, tanquã subditus, nec posset se ab aliis soluere; quia alioquin nõ esset capax huius Sacramenti, quod per modum iudicij debet exerceri, & per consequens à iudice in subditum, quem possit obligare, & coërcere. Vnde etiam obiter constat discrimen aliud inter potestatem, quam Papa communicat Confessario suo ad ipsum absoluendum, & potestatem, quam alicui dat, ad dispensandum cum ipso Pontifice in votis, vel addandas ei indulgentias, aut quid simile. Nam hæc secunda potestas non constituit Pontificem subditum, nec dat aliquam iurisdictionem supra Pontificem: hæc enim omnia ex natura sua possunt fieri in non subditum, nec exigunt vim coërcitiuam, cùm potiùs sint gratiæ, & fauores, qui exerceri possunt in æqualem, vel superiorem. Quare Pontifex ex potestate, quam habet vt Christi Vicarius, potest, vel per se, vel saltem per alios impertiri sibi illos fauores, & gratias, in quo non subditur alicui, sicut subditur in Sacramento pœnitentiæ, in ordine ad quod oportet, quod det potestatem, & iurisdictionem supra se, & constituat se verum subditum alterius, cui debeat obedire.

Secundò obiici solet, quia Sacerdotes omnes ex 25.
vi suæ ordinattonis possunt absolnere à venialibus, & à peccatis mortalibus iã confessis, & in articulo mortis ab omnibus peccatis, absque vlla alia iurisdictione positiua, quam ab Ecclesia accipiant, sufficit enim non prohiberi positiue; ergo similiter possent absoluere ab aliis semper, nisi ab Ecclesia prohiberentur. Respondetur facilè negãdo, id prouenire ex mera ordinatione; prouenit enim potiùs ex potestate, quam ad eos casus, & ea peccata ab Ecclesia accipiunt; de quo inferiùs dicemus.

Tertiò obiicitur, quia si hanc potestatem accipit 26.
Sacerdos ab Ecclesia, posset dicere in absolutione, *ego auctoritate Pontificis absoluo te*, &c. Respondetur, si in bono sensu illa verba intelligerentur, non esset multum periculi in illis. Quia tamen videntur sonare auctoritatem causæ principalis, qualem non habet Papa, ideo à talibus verbis abstinendum est, vt monent Doctores communiter.

SECTIO III.

Quas personas, & quo tempore obliget præceptum diuinum Confessionis?

COnsequenter dubitatur circa hoc præceptum diuinum confessionis, quas personas obliget? Respondetur facilè, obligari omnes eos, qui post Baptismum mortaliter peccauerunt. Vnde ij, qui baptizati non sunt, non obligatur hoc præcepto, quidquid alij dicant, quos affert, & impugnat bene Suarez *disp. 35. sect. 2.* & Valquez *q. 90. artic. 2. dub. 1.* Nam quidquid sit de præcepto diuino Eucharistiæ, an obliget etiam non baptizatos, hoc tamen præceptum confessionis eos non obligat. Ratio autem discriminis est clara, quia homo non baptizatus potest facere, id quod requiritur ad sumẽdam Eucharistiam, scilicet, recipere Baptismum, & petere Eucharistiam; ergo potest obligari ad Baptismum, nõ solùm propter ipsum Baptismum, sed etiam propter Eucharistiã: At verò Sacramentum pœnitentiæ, nõ potest recipere, nisi peccet post Baptismum; homo autem non baptizatus, licèt baptizetur, non potest dare pro materia peccata commissa ante Baptismum, nec potest etiam obligari ad peccandum post Baptismum, vt recipiat Sacramentum pœnitentiæ; ergo non obligatur ad Baptismum propter obligationem confessionis; nullam enim talem obligationem habet pro illo statu.

Hinc oritur aliud dubium, an, & quomodo 27.
Apostoli obligati fuerint hoc præcepto, & an confessi fuerint, sicut fuerunt baptizati? Suppono autem primò, Apostolos fuisse baptizatos, vt docet S. Thomas *supra quæst. 39. art. 6. ad secundum*, &

& alij cum Aug *epist.*108.*ad Seleucium, & lib.*3.*de origine animæ* relato in c.*Quando* 147.& in c.*si eos* 148.de consecratione *dist.*4. qui idem Aug.docet baptizatos fuisse ante mortem Christi *in epistola ad Vincentium,& Victorem,*& Euthym. *Ioan.*3. ex antiquissimis Auctoribus contemporaneis Apostolorum ait, Christum immediatè baptizasse B.Virginem,& S.Petrum qui postea baptizauit alios Apostolos, de quo latè Turrecremata in dicto c.*Quando*, de consecratione *dist.*4.

28. Hoc supposito, certum est, B.Virginem, licèt esset baptizata;non debuisse confiteri,cùm non haberet peccata actualia,quæ sunt materia confessionis, certum etiam est, Apostolos ante resurrectionem Christi, non debuisse, nec potuisse confiteri, cùm nondum esset institutum hoc Sacramentum, quod *Ioan.*20. post Christi resurrectionem fuit institutum. Similiter post diem Pentecostes non habuerunt obligationem confitendi peccata eo tempore facta, cùm essent iam confirmati in gratia,& nō possent habere peccata mortalia, quæ sola sunt materia necessaria huius Sacramenti. Quia tamen adhuc habebant peccata venialia,quæ sunt materia sufficiens; poterant confiteri, & de facto absque dubio confitebantur. Ad hoc enim faciendum, hortabantur alios, vt Iacobus fortasse in illis verbis c.5.*Confitemini alterutrum peccata vestra,*& Ioan. 1.c.2.*Si confiteamur peccata nostra,*&c. Ergo debebant exemplo suo præcedere. Nec expediebat, vt gratiam illius Sacramenti negligerent, præsertim cùm celebraturi erant,vel sumpturi Eucharistiam.

29. Restat dubium de peccatis factis ante diem Pentecostes, an deberent, vel possent esse materia confessionis? Et quidem de peccatis factis ante Baptismum, certum est ex Trident. *sess.*14.*c.*2.non potuisse esse materiam, de peccatis verò post Baptismum factis, Paludan. *in* 4.*dicto* 17.*q.*2.*in fin.* ait,quod Apostoli,vel non peccauerunt mortaliter post Baptismum, vel passionem Christi, vel ipse Christus eos absoluit potestate excellentiæ, vel confessi sunt, licèt non legatur. Hoc tamen in communi, & non satis distinctè dicitur; Potest enim dubitari de peccatis post Baptismum factis: quæ quidem videntur iuxta regulam generalem esse materia huius Sacramenti, cùm sint peccata hominis baptizati, quæ in Conciliis assignantur indefinitè pro materia. Aliunde verò, videtur non fuisse talem obligationem, cùm non fuerit institutum Sacramentum Confessionis ante Christi resurrectionem, quomodo enim obligarentur ad confessionem, cùm nullus esset confessarius adhuc, nec potestas absoluendi.

De quibus peccatis debuerit confiteri

30. In hoc puncto videtur distinguendum. Si enim Ecclesia Christi,& lex noua incepit,(vt aliqui volunt) à puncto mortis Christi vel ab eius resurrectione;probabile est,peccata cōmissa ab eo puncto, fuisse materiam sufficientem, & necessariam (si essent mortalia) ad Confessionem Sacramentalem postea instituendam, atque adeo remitti debuisse priùs per contritionem cum voto implicito huius Sacramenti suscipiendi, quia iam erant commissa ab homine baptizato existente intrà Ecclesiam Christi, quæ iam inceperat, quare pertinebant ad iudices Ecclesiæ postea designandos. Dices, quando fiebant nondum erat institutum Sacramentum hoc:ergo non erat obligatio confitendi, quæ incepit cum institutione Sacramenti, ergo non fiebant cum illo onere. Respondetur,satis est,quod fierent à subdito Ecclesiæ, vt implicitè haberent illud onus; iam enim subdebatur omnibus legibus latis, & ferendis in Ecclesia.Nam sicut pertinet ad Principem, vel ad Pontificem de nouo creatum punire delinquentes etiam pro delictis factis sede vacāte, vel ante eorum electionem: iam enim fuerunt delicta commissa intra illam rempublicā: sic pertinebat ad Ecclesiæ Prælatos postea designandos cognoscere de peccatis cōmissis intra eandem Ecclesiam à subditis Ecclesiæ,licèt tempore sedis vacantis, (vt ita dicam)iam enim erant delicta commissa intrà illam communitatem, cuius Prælati ius habent cognoscendi etiam de delictis præteritis.

31. Si verò Ecclesia Christi, & lex noua non incepit vsque ad diem Pentecostes, vt alij volunt, & latè probant P. Suarez *de legibus l.*10.*c.*4. Consequenter dicendum videtur, peccata commissa ante illum diem non fuisse materiam necessariam Confessionis, quod idem dicendum erit à fortiori de peccatis commissis post Baptismum,sed ante mortem Christi. Ratio autem est, quia materia huius Sacramenti debent esse peccata commissa ab homine existēte iam intra Ecclesiam, quod probat Concil.Trident.*dicto c.*2. ex illa Pauli 1. ad Cor.1. *Quid enim mihi de eis, qui foris sunt, iudicare?* Dum enim homo non est intra Ecclesiam, delictum illius non pertinet ad iudices Ecclesiæ, in quorum territorio non deliquit. Cùm ergo ante mortem Christi nondum esset Ecclesia, & in illa sententia communi nondum esset etiam ante diem Pentecostes; non fiebant peccata illa intra Ecclesiam, & per consequens non pertinebant ad iudicium Ecclesiæ. Vnde consequenter videtur dicendum, quod neque erant materia sufficiens Sacramenti: nam in hoc Sacramento, loquendo de peccatis mortalibus non confessis, eadem videtur materia necessaria, & sufficiens quare sicut non erant materia necessaria eo quod non erant commissa intra Ecclesiam,sic propter eandem rationem non erant materia sufficiens.

32. Dices: erant peccata hominis baptizati, quod sufficit, vt sint materia confessionis. Respondetur de facto nunc id sufficere; quare omnia eiusmodi peccata fiunt intra Ecclesiam: tunc autem quando baptizabantur homines extra Ecclesiam, hoc est, ante erectionem, aut institutionem Ecclesiæ: non omnia peccata hominis baptizati poterant pertinere ad iudicium Ecclesiæ.Concilia autem loquuntur de Sacramento pœnitentiæ, & eius materia, provt nunc de facto est, non provt tunc fuisset. Sicut *sess.*13.*can.*3. definitur sub singulis speciebus esse in Sacramento Eucharistiæ totum Christum; quæ tamen definitio debet intelligi de Eucharistia, provt nunc de facto est, non provt erat in triduo mortis Christi; tunc enim sub singulis speciebus non fuisset totus Christus, licèt daretur verum Sacramentum Eucharistiæ.

33. Dices iterum:post institutionem Eucharistiæ factam in cœna poterant Apostoli illis diebus sumere Eucharistiam,& cum illa augmentum gratiæ ex opere operato;imò dicunt aliqui,quod de facto,dū erant in cœnaculo præstolantes aduentum Spiritus Sancti celebrabant,& sumebant augustissimum Sacramentum,vt vult Hesichius *lib* 2. *in Levit.c.*9.licèt nondū esset præceptum obligans ad eius sumptionem,cùm nondum cœpisset lex noua, quæ incepit in die Pentecostes;ergo similiter,licèt nondū obligaret præceptum confessionis posset tamen aliquis pro sua deuotione recipere illud Sacramēntum,& confiteri peccata,quæ tunc faciebat, vt acciperet gratiam Sacramentalem: nam sicut fuerat data potestas Apostolis ad Eucharistiam consecrandam per illa verba,*hoc facite*,&c.sic data fuerat potestas eidem ad remittenda peccata per illa verba, *quorum remiseritis peccata,remittuntur eis*,&c.

34. Respondeti tamen potest negando consequen-

tiam: quia quidquid sit de aliis Sacramentis, hoc tamen institutum fuit per modum indicij, vt docet Tridentinum, atque adeo non potest exerceri, aut ministrari, nisi à iudice, & superiore: quando ergo non erat Ecclesia, non poterant esse adhuc iudices, aut Prælati Ecclesiæ, per quos ministraretur, tanquam per Iudices ad hoc constituros: quare illo tempore intermedio Apostoli habebant quidem iam potestatem ordinis, qualem habet Sacerdos post suam ordinationem: deerant tamen illis subditi, in quos exercerent talem potestatem; quia nondum constituta Ecclesia, nondum fideles erant subditi Apostolorum. Sicuti si aliquis consecraretur Episcopus ad ciuitatem nondum conditam, sed quam iam Imperator condere vult: tunc haberet potestatem ordinis, & iurisdictionem etiam, quantum est ex se; non tamen haberet vsum illius, nullis existentibus subditis, nec ciuitate adhuc condita. Tales videntur fuisse Apostoli illis diebus; Episcopi scilicet, & Iudices pro Ecclesia, quam iam iam Christus condere, & vltimò stabilire volebat: nullum tamen iurisdictionis vsum habentes, donec reipsa Ecclesia conderetur.

35. *Quomodo obligeti præceptum diuinũ confitendi.*

Vltimò dubitari solet quo tempore obliget hoc præceptum diuinum confessionis ex vi præcepti diuini. Nam de Ecclesiastico postea dicendum erit. Non est autem sermo de præcepto habendi contritionem vel pœnitentiam de peccatis commissis, de quo diximus in tractatu de virtute pœnitentiæ, *disp. 7. sect. 11.* sed de præcepto peculiari confessionis Sacramentalis. De quo aliqui dixerunt obligare statim post peccatum mortale. Ita Guillelmus Parisiens. Angel. Alens. Raynerius, quos afferunt Suar. *disp. 35. sect. 3.* & Vasq. *q. 90. art. 3.* Bonauent. verò *in 4. dist. 7. art. 4. q. 2.* Religiosis saltem illam obligationem imponere.

36. Hæc tamen sententia communiter reiicitur à Theologis, quia nec præceptum quidem contritionis obligat statim post peccatum; ergo multò minùs præceptum confessionis, sine qua potest homo alia via iustificari. Et quidem stante decreto Concilij Lateran. in quo solùm præcipitur confessio annua, non videtur probabilis vllo modo illa sententia: nam exposuisset Ecclesia grauissimo periculo peccandi omnes fideles præcipiens illis confessionem annuam; si ipsi haberent obligationem sæpiùs confitendi: sicut si Episcopus aliquis conderet statutum, vt omnes audirent sacrum semel in mense; certè daret subditis occasionem cogitandi se liberos esse à frequentiori auditione sacri.

37. Aliis ergo sententiis omissis, dicẽdum est, secluso præcepto Ecclesiastico, obligare quidem præceptum confessionis in articulo mortis, quia si tunc non impletur, exponit se homo periculo claro non obseruandi illud præceptum. Vnde sub hoc casu comprehenditur ille, quando aliquis nunc habet copiam confessionis, quam postea non habebit per totam vitam. Est enim eadem ratio obligandi tunc ad confessionem, quidquid dicant aliqui, quorum sententiam probabilem dicit Ioan. de la Cruz *in direct. p. 2. de pœnit. q. 5. dub. 3.* Et idem est si aliquis habet peccata reseruata, à quibus adest nunc, qui eum absoluat, postea verò non habebit à quo possit absolui; nam præceptum confitendi ea peccata, obligat ad confessionem nunc faciendam.

38. *Ad quid teneatur Medicus.*

Occurrit verò hoc loco obligatio peculiaris quã Medici corporales habent admonendi ægrotum de imminente periculo mortis, vt satisfacere possit præcepto diuino cõfessionis: quæ Medicorum obligatio crescit ex Bulla Pij V. edita anno 1566. quæ incipit: *super gregem*, in qua præcipit, ne Medicus inuisat infirmum vltra tertium diem, nisi de eius confessione constet Medico per fidem Confessarij in scriptis, & addit, vt ante gradum Doctoratus peratur à Medicis iuramentum seruandi hanc constitutionem. Circa obligationem tamen huius Bullæ multa dicuntur à Doctoribus. Videantur Suar. *in præsenti disp. 35. sect. 2. n. 4.* Sanch. *in decalog. lib. 3. c. 16. n. 10. & seqq.* Nuñus *in addit. ad 1. p. tom. 1. q. 6. art. 5. difficult. 2.* Scortia *in Bulla Pontif. Epitome 89. Theorem. 215.* Grassius, Sylvius, & alij multi, quos affert Antonin. Diana *tom. 2. resol. moral. tract. 14. resol. 93.* Qui dicunt totam illam obligationem nõ procedere in morbo non periculoso, vel qui non timeatur posse fieri periculosus: satisfacere item Medicum, si per alios moneat infirmũ, & per alios etiam fide dignos reddatur certior de confessione facta: quod si infirmus confessionem recuset, non ideo deserendum; si Medici absentia graue nocumentum possit ei afferre; nec denique iuramentum à Medicis præstitum, vbi id iuramentum exigitur, aliter intelligi, nisi de obseruando illo decreto Pij V. eo modo, quo vsu receptum est. De quibus omnibus videri possunt Auctores prædicti.

Extra mortis verò articulum videtur satis iuxta intentionem Christi, & iuxta conditionem huius præcepti esse quod Ecclesia inuigilet, & obliget subditos, ne diu negligant, aut differant confessionem: cæterùm immediatè, & per se non videtur præceptum diuinum aliquo determinato tempore obligare, nisi radicaliter, quatenus voluit obligare pro tempore ab Ecclesia determinando. Nec mirũ, quia cùm alioqui præceptum sit præmittendi confessionem ad Eucharistiam sumendam: iam ex hoc capite obligantur fideles ad confessionem præcepto diuino, nec oportebat aliam obligationem seorsim adiungere in ordine ad confessionem. 39. *An obl. extra art. pericul.*

Dixi tamen, *per se*, quia per accidens aliqui sunt casus, in quibus secluso præcepto Ecclesiastico est obligatio confitendi. Primus est, quando sumenda est Eucharistia, vt constat ex Trident. *sess. 13. cap. 7.* quæ tamen obligatio non extenditur ad alia Sacramenta suscipienda, vel conferenda, sufficit enim contritio. Secundus est, quando confessio est medium necessarium moraliter ad superandam tentationem aliquam, quæ aliàs non superabitur. Tunc enim obligatio erit confitendi, sicut & ieiunandi, vel orandi positis eisdem circumstantiis. An verò ex hoc sequatur teneri de facto fideles ad sæpiùs confitendum per annum propter periculum morale, quod omnes habent peccandi mortaliter; si tanto tempore differant Confessionem? Dicemus *sectione sequenti*. 40.

Nunc addo aliquos velle, esse etiam obligationem confitendi propter periculum oblivionis, cùm aliquis, v. g. præuidet se obliturum fore peccatorum, si diu differat confessionem. Ioan. Medina, *Cod. de pœnitent. tract. 2. q. 14. § 2.* & Didac. Nuñus, quem affert Diana *2. tom. resol. moral. tr. 4. resol. 155.* Contrariam tamen sententiam communiter docent Theologi, quos congerit idem Diana ibi, & probatur; quia pauci sunt, qui non se exponant tali periculo, quoad aliqua peccata differendo confessionem vsque ad finem anni. Quare non videtur facilè illa obligatio admittenda: licèt omnibus consistenda sit frequentia confessionis. 41. *An peccata obliuionis.* 42. *Verum.*

Dices; qui postea carebit cõfessario, obligatur ad confitendum nunc, ne se exponat periculo non cõfitẽdi peccata sua: ergo qui postea non recordabitur peccatorum, debet nunc ea confiteri, ne reddatur impotens postea implendi præceptum confitendi sua peccata. Respondetur: in primis satisfacere illi obligationi scribendo nunc peccata, vt vitaret pericu

periculum oblivionis sequentis. Sed neque ad hoc tenetur, quia præceptum est solùm confitendi peccata, quæ tunc occurrunt memoriæ præmisso examine humano modo: non est autem humanus modus illa exquisita, & metaphysica diligentia observandi, & notandi omnia peccata, & circumstantias, provt successiuè fiunt, & scribendi eas, ne memoria decidant; sed potiùs esset grauissimũ onus, & inutile, imò noxius valdè laqueus conscientiæ superadditus; quare non debuit præceptum cum eo rigore imponi.

Restat dubium illud circa obligationem confitendi, quando confessio est necessaria moraliter ad vitandum nouum peccatum mortale, de quo nunc magis ex professo agendum est.

SECTIO IV.

Vtrum propter periculum reincidendi in noua peccata, obligentur de facto fideles ad confitendum frequentiùs, quàm semel in anno?

DIximus confessionem esse per accidens necessariam sub nouo peccato, quando alicui existimatur medium moraliter necessarium ad superandam aliquam tentationem, & vitandum aliquod peccatum mortale, quod absque hoc medio non vitabit. Quam doctrinam circa alia media per accidens necessaria tradunt communiter Theologi, Valentia 2.1.*disp.*1.*q.* 2.*punct.*5.*quæstiuncula* 2. Azor.*tomo* 1.*lib.*8 *cap.*7.*p.*6. Petrus de Ledesma 2. *tom. summæ, tract.* 1.*c.*8. Thom. Sanchez *in decalog. tom.*1 *lib.*2.*c.*1.*n.* 3.& *c.*35.*n.*9. Suar. *tom.* 2. *de Religione, lib* 1. *c.*30. *n.*17. & *tom.*3.*in tertiam partem, disp.*69.*sect.*3.§. *dico quarto*, & denique de confessione in particulari: idem docent, idem Suarez *in præsent. disp.*35.*sect.*3.*num.*10. Reginaldus *in praxi, tom.*1.*lib.*6.*sect.*2.*n.*29.& Filiucius *tract.*7.*num.*39. Ex qua doctrina videtur consequenter fieri de facto, licèt Ecclesia suo præcepto solùm obliget fideles ad confessionem annuam; obligari tamen ipsos per accidens ad sæpiùs in anno confitendum, eo quod experientia doceat hanc confessionis frequentiam esse medium moraliter necessarium ad superandas tentationes, & ad vitanda noua peccata mortalia; ij enim, qui per totum annum confessionem differunt, nunquam, aut ferè nunquam transigunt illud absque nouis aliis peccatis mortalibus, & è contra videmus eos, qui absque mortali peccato reperiuntur, frequentiùs confiteri, quàm semel in anno: ergo confessio frequentior est medium moraliter necessarium ad vitanda noua illa peccata omnibus Christianis communiter loquendo; atque adeo secluſa ignorantia inuincibili, peccabunt mortaliter, non vtendo hoc medio, quod tenentur assumere.

Hanc difficultatem sensit Caietanus *in summa verbo Confessio,*§.*quinta frequens*, vbi sic ait: *Non inuenio tamen præceptum de maiore frequentia, quàm semel in anno: si tamen potest dici frequentia. Et licèt præceptum per se non inueniatur; interroget tamen se quilibet Christianus, quantum detrimenti in anima patiatur ex tam rara confessione quod euitaret, si frequenter confiteretur; & inde percipiet, si per accidens, hoc est, propter tollendas occasiones oblivionum peccatorum, & firmitatum, seu consuetudinum in peccando debeat frequentiùs confiteri.* Postea eandem difficultatem sensit Petrus de Soto *de institutione Sacerdotum sect.*3. *de necessitate confessionis*, vbi sic ait: *Considerandum verò est, nõ deesse qui putent, teneri aliquẽ sæpius cõfiteri, quàm semel in anno, vel propter periculum oblivionis peccatorum, quia videlicet putat si in annum differat, oblivisci se posse peccati: similiter propter vitãda pericula aliorum peccatorum, cùm videlicet percipit, se non modicum adiuuari cõtra reciduum peccati ex frequentiori confessione, & contrà eius omissione grauari: hoc (inquit Caietanus) quilibet apud se iudicet: & hoc fortè intelligunt, qui dicunt, cum conscientia dictat, teneri ad frequentiorem confessionem. Nos quidem in his, sicut putamus, consultissimum esse exhortari omnes ad frequentiùs confitendum, si frequentius labuntur, & vt quilibet cum prudente & Deum timente spirituali suo iudice hoc statuat, vt scilicet ab eo accipiat, quam frequenter confiteri debeat, & quibus vti remediis: ita non putamus, in communi populo vltra esse aliquid imponẽdum. Qui bona fide semel in anno confitentur, sequentes magisterium Ecclesiæ, & nihil aliud cogitantes, non videmus, quare vrgendi nimium sint. Cæterum in priuatis confessionibus multò commodius id decernitur.* P. de Soto. Hæc Sotus ibi; ex quibus constat, hos duos Auctores inclinasse ad concedendam hanc obligationem per accidens in pluribus Christianis frequentandi cõfessionẽ, licèt eam publicè populo imponi non voluerint, sed in priuatis confessionibus de illa obligatione decerni. Postea verò P. Suar *in præsenti disputat.*35 *sect.*3.*n.*10. proposita obligatione per accidens confitendi, quando confessio dicatur medium moraliter necessarium hîc, & nunc ad vincendam talem tentationem, & vitandum tale peccatum graue in tali specie; postea *numero vndecimo*, sic ait: *Potest hoc intelligi in ordine ad peccatum in communi, vt v.g. aliquis, si confessionem multò tempore differat, licèt determinatè timeat, ne adulteretur, vel occidat hominem, vel quid simile; timet tamen, & moraliter certus est sæpius se peccaturum mortaliter in hoc, vel illa genere peccati disiunctim, cùm tamen, si frequentiùs confiteretur, moraliter sperat, posse se omnia, vel multa peccata vitare. Videtur ergo tunc saltem lex charitatis diuinæ obligare ad vtendum tali medio propter vitandum peccatum: imo ipsa lex virtutis pœnitentiæ videtur talem obligationem inducere; quia est quædam lex iustitiæ ad Deum; & lex iustitiæ obligat ad vitandam iniuriam, & consequenter ad vtendum medio existimato ad hunc finem necessario. Quod argumentum fateor esse difficile: sed tamen Auctores non imponunt hominibus hanc obligationem; nec ego etiam impono; quia esset res valdè onerosa, & scrupulosa: vix enim possent homines, qui per annum integrum confessionem differunt, à nouo peccato propter dilationem excusari, quia vix vllus est, qui moraliter possit vitare per totum annum omnia peccata mortalia, omittendo hoc Sacramentum.* Suarez. Hæc Suarez, qui ad argumentum contrarium respondet dupliciter. Primò, quòd *quando in communi loquimur de peccato: nulla* (inquit) *censetur moralis occasio, vel periculum morale alicuius peccati, & ideo non censetur tunc confessio medium ita necessarium, vt illius sit specialis obligatio. Secus verò est, quando de speciali peccato loquimur, quin tunc semper censetur homo positus in occasione, seu morali periculo peccandi.* Postea addit secundam solutionem, dicendo: *Etiamsi prior casus, ex hypothesi facta verus sit; ipsam tamẽ hypothesim moraliter loquendo, rarò posse accidere; quia vix potest cogitari occasio, in qua non possit superari tentatio, aut vitari nouum peccatum, nisi per medium confessionis.* Hanc Suarij doctrinam amplexus postea est Filiucius *loco citato n.*40. & Fagundez *in secundo Ecclesiæ præcepto lib.*1,*c.*1.*n.*16.

Denique

Denique modernus aliquis illius argumenti vi coactus, & confessionum experientiâ persuasus non dubitauit;eam obligationem asserere de facto per accidens inueniri ferè in omnibus, cùm compertissimum sit eos nunquam vitare noua peccata mortalia, si confessionem per annum integrum differre velint.

45. Dico primò:quod frequentia confessionis non sit medium necessarium ad peccatum mortale aliquod determinatum vitandum, sed ad peccatum mortale in communi vitandum, non obstat quominus esset obligatio confessionis frequentis. Hæc videtur esse contra Patrem Suarez in verbis citatis,cuius distinctionem de medio necessario ad vitandum peccatum in particulari, vel peccatum in communi, impugnaui *disputatione præcedenti sect. vltima*;vbi vidimus,non minùs obligari hominem ad impediendum peccatum mortale in communi, quando id certò scit sequi ex tali occasione determinata,quàm ad impediendum peccatum determinatum,nec vlla apparet ratio discriminis probabilis,vt ibi explicatum est.

46. *Non obligantur communiter fideles sub mortali ad confessionem frequentem propter periculum incidendi noua peccata.*

Dico tamen secundo:non obligantur communiter homines Christiani ad confessionem frequentem sub peccato mortali propter periculum illud incidendi in noua peccata,si diutiùs differant confessionem. Hæc videtur esse iuxta mentem communem Theologorum, qui hucusque talem obligationem non agnouerunt, nec pœnitentibus de illa scrupulum iniecerunt,nec in publicis concionibus proposuerunt populo tale præceptum;quod argumentum negatiuum cum tanta vniuersalitate videtur habere magnam vim; neque enim est credibile ignoratam fuisse per tot sæcula hanc obligationem, aut si agnoscebatur, fuisse neglectam à sanctissimis, & doctissimis viris, qui licèt ad frequentem confessionem hortati fuerint auditores suos;numquam tamen sub obligatione illam ipsis proposuerunt.

47. Secundò probari potest ex præcepto Ecclesiæ de confessione annua, quo licèt explicitè non auferatur obligatio ex præcepto diuino, vel naturali, si quæ est aliunde ad frequentiorem confessionem: valde tamen insinuatur, nullam esse talem obligationem. Si enim communiter tenerentur homines ad frequentiorem confessionem, superfluum esse præcipere illis confessionem annuam; sicut si Episcopus aliquis legem conderet in suo Episcopatu,vt omnes qui non essent legitimè excusati,ieiunarent semel saltem in singulis hebdomadis quadragesimæ:hæc certè lex non solùm esset inutilis; sed etiam nociua,& scandalosa; quia subditi crederent, se satisfacere suæ obligationi ieiunando semel in hebdomada. Similiter ergo nocuisset lex Ecclesiastica, quia fideles communiter credunt, se satisfacere suæ obligationi per confessionem annuam ab Ecclesia præceptam.

48. Confirmatur primò, quia Ecclesia non ignorat plures ex Christianis confiteri solùm semel anno; & tamen nunquam hunc abusum reprehendit, aut insinuauit esse peccatum graue, solum præcepit confessionem annuam; per quod ostendit, se non curare de frequentiori,tanquàm de re obligatoria.

Confirmatur Secundò, quia ipsa confessio annua non præcipitur ab Ecclesia,nisi iis, qui mortaliter peccauerunt,vt suppono; non aliis; ergo supponebat Ecclesia,hos ipsos,qui mortaliter peccant,non habere præceptum frequentius confitendi:si enim illud haberent, renouaretur ipsis in memoriam sua obligatio, & reprehenderentur, eo quod non nisi semel in anno confiteantur: quod tamen Ecclesia non facit, sed potius illum morem confitendi appellat,pium,& salutarem in dicta *sess. 14.c.5.in fine.*

Tertiò probari potest ratione,quia obligatio illa frequentis confessionis ad vitandum periculum peccati mortalis, vel esset obligatio confitendi venialia sola, antequam homo laberetur in mortale;vel esset obligatio confitendi peccatum mortale primum, antequam laberetur in secundum. Neutrum dicendum videtur; Ergo non est afferenda talis obligatio. Minor quoad priorem partem probatur; quia dicere, quod omnes Christiani communiter obligantur sub peccato mortali ad confitenda venialia propter vitandum periculum, quod alias omnes communiter habent incidendi in aliquod mortale,in primis nouum est,& contra omnium mentem, & contra communem doctrinam, quæ docet, solùm esse obligationem confitendi mortalia, quam doctrinam videtur vniuersaliter approbare Tridentinum *dicta sess.14.cap.5.* dum dicit, *Peccata venialia quamvis vtiliter in confessione dicantur, taceri tamen citra culpam posse.* Non ergo est talis obligatio communiter loquendo in Christianis. Deinde si obligarentur sub mortali ad confessionem venialium propter illud periculum, obligarentur etiam sub mortali ad dolendum efficaciter de venialibus,& ad propositum emendationis circa illa:Nam obligatio ad confessionem affert secum obligationem ad dolorem, & propositum, sine quo confessio esset sacrilega, quare fatendum esset, quod Christiani communiter loquendo propter periculum committendi peccati mortalis tenentur sub nouo peccato mortali ad dolendum de venialibus frequenter, & ad habendum serium,& efficax propositum frequenter de illis vitandis: quod tamen videtur esse durissimum, & contra omnium sensum; ac contra Theologos,qui docent, voluntatem committendi venialia multa, non esse mortalem, sed venialem quare multò minùs erit mortalis carentia propositi circa emendationem aliquorum venialium, quæ aliquis commisit post vltimam confessionem. Fateor quidem,curam,& diligentiam circa venialia vitanda esse medium vtilissimum ad vitanda mortalia;& è contra negligentiam, & notabilem contemptum circa venialia disponere sæpè ad lapsum aliquem grauem;*qui enim spernit modica,paulatim decidet.* Nemo tamen dicet,ex hoc capite esse obligationem sub peccato mortali ad vitanda venialia.

Petes,cur non sit talis obligatio,cùm sit obligatio sub mortali ad vitandum totum illud,cum quo habet connexionem moraliter certam peccatum mortale;si ergo talis sit connexio lapsus grauis cum negligentia notabili erga venialia,erit etiam obligatio sub mortali vitandi illam negligentiam.

Respondetur in primis, non quamcumque negligentiam circa venialia afferre secum illud periculum moraliter certũ lapsus grauis;sed quando est notabilis. Deinde nõ omne periculum morale lapsus grauis debet vitari sub mortali;sed tunc quando absque graui detrimento id fieri potest, vt diximus *disp præced. dicta sect.vltima*; vbi insinuauimus;non esse eodem modo loquendum de obligatione vitandi causam determinatam ad peccatum mortale indeterminatum, & in communi, ac de obligatione vitandi causam in communi ad peccatum mortale etiam determinatum. Nam diximus, esse obligationem,quando fieri potest,vitandi causam determinatam peccati in cõmuni,non verò eadem

eadem

eadem obligatio vitandi causam in communi, quia eo ipso, quod sit causa in communi, affert secum grauissimam difficultatem, ad hoc vt auferatur: scit homo v.g. se pro sua fragilitate ex aspectu fœminarum labi graviter: non tenetur tamen ad vitandas omnes fœminas, vt vitet hoc periculum quia non est vna causa, sed plures, quæ difficillimè possunt vitari. Scit etiam, se in sæculo facilè peccaturum hoc, vel illo genere peccati grauis, non tamen tenetur sub præcepto graui ingredi religionem, vt vitet illud periculum; quia hoc non tam est auferre vnam causam, quàm auferre plures, quorũ oblatio, & mutatio status difficillima est. Vnde licèt Sanctus Gregorius in *Epistola ad Mauritium Imperatorem* dixerit, multos esse, qui nisi fiant religiosi, salui esse non possunt, hoc est, sine magna difficultate, vt habetur *lib. 2. regist. epist. 62.* non tamen ideo quisquam eos ad religionis statum sub mortali obligabit: hic enim status continet multa, & difficillima. Sic ergo licèt vitatio venialium in genere esset medium necessarium ad vitandum periculum peccati mortalis; est tamen medium difficile satis, eo quod sit medium in communi, seu ablatio multarum causarum; media autem adeo difficilia non videntur ponenda sub mortali ad vitandum periculum mortalis.

51. Nunc iam probemus illam minorem supra positam quoad alteram partem; scilicet quod nec illa obligatio posset ita explicari, vt esset in ordine solùm ad confitenda mortalia, scilicet, ad confitendum primum mortale post vltimam confessionem antequam homo labatur in secundum, quia iam confessio frequens non obligaret, vt vitaretur peccatum; siquidem confessio illo modo obligans iã supponeret hominem peccare mortaliter intra annum, non ergo obtineretur finis intentus, scilicet, impedire periculum peccandi. Dices, impediretur saltem periculum frequentioris relapsus, si homo non expectat post primum relapsum, quod transeat totus annus, vt confiteatur.

51. Confessio frequens à medium ad vitandum peccatum.

Sed contra probatur quartò conclusio: quia confessio frequens post peccatum ideo potissimum vtilis est, & conducit ad impedienda alia peccata frequentia, quia nimirum qui confitetur, dolet efficaciter de peccato præterito, & proponit seriò, ac statuit firmiter apud se iterum non peccare; quod propositum, & quæ pœnitentia multum conducit ad non peccandum postea, quia non ita facilè amplectimur illud, quod paulò ante valde displicuit; & quod seriò, ac firmiter post maturam deliberationem statuimus non amplecti. Tota autem hæc vtilitas, & efficacia potest haberi sine confessione Sacramentali: si homo, scilicet post primum peccatum mortale ante secundum habeat contritionem, & dolebat efficaciter de suo peccato: imò etiamsi per attritionem id faciat, quamvis enim hæc sine Sacramento non sufficiat ad iustificationem, sufficit tamen ad coërcendum hominem, ne iterum labatur in alia peccata, cùm vera attritio includat propositum firmum non peccandi, quod quidem eiusdem ferè efficaciæ erit, ad vitandum periculum sequentis peccati: nam experientia, quæ ostendit, eos, qui differunt confessionem vsque ad finem anni, frequenter peccare mortaliter, ostendit etiam, eosdem non solùm omittere confessionem, sed etiam dolorem, & pœnitentiam internam vsque ad finem anni. Non ergo est medium vnicum, & necessarium confessio ad vitandum periculum illud, sed sufficit etiam pœnitentia interna, quæ semper includitur in ipso Sacramento confessionis; Imò si homo adhiberet alia media, orationis, scilicet, mea alis, mortificationis, lectionis librorum piorum, & alia similia, non minus fortasse impediretur à nouis peccatis per hæc media, quàm per confessionem solam absque iis mediis. Si quid ergo probat argumentum illud contrariæ sententiæ, non probat obligationem confessionis, sed obligationem pœnitentiæ internæ, & propositi, ratione quorum confessio habet potissimum illam vim ad impedienda noua peccata, imò nec probat obligationem ad hoc, sed ad hoc, vel ad alia media ex assignatis, indifferenter, & disiunctim, cùm singula possent conducere, si applicarentur.

53. Ad argumentum ergo initio propositum Respondeo negando in primis illam experientiam, quod, scilicet, dilatio confessionis afferat secum illud periculum: scimus enim, quam plures homines religiosos, & pios, qui per annum integrum, imò per multos annos apud infideles versantur euangelizantes, & prædicãtes, transigere totum illud tempus absque lapsu graui sine confessione; quia nimirum frequenter renouant propositum firmum non peccandi; sicut è contra videmus alios, qui frequenter confitentur, & passim relabuntur in peccata mortalia. Quod quidem plerumque oritur ex infirmitate, & fortasse ex defectu veri propositi non peccandi: quæ (ni fallor) est potissima causa, cur, qui semel solùm in anno confitentur, frequenter cadant in peccata grauia; quia, scilicet, ne tunc quidem, quando in fine anni confitentur, habent verum dolorem, & propositum firmum sed velleitatem, & propositum infirmum: si enim tunc firmiter proponerent, non ita facilè nec tam citò relaberentur. Veniunt autem tunc ad cõfessionem, coacti præcepto Ecclesiæ, & vt vitent excommunicationem, ac infamiam: si enim venirent nõ tam à temporis instantia, quàm à desiderio conuersionis adducti: conuerterentur firmiùs, & starent diutiùs: è contra verò ij qui frequenter per annum confitentur, quando id potissimum non faciunt coacti aliqua lege, vel consuetudine suorum sodalium, sed voluntariè & spontaneè, veniunt ex desiderio sui profectus spiritualis, & obtinendæ veniæ suorum peccatorum, quare non mirum, si in eorum conuersatione appareat maior correctio morum, & rarior lapsus, quia nimirum afferunt verum dolorem, & propositum firmum; cuius reuocatio, vt dixi, multum iuuat ad illum finem, & quod propositum si afferretur etiam æquè firmum ab iis, qui post annum confitentur, multum etiam impediret, ne tam facilè relaberentur.

54. Dices, ergo saltem erit obligatio sub mortali habendi pœnitentiam internam, & dolorem, ac propositum sæpius, quàm semel in anno, propter vitandum periculum illud peccandi mortaliter, quod habent, qui semel solum in anno agunt pœnitentiam. Respondetur, mihi probabilius esse, quod præceptum pœnitentiæ internæ non obligat solùm ad dolendum de peccato in articulo mortis, sed etiam ad dolendum antea. Nam licèt non obliget ad dolendum statim post peccatum, videtur tamen obligare ad non diu differendam conuersionem, & reconciliationem cum Deo; vt fatetur Suar. *tom 4. in 3. part disp. 15 sect 6. n. 18.* & probaui *supra disp. 7. sect. 11.* vbi de hoc puncto ex professo dictum est.

55. *Non est necesse interrogare pœnitentem de omissione confessionis intrà annum.*

Vnde dico tertiò: de hoc peccato omissionis pœnitentiæ internæ debitæ per totum annũ siue per se ex præcepto virtutis pœnitentiæ, vt dixi, siue per accidens ad vitandum periculum noui peccati, non oportet interrogare pœnitentem, nec eum etiam admonere in particulari. Hæc videtur esse maximè iuxta mentem Petri de Soto suprà adducti, qui non vult illam obligationem populo proponi; & eãm

eam probaui *dicta sect.* 11. loquendo de præcepto pœnitentiæ,& probari potest iterum de omissione per totum annum primò, exemplo præcepti diligendi Deum, de quo etiam non interrogantur pœnitentes in particulari an dilexerint Deum super omnia, nec ad monentur de obligatione illius præcepti aliquando implendi:tum quia ex ipso discursu confessionis satis apparet, quomodo se habeat pœnitens erga Deum:Tum etiam quia propter varietatem sententiarum nõ possumus imponere illi certam obligationem dilectionis Dei nitrà tale,vel tantum tempus,*&c.*

Probatur secundo:quia talis interrogatio,vel admonitio inutilis,imò noxia videretur.Nam vel pœnitens ignorat inuincibiliter illam obligationem, & tunc melius est relinquere illum in bona fide, quàm iniicere illi malã fidem;ex qua prudenter timeri potest scandalum ipsius;rarissimi enim erunt ex talibus peccatoribus, qui propter illam notitiã postea moueantur ad dolendum de peccatis, illud etiam adiicient omittendo pœnitentiam,quam deberent habere.Si autem pœnitens sciebat iam illam obligationem, frustra monebitur de illa.

56. Dices oportebit tamen interrogare de omissione contra illud debitum,quia si sciebat obligationem,vel culpabiliter ignorabat illam, omissio fuit peccatum, & per consequens explicanda in confessione.Sed contra,quia nec ex hoc capite oportet interrogare distinctè:nam licèt concederetur dari talem obligationem; Confessarius tamen audita confessione pœnitentis,& peccatis quæ per totum annum commisit sufficienter intelligit,ipsum non satisfecisse tali obligationi(si quæ erat)dolendi frequenter de peccatis, & proponendi firmiter pro tempore futuro:ex communi autem aliorum consuetudine potest iudicare, qualiter se habuerit hic homo in illa omissione: scilicet eo modo,quo alij se communiter habent, nempe absque reflexione circa talem obligationem de pœnitentia habenda frequenter, & cum negligentia, ac torpore circa media suæ salutis procuranda, quæ est conditio communis eiusmodi hominum, & ex eorum statu, ac confessione clarissimè patet absque alia interrogatione.Frustra ergo magis distinctè interrogaretur, vel admoneretur præsertim in tali materia, circa quam, nec ipse confessarius posset aliquid certum statuere circa taxandam obligationem pro tempore sequenti. Nam (vt supra insinuaui) vel pœnitens tempore confessionis annuæ habet verum dolorem, & propositum, vel non habet. Si habet ergo si post hoc propositum firmum postea relabitur,non magis poterit sperari, quod post secundum propositum,& dolorem,postea non relabitur.Si verò tunc non habet verum dolorem, & propositum, iam lapsus sequens non orietur ex omissione frequentis doloris, & propositi, sed ex omissione doloris,& propositi debiti in confessione annua,qui defectus(vt dixi)in eiusmodi personis frequentissimus est.

57. Denique addo, si aliquis specialiter magis iuuaretur frequenti confessione, quam frequenti pœnitentia interna,& proposito non peccandi, itavt in hoc homine experientia doceret, ipsum non nisi hoc medio confessionis frequentis, posse vitare illud certũ periculũ reincidentiæ,tunc posse in illo admitti talẽ obligationẽ per accidens ad frequentẽ confessionẽ.Cæterùm hic casus neq; est communis,nec debent confessarij de illo specialiter inquirere;semper tamen oportebit omnibus, quantum fieri possit consulere confessionẽ frequentem propter ingentem vtilitatem quam affert,& aliquando etiam debet in pœnitentiam imponi,tanquã medicina vtilissima pro peccatis sequentibus vitandis.

Ex dictis tamen obiter infero totam hanc obligationem,quæcumq; illa sit,circa frequẽtiã pœnitentiæ,nõ esse nouam in lege noua,sed eandẽ fuisse ante institutionem huius Sacramenti:nã siue loquamur de obligatione per se propter præceptum pœnitentiæ;siue de obligatione per accidens propter vitandum periculum peccatorum sequentium; Tunc etiam homo debebat non differre post peccatum mortale pœnitentiam,& petitionem veniæ, ac reconciliationem cum Deo vsque ad finẽ vitæ, sicut debebat etiam post peccatum mortale redintegrare aliquando tempore opportuno amicitiam cum Deo per actum dilectionis Dei super omnia. Debebat etiam renouare aliquando propositũ firmum non peccandi mortaliter, vt hac ratione armaret se,& vitaret periculũ certum moraliter peccandi alioquin grauiter cõtra legẽ Dei.Quod ergo additũ fuerit Sacramentũ pœnitẽtiæ,nõ auxit,nec induxit obligationẽ,quoad hoc,sed dedit medium facilius redeundi in amicitiam,& gratiam Dei.

SECTIO V.

Vtrùm ex diuino præcepto obligetur pœnitens ad confitendum per interpretem,aut scripto. Et vtrum id fieri possit?

DVas partes continet hoc dubium:An possit & an sit aliquãdo obligatio id faciendi.Suppono autem primò,non esse nunc quæstionem,an possit fieri confessio absente confessario,sed an eo præsente,possit per interpretẽ,aut scripturam fieri.

Suppono secundò contra hæreticos nostri temporis,non esse necessarium,quod confessio publicè fiat,sed posse esse secretam, & auricularem prout definitur in Concil.Trid.*sess.* 14 *c.* 5.& ex Patribus probat Suar.*disp.* 21 *sect.* 2.Suppono tertiò,non esse contra institutionem aut valorem Sacramenti, quod confessio publicè fiat:quod contra Scotum, Grabielẽ, Angelum,& alios docent omnes Theologi quos referunt, & sequuntur Suar.loco citato, & Vasq.*q.* 91.*art.* 4.*dub.* 1. & probatur ex Trid. *ibi c.* 5. vbi apertè dicitur,non esse à Christo prohibitum illum modum publicè confitendi, & constat ex vsu,quando enim in naufragio,vel incendio nõ potest aliquis secretò confiteri,publicè fatetur sua peccata, & absolutionem petit. Ratio autem est, quia ad necessitatem,& valorem Sacramenti solùm requiritur,quod peccata manifestentur Sacerdoti, vt iudici: quod autem hoc, vel illo modo id fiat, parum refert.

Prima ergo difficultas est,an possit fieri confessio per interpretem In quo omnes absque controuersia conueniunt,fieri posse: & vsus fidelium id probat,& ratio est,quia eo modo iã pœnitens manifestat sua peccata Sacerdoti;quantũ sufficit:quod à fortiori constat ex Sacramento matrimonij;quod omnes concedunt posse celebrari per interpretem coram Parocho,& testibus.vt cum aliis,quos congerit,tradit Thom.Sanch.*lib.* 3.*de matrim disp.* 19.& licèt ipse id probet à fortiori ex Sacramento pœnitentiæ,in quo magis desideratur,quod confessarius habeat notitiam peccatorum; & tamen sufficit notitia, quam habet per interpretem; Vnde à fortiori sufficiet, quod Parochus per interpretem habeat notitiam consensus,quẽ præstãt coniuges. Ego tamen existimo,maiorẽ notitiã requiri in Parocho,vt validè assistat matrimonio, quã in Con-

fessario, vt absolvat: quia in matrimonio ideo requiritur præsentia Parochi, & testium, vt possit legitimè Ecclesiæ de matrimonio celebrato, si fortè coniux postea id negaret; vel vt coniuges id possint apud Ecclesiam probare: ad hoc autem posset apparere in sufficiens consensus præstitus per interpretem: quia Parochus non potest testificari de consensu, cùm ipse non intelligat idioma contrahentiũ, sed solùm posset dicere, interpretem dixisse, illos consentire: Vnde si coniuges negarent postea consensum, & dicerent, interpretem fuisse mentitum; non posset aliquid plenè contra ipsos probari, cùm totum reduci deberet ad testimonium vnius interpretis. Si ergo conceditur sufficiens illa notitia per interpretem data, vt Parochus validè assistat faciliùs concedi debet sufficiens similis notitia ad confessionem sacramentalem, in qua non requiritur notitia, qua postea possit apud Ecclesiam probari illud peccatum, vel eius confessio, sed qua Confessarius in foro interno possit pœnitenti contra se loquenti credere; ad quod sufficit modus ille loquendi per interpretem, sicut in aliis rebus, & negotiis humanis.

61. *An debeat fieri per interpretem.* Secunda ergo & maior est difficultas, an debeat pœnitens ita confiteri per interpretem, quando alio modo non potest. Prima sententia communis negat, obligationem esse ex præcepto Ecclesiastico aut diuino ad confitendum eo modo: ita Caietan. Ledesma, vterque Soto, Medina, Ioan. Maior, Palud quos refert, & sequitur Suarez *disp. 36. n. 6.* Vasquez *q. 91. art. 4. dub. 3.* & alij recentiores, quos refert, & sequitur Antoninus Diana *tom. 2. resolut. moral. tract. 3. resol. 129.* addunt aliqui licèt non sit ea obligatio ex præcepto diuino confessionis, posse aliquando esse ex præcepto naturali pœnitẽtiæ, vel charitatis erga se, & curæ de salute propria; quando scilicet in mortis articulo homo non esset securus de habenda contritione, qua posset extra Sacramentum iustificari. Ita Suarez, *vbi suprà n. 5.* Vasquez etiam *n. 5.* Diana & alij.

61. Hæc sententia propter auctoritatem saltem communẽ probabilissima est: in ea tamen aliqua oportet aduertere. Primum, prædictos Auctores non satis vel clarè, vel consequenter loqui, dum dicunt, ex obligatione charitatis teneri hominem ad confessionem per interpretem in mortis articulo, quãdo probabiliter timet, vel dubitat de sua contritione, secus si probabiliter existimat se habere contritionem: quem modum loquendi Diana loco citato accepit ex Suarez *dicta sect. 6. n. 5.* Sed vterque vt dixi, vel obscurè, vel minùs consequenter loquitur: si enim aliquis probabilem solum existimationem habet de sua contritione; ergo probabiliter potest de illa timere, ergo non excusabitur à confessione facienda per interpretem. Ratio enim, propter quam debet per se in articulo mortis ita confiteri, ea est, ne exponat periculo suam salutem, si fortè non habeat contritionem: eadem autem ratio vrget, quando probabiliter existimat se esse cõtritum: potest enim decipi, nec sufficit iudicium probabile ad iustificationem obtinendam; quia si re vera non habet contritionem, non iustificabitur per solam contritionem existimatam extra Sacramentum, sicut nec per Baptismum solum existimatum etiam cum attritione vera. Obligabit ergo lex charitatis, & cura propriæ salutis ad confessionem, per quam securiùs iustificetur, quoties in articulo mortis solùm probabilem existimationem habet de sua contritione.

63. Secundò aduerto, in ea sententia, licèt quis dubitet de sua contritione, & ideo debeat confiteri per interpretem in mortis articulo propter obligationem procurandæ suæ salutis; non tamen obligari ad confitenda tunc omnia peccata mortalia, sed satis esse, si vnum, vel alterum confiteatur, & accuset se in genere de aliis mortalibus; Ita Suar. *n. 5.* Fagundez, Nugnus, & Layman, quos refert, & sequitur Diana loco citato: quia non obligat præceptum confessionis ad integritatem materialem, quando aliquod peccatum non potest sine periculo infamiæ explicari, provt necesse est, tunc infamare se apud interpretem. Ad iustificationem autẽ sufficit confessio formaliter integra cum attritione, per quam cætera peccata indirectè remittuntur. Imò addit Coninch *in præsenti 5. dub. 10 num. 77.* sufficere tunc confiteri aliqua peccata venialia, & accusare se in genere de aliis mortalibus: quod sequitur Molfesius apud Dianam, qui hoc etiam probabile indicat: & quidem consequenter ita dicendum est.

64. Tertiò à fortiori in eâdem sententia dicendum est, eum, qui post vltimam confessionem recordatur alicuius peccati mortalis, cuius in confessione fuit oblitus, & à quo indirectè fuit absolutus, & cuius dolorem generalem habuit, non debere etiã in articulo mortis illud confiteri per interpretem, nec debere simpliciter confiteri, si non est sibi conscius noui peccati mortalis post vltimam confessionem: quia nec ad reconciliationem cum Deo, cum iam per confessionem vltimam fuerit reconciliatus; nec ad satisfaciendum præcepto confessionis id requiritur, cùm hoc præceptum non obliget ad confessionem per interpretem. Ita Vasquez *loco citato numero 6.* quod in ea sententia verissimum est.

65. Cæterùm, licèt ea sententia, vt dixi probabilissima sit; eius tamen fundamentum (vt verum fatear) me non conuincit. Supponit enim ex confessione per interpretem tale detrimentum resultare, quod à præcepto confessionis sufficienter excuset etiam in mortis articulo; quod quidem mihi difficile satis apparet. Vnde alij meritò videntur distinguere inter præceptum Ecclesiæ, & diuinum: fatentur itaque illo priori non obligari nos ad talem confessionem, secùs isto posteriori. Ita Sylvester, Cano, & alij apud Suar. *n. 2.* & quidem, quod præceptũ Ecclesiæ non obliget constat ex *c. Omnis vtriusque sexus*, de pœnit. & remiss. vbi expressis verbis præceptum confessionis annuæ imponitur, vt omnis fidelis *teneatur solus confiteri sua peccata proprio Sacerdoti*, &c. vbi particula, *solus*, excludit apertè obligationem confitendi coram alio. Vnde non video, quomodo Vasquez vbi supra *num. 3.* dicat ex illo textu nihil colligi, quia in eo solùm dicitur, quod confessio fiat proprio Sacerdoti, de modo verò, an per se, vel per alium pœnitens confiteri debeat, nihil dici. Et quidem si textus haberet illa sola verba, sub quibus illum P. Vasquez refert, verum diceret: omisit tamen minùs cautè inter illud referendum particulam, *solus*: quam tamen Cõcilium non casu, sed ex industria apposuerat, & ex qua clarè constat, noluisse Ecclesiam præcepto annuæ confessionis obligare illum qui non omnino solus, sed coram alio posset confiteri.

66. Loquendo verò de præcepto diuino, licèt hoc non obliget ad confitendum peccatum cum graui detrimento extrinseco, vt tradũt cõmuniter Theologi: non tamen apparet, eiusmodi detrimentum sequi ex confessione facta per interpretem fidelem & prudentem, cui nec minùs quàm ipsi cõfessario fidere possit pœnitens. Suppono enim, interpretẽ etiam obligatum manere secreto, atque adeo totũ detrimentum esse, quod peccata, quæ aliàs nota esse deberent vni, manifestentur duobus. Hoc autẽ

non esse tanti ponderis, vt excuset ab obligatione diuini præcepti probari potest ex aliis casibus, in quibus non obstante eiusmodi detrimento, obligat confessionis præceptum.

Primò, qui habet aliquod peccatum reseruatum, & scit, quod Prælatus dabit ei facilè licentiam confitendi inferiori, non potest eiusmodi licentiam petere, quin peccatum suum innotescat duobus scilicet, Prælato & confessario inferiori: & tamen nemo excusabit illum ea de causa à præcepto confessionis præsertim in mortis articulo.

67. Nec dicas, quod poterit petere licentiam per Confessarium absque eo, quod superior veniat in cognitionem personæ pœnitentis: hoc enim est per accidens: Et confessarius non obligatur ad subeundum illud onus, & petendam licentiam, sed per se loquendo totum hoc pertinet ad ipsum pœnitentem. Nec item dicas, non cogi tunc pœnitentē ad manifestandum peccatum duobus, quia posset confiteri soli superiori, & ab eo obtinere absolutionem: Fateor enim, id ita esse posse aliquando, sæpè tamen fieri non potest, quia Prælati propter suas occupationes non possunt audire confessiones integras eorum, qui habent casus reseruatos: & tamen tunc cogitur pœnitens duobus manifestare suum peccatum sub eodem sigillo confessionis, nec de hoc potest rationabiliter pœnitens conqueri, vt fatetur ipse Vasquez *q. 91. art. 3. dub. 10. n. 6.* Nec ea de causa excusatur à præcepto diuino confessionis, nisi aliud detrimentum sibi timeat ex eo quod suum peccatum superiori innotescat.

68. Secundò, quia sæpè habens peccatum reseruatum potest in casibus sibi permissis absolui directè ab inferiori, cum onere tamen comparendi postea coram superiore; hic inquam non potest confiteri suum peccatum inferiori hîc, & nunc, quin cogatur illud duobus manifestare, cùm maneat obligatus ad manifestādum idem peccatum postea superiori: & tamen non propterea excusatur à præcepto diuino confitendi: si v.g. debeat celebrare aut accipere Eucharistiam, & possit ab inferiori directè absolui, nemo dicet, posse eum absque confessione accedere ad Eucharistiam præmissa contritione, prout potest, quando non habet copiam confessarij, sed omnes supponunt, tunc esse copiam confessarij atque ideo obligari præcepto diuino confitendi ante communionem. Quod à fortiori procedit in mortis articulo, in quo omnes Sacerdotes possunt absoluere ab omnibus peccatis reseruatis etiam summo Pontifici, sed cum onere comparendi postea: nemo autem dicet, moribundum excusari tunc à præcepto diuino confessionis propter illud onus, quod subit manifestandi duobus idem peccatum.

69. Nec satisfacit, si dicas obligationem illam non esse tunc propter absolutionem à peccato, sed propter absolutionem à censura, quæ cùm sit ex institutione Ecclesiæ, potuit eadem Ecclesia nolle concedere absolutionem, nisi cum illa limitatione, & reincidentia, nisi compareat. Hoc, inquam, non satisfacit: quia vndecumque proueniat illa obligatio, certum tamen est, non posse hîc, & nunc pœnitentem confiteri suum peccatum inferiori, quin eo ipso cogatur manifestare illud duobus; & tamē hoc detrimento non obstante, præceptum diuinū confessionis obligat ad confitendum hîc, & nunc peccatum, & ad contemnendū illud incommodū, ergo similiter, licèt hîc, & nunc propter ignorantiam Confessarij, qui non intelligit idioma pœnitentis, non possit manifestari peccatum, quin manifestetur duobus nempe Confessario, & interpreti; non tamen propterea excusabitur pœnitens à præcepto diuino confessionis faciendæ in mortis articulo, nisi aliud grauius detrimentum timeatur.

Tertiò, & à priori ratio esse videtur, quia illud 70.
incommodum notitiæ dandæ duobus, vel non est graue simpliciter, vt volunt multi, qui dicunt, non esse peccatum mortale reuelare crimen proximi occultum vni viro prudenti, qui illud non est reuelaturus, nisi sit specialis ratio occultandi apud illum: quod magis procedit in casu nostro, cùm notitia, quæ datur interpreti detur sub tali sigillo, vt si ille prudens sit, vt supponimus, certissimum sit, quod apud ipsum solum manebit. Vel certè sit graue incommodum; non est tamen tantum, vt propter illud excusemur omnino ab obligatione præcepti diuini de confessione facienda saltem in mortis articulo, vt constat ex exemplis adductis. Hoc enim præceptum, licèt non obliget cum grauissimo detrimento, & incommodo extrinseco; obligat tamen aliquando cum incommodo tali, quod quidem aliàs sufficeret differendam confessionem: sed non sufficit omittendam omnino illam. v.g. Si Confessarius absens sit per sex milliaria, poterit Sacerdos vrgēte necessitate celebrare saltem semel absque confessione, quia illud incommodum itineris, vel accersendi confessarium excusat à præcepto diuino præmittendi confessionem ante communionem, vt dixi *disput. 14. de Eucharistia sect. 5.* & tamen illud incommodum 73.
non excusaret à confessione facienda in mortis articulo, sed deberet infirmus accersere confessarium, vt satisfaceret præcepto: minus enim sufficit ad licitè differendum, quam ad simpliciter omittendum quod præcipitur.

Similiter ergo de incommodo confitendi per interpretem dicere possumus, esse quidem aliquod incommodum, & ratione illius excusari fortasse Sacerdotem, vel laïcum vrgente necessitate communicantem semel, aut iterum non præmissa confessione, quando non potest nisi per interpretem confiteri: non tamen sufficeret illud solum incōmodum ad omittendam confessionem in mortis articulo. Grauius enim incommodum æstimatur plerumque sex milliaria conficere, aut vocare Sacerdotem per sex milliaria distantem, quàm confiteri bis, seu apud duos idem peccatum: hoc enim posterius passim, & absque difficultate faciunt plures, qui sæpissimè se accusant de aliquo peccato mortali olim à se commisso, vt dent materiam certam absolutioni: non est ergo adeo graue hoc onus dandi notitiam eiusdem peccati duobus, vt ratione illius excusetur homo à confessione facienda in mortis articulo. 74.

Dicet aliquis, argumenta à nobis supra adducta 71.
probare non solùm in mortis articulo, sed etiam quoties obligat præceptum diuinum, confessionem faciendam esse per interpretem, quia etiam extra mortis articulum debet pœnitens confiteri ante communionem, licèt propter casum reseruatum, quem habet necesse sit dare notitiam sui peccati duobus scilicet superiori, & inferiori, cui ille dabit facultatem, quia per se ipsum non potest audire totam confessionem. Si enim adsit superior, qui facilè facultatem dabit, nemo dicet, quod possit subditus accedere ad Eucharistiam absque confessione, quando nullum aliud malum sibi timet, nisi quod superior, & alius Confessarius habebunt sub sigillo idem peccatum: eodem ergo modo deberet dici, quod non possit absque confessione communicare, qui potest per interpretem confiteri, & nihil aliud mali sibi timet, præter hoc, quod est manere notitiam sui peccati sub sigillo penes confessarium, & interpretem. 75.

Respondē

Respondetur, exemplum illud habentis peccatũ reseruatum non afferri à nobis, vt omnino simile; sed solùm ad probandum: quod manere notitiã peccati sub secreto penes duos, non sit detrimentum adeo graue, vt propter illud omnino excusetur homo à præcepto diuino confessionis: non tamen negò posse differri, faciliùs confessionem propter incommodum adhibendi interpretem, quàm propter incommodum manifestandi idem peccatum superiori, & inferiori: quia licèt vtrumque sit æquale incommodum; illud tamẽ priùs videtur esse magis extrinsecum confessioni, quàm hoc posterius: nam interpres videtur se habere solùm vt medium ad confessionem, seu ad manifestandum peccatum Confessario: difficultas autem quæ prouenit à medio, est magis intrinseca, & faciliùs excusat, vt constat in difficultate itineris ad inueniendum, vel accersendum confessarium: at verò in posteriori casu difficultas est magis intrinseca, & quę tota nascitur ex confessione ipsa; nam tota illa manifestatio est confessio, quæ fit vtrique tam superiori, quàm inferiori, licèt per accidens non possit compleri apud superiorem. Cæterùm licèt difficultas adhibendi interpretem sit magis extrinseca, & ideo faciliùs sufficiat ad differendam confessionem: non tamen sufficit ad omittendam simpliciter in articulo mortis, sicut nec difficultas extrinseca itineris breuis peragendi ad habendum Confessarium.

73. Obiiciunt nobis Trid. *sect. 14. c. 3.* vbi dicitur, non esse obligationem ex præcepto diuino ad publicam confessionem, licèt vtilis sit, & meritoria; ergo ex præcepto diuino non obligamur ad confitendum alio audiente præter confessarium. Respõdetur, Concilium solum loqui de confessione secreta, provt condistinguitur à publica: qualis certè non est, quæ fit per interpretem: neque enim est publicum, quod per interpretem fidelissimum, & stricto præcepto obstrictum dico confessario, sicut neque est publica confessio, qua idem peccatum reseruatum manifestatur superiori, & inferiori.

74. Obiicit secundò P. Coninch. *disp. 5. dub. 10. n. 77.* quia si scirem quod confessarius, vel vni esset peccatum meum reuelaturus non tenerer ei confiteri: ergo nec teneor, quando alius præter ipsum confessarium debet meum peccatum audire. Respondetur, hoc idem argumentum probaret quod nec teneor peccatum reseruatum confiteri, itavt veniat in notitiam superioris, & inferioris: quia si scirem, quod Confessarius illud esset reuelaturus superiori, non tenerer illud confiteri; ergo nec teneor, quando necesse est vt veniat etiam in notitiam superioris. In vtroque ergo casu negandum est, excusari pœnitentem in articulo mortis propter illud solum periculum, si nullum aliud malum timeatur nisi mera notitia peccati manens in vno alio, qui eiusmodi notitiã in nullius præiudicium possit vti: non est enim illud damnum ita graue, vt alia, quæ propter præceptum confessionis debemus subire, vt vidimus.

75. Ex dictis infero, ad satisfaciendum præcepto confessionis annuæ non obligari pœnitentem, vt confiteatur per interpretem, quia hæc obligatio solùm est ex præcepto Christi, provt à Christo latum est. non provt ab Ecclesia habet determinationem ad tempus. Hoc est contra P Vasquez *dicto dub. 3. n. 9.* vbi contra Syluestrum dicit, si talis obligatio esset, non minus fore ad confessionem annuam, quàm ad confessionem in mortis articulo, quia præceptum confessionis annuæ non est humanum tantùm, sed modificans ius diuinum. Ergo si ius diuinum obligaret etiam & ius positiuum; quod illud modificatur. Cæterùm non aduertit P. Vasq. ad verba quibus Ecclesia imposuit illam obligationem, scilicet, vt pœnitens deberet singulis annis, *solus*, proprio Sacerdoti confiteri. Non potuit ergo Ecclesia velle, quod ius diuinum obligaret, quando pœnitens non potest solus confiteri, sed coram alio, cùm expressè excluserit à sua obligatione, vel modificatione casum illum.

Tertia difficultas est, vtrùm confessio fieri possit scripto, an verò debeat fieri per voces humanas. Sermo autem est semper de pœnitẽte, qui confitetur Sacerdoti præsenti, an possit ei sua peccata legenda tradere: & idem ferè est de nutibus, an possit pœnitens illis sua peccata manifestare. Potest autem quæstio esse, vel de necessitate Sacramenti: hoc est, an ad Sacramenti valorem sufficeret ille modus satisfactionis: vel etiam de necessitate præcepti; hoc est, an ex præcepto aliquo teneatur pœnitens propria voce confiteri. 75. *Confessio an fieri possit scripturâ vel nutibus;*

Omnes conueniunt, quod quando aliter non potest se explicare pœnitens, possit nutibus, vel scripto confiteri: quod fidelium vsus comprobat, in multis, & infirmis non valentibus aliter confiteri. Quando verò pœnitens posset voce loqui iudicãt non fore validum Sacramentum, si aliter confiteatur. Ita Richard. Palud. & Soto apud Vasq. *in præsenti q. 91. art. 4. dub 4. n. 1.* Communis tamen sentẽtia Theologorum, cum S Th. *in 4. dist. 17. q. 3. art. 4. quæstiuncula 2. ad 2. & quodlibeto 1. art. 10.* negat, id esse de necessitate Sacramenti: Christus enim solũ præcepit confessionem, qua pœnitens manifestet sua peccata confessario, quod quidem sufficienter fieri potest per nutus, vel scripturam. Ita Suar. *disp. 21. sect. 3.* & Valq. *vbi supra*, qui alios Auctores cõgerunt. Nec contra hoc est difficultas alicuius ponderis: solùm posset mouere Concilium Florentinũ in decreto Eugenij, vbi dicitur, materiam huius Sacramenti esse *oris confessionem*: Ibi tamen largiùs accipitur illud nomen, sicut paulò superiùs dictum etiam fuerat omnia Sacramenta nouæ legis cõstare verbis, tanquam forma; quod intelligi debet de verbis largiùs acceptis: cùm matrimoniũ possit fieri absque vocibus, aut verbis strictis. Sic etiam requiritur in Sacramento pœnitẽtiæ *oris confessio* largiùs accepto, provt explicatur statim ab eodem Eugenio subiungit enim, statim declarans, quid intelligat illo nomine: *Ad quam pertinet, vt peccator omnia peccata, quorum memoriam habet, suo Sacerdoti confiteatur integraliter.* Id ergo quod sufficit, vt homo, sua peccata Sacerdoti manifestet, intelligitur per oris confessionem. Vnde in Trid. *sess. 14. c. 3.* inter partes huius Sacramenti non assignatur *oris confessio*, sed *confessio*, simpliciter, vt omnis confessio comprehendi etur. 77. Con. Flor.

Difficultas ergo est, an saltem ex præcepto requiratur, quod confessio per voces fiat, cum posteà. Et quidem certum etiam est, non dari tale præceptum diuinum, neque etiam humanum scriptum cùm nullibi reperiatur. Afferri solet August. *tom. 4. lib. de vera, & falsa pœnitentia c. 10.* vbi eam necessitatem videtur probare ex facto Christi, qui præcepit leprosis, vt irent, & manifestarent ora sua sacerdotibus non per nuntium, aut scripturam. Cæterùm ille liber non est Augustini cùm *cap. 17.* Auctor illius citet sententiam Augustini ex eius *homilia 41. inter 50.* Neque etiam ibi excluditur confessio per scripturam Sacerdoti præsenti oblatam, sed absenti missam. Verba sunt hæc: *Præcepit enim Dominus mundatis, vt ostenderent ora Sacerdotibus: docens, corporali præsentia confitenda peccata, non per nuntium, non per scriptum manifestanda. Dixit enim, ora monstrate, & omnes non vnus pro omnibus Non alium Statuatis nuntium, qui pro vobis offerat* 78. *An liceat non confiteri.* Aug.

offerat munus à Moyse statutum, &c. Solũ ergo præcipit: *Monstrate ora*; hoc est: facies per præsentiam corporalem, non omisso nuntio, vel Scriptura.

79. Communis sententia dicit obligationem esse confitendi per voces, cùm fieri potest, propter Ecclesiæ consuetudinem, quæ obligare videtur, ita Suarez *disp.* 21 *sect.* 3. & Vasq. *dicto dub.* 4. *n.* 7. cum aliis, qui dicunt, illam obligationem grauem esse ex suo genere, in aliquibus tamen circumstantiis posse excusari pœnitentem, vt si propter verecundiam difficultatem magnam habeat ore proferendi peccata sua.

80. *Licet, si post lectam à Sacerdote Scripturam, dicat Pœnitens: De his omnibus me accuso.*

In hoc puncto ego in primis existimo, sufficienter satisfacere debito suo pœnitentem, qui data priùs scriptura Sacerdoti, quam legat, in qua continentur peccata, post illam lectam, subiungit per voces; *de his omnibus me accuso*; quia iam ore confitetur, quantum satis est: neque enim necessarium videtur, quod per voces intra Sacramentum explicet omnino peccatum; sicut si Sacerdos nullam aliunde peccati notitiam haberet: satis est, si explicet peccatum, referendo illam accusationem ad notitiam, quam aliunde confessarius habet. In quo sanè non video, quàm consequenter loquatur P. Vasquez: ipse enim *n.* 6. videtur supponere, posse aliquem vno verbo confiteri peccatum, cui confessarius præsens fuit, dicendo, accuso me de illo peccato heri commisso, vt tu benè nosti: quod quidem non solùm debet intelligi quoad valorem Sacramenti, sed etiam quoad obligationem explicandi peccatum, vt fatentur communiter Doctores teste Suar *disp.* 22 *sect.* 6. *n.* 5. vbi dicit, si Sacerdos aliunde extra confessionem nouerat peccata satisfacere pœnitentem, si vno verbo dicat: *Accuso me de omnibus peccatis illis, quæ tu scis*, & tamen ipse Vasquez postea *n.* 7. non videtur admittere licitum, quod Sacerdote legente peccata, pœnitens dicat, illa esse sua peccata: quod quidem non video, quomodo possit condemnari admissa semel illa alia doctrina: nam in prædicto casu per illud verbum; quo pœnitens fatetur illa peccata esse sua, sufficienter se accusat de illis supponendo eorum explicitam notitiam aliunde habitam à confessario per scripturam, quam legerat. Si ergo sufficit illud vnicum verbum, quando aliunde per visum, vel narrationem extra Sacramentum confessarius habet notitiam peccatorum, cur non sufficiet post lectam Scripturam ab ipso Sacerdote, & habita iam notitia omnium peccatorum, dicere illi, accuso me de omnibus iis peccatis, quæ ex Scriptura cognouisti?

81. Hoc certè non videtur posse negari ab iis, qui communiter concedunt, quando aliquis per confessiones inualidas dixi sua peccata, postea cognito defectu, sufficere, quod eidem confessario dicat; accuso me de omnibus peccatis, quæ in præcedentibus confessionibus dixi; si tamen Sacerdos memoriam retineat illorum peccatorum, quod cum aliis affirmat Suar. *dicta sect.* 6. non solùm, quando confessiones præcedentes validæ fuerunt in ratione confessionum, & Sacramentum fuit nullum ex alio defectu; sed etiam quando confessiones ipsæ fuerunt inualidæ, quia v. g. confessarius, vel non erat Sacerdos, vel non habebat iurisdictionem, &c. atque ideo verè non fuerat facta accusatio Sacramentalis, sed extra Sacramentum, & tamen notitia illa defecit, vt postea sufficiat accusare se de illis peccatis vno verbo: Ergo à fortiori sufficiet, quando notitia paulò antè habita fuit per scripturam, si postea accuset se de illis omnibus, quæ Confessarius ex scriptura cognouit.

82. Dixi tamen semper *quando post lectam à Sacerdote Scripturam, pœnitens se accusat de illis omnibus*, quia si peruerteretur ordo, & priùs se accusaret de omnibus, quæ postea in scriptura Confessarius legeret, non esset eadem ratio: Tunc enim accusatio verbalis, quæ præcederet, non explicaret sufficienter peccata, sed compleretur accusatio per Scripturam postea legendam, cùm ante illam lectam nondum sciret Sacerdos peccata in iudicium adducta, at verò in priori casu, cum supponeretur notitia peccatorum in Sacerdote, sufficienter se accusaret verbaliter pœnitens accusando se de peccatis illis iam cognitis à Sacerdote; per illa enim verba satis significaret, quæ peccata afferret ad iudicium.

Explicari potest hæc differentia ex alio casu simili. Si enim pœnitens Sacerdoti præsenti diceret accuso me de peccatis, quæ postea mittam ad te scripta; confessio illa non sufficeret, quia compleretur per Scripturam missam ad confessarium absentem. Similiter, si accusaret se in præsentia de peccatis, quæ postea Sacerdoti per nuntium explicaret, non esset confessio valida, quia compleretur in absentia. At verò si priùs per Scripturam, vel nuntium manifestasset Sacerdoti absenti peccata, & postea Sacerdote præsente, accusaret se de illis peccatis, quæ ex Scriptura, vel nuntio nouerat, valeret vtiq; confessio: quia per accusationem illam verbalem satis significaret Confessario habenti iam notitiam peccatorum, quæ, aut qualia peccata afferret ad iudicium: multum ergo interest quod subsequatur, vel quod præcedat accusatio verbalis; quia eadem verba in talibus circumstantiis prolata possunt sufficienter significare propter notitiam, quæ in audiente supponitur, quæ verba in aliis circumstantiis non significarent propter defectum illius notitiæ v. g. Si Sacerdos ignarus linguæ Græcæ audiret peccatum Græco idiomate, & postea absente pœnitente interrogaret alium de significatione illarũ vocum, quas non intellexerat, & nunc veniret in notitiam accusationis, & peccati, non posset virtute illius solius confessionis, quam non intellexit nec sciebat esse confessionem, absoluere pœnitentem, nisi repetentem confessionem, vel approbantem, quàm priùs fecerat, quia nimirum illæ voces homini ignaro linguæ Græcæ nihil tunc significarent, atque ideo illa tunc non fuit accusatio Sacramentalis. E contra verò, si Sacerdos priùs sensum illarum vocum didicerat, postea illæ eædem voces veram continerent accusationem Sacramentalem. Sic ergo in casu nostro eadem verba post lectam scripturam sufficerent ad Sacramentalem confessionem, quæ antea non sufficerent, quia ob defectum notitiæ in Sacerdote non explicabant illi ea verba, de quibus peccatis pœnitens loqueretur.

Vnde obiter infero, immeritò reprobari à Patre Vasquez *loc. cit.* doctrinam Soti exigentis, quod Pœnitens Sacerdoti legenti peccata annuat, & confirmet se id fecisse. Quæ quidem doctrina, licèt quoad valorem Sacramenti vera non sit, quia ad valorem sufficeret mera scriptura Sacerdoti præsenti data; quoad obligationem verò præcepti potest sustineri, si sensus sit, non sufficere, quod antecedenter dicat, in illa scriptura esse sua peccata nisi postea singulis, vel omnibus lectis, se de illis ore accuset; quia illa verba priora non continebãt accusationem, quæ daret notitiam peccatorum, sicut continent verba prolata post lectam Scripturam, vt antea explicuimus. Habemus ergo ex dictis, si obligatio est, confitendi per voces satisfieri procul dubio obligationi, si ostensa Scriptura, & lecta illa à Sacerdote, pœnitens de illis, quæ scripta dedit, se excuset, licet non sufficeret accusasse se, antequam scripturam Sacerdos legeret.

Restat nunc dubium, an re vera detur eiusmodi obligatio confitendi per vocem humanam: in quo

rursus placet, quod ex Cano docet Suarez, Vasquez, & alij Recentiores, cessare illam obligationem, quando adesset causa grauis, vel nimia verecundia. Difficile tamen est, & ferè impossibile, quod verecundia impediat illa duo verba: *accuso me de his, quæ legisti*: quæ verba vt dixi, sufficerent ad satisfaciendum obligationi. Faciliùs fortasse posset contingere, quod aliquis vellet coram aliis confiteri occulte, & ad hoc daret Sacerdoti proximè sedenti schedulam, qua confiteretur peccatum, & peteret absolutionem, vt ipse quasi aliud agens eum absolueret, nemine aduertente. Frequentiùs verò continget id fieri posse propter difficultatem proferendi verba ex morbo, vel alio impedimento accidentali.

86. Quando verò nulla esset eiusmodi causa, certum videtur, quod esset ad minus peccatum veniale velle absq; vllis verbis confiteri: & licet ego non videam rationem conuincentem ad ponendam culpam mortalem, neq; enim facilè apparet consuetudinem illam inductam esse quasi ex obligatione, & non magis propter communem modum, quem homines in aliis materiis seruant, de quibus nunquam loquuntur cum præsentibus per scripturam vel nutus, si loqui possunt per voces, & volunt se benè explicare: adhuc tamen propter communem Doctorum auctoritatem non videtur neganda eiusmodi obligatio grauis, præsertim quia velle absq; causa more nouo, & minùs apto ad declarandum, confiteri, non caret aliqua specie contemptus, & irreuerentiæ. Casus tamen non videtur moralis, & practicus, sed metaphysicus, cùm nemo sit adeo parcus verborum, qui nec duo quidem verba velit expendere saltem ad maiorem securitatem.

87. *An sit obligatio confitendi per Scripturam.*

Restat quarta, & vltima difficultas an sit obligatio confitendi aliquando per scripturam Sacerdoti præsenti, quando scilicet pœnitens loqui non potest, nec nutibus sua peccata declarare. Negant Soto, & Caietanus, quos affert Vasquez *loco citato dub.* 5. & indicant Ledesma, Nauarr. Ioan. Medina apud eumdem Vasquez. Fundamentum est, quia Scriptura de se est exposita periculo, cùm possit vel retineri à Confessario, vel perdi, & publicari peccatum: ad hoc autem periculum non tenetur pœnitens.

Contraria sententia verior est, quam indicat S. Thom. *dist. 17. quæst. 3. art. 4. quæstiunc. 3. ad* 2. Palud. Syluest. Maior. Caietan, & Petrus Soto, quos afferunt, & sequitur Vasquez *loco citato*, & Suarez *disp. 36. quæst. 6. n.* 5. Ratio est, quia te vera in illo modo confitendi nihil, vel certè parum periculi est, quod non sit in confessione per voces: Nam tunc etiam posses timere, ne Sacerdos reuelet peccata, sicut times, ne retineat scripturam, & ostendat aliis; tunc enim posses timere, ne aliquis retro absconditus audiat te, sicut times, ne scriptura perdatur. Non est ergo considerabile illud periculum, nec morale, sed metaphysicum: quare neque est necessarium medium, quod excogitauit Caietan. scribendi in vna charta peccata, in alia numerum, in alia, *dubito*, in alia *credo*, in alia, *certus sum*, in alia, *non recordor*: & ita per combinationem chartarum explicet speciē, numerum, & certitudinem suorum peccatorum. Hoc tamen prolixum esset, & confusionem pareret, faciliùs est, vel coram Sacerdote scribere, vel antea scriptam chartam ostendere Sacerdoti, & statim rumpere, vel comburere: quod non est adeo graue, vt excuset à præcepto confessionis, non solùm diuino, sed etiam Ecclesiastico, & annuo, vt obseruat bene Suarez *loco citato*.

SECTIO VI.

§. 1. *De necessitate confessionis ex præcepto Ecclesiastico.*

88. SVpponimus dari præceptum Ecclesiæ obligans omnes fideles ad confessionem semel saltem in anno suorum peccatorum, editum in Concilio Later. sub Innocentio III. & relatum in *c. Omnis vtriusq. sexus. de pœnitentiis*, & remissionibus, de quo præcepto immeritò dubitauit Durand *dist. 17. quæst. 8. & 14.* eo quod Ecclesia non possit imponere præceptum, cuius transgressionem possit punire, qualis est omissio confessionis. Si enim aliquis diceret se nō peccasse mortaliter, & ideo non confiteri, non posset conuici, neque punire. Pro qua sententia afferri etiam potest Turrecremata *de pœnitentia, distinct. 1. §. Denique vt perspicuè, num.* 4.

89. Cæterum ex Tridentino *sess. 14. can.* 8. & apertè constat dari tale præceptum obligans, nec solum fuisse consilium confessionis annuæ. Nec obstat ratio allata in contrarium, quæ si aliquid probat, probaret etiam nec de Eucharistia sumenda posse esse præceptum Ecclesiasticum; quia si aliquis eam ore sumeret, & non deglutiret, non posset conuinci de trangressione præcepti: quod idem est de aliis peccatis occultis, quæ fiunt contra præcepta Ecclesiæ, licet probari non possint. Dicendum ergo est, licet delictum probari non possit in iudicio: posse tamen prohiberi ab Ecclesia; quia quidquid sit, an actus merè interni possint præcipi ab ipsa: sufficit tamen, quod actus sit externus, licet occultus: iam enim est aliquid pertinens ad visibilem, & externam gubernationem Ecclesiæ, ad quam extenditur eius potestas, vt obseruat Suarez *lib. 4. de legibus, c. 12. num. 8. & cap. 13. num. 10. & 11.* & Vasquez *in præsenti, q. 90. art. 1. dub. 4. num. 18. & seqq.* & quidem licet peccata fuerint interna confessio tamen, quæ ab Ecclesia præcipitur, est actus externus, quare ex hoc capite præceptum non excedit Ecclesiæ potestatem. An verò aliunde excedat, statim dicemus.

90. *An Ecclesia sola possit præcipere confessionem.*

Hoc ergo supposito, dubitatur primò: An si Christus hoc Sacramentum non instituisset, potuisset Ecclesia præcipere confessionem omnium peccatorum, qualis de facto præcipitur? Ratio dubitandi sumitur ex proximè dictis. Si enim confessio peccati interni est nunc materia præcepti Ecclesiastici, cur etiam tunc non potuisset esse? Respondetur tamen negatiuè: non quidem quia confessio non esset actus externus, sed quia res adeo difficilis, & grauis videtur excedere potestatem Ecclesiæ, sicut nec potest Ecclesia præcipere paupertatem, religionem, & alia similia. Confessio autem omnium peccatorum grauissima est, & grauior esset, si non haberet ex Christi institutione annexam peccatorum veniam, & sanctificationem prout tunc haberet.

Adde, quod illud præceptum communiter non obseruaretur, cùm ex vno capite confessio ex se esset inutilis, & aliunde homines scientes esse præceptum humanum resisterent, quantum possent; vt per ipsum non vsum compellerent Pontificem ad abrogandum illud præceptum.

91. Secundò dubitari potest, an si Christus instituisset hoc Sacramentum, non tamen imposuisset præceptum confessionis; posset adhuc Ecclesia præcipere confessionem, & vsum huius Sacramenti? Affirmat P. Vasqu. *vbi supra n.* 42. quia Ecclesia potest præcipere, quod suscipiatur Sacramentum Confirmationis, vel Extremæ vnctionis, licet non fuerint à Christo præcepta; ergo potuisset præcipere susceptionē huius Sacramenti, licet non fuisset à Christo

præceptum. Eamdem sententiam sequuntur Suarez *disp.35.sect.1.num.18.*& alij; quos ibi affert.

92. Cæterum iuxta supradicta distinguendum videtur: aut enim necessaria esset cõfessio exacta omnium peccatorum ad valorem Sacramenti, aut sufficeret confessio aliquorũ. Si hæc sufficeret potuisset ab Ecclesia præcipi propter magnam vtilitatem huius Sacramenti, & alias causas. Si verò primo modo ponatur, videtur quod non posset præcipi confessio omnium peccatorum propter maximam difficultatem quam secum affert, quæ vt diximus, videtur excedere potestatem Ecclesiæ ad præceptum vniuersale ferendum de re, ad quàm Christus noluisset obligare homines, & quæ ipsis non esset tũc simpliciter necessaria ad salutem. Nec obstat magna vtilitas Sacramenti; quia magna etiam est vtilitas status religiosi, & magnopere conducit ad salutem, & tamen Ecclesia non potest illũ præcipere. Deniq; non obstat, quod de facto Ecclesia præceperit confessionem annuam: quia de facto supponitur iam obligatio confitendi ex præcepto diuino; quod autem illi obligationi satisfiat paulò antè, ne forte præceptum diuinum defraudetur, non est adeo graue onus, cùm solùm versetur circa circumstantiam temporis, & non circa substantiã illius oneris, quod esset valdè diuersum. Videatur Coninch. *in præs. disp. 5.d.3.* qui benè hoc explicat.

§. 2. *An sit præceptum humanum confitendi bis eadem peccata?*

93. TErtiò dubitari potest, an possit Ecclesia præcipere secundam, vel tertiam confessionem eorundem peccatorum, quæ iam homo legitimè confessus est? Affirmant aliqui; quos refert Vasquez *infrà quæst.91. art.3.dub.7.num.13. & seqq.* qui tamen non omnes eodem modo id docent: aliqui enim id vniuersaliter concedunt, alij solùm quando præceptum fit ante primam confessionem eorum peccatorum, non verò si fiat postquam iam aliquis ritè ea peccata semel confessus est. Huic sententiæ partim adhæsit P. Vasquez ibi licens posse Prælatum eo modo reseruare sibi peccata aliqua, vt det licentiam interim inferioribus absoluendi, ita tamen, vt adhuc illa eadem peccata debeant ratione reseruationis eidem Prælato iterum deferri, vt Pœnitens ab ipso sacramentaliter absoluatur, tanquã ab vltimo iudice in ea causa potestatem habẽte.

94. Contraria sententia negatiua verior est, quàm docẽt alij communiter, quos referrideM Vasquez *ibi num.9.* & quam ipse Vasquez postea re melius considerata, amplexus est *infrà q.93. art.1.dub. 6.n.11.* relicta sententia, quam superiùs docuerunt. Ratio est ex supra dictis, quia respectu illorum peccatorum, quæ aliquis semel confessus est, iam non est præceptum confessionis à Christo latum; ergo Ecclesia respectu eorum non magis poterit præcipere confessionem, quàm posset eam præcipere, si à Christo non fuisset præcepta. Diximus autem, quod tunc Ecclesia non posset confessionem præcipere propter difficultatem, & grauitatem rei; ergo neque in hoc casu posset secundam confessionem eorumdem peccatorum imponere.

Quod autem nec per modum reseruationis, possit illud præceptum ferri, probat Vasquez loco citato illo *dub.6.* contra id quod in priori loco docuerat, & ratio videtur clara; quia vel per priorem absolutionem fuerant directè ablata illa peccata, vel solùm indirectè: si dicas primum; ergo iam non sunt reseruata, quia non potest quis directè absoluere, nisi habeat potestatem iurisdictionis ordinariã, vel delegatam: Si autem habetur delegata, hæc sufficiebat ad terminandum causam illam, nec potest intelligi, quod detur absolutio directa, nisi pœnitens quoad illam causam fiat subditus Confessarij, per voluntatem Prælati; ac per consequens illa erit vltima sententia, tanquam lata à Sacerdote ex facultate Christi suprà subditum, qui scilicet ex voluntate Prælati factus fuit eius subditus. Si autem dicas secundum, scilicet, absolutum fuisse indirectè, sequitur subditum illum non posse communicare, antequam adeat Prælatum, & iterum confiteatur, saltem si possit facilè, & absque detrimento eius absolutionem obtinere, nemo enim potest Eucharistiam sumere per se loquendo, nisi præmissa confessione, & absolutione directa omnium peccatorum mortalium, à quibus non est directè absolutus. Vnde iam ille non esset casus nostræ quæstionis, nunc enim non negamus posse, & debere aliquem secundò eadem peccata confiteri, quando ab eis non fuit directè absolutus, hoc est, à proprio Sacerdote, habente potestatem super illa peccata, sed dicimus non posse hoc præcipi, quãdo iam semel ab iis peccatis fuit directè absolutus.

95. Cistercienses obligantur ad bis confitendum. Contra hanc doctrinam obiicitur primò statutum quoddam Ordinis Cistercienſis, quo præcipitur, vt Religiosi, qui intra annum confessario ordinario confessi fuerint, debeant eadem peccata in fine anni suo Abbati confiteri vt refert Dionysius Cistercienſis *in 4.dist 23. quæst.1.art.* vbi malè videtur sentire de illo statuto, quasi minus prudenter facto, nec habente vim obligandi, sed tamen illud à duobus Pontificibus Sixto IV. & Pio II. confirmatum fuisse refert Henriquez *lib.5.de pœnitent.cap.17.* commendatum, tanquam rem per homines sanctos stabilitam.

Pater Vasquez *dict.dub.6.num.17.* dicit potuisse fieri illud statutum concessa inferioribus Confessariis facultate absoluendi, & iniungendi simul in pœnitentiam illud onus iterum confitendi eadem peccata Prælato.

Sed hanc solutionem ipse impugnauerat superius benè, *dicto dub.7.n.34.* quia in primis pœnitentia illa postquam semel imposita, & acceptata fuisset, posset commutari ab eodem, vel alio confessario, iuxta aliquorum sententiam, saltem auditis iterũ eisdem peccatis, atq; hoc modo tolleretur omnino obligatio confitendi Prælato, & tota illa lex frustraretur. Secundò, quia hac ratione posset quilibet Sacerdos reseruare peccata, si dum absoluit, imponat pro pœnitentia, quod eadem peccata dicantur iterum Parocho, vel Episcopo; & tamen nemo concederet, quemlibet habere potestatem reseruandi peccata. Ergo ille non est modus reseruandi peccata. Tertio possumus addere, quod illud onus per modum pœnitentiæ impositum facilè posset postea per indulgentias plenarias tolli, maximè quando non fuisset impositum per modũ medicinæ (quia hæc fortasse non erat necessaria) sed solùm in satisfactionem. Propter hęc forsitan ipse Vasquez *illo dub.6.* aliam viã indicat dicens Sixtum IV. confirmasse illam constitutionem secũdum opinionem quorũdam repugnantib. multis viris doctis.

96. P. Henriquez *vbi supra* §.4. explicat illud statutum de obligatione quidẽ confitendi semel in fine anni Prælato; non tamen peccata, à quibus iam pœnitens fuisset directè absolutus, sed ea, quæ occurrerent ab vltima confessione, & à quibus nõdum esset directè absolutus. Sed hæc explicatio non potest stare cum verbis statuti, quod cõfirmatũ à Pontifice refert ipse Henriquez §.1. in quibus declaratur, Monachos teneri ad confitendũ semel in anno omnia peccata sua ab vltima confessione sua illorum Prælatis facta; non ergo erat solùm obligatio confitendi

confitendi peccata ab vltima confessione cuilibet confessario facta.

98. Alij dicunt, obligationem illam non oriri præcisè ex constitutione, sed ex voto, vel cõsensu subditorum, qui vel explicitè, vel implicitè consenserunt in imponenda sibi tali obligatione. Ego facilùs cõcedam potuisse prouenire ex constitutione absq; consensu subditorum: quia licet pro tota Ecclesia non posset fieri talis lex obligans ad secundã confessionem eorumdem peccatorum; non tamen video, cur non possit fieri in religione aliqua obseruante in qua possunt ea præcipi, quæ spectant ad perfectionem: quam finis illius religionis intendit: & quidem in nostra societate vna ex potissimis regulis est, quod subditus manifestet totam suam scientiam bis, aut semel in anno superiori, itaut nihil graue ipsũ lateat: (quod medium habetur, tanquam vnum ex magis substãrialibus, & necessariis ad finem nostræ Regionis:) nec id solius nostri ordinis est, sed commune ferè ordinibus religiosis antiquis, vt probat Suar. *tom. 4. de relig. tract. 10. lib. 10. c. 6.* vbi id etiam refert, contineri in regula S. Benedicti, quam Cistercienses obseruabant. Cùm ego hæc notitia, quam prælatus habere debet de conscientia subditorum, maximè necessaria sit ad finem religionis; non video, cur non possit fieri lex de illa notitia communicanda in confessione de peccatis grauibus; hoc enim non auget, sed minuit potiùs, onus, cùm suauior modus sit, & facilior subditis manifestandi suam conscientiam intra confessionem, & sub illius Sacramenti sigillo, quam extra confessionem. Non ergo mirum, si Patres Cistercienses legem tulerint de confessione semel in anno cum Prælato facienda. Fateor, posse ex alio capite habere aliquid periculi illam legem vniuersalem obligantem sub peccato graui; Vnde in nostra societate non est præceptum graue, sed sola regula manifestationis prędictæ; sicut etiam est regula confitẽdi iterum potissima peccatã proprio Confessario ordinario, quando propter aliquem casum alij quam Confessario ordinario aliquis confitetur, vt nihil ignorando, quod ad conscientiam pertineat, possit Confessarius melùs pœnitentem iuuare: Et in ipso Cistercienſi ordine illud statutum iam ita Prælati moderantur vt ter solùm in anno sibi reseruent confessiones subditorum, nec tunc eos obligant ad repetendas confessiones præcedentes, sed solùm ad peccata confitenda, quæ occurrunt ab vltima confessione, vt testatur Hieronymus Llammas Cistercienſis *1. parte Methodi cap. 6. §. 10.*

99. Secundò obiicitur decretum Martini Quinti in extrauaganti, quæ incipit; *Ad vberiores fructus*, quã refert Vasquez, *dicto dub. 7. num. 17.* in qua Pontifex statuit, quod illi, qui fratribus cõfitentur, teneãtur tamen semel in anno suis Parochis confiteri. Quod videtur cõfirmare Sixtus Quartus in extrauaganti *Vices*, quæ habetur inter communes, sub titulo de *tregua & pace* vbi præcipit, quod Mendicantes desistant prædicare, quod subditi non teneantur saltem in Paschate proprio Sacerdoti confiteri, *quia de iure* (inquit) *tenetur Parochianus saltem in Paschate proprio confiteri Sacerdoti*: Ergo obligantur ad confitenda iterũ eadem peccata Parocho, à quibus semel iam fuerant absoluti. Ad hoc tamen ne facilè,

96. Respondetur, tunc non fuisse obligationẽ confitendi iterum eadem peccata Parocho, sed confitendi semel Parocho saltem in Paschate: sicut nunc est obligatio accipiendi semel comunionem à Parocho, Illa autẽ confessio debebat esse de peccatis, quæ occurrerent post vltimam confessionem.

§. 3. *dubium incidens de subdito, qui absoluitur à reseruatis, & debet comparere iterum coram superiore?*

100. TErtiò obiici potest vsus aliquorũ Ordinum, in quibus iter agentes: si contingeret ipsos habere aliquod peccatum reseruatũ, possent quidẽ (saltem quando ex industria non procuratur, aut speratur illa opportunitas) absolui ex facultate iam communiter concessa, cum onere tamen comparendi postea, & manifestandi eadem peccata superiori.

P. Suarez *in præsenti disp. 30. sect. 5. num. 8. & seq.* latè examinat fũdamẽtũ illius praxis; & multa hinc inde adducit, ac tandem *n. 23.* dicit, hanc obligationem comparendi iterum coram superiore prouenire in hoc casu ex peculiari modo, quo superior delegauit iurisdictionem suam ad absoluendum. Cùm enim in hoc iudicio tria sint, scilicet, remissio peccati quoad culpã, & æternam pœnam, castigatio eiusdẽ peccati per satisfactionem, & curatio etiam peccati in futurum, potest Prælatus delegare plenam iurisdictionem quoad primum, (in ordine ad quod non potest recipere iurisdictio magis & minùs, quia vel non remittitur culpa, vel totaliter remittitur) quoad alia verò duo potest delegare iurisdictionem non plenam, sed limitatam: quia potest delegare potestatẽ circa impositionem pœnitentiæ, reseruando sibi vltimum iudicium in taxãda pœna, vt licet inferior debeat aliquam pœnitentiam imponere ad Sacramenti integritatem, id tamen fiat cum subordinatione ad superiorem, qui vult illam recognoscere, & augere, vel mutare, vel confirmare, prout expedire iudicauerit. Nam sicut potest superior dare facultatem absoluendi à 101. peccato reseruato, taxando pœnitentiam quam inferior debet imponere, cur non poterit dare eamdem facultatem reseruando sibi iudicium consequens circa pœnitentiam ab inferiore impositam? Quid enim refert quod hæc limitatio fiat antecedenter, vel consequenter, cum æquè arguatur potestas limitata in inferiori, qui non potest pro suo arbitrio definire, sed pro alterius arbitrio, cui subest, & cui subordinatur in illo iudicio? Si autẽ dari potest iurisdictio cum hac limitatione; fatendum est, de facto ita dari; cùm Prælatus velit de facto subditum obligare, quocumq; modo possit ad conparendum, & hoc sanè modo omnia rectè cohæreant in ordine ad praxim: nam hac ratione explicatur bene, quomodo maneat obligatus subditus ad comparendum etiamsi eiusmodi obligationem ignorauerit, quando absolutionem accepit: quia nimirum hæc obligatio nascitur ex Sacramento ipso quod compleri debet per vltimum iudicium superioris in ordine ad castigationẽ, & satisfactionem pro peccato. Vnde etiam constat materiam huius obligationis esse grauẽ. Deniq; quoad tertiũ munus curandi peccatum in futurũ eodem modo dari potest potestas limitata, & cum dependentia à Prælato, ad quem pertineat vltimum iudicium de modo curationis adhibendo. Debemus ergo hoc modo explicare, & defẽdere eiusmodi statuta.

102. Ego, vt verum fatear, difficilem sẽper existimaui hunc opinandi modũ, nec possum satis percipere, quomodo possit superior limitare potestatẽ inferioris, reseruando sibi in futurum potestatem imponendi, vel taxandi aut confirmandi satisfactionem, & pœnam impositam, vel imponendã. Peto enim, an ille actus taxandi, vel augendi, aut confirmandi pœnitentiam sit actus iudicis, & actio Sacramentalis, vel non; si non sit: non obligat subditum, quia in foro pœnitentiæ non potest obligari pœnitens, nisi ad pœnitẽtiam, quam Sacerdos nomine Christi

illi potest imponere,quæ sit satisfactio, & pars integralis Sacramenti pœnitentię; nec Confessarius potest aliter obligare pœnitentiam ad aliquid faciendum, nisi imponendo illud pro satisfactione: Nam quando obligat ad relinquendum occasionem peccati non tam obligat Sacerdos, quam declarat obligationẽ,quã ipse pœnitens habet relinquendi eiusmodi occasionem: obligationem itaq; nouam superaddere non potest nisi imponendo rem illam pro satisfactione Sacramentali: Loquimur autem in ordine ad absolutionem à peccatis: Nam si sermosit de absolutione ab excommunicatione,cùm hęc censura sit ab Ecclesia,potest eadem Ecclesia, vel prælatus tollere eam sub certo grauamine:quo pacto non est difficultas, quod dari possit aliquando absolutio inferiori cum onere comparendi postea coram superiore, à quo imponatur satisfactio debita pro delicto, prout habetur in *c.eos qui*, de sententia excommunicationis *lib.6.* nunc ergo loquimur solum de absolutione Sacramentali à peccatis;quæ cùm tota sit ex Christi institutione, non potest habere alias leges, aut grauamina,nisi iuxta eamdem institutionem:iuxta quam Sacerdos potest quidem punire, & præcipere aliquid pœnitenti pro vindicta,& satisfactione. Nemo autem alius qui Sacramentum non ministret,potest punire,vel obligare pœnitentem ex vi absolutionis à culpa.

193. Dices, ipsum Sacerdotem inferiorem absoluentem obligare pœnitentem, vt recurrat postea ad superiorem pro vltimo iudicio in satisfactione accipiendo,atq; adeo totam hanc obligationem procedere à Confessario ipso, qui illud onus imponit subdito, prout superior præscripserat faciendum ipsi Confessario inferiori.

Sed contra,quia, si hoc esset in primis sequitur casu, quo ex oblivione Confessarius nihil dixisset pœnitẽti,neq;illi hanc pœnitentiã imposuisset recurrendi ad superiorẽ nõ manere subditũ amplius obligatũ ad comparendum, cùm tota illa obligatio proueniat ex eo quod inferior impugnat hanc satisfactionẽ.Cõsequẽs autẽ non cõcedit, sed negat omnino P.Suarez Deinde redeũt inconuenientia supra indicata,quod si tota illa obligatio comparẽdi proueniret ex præcepto Confessarij, qui imposuit
104. illã pœnitẽtiã, posset pœnitens post absolutionẽ liberare se ab illo onere,vel per indulgẽtiã,vel iuxta aliquorũ sententiã per cõmutationẽ pœnitẽtiæ in aliã,& ita fraudaretur intẽtũ reseruationis. Fateor itaq;quod posset superior præscribere inferiori,vt imponeret subdito in pœnitentiã recursũ ad ipsum superiorem pro determinatione satisfactionis: sed tũc inferior Cõfessarius solus obligaret, & iudicaret;superior verò solùm determinaret materiam,ad quã inferior obligauerat,atq;ideo nõ procederet vt iudex,sed vt determinans id ad quod iudex immediatus obligauerat:quod quidẽ licèt possibile esset: nõ tamẽ sufficeret ad consequẽdũ finem legis, cùm posset postea pœnitens se liberare ab illo onere.

105. Si verò dicas illum actum superioris iudicantis postea,& determinantis pœnam esse actionem iudicis,& Sacramentalem,prout ipse Suarez indicare videtur *n.30.* dicens illum actum esse *quasi consũmationem quandam Sacramentalis iudicij*: tunc inquam obstare videtur id esse cõtra institutionem, & naturam huius Sacramenti, in quo non potest diuidi vllo modo officium Ministri inter duos, quorum vnus absoluat à peccatis,& alter imponat pœnitẽtiã;sed debet esse idẽ omnino qui vtrũq; faciat vterq;enim est actus iudicis,vt iudex est, & est prolatio sententiæ,quæ duas habet partes, nempe absoluere,& condemnare,seu obligare ad pœnam, est autem inauditum, quod prolatio sententiæ, quoad illos duos actus diuidatur, ita vt alter Sacerdos absoluat,alter pœnitentiam imponat: Non potest ergo superior delegare potestatem ad absoluendum,& reseruare sibi potestatem totaliter, vel ex parte ad imponendam pœnitentiam.

Quod rursus secundò probari potest, quia ille 106.
solus potest in hoc foro Sacramentali iudicare, & proferre sententiam,cui pœnitens Sacramentaliter confitetur sua peccata:sententia enim supponit accusationem,nec potest in hoc foro legitimè iudicare,qui ex partis confessione non habet notitiam delicti: Confessio autem Sacramentalis non fit,nisi Sacerdoti inferiori,à quo absolutio habetur; nec postea confitetur Sacramentaliter pœnitens, quando comparet coram superiore, vt fatetur ipse Suarez.*n.30.* Non potest ergo superior proferre sententiam Sacramentalem, coram quo non est facta confessio,aut accusatio Sacramentalis.

Vnde tertiò arguere possumus;quia satisfactio 107.
Sacramentalis,cùm sit pars Sacramenti, & habeat effectũ aliquem ex opere operato,saltem quoad remissionem pœnæ temporalis supra condignitatem operis,necesse est,quod eleuetur per claues Ecclesiæ à Ministro,qui illam satisfactionem Christi auctoritate imponit:hæc autem eleuatio fieri nõ potest à Ministro, nisi proferat formam Sacramenti. Materia enim Sacramenti non significat suũ effectũ nisi prout coniuncta cum forma; ergo Minister adhibens materiam: nõ significat infallibiliter effectum per solam positionem materiæ,sed per illã, & per prolationem formæ simul, per quam magis clarè,& determinatè significat effectum Sacramentalem:nam Sacerdos effundens aquam in puerum, non significat gratiam baptismi per solam effusionem aquæ,sed per illam simul, & prolationem formæ Sicut ergo non potest vnus minister effundere aquam,& alter proferre formam baptismi; sic non potest in Sacramento pœnitentiæ vnus minister adhibere materiam scilicet impositionem satisfactionis,& alter proferre formam,quia iam ille prior non significasset effectum Sacramentalem satisfactionis,atq; adeo non eleuasset satisfactionem ad illum effectum causandum,cùm meritũ fieri possit per solam positionem materiæ, alioquin posset Sacerdos imponere pœnitentiam Sacramentalem, quæ causaret suum effectum ex opere operato nõ dando absolutionem; quod nemo concedet.Ratio autem est,quia sicut non potest dari Sacramentum sine forma,ita nec vllus effectus Sacramenti: minister ergo, qui confert Sacramentũ nomine Christi debet ipse proferre formam,per quam significet effectum quem confert: quod maximè locum habet in casu nostro;nam per impositionem satisfactionis duo fiunt,nempe condẽnare pœnitentem, & obligare ad talem pœnam; acceptare item pœnam pro grauiori pœna temporali, quam debet; quorum primum quidem significatur clariùs per verba quibus imponitur pœnitentia: secundum verò non exprimitur per illa verba, quæ non videntur sonare remissionem, sed punitionem: significatur autem clariùs per verba absolutionis, & formæ Sacramentalis,vt diximus supra *disp.12.sect.2.* oportet ergo, vt minister, qui confert effectum Sacramentalem correspondentem satisfactipni; proferat formam, qua significet illum effectum, 108.
quem confert nomine Christi.

Quartò deniq; arguere possumus, quia si posset diuidi ministerium in hoc Sacramento,ita vt satisfactionem Sacramentaliter imponeret superior,& inferior solus absolueret,posset etiam ita diuidi vt inferior nullã prorsus pœnitẽtiã imponeret,sed id totum

totum reseruaret sibi superior, qui solus totam pœnitentiam imponeret. Consequens autem nõ concedit Suarez, sed fatetur absurdum *n.* 24. quia iam inferior non ministraret Sacramentum integrum. Sequela verò probatur, quia si superior non absoluens potest adhibere partem Sacramenti, & conferre remissionem pœnæ vnius anni, v.g. cur non poterit conferre remissionem pœnæ vnius
109. biennij augendo pœnitentiam? Rursus si non obstat integritati Sacramenti, quod Sacerdos inferior imponat solùm partem satisfactionis, & reliquam relinquat superiori, qui eam sacramentaliter imponat, non repugnabit etiam idem integritati, quod relinquat superiori totam pœnitentiam imponendam: Nam in primis Sacramentum ipsum æquè integrum erit, si quidem impositio satisfactionis à superiore facta potest per te componere vnum, & idem Sacramentum cum absolutione inferioris: poterit ergo tota pœnitentia à superiore imposita componere vnum integrũ Sacramentum cum absolutione inferioris. Deinde non obstante integritate Sacramenti, potest inferior per te non imponere integram satisfactionem debitam, sed partem, quæ cum alia parte à superiore imponenda faciat Sacramentum integrum; ergo non debet inferior ex se constituere Sacramentum integrum; ergo poterit relinquere totam satisfactionem à superiore imponendam: vel si hoc non potest, debet ipse totam imponere, propter integritatem Sacramenti, quia si non imponitur tota, iam Sacramentum non erit integrum, quoad illam partem, sed partiale, & adhuc complendum per aliam partem Sacramentalem ponendam à superiore. Fatendum ergo est, obligationem illam comparendi non esse ad hoc, vt Sacramentum compleatur per actionem Sacramentalem, quam superior exerceret, imponens postea Sacramentaliter satisfactionem; Nam eiusmodi actio spectat solùm ad illum, qui Sacramentaliter absoluit.

110. *Inferior quomodo possit imponere pœnitentiam à superiore imponendam.*

Restat nunc respondere ad exemplum, cui P. Suarez innitebatur, quod, scilicet, potest superior taxare pœnitentiam, quam inferior debet imponere subdito pro peccato reseruato; ex quo apparet non dari iurisdictionem inferiori, tanquam iudici supremo; nam supremus Iudex non dependet ab alio superiori, cuius taxationem & iudicium debeat obseruare in pœnitentia imponenda: poterit ergo dependere etiam consequenter, quatenus superior reseruauit sibi vltimum iudicium in taxanda pœnitentia. Ad hoc tamen ex dictis respondetur facilè, esse magnum discrimen inter illa duo: nam in priori casu superior dans facultatem inferiori absoluendi subditum à casu reseruato, & præscribens pœnitentiam, quam debet imponere, non exercet tunc actionem aliquam sacramentalem, sed solùm dat iurisdictionem, & potestatem necessariam ad Sacramentum ministrandum, ipse tamen superior nullo modo ministrat totaliter, vel partialiter Sacramentũ, neque ipse imponit pœnitentiam, quod apertè constat in superiore, qui non est Sacerdos, atque adeo non potest conferre Sacramentum, nec imponere pœnitentiam sacramentalem; hæc enim est actio propria Sacerdotis: & tamen potest dare inferiori facultatem absoluẽdi à reseruatis, & præscribere pœnitentiam imponendam, quia nimirum tunc non exercet munus aliquod ministri, sed dat iurisdictionem ministro. Potest autem eiusmodi
111. iurisdictionem dare limitatam, v. g. ad absoluendum à duobus reseruatis, & non à tribus. Sic ergo potest dare iurisdictionem inferiori ad imponendam talem pœnitentiam pro tali peccato, & non minorem: Nam sicut ad absoluendum requiritur iurisdictio, ita ad imponendam pœnitentiam pro reseruatis requiritur iurisdictio; & hanc potest limitare superior, dando potestatem imponendi talem pœnitentiam, & non minorem; in quo nullum apparet inconueniens. At verò in nostro casu, si superior reseruaret sibi vltimum iudicium circa pœnitentiam, iam ipse imponeret immediatè, & proximè satisfactionem sacramentalem: quæ quidem impositio, cùm sit actio sacramentalis nõ potest fieri nisi à ministro Sacramenti, & à Sacerdote. Vnde superior, qui non esset Sacerdos, licèt possit dare iurisdictionem, & præscribere pœnitentiam ab inferiori imponendam; non tamen posset ipse imponere pœnitentiam sacramentalem, & eleuare illam ad effectum ex opere operato, cùm hoc debeat procedere ex potestate ordinis, quam ipse nõ haberet. Fateor ergo, quòd posset superior dare iurisdictionem inferiori, & præscribere, vt obligaret subditum ad implendam pœnitentiam, quam superior illi postea designaret: quia tunc, vt supra dixi, superior non imponeret pœnitentiam, sed solùm inferior, qui re vera imposuit pro pœnitentia totum id, quod postea superior designaret: Tunc autem, vt dixi, posset subditus postea non comparere, commutata sibi illa pœnitentia in aliam iuxta aliquorum sententiam, vel in aliquam indulgentiam plenariam. Quod verò superior postea imponat de nouo propria auctoritate pœnitentiam Sacramentalem, hoc dicimus non cohærere cum institutione huius Sacramenti, in quo vnicus debet esse minister, & iudex proferens sententiam integram absolutionis & punitionis.

Eodem modo solui potest aliud argumentum, 113.
quo vtitur idem Suarez *num.* 24. quia sententia (inquit) confessarij quoad hanc partem non est immutabilis: ergo potest superior hanc mutabilitatem sibi reseruare, vt suo iudicio confirmetur. Ad hoc, inquam, ex dictis respondetur, aliud esse obligare inferiorem ad mutandam; vel non mutandam pœnitentiam semel impositam, (& hoc potuisset fortasse superior facere, quando dedit facultatem) aliud verò imponere pœnitentiam, quam confessarius non imposuit; & hoc dicimus, non posse facere superiorem. Potuisset itaque superior dare inferiori iurisdictionem limitatam, v.g. ad imponendam pœnitentiam, & augendam, vel mutandam illam postea pro arbitrio superioris, non tamen potuit reseruare sibi munus imponendi immediatè pœnitentiam; sed in eo casu posset solùm arbitrari superior, & adeundus esset iterum confessarius inferior, vt iuxta debitum suum imponeret pœnitentiam, quam arbitratur superior. Adde, si confessarius absolutè imposuit talem pœnitentiam determinatam, non posse post absolutionem augere illam inuito pœnitente, vt dicemus infra disp. 25. sect. 6. nisi fortè quando priùs confessarius reseruasset sibi facultatem augendi pœnitentiam postea. Denique restat semper difficultas sæpè repetita, quod pœnitens posset postea liberare se ab illo onere comparendi à confessario impositi per aliquam indulgentiam, & fraudaretur intentum reseruationis.

Quod verò spectat ad illud tertium munus cu- 114.
randi pœnitentem in futurum; quod dicit Suarez potuisse superiorem sibi reseruare, & hac ratione obligare subditum ad cõparendum pro accipienda debita curatione, quã sibi superior reseruauit. Hoc, inquam, non videtur firmum adminiculum: quia confessarius præcisè vt medicus, nõ potest obligare pœnitentem, vt infra videbimus. Potest quidem,

&

& debet ostendere ipsi obligationem suam vitãdi talem occasionem proximam,restituendi , vel aliquid aliud faciendi.Potest etiam,& debet imponere in pœnitentiam ea quæ credantur fore vtilia ad remedium,& medicinã, & hoc pacto obligare poterit ad medicinam adhibendam,quatenus eam simul imponit pro satisfactione Sacramentali.Cæterùm præcisa potestate imponendi pœnitentiam,nõ apparet,quomodo præcisè vt medicus possit obligare præcepto suo ad aliquid faciendum,ad quod alias pœnitens non teneretur.Hoc ergo supposito, de quo dicemus infra *disp.25.*consequens est,si superior non potest reseruare sibi potestatem imponendi pœnitentiam , vt probatum est , non posse etiam reseruare sibi potestatem adhibendi medicinam,itavt propter eam rationem subditus maneat obligatus ex vi Sacramenti ad comparendum coram superiore, vt recipiat curationem debitam ad complementum totale Sacramenti suscepti.

115. *Intervenit pactum cum pœnitente.* Facilius ergo ad casum , & praxim illam Religiosorum Respondetur,id non fieri absque consensu tacito pœnitentis;datur enim illa facultas à Prælato cum quodam quasi pacto , quo pœnitens vtendo illa facultate se obligat ad comparendum coram superiore,quod pactum fieri potest, vt tandem fatetur Vasq.*dicto dub.6.n.*13.& cui obligationi non satisfacit,si postea non manifestet superiori illud peccatum reseruatum,Quo tandem modo intelligi debere in nostra societate facultatem obtinendi absolutionem à reseruatis in itinere,si quando casus occurrat,declarauit R.P. Mutius Vitelleschus Generalis Præpositus anno 1617.litteris ad societatem datis,quibus edixit primò,non esse societatis mentem eam facultatem dare,quando subditus ex industria eo ipso fine facit iter ,vel aliàs iter facturus ex industria confessionem differt,vt possit in ipso itinere absolui : Secundò,non posse etiam in itinere adiri externos,cùm adsunt proprij. Tertiò *obligationem illam esse conditionem , sine qua nullo modo societas concedit facultatem ; ideoque qui non habet animum acceptandi , vel implendi , non posse vti facultate illa ; & in vsu eius facultatis tacitè contineri acceptationem conditionis , qua subdit in re tanti momenti,atque ad bonum societatis maximè conducentis illi se obliget.* Hæc ibi : ex quibus verbis apertè colligitur , ita exigi acceptationem illius obligationis ad valorem absolutionis;vt si subditus acceptare nollet ,re vera non detur facultas absoluendi. Vnde apparet,non benè concessisse P.Suar.

116. *dict.sect.5.n.*19.si pœnitens bona fide existimaret, se non teneri ad acceptandam illam obligationem comparendi & ideo fingeret se illam acceptare ad extorquendam absolutionem, cùm tamen interim non acceptaret;tunc, inquam , absolutionem fore validam , quia facultas datur dependenter ab illa acceptatione. Hoc tamen apertè opponitur verbis suprà adductis,quibus societas declarat,se non dare facultatem illam nolenti acceptare talem obligationem. Est autem illa obligatio grauis, vt constat ex eisdem verbis,quia materia non est lenis,sed

117. grauissima,vt bene probat idem Suarez *n.*11. quia non ordinatur ad meram notitiam Prælato dandam , sed ad correctionem subditi , ad disciplinæ religiosæ conseruationem , ad continendos subditos,& ad fines omnes,qui in reseruatione grauiorum delictorum intenduntur. Denique constat, illam obligationem non extorqueri à subdito iniustè , & per violentiam : Prælatus enim vtitur iure suo nec tenetur dare facultatem confessario absoluendi à reseruatis , nec obligat subditum ad acceptandam facultatem sub eo onere , sed offert facultatem , vt vel respuat,vel liberè eam sub tali onere acceptet, vt fatetur idem Suar.*n.*11.

Obiiciet aliquis primò, quia ex hoc sequeretur 118. subditum ;qui ignorat pactum , vel onus illud, & bona fide confitetur , & absoluitur in itinere, vel non esse absolutum,si facultas non datur,nisi acceptanti obligationem comparendi,quam obligationem ignorans non potuit acceptare, vel certe absolui validè, & nullam obligationem contrahere, quia si hæc erat solùm ex pacto , non potuit obligari absque vlla prorsus voluntate obligandi.

Respondetur , in prædicto casu absolutionem 119. esse validam , & subditum manere obligatum ad Quid si subcõparendum ,quia per ipsam confessionem ,& petitionem absolutionis contraxit obligationem propter pactum implicitum ibi contentum , quod indicant verba suprà adducta,dum dicitur,*in vsu eius facultatis tacitè contineri acceptationem conditionis.* Ratio autem esse potest, quia qui habet voluntatẽ efficacem alicuius actionis validæ exercendæ, vel suscipiendæ , eo ipso habet implicitè voluntatem eorum,quæ ad prædictum actum validè exercendũ requiruntur. Hinc est,hominem baptizatum volẽtem efficaciter cõtrahere matrimonium verum,& validum,licèt nesciat illud esse Sacramentũ,adhuc habere voluntatem implicitam recipiendi ,& ministrandi Sacramentum,quia vult facere id totum, quod requiritur ad contrahendum validè,& inculpadum verum matrimonium. Hinc etiam est eum, qui vult verum , & validum matrimonium efficaciter celebrare,licèt nesciat illud afferre secum indissolubilitatem perpetuam , imò licèt ex priuato errore putet esse dissolubile , adhuc contraheret matrimonium indissolubile propter voluntatem vniuersalem , & efficacem , quam habuit contrahendi verum , & validum matrimonium. Hinc etiam est , quod ille, qui recipit ordinem sacrum, licèt nesciat vorum castitatis , quod Ecclesia Latina voluit ordini sacro annexum esse, adhuc maneat ligatus voto implicito in illo actu contento propter voluntatem efficacem,quam habuit faciẽdi actum illum, & suscipiendi onera illi statui annexa,vt cum aliis docet Thomas Sanchez *lib.7.de* 120. *matrimonio disp.27.num.* 11. & quidquid sit de voto castitatis ig norante illud esse annexum ordini sacro;in nostro tamen casu maior ratio est id asserendi:quia ordo sacer,etsi non licitè,validè tamen suscipi potest absque voto castitatis, nec valor ordinis pendet à voto castitatis , atque ideo potest 121. esse voluntas validè suscipiendi ordinem cum voluntate nõ vouendi castitatem: At verò in casu nostro valor absolutionis pendet à voluntate acceptandi obligationem comparendi;quia Prælatus nõ aliter vult dare facultatem absoluendi à reseruatis: Ergo eo ipso , quod subditus vult recipere Sacramentum validè,& subdi confessario, vult implicitè,& tacitè subdi cum iis omnibus oneribus , sine quibus actu ille non subsistit , nec validè subditur ad absolutionem obtinendam. Fateor, si ipse positinè nollet subire talem obligationem, & ita nollet,vt efficaciùs nollet talem obligationem, quàm vellet valorem absolutionis , tunc , inquam , nec actus valeret , nec maneret obligatus ex pacto, 122. sed ex priori obligatione , quam prius habebat confitendi peccata reseruata suo superiori. Cæterùm quando subditus ignorat obligationem illam , & vult absolutionem validam voluntatæ efficaci , eo ipso vult implicitè talem obligationem , quæ hic , & nunc necessaria est ad valorem 123. Sacramenti. Exemplum optimum esse potest in eo, qui ignorat pœnitentem obligari ad implendam pœnitentiam sibi à Confessario impositam, hic enim , non obstante illa ignorantia , eo ipso,

quod

quod vult recipere Sacramentum,& absolutionem validam, vult etiam implicitè subire illud onus,& obligationem, quia vult omnino subdi Sacerdoti, in qua subiectione continetur potestas obligandi ad satisfactionem, quod totum pœnitens confusè vult per illam voluntatem suscipiendi Sacramentum, licèt ipse ignoret talem obligationem, imò licèt,si eam scilicet, nollet se exponere illi obligationi, nec recipere Sacramentum cum tanto onere: Nam quidquid sit de eo, quod tunc vellet, nunc tamen verè vult subdi Sacerdoti, & facere hanc actionem validam. Sic ergo in casu nostro pœnitens ignorans obligationem,quam subit comparendi coram superiore, vult tamen subdi huic Sacerdoti in hoc foro, quæ subiectio affert secum necessariò illam obligationem, sine qua non esset valida,quod sufficit,vt tacitè, & implicitè velit talem obligationem.

122. Secundò obiicitur ex Suar.*n.*20.quia quando in casu necessitatis aliquis absolvitur à reseruatis Papæ cum onere comparendi postea, cùm potuerit, iuxta formam præscriptam in c.*Eos qui* de sententia excommunicationis *in* 6. illa obligatio comparendi non oritur ex pacto,aut ex voluntate pœnitentis, sed ex voluntate Pontificis concedentis facultatem,& iurisdictionem cum illa limitatione,& reseruando sibi vltimum iudicium, quoad satisfactionem imponendam: Idem ergo dici debet, quando ea obligatio oritur ex voluntate alterius superioris, in hoc enim eadem videtur esse ratio omnium superiorum.

123. Respõdetur, casus Pontificis posse esse vel absque censura aliqua,vel cum censura annexa, provt communiter illam habere solent.Et quidem,si habent censuram,facilè intelligitur, quomodò possit pœnitens absque vllo pacto explicito manere obligatus ad comparendum: quia nimirum potuit ex voluntate Pontificis censura auferri,non absolutè, sed ad tempus,ita vt postea rediret,non posita tali, vel tali conditione: quia cùm censura tota sit ex iure humano,& voluntate Pontificis;potest eâdem voluntate auferri,sub qualibet conditione,& limitatione. Prælatus autem religionis non potest hoc modo obligare subditum, quia non potest dare facultatem absoluendi sub conditione, vel ad tempus; atque ideo necesse est, vt obligatio comparendi proueniat etiam ex voluntate ipsius subditi.

124. Si verò sermo sit de peccatis Pontifici reseruatis absque censura, hæc quidem, vel nulla sunt,vel si aliquod sit, aut vnquam fuerit, rursus distinguendum est:nam vel facultas ab illo absoluendi datur pro mortis articulo, vel pro aliis temporibus: Si detur pro mortis articulo, ipse P.Suar. *dicta sect.* 1. *num.* 32. in vniuersum docet peccatorum absque censura reseruatorum absolutionem pro mortis articulo non posse, nec debere concedi cum illo onere comparendi; quia cum in eo casu confessio sit simpliciter necessaria, cogeretur, & obligaretur subditus ad dicenda bis sua peccata,quæ necessitas non videtur esse iuxta institutionem huius Sacramenti. In illo ergo articulo subditus absolutus à peccatis Pontifici reseruatis absque censura, non haberet obligationem comparẽdi,neque ex pacto. neque aliundè, iuxta sententiam ipsius Suarez. Et quidem textus in illo c. *Eos qui*,loquitur solùm de eo,qui absoluitur à censura,vel sententia Ecclesiastica in quam vult Pontifex,vt reincidat, nisi data

125. potestate compareat. Denique si sermo sit de subdito absoluto à peccato Pontifici reseruato,nõ quidem in mortis articulo,sed in alia necessitate,quãdo legitimum impedimentũ habebat adeundi Pontificem, facilè respondebimus, si inueniatur peccatum aliquod absque censura reseruatum Pontificis,& facultas concessa ad absoluendum ab illo in casu necessitatis extra mortis articulum,cum onere comparendi postea,(quæ quidem difficile de facto inuenientur) interpretandum id etiam esse iuxta doctrinam supra positam, vt pœnitens debeat explicitè,vel implicitè acceptare conditionem illam, & obligationem comparendi, quam si non acceptet,non poterit vti facultate cum eo onere concessa. Cùm enim Pontifex eo casu vellet pœnitentem omnino obligare ad comparendum, & seclusa non esset alia via efficaciter obligandi,nisi interueniente aliqua voluntate subditi volentis sibi imponere talem obligationem;totum hoc censeretur velle Pontifex tunc,sicut Prælati Religiosi professi sunt,se id velle, & intendere, quando concedunt facultatem absolutionis obtinendæ in iis casibus cum onere comparendi.

Tertiò obiicitur,quia si pœnitens bona fide cõfiteatur,ignorans illam obligationem comparendi, 126.
& ante absolutionem admoneatur à confessario de illo onere:tunc,inquam, poterit pœnitens recusare illam obligationem,& tamen petere absolutionem, ad quam iam acquisiuit ius per confessionem factam, ne cogatur bis eadem peccata confiteri;nam si in prædicto casu negaretur illi absolutio,iam cogeretur absolutè bis confiteri eadem peccata, neque esset in potestate pœnitentis illud grauamen effugere.Fatendum est ergo eam obligationem non prouenire ex acceptatione pœnitentis,sed ex iurisdictionis limitatione,provt volebat Suarez.

Hoc tamen argumentum,quòd magnum negotium facessit Suario *n.*17.& 19. ex supradictis fa- 127.
cilè solui potest. Negamus itaque pœnitentem ex confessione bona fide facta,acquisiuisse ius ad absolutionem obtinendam recusato onere comparendi. Quis enim dedit illi tale ius? Non quidem inferior Confessarius;qui cùm non habeat potestatem delegatam absoluendi, nisi acceptantem illud onus,non potuit se obligare ad dandam aliter absolutionem;hoc enim esset obligare se ad impossibile.Siue ergo peccauerit,vel non peccauerit, non aperiendo pœnitenti ab initio illam obligationem, ne frustrà diceret sua peccata; postea tamen non obligatur ad absolutionem dandam contra voluntatem superioris; sed neque superior dedit tale ius pœnitenti. Cur enim obligetur superior ad dãdam facultatem ex eo, quod subditus imprudenter, vel ignoranter confessus est sua peccata non habenti facultatem absolutam, sed limitatam absoluendi? Alioquin quoties subditus bona fide confessus esset peccata reseruata inferiori,deberet etiam superior dare facultatem absolutionis obtinendæ ab inferiori, licèt posset ipse superior, qui Episcopus est,facilè adiri, ne scilicet cogatur subditus eadem peccata bis cõfiteri. Debet igitur subditus sibi imputare necessitatem,quam subit bis aperiendi idem peccatum,eò quòd ignoranter confessus illud fuerit,cui non debebat illud in rigore confiteri; nec superior inducit illum in eam necessitatem, sed ignorantia propria fuit causa potissima illius necessitatis subeundæ: sicut si bona fide confessus fuisset laïco, non ideo excusaretur ab eisdem peccatis iterum confitendis.

Manet ergo ex his omnibus non posse præcipi 128.
duplicem cõfessionem eorumdem peccatorum pro tota Ecclesia,neque in prædicto casu præcipi; sed pœnitentem ipsum ob suam commoditatem acceptare propria voluntate,& sponte sua imponere sibi illud onus.Quando verò transacto periculo,aut necessitate,ille,qui absolutus fuit à Censuris Papæ reseruatis, obligatur ad comparendũ,nõ obligatur,

vt iterum Sacramentaliter confiteatur : sed solùm vt se præsentet ad recipiendam pœnitentiam , vel satisfaciendum Sedi Apostolicæ , quod mandatum iustum est,& eius transgressio punitur secunda excõmunicatione. Quod quidem faciliùs potuit præcipi in absolutione ab excommunicatione, vt dixi, quam in absolutione à peccatis;cùm enim excommunicatio sit censura imposita ab Ecclesia , potest auferri ab Ecclesia hoc,vel illo modo,cum hac,vel illa limitatione : peccata autem tolluntur per potestatem à Christo datam Sacerdoti, atque adeo lata semel absolutione directa in subditum , tolluntur omnino absque limitatione,aut conditione vlla.

§. 4. *An sit præceptum humanum confitendi venialia.*

129. *An Ecclesia possit præcipere confessionem venialium.*

DVbitari potest quartò , An possit ab Ecclesia præcipi confessio peccatorum venialium ? Aliqui negant ; Palud. Sylvester , & Sotus apud Suar. *disp.* 22. *sect.* 8. *n.* 2. quibus fauet Nauarrus *in summa, c.* 2. *n.* 9. Alij communiter affirmant ; S. Th. Alensis , Bonauent. apud Suarez ibi , qui eandem sententiam amplectitur, Vasquez etiam *q.* 90. *art.* 2. *dub.* 2. *&* 3. Coninch. *disp.* 5. *n.* 53. & alij quorum plures explicant de obligatione confitendi omnia : hoc enim esset nimis durum, & moraliter impossibile.sed aliqua, cum qua limitatione probabile videtur id non excedere potestatem Ecclesiæ. Nam licèt confiteri omnia mortalia , si non esset præcep um à Christo, vel confiteri omnia occulta, esset graue onus excedens Ecclesiæ potestatem ; confiteri tamen aliqua, hæc,vel illa, non videtur graue onus, & aliunde compensatur vtilitate Sacramenti afferentis gratiam ex opere operato.

130. Vnde infero non solùm posse Ecclesiam confessionem venialium præcipere indirectè,quatenus præciperet vniuersaliter confessionem annuam, & consequenter ille, qui solùm haberet venialia, teneretur ex hoc præcepto confiteri venialia;sed etiã directè, quod immeritò negat Coninch. vbi suprà. Nam si propter aliquid non posset,id esset propter rei difficultatem ; hæc autem eadem est , quando præciperetur indirectè , neque est magna difficultas,vt dixi,confiteri aliqua, hæc, vel illa. Cur ergo non poterit etiam directè præcipi ? Dices , quia id parũ esset vtile;quid enim refert confiteri aliquod veniale,si potest homo alia non confiteri,& eligere,quod voluerit ad implendum illud præceptum ? Sed contra , quia hoc ad summum probaret non posse id sub peccato mortali præcipi,quia non esset res magni momenti,& vtilitatis. Deinde fortasse non parum, sed multum conducit ad profectum spiritualem habere curam , & propositum efficax extirpandi aliquod peccatum veniale, in quod homo solet cadere , quod experientia ostendit in iis, qui frequenter peccata venialia confitentur. Nam licèt non confiteantur omnia, sed aliqua , quæ ipsi volunt : hoc tamen ipsum magnum frænum est,& remedium ad corrigendos defectus ordinarios , & peccata leuia.

131. *An de facto sit tale præceptum.*

An verò de facto sit tale præceptum confitendi aliquando venialia ? Multi affirmant , primò propter confessionem annuam ; qui enim non habet mortale, cogitur confiteri venialia,vt impleat præceptum annuæ confessionis. Ita Alex. Richard. & Bonauent. apud Vasq. *q.* 90. *art.* 2. *dub.* 2. & quidem in praxi positum est , vt omnes confiteantur , vel excommunicentur , tanquam transgressores præcepti Ecclesiastici.

132. Verior tamen sententia negat , teneri ex præcepto ad confessionem eos , qui sola habent peccata venialia. Hæc est communis Theologorum , quos referunt,& sequuntur Vasquez,vbi supra , & Suarez *disp.* 36. *sect.* 2. *n.* 7. Probatur primò, quia præceptum Ecclesiæ in illo cap. *omnis*, est de confitendis omnibus peccatis semel in anno, ergo , solum loquitur de omnibus mortalibus ; certum enim est, non esse præceptum de confitendis omnibus venialibus. Secundò,quia Ecclesia non præcepit rem non debitam ex Christi præcepto,sed solum,quod confessio iam præcepta impleretur saltem semel in anno,vt docet Tridentinum *sess.* 14. *c.* 3. *in fine*ergo solum præcipit confessionem mortalium;hæc enim sola erat præcepta à Christo.

Fatemur , de facto omnes confiteri, quia apud 133.
fideles mirum esset,si inueniatur aliquis, qui inter homines vitam degat,& nec confiteatur per totum annum , nec peccet mortaliter ; qui enim absque peccato mortali peragunt annum, solent frequentissimè alia minora peccata confiteri. Vnde qui non confitetur,præsumitur non id facere propter defectum,sed propter excessum materiæ. Si quis autem esset absque peccato mortali, non teneretur per se loquendo ex vi præcepti ad confessionem annuam; teneretur tamen communiter propter scandalum ire ad Parochum , & reddere rationem suæ conscientiæ , vt ostenderet , cur non impleret præceptum annuæ confessionis.

Alij secundò dicunt , dari de facto præceptum 134.
confitendi venialia saltem respectu aliquorum, quales sunt Monachi Sancti Benedicti , quibus in Clem. 1 *de statu Monachorum*, præcipitur mensrua confessio : hi enim, si mortalia non haberent , tenentur confiteri venialia, vt impleant illud præceptum. De hoc præcepto variæ sunt sententiæ , de quibus Suar. *disp.* 36. *sect.* 5. *n.* 7. Aliqui dicunt,illud intelligi , sicut præceptum vniuersale annuæ confessionis, nempè , vt qui habet materiam necessariam peccati grauis, confiteatur semel in mense. Alij dicunt , illam quidem esse regulam , qualem habent etiam alij religiosi confitendi semel in hebdomada, non tamen esse præceptum sub peccato mortali. Alij denique dicunt, obligare quidem sub peccato mortali;nec mirũ,quod per accidens aliquando obliget ad confessionem venialiũ; hoc enim,vt diximus, non excedit potestatem Ecclesiæ,cum non sit graue onus,quod aliquis confiteatur aliquod peccatum veniale,quod ipse voluerit , quando non habet mortale : præsertim cùm posset, si vellet, confiteri solum aliquod mortale, quod iam sæpè confessus sit , vel aliquod etiam veniale antiquum, de quo iam sæpè doluit, & faciliùs dolet. Quodlibet enim ex his sufficeret ad implendum hoc præceptum (si quod est) confessionis menstruæ. Et quidem quælibet harum responsionum ad præsentem difficultatem videtur probabilis.

§. 5. *Per qualem confessionem satisfiat præcepto Ecclesiastico.*

DVbitatur quintò, qualis confessio sufficiat ad 135.
satisfaciendum huic præcepto Ecclesiastico ? Aliqui volunt, satisfieri per quamcumque confessionem ; ficto etiam animo factam, absque dolore vllo , & absolutione non sequuta : quam sententiam refert,& reiicit Vasquez *q.* 92. *art.* 3. *dub.* 5. & Suarez *disp.* 36. *sect.* 7. *num.* 1. Alij per confessionem saltem validam ex defectu doloris,quos refert Diana *tom.* 2. *tract.* 4. *resol.* 120. Alij dicunt, satisfieri per confessionem internam quæ sit verum Sacramenti validum,

validum,licèt informe. Denique Vasquez ibi cum aliis docet, requiri quidem Sacramentum validum,& formatum:non tamen incurri pœnam excommunicationis (quæ ferri solet in transgressores) propter solum defectum internum doloris, aut intentionis, aut manifestationis alicuius peccati interni, quia pœnæ imponuntur mero iure Ecclesiastico; quo quidem non potest prohiberi, aut præcipi actus internus,quod etiam tenet Henriquez *lib.4.c.4.§.1.*

136. Mihi verior videtur sententia Patris Suarez dicto loco,& *lib.4.de legibus c.13.* qui alios affert, & plures alios Diana loco citato. Cum quibus dico primo: non satisfieri præcepto Ecclesiæ quacunque confessione, etiam absolutione non sequuta. Quia Ecclesia præcepit,non aliquid nouum,sed id quod ex Christi præcepto debitum erat, vt dixit Tridentinum loco citato: Christus autem nō præcepit confessionem, vtcumq; sed confessionē,quæ per iudicis sententiam terminaretur;ergo hoc ipsum præcipit Ecclesia,fieri singulis annis:nō enim fuerunt duo Christi præcepta, vnum confessionis faciendæ,alterum absolutionis recipiendæ,sed vnū vtriusq; scilicet,recipiendi hoc Sacramentum:ergo cùm Ecclesia illud Christi præceptum voluerit singulis annis obseruari, præcepit totius Sacramenti receptionem:quod intelligendum est iuxta id,quod dicemus *sectione sequenti n.* 172.

136. 137. Dico secundò:per Sacramentum validum,& informe impletur sufficienter illud præceptum.Hæc est communis nec negatur ab illis etiam,qui negāt dari posse Sacramentum hoc informe:ipsi enim concedunt,quod si dari posset, satisfieret præcepto per tale Sacramentum. Ratio autem est quia præceptum,non est de fructu Sacramenti,sed de Sacramento suscipiendo;quare sicut per communionem, aut auditionem Missæ absq; fructu positam propter statum peccati,aut propter malum finem,quo Missa auditur,adhuc implentur præcepta communionis,vel sacri audiendi ,sic à fortiori per confessionem informem satisfiet, præsertim cùm hæc postea ablato obice habere possit suum effectum.

138. Dico tertiò:per confessionem illam,per quā non satisfit præcepto, eo quod non sit Sacramentum propter defectum doloris, vel intentionis, &c. incurruntur etiam pœnæ Ecclesiasticæ excommunicationis,& similes,nisi inaduertētia excuset,vel aliquid simile.Probatur primò ex argumēto cōtrario, quia Ecclesia potest in his casibus præcipere actum internum,sine quo non stat actus externus præceptus:potest enim Ecclesia præcipere receptionem extremæ vnctionis, auditionem sacri,recitationem officij diuini, & alia eiusmodi;quæ tamen omnia esse non possunt sine intentione interna recipiendi Sacramentum,audiendi sacrum, orandi, &c. Vnde si aliquis vngeretur exteriùs, vel adesset sacro,vel legeret officium materialiter absque intentione recipiendi Sacramentum,audiendi sacrum,vel orā di,procul dubio non impleret præceptum, & per consequens incurreret excommunicationem, vel alias pœnas, quæ transgressoribus fuissent impositæ;ergo potest similiter præcipere Sacramentum pœnitentiæ, licet consequenter præcipiat actus internos requisitos ad valorem Sacramenti:& potest imponere pœnam transgressoribus huius præcepti.

139. Secundò probatur,quia Ecclesiæ præceptum terminatur ad idem, quod à Christo præceptum fuerit, vt constat ex Tridentino supra allegato: ergo eadem Ecclesia pœnas imponens transgressoribus huius præcepti, imponit pœnas nō facientibus semel in anno id,quod ex Christi præcepto debitum erat,non enim est aliud Ecclesiæ præceptū,nisi de illo eodem obiecto. A Christo autē non fuerat præceptum, nisi de vero Sacramento Pœnitentiæ susucipiendo;ergo omittentes hanc veri Sacramenti susceptionem intendit omnino Ecclesia punire.

Ratio autem à priori est;quia licèt Ecclesia non 140.
possit præcipere actus merè internos;potest tamen præcipere externos, vt detur visibilis subordinatio & conformitas inferiorum ad superiores in hac visibili Hierarchia,vt fatetur Vasquez.Ad hanc autē visibilem subordinationem,& conformitatem,non solùm requiritur in Ecclesia potestas præcipiendi actionem externam nudam, & inanimatā,sed animatam actu interno.Cōformitas enim,v.g. esse debet in hoc,quod omnes tali die offerant Sacrificiū, vel orent Deum:si autem fieret mera actio externa proferendi verba consecrationis absque intentione,vel actio legendi psalmos absq; intentione orādi,sed vt acquireres vsum legendi,non daretur sacrificium,nec oratio, & per consequens non esset conformitas in sacrificio,& oratione, sed in actione externa ridicula,& impertinenti,ad quam præcipiendam esset etiam inutilis, & impertinens potestas: quid enim refert, quod fiat talis prolatio verborum secundum se:Potestas ergo Ecclesiæ,si quæ est,debet esse ad præcipiendum sacrificium,ad præcipiēdam orationem,&c.Qui actus externi nō possunt esse appetibiles; & volibiles nisi sint cum intentione interna,& per consequens debuit esse potestas præcipiendi talem intensionem internam,sine qua non datur oratio,vel sacrificium:ergo similiter debuit dari potestas præcipiendi vsum Sacramentorum,qui vsus externus non potest esse absq; voluntate recipiendi Sacramenta,& in hoc Sacramento pœnitentiæ non potest esse absque dolore interno,vt supponimus.

Confirmatur;quia,si potestas humana non pos- 141.
set præcipere hoc modo,& consequenter actus internos,non posset Ecclesia præcipere eleemosynā, provt de facto eam præcipit beneficiariis de superfluo;nam eleemosyna est dānatio externa requirēs voluntatem internam transferendi dominium in pauperes accipientes; posset ergo beneficiarius implere præceptum Ecclesiæ dando exteriùs pecuniam absque vlla intentione interna, ac per consequens, si alius hoc sciret, posset clam illam pecuniam à paupere accipere, absque eius iniuria. Deinde non posset respublica præcipere per legem, vel per sententiam contractum aliquem fieri, emptionis, locationis, &c. nec posset iudex præcipere testi, vt iuraret; nam iuramentum exigit voluntatem internam iurandi, & adducendi Deum in testem. Quæ omnia videntur omnino absurda;tollunt enim omnem ferè potestatem Ecclesiasticam,& humanam.De hoc tamen ex professo agitur in tractatu de legibus,vel etiam in tractatu de horis Canonicis. Pro nunc sufficiat breuiter tetigisse.Per quod patet ad fundamentum aduersariorum,nam licèt Ecclesia non possit præcipere,vel punire actum solum internum, potest tamen, vt diximus,actum internum,à quo aliquis actus externus,quem Ecclesia potest præcipere,habet esse talem actum humanum,qualis est materia præcepti.

SECTIO VII.

Quas personas,& quo tempore obliget hoc præceptum Ecclesiæ?

DE infidelibus non baptizatis certum est non 142.
obligari,cùm non sint subditi Ecclesiæ.De iis

Summus Pontifex an obligetur.

qui sunt intra Ecclesiam, dubitatur primo de summo Pontifice; an obligetur hoc præcepto annuæ confessionis? Aliqui negant; quia cùm hoc præceptum sit Ecclesiasticum, & Pontifex sit super omne ius Ecclesiasticum, non ligatur tali præcepto, Princeps enim legibus solutus est.

Secunda sententia verior affirmat. Hanc tenent Azor *tom. 1. institut. moral. lib. 5. cap. 11.* Suarez *in præsenti disp. 36. sect. 2. num. 5.* Vasquez *q. 90. art. 1. dub. 5. num. 22.* & alij, quos ipsi afferunt. Probant, quia licèt Princeps non obligetur legibus quoad vim coactiuam; obligatur tamen quoad vim directiuam, quatenus non debet se absque rationabili causa eximere ab obligatione; quam ipse reliquo corpori imponit. Hæc ratio non videtur satis firma, saltem ad inducendam obligationem grauem, qualem ij Auctores communiter inducunt: nam licet supremus Princeps iuxta probabiliorem sententiam non possit absque rationabili causa secum dispensare in propria lege; hoc tamen peccatum dispensationis absque causa sufficienti, existimatur à multis solum veniale, quos refert, & sequitur Thom. Sanchez *lib. 8 de matrim. disp. 18. n. 7.* & nouissimè Castro Palao *tom. 1. tract. 3 disp. 6. punct. 8. §. 1. num. 5.* quando non adest scandalum aut notabile aliorum damnum, licèt ipse Sanchez postea *lib. 5. consil. c. 1. dub. 5.* hanc sententiam reuocet. Si ergo potest absque culpa graui Pontifex dispensare cum aliquo in sua lege, cur non posset absque graui culpa secum dispensare. Quod si potest dispensare, iam obligatio tota illius legis respectu Pontificis erit solùm sub veniali, cùm possit quoties voluerit, dispensare secum, & auferre sibi obligationem sub mortali.

143. Aliter ergo ex supradictis probant alij hanc communem doctrinam: quia licèt sit formaliter præceptum Ecclesiasticum; & tamen fundamentaliter, seu remote diuinum, quatenus Christus præcipiens confessionem, videtur etiam præcepisse Ecclesiæ, quod determinaret tempus lege aliqua Ecclesiastica; quare Pontifex tenetur hanc determinationem facere pro omnibus; nec potest licitè eam determinationem tollere; atque adeo Papa, si non confiteretur, peccaret: quia vel hoc faceret non oblata vllo modo Ecclesiastica lege confessionis, & tunc peccaret contra legem determinantem tempus confessionis à Christo præceptæ, & per consequens contra legem Christi obligantem iam posita determinatione temporis; vel tolleret priùs legem Ecclesiasticam, seu determinationem temporis, quoad se, abrogando illam partialiter, & tunc peccaret contra legem Christi, quia debet omnibus fidelibus determinare tempus, quo implere debeant præceptum Christi. Cæterùm negari adhuc non potest, probabile esse, quod si hanc legem Ecclesiasticam quoad se non omnino tolleret, sed alteraret quoad tempus. volendo, quod determinatio temporis, quoad se esset pro hac vice annus cum dimidio, non peccaret grauiter; iam enim relinqueret aliquam temporis determinationem etiam pro se, & aliunde non videtur culpa grauis non conformare se in omnibus cum suis subditis, quod vltra citatos Auctores docet Salas *de legib. disp. 14. sect. 2. num. 19. & 20. & disput. 10. sect. 2. n. 104.* Azor *1. tom. lib. 3. cap. 11. q. 1.* Lessius *lib. 2. de iustitia cap. 35. dub. 5. num. 34.* Fillucius *tom. 2. tractat. 21. cap. vltimo, numer. 426.* & alij.

144. *An obliget hæreticos,* Secundò dubitari potest, an hæretici, & alij infideles baptizati hoc præcepto obligentur? Et quidem de præcepto diuino non est dubium, vt notat Suarez *disput. 35. sect. 2. num. 4.* loquendo autem de præcepto Ecclesiastico, non defuerunt aliqui Recentiores, qui id negarent, quia in illo cap. *omnis vtriusque sexus*, sermo est de solis fidelibus; dicit enim, *omnis vtriusque sexus fidelis*, &c. & in Concilio Tridentino, quoties de hac obligatione sermo habetur, semper repetitur illa particula, *fideles*, vt constat ex *sess. 14. c. 5. & can. 8.* & confirmari potest, quia si hæc lex lata esset etiam pro hæreticis, non videretur prudens, & rationabilis, cùm certum sit, ipsos eam non obseruaturos, atque adeò solùm deseruiret ad dandam materiam noui peccati in eius violatione.

Theologi tamen communiter videntur contrarium supponere, dum vniuersaliter dicunt, omnes 145. baptizatos, qui post Baptismum peccatum mortale commiserunt, comprehendi hoc præcepto, licèt de hæreticis expressè non loquantur. Et quidem si hæretici non comprehenderentur, sequeretur, nec etiam comprehendi eum, qui fortè incidit in aliquod peccatum graue contra fidem, atque adeo omnes alios peccatores debere confiteri, præter hunc qui peccauit etiam contra fidem, quod tamen nemo videtur concessurus. Ratio verò à priori est, quia hoc præceptum, vt diximus, non fuit de re noua, aut non iam debita ex iure diuino, sed de confessione à Christo præcepta, determinando tempus illius, quæ determinatio Ecclesiæ fuerat commissa, si homines essent negligentes in susceptione huius Sacramenti. Cùm ergo diuinum præceptum omnes baptizatos comprehenderet debuit etiam Ecclesia iis omnibus tempus præscribere confessionis faciendæ: alioquin non satisfeciisset Ecclesia debito suo determinandi tempus omnibus, qui alioquin ex Christi præcepto ad confessionem obligati erant.

Nec obstat in primis illa particula, *fideles*: quæ 146. habetur in illo textu; nam illo nomine significantur omnes, qui Baptismum acceperunt, quod est Sacramentum fidei. Sicut è contra non intelliguntur, qui fidem Christi habent, si baptizati non sunt; eos enim Ecclesia non potest obligare. Sic etiam Concilium Trident. eâdem *sess. 14. cod. c. 5. videns in prine.* declarans institutionem confessionis dixit, *Christum ascensurum ad Cœlos, Sacerdotes sui ipsius Vicarios reliquisse, tanquam Præsides, & iudices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Christi fideles ciderant.* Quibus verbis non excluſit certè peccata hæreticorum à potestate Sacerdotis; sed nomine *Christi fidelium*, omnes baptizatos comprehendit. Sicut è contra nomine *infidelium* sæpè intelliguntur ij soli, qui baptizati non sunt, vt constat ex multis locis, quæ habentur in decreto Gratiani *28. q. 1.* vbi sæpè *infidelium* nomine intelliguntur, qui extra Ecclesiam omnino sunt, & apud Theologos est frequens illa vsurpatio, vt quando dicunt, non licere baptizare filios infideliũ innitis parentibus; item matrimonium fidelis cum infideli esse irritum, in quibus locis certum est, nomine *infidelium* non comprehendi hæreticos baptizatos; nam horum filij baptizari possunt innitis parentibus, & matrimonium Catholici cum hæretica validum est; licèt non sit licitum. Sic ergo in illo textu nomine *fidelium*, comprehenduntur etiam hæretici vt distinguantur ab iis, qui fidem Christi nunquam professi sunt. 147.

Nec etiam obstat confirmatio adducta ex eo, quod lex illa esset inutilis, & nociua, si ad hæreticos extenderetur; hoc enim argumentũ multò magis probaret de aliis legibus Ecclesiasticis, quod non debeant hæreticos obligare, atque adeo ipsos nó peccare contra legẽ ieiunij, vel abstinentiæ à carnibus nec incurrere excommunicationẽ, & censuras latas

pro

pro variis criminibus. Quæ tamen omnia absurdissima sunt. Ratio autem est, quia ad hoc, vt lex aliqua vniversalis sit prudens, & iusta, non debemus attendere an sit futura vtilis huic personæ, vel illi, sed toti communitati, cui si vtilis sit, lex est rationabilis, nec debet restringi ad solas illas personas, quæ eam probabiliter obseruabunt: nam per hoc daretur ansa, vt multi malitiosè se subtraherent à legum obligatione, ponendo se in tali statu, in quo propter ipsorum peruersitatem non crederentur obseruaturi legem, & sic non intelligerentur obligari. Adde, quod hæc lex non oriatur ex mera voluntate Ecclesiæ, sed sit determinatio præcepti diuini, quam determinationem Ecclesia debuit facere, vt obseruaretur præceptum Christi: vnde cùm ab illo Christi præcepto non eximantur hæretici propter suam obstinationem; debuit etiam determinatio temporis pro illis fieri, vt Ecclesia suo debito satisfaceret: & ideo dixi, quod argumentum illud magis probaret hæreticos non obligari aliis Ecclesiæ præceptis, quàm hoc præcepto, in cuius promulgatione minus habet Ecclesia libertatis, & arbitrij.

148. *An obligent meretrices.* Hinc infertur decisio tertij dubij, quod fieri solet de meretricibus publicis, an obligentur hoc præcepto, vel saltem an incurrant excommunicationem quæ imponi solet transgressoribus? Aliqui enim dicunt, eas personas obligari quidem præcepto, sed non incurrere pœnas ex benigna Prælatorum voluntatis interpretatione. Sic docet Eman. Rodrig. Vinaldus. & Zerola, quos affert Fagundez *lib. 1. de secundo Ecclesiæ præcepto cap. 4. n. 10.* Sed verius videtur in rigore ex vi statuti comprehendi etiam pœnis, vt indicat Vasq *q. 92. art. 3. dub. 5. n. 8.* & clariùs Fagundez vbi supra *n. 11.* qui affert pro hac sententia Sà verbo *excommunicatio n. 43.* vbi nihil de hoc habet, sed in verbo *confessio num. 43.* agit de hoc; vbi absolutè docet oppositam sententiam in editionibus Romanis, in quam mutata est prior, quam docuerat in editione priori. Hæc tamen probari potest, quia lex est generalis, & pœna etiam generaliter imponitur omnibus transgressoribus, non ergo est, cur excipiantur ab ea, nisi contrariam intentionem habeant Episcopi, qualem fortasse habent plures, propter permissionem Reipublicæ circa illas meretrices.

149. *An obligent pueri* Quartò dubitari solet de pueris. Sotus enim *dist. 12. quæst. 1 art. 11.* dicit, non ligari præcepto Ecclesiæ licèt alibi dicat, eos obligari præcepto diuino confessionis, in quo non loquitur satis consequenter, vt notauit Vasq *in præsenti q. 90. art 2. dub. 4. num. 4.* quia Ecclesiæ præceptum, vt diximus fertur ad omnes, ad quos diuinum præceptum ferebatur. Communis ergo, & vera sententia est, hos pueros obligari, etiam præcepto Ecclesiastico, quando habent conscientiam peccati mortalis. Hanc tenent Theologi ferè omnes, quos afferunt, & sequuntur Suarez *disp 26. sect. 2. n. 3.* Vasquez vbi supra, & alij Recentiores. Constat primò ex textu ipso dicente: *omnis vtriusque sexus fidelis, cùm ad annos discretionis peruenerint*, &c. Vbi apertè determinatur tempus obligationis ab ipso principio vsus rationis. Secundò quia alia præcepta Ecclesiastica obligant pueros, vt audienti sacrum, abstinendi à carnibus, obseruandi festa, interdictum &c. Cur ergo non comprehendentur hoc præcepto? Tertio, quia (vt diximus) hoc præceptum est determinatio debita temporis pro implendo præcepto diuino: ergo extenditur ad omnes, qui comprehendebantur præcepto diuino, quales etiam sunt pueri.

150. An verò incurrant etiam pœnas excommunicationis, & similes, quas statuta synodalia solent in transgressores huius præcepti imponere? Communis, & verior sententia negat, quia Ecclesia non solet regulariter talibus pœnis punire delicta puerorum ante duodecimum, vel decimum quartum annos. Videatur Thom. Sanchez alios referens *lib. in decalog. 1. c. 12. num. 7.* In aliquibus tamen locis solet excommunicatio ferri vniversaliter contra omnes, qui post octauum ætatis annum non confitentur; vt in quadam Synodo Compostellana *c. de pœnit.* refertur factum: in aliis tamen posthuè excluduntur pueri ab incurrenda censura, vt in quadam Synodo Abulensi *tit. 1. part. 2.* Quando verò nihil dicitur, intelliguntur potiùs excepti iuxta vsum communem aliarum excommunicationum, licèt in aliquo casu speciali possint illam incurrere, vt notauit Vasquez cum aliis *vbi supra n. 7.* de puero doli capace ingrediente septa Monasterij Monialium, & de excommunicatione ob percussionem Clerici solet communiter idem dici. *An pueri incurrant pœnam.*

151. Dices, in illo c. *omnis*, præcipitur æqualiter confessio, & communio, & tamen communio annua non obligat pueros omnes habentes vsum rationis; ergo nec confessio. Respondetur, ex ipsis verbis præcepti colligi diuersitatem; nam communio præcipitur cum illa limitatione, *nisi fortè de proprij Sacerdotis consilio ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab huiusmodi perceptione dixerit abstinendum.* Hæc autem rationabilis causa prudenter existimatur esse ad non sumendam Eucharistiam, quandiu puer nondum plenè cognoscit dignitatem huius Sacramenti, vt cum debita reuerentia accedat.

152. Sufficit ergo communiter ad obligandos pueros ætas octo annorum, quia communiter septennio aduenit vsus rationis; ergo tunc incipit obligatio confitendi intrà annum; & per consequens quando habent octo annos. Dices, quid si fecit primum peccatum mortale paulò ante finitum tempus anni octaui, debet ne ex tunc computari annus confessionis, itavt possit confiteri intrà annum sequentem? Respondetur negatiuè, quia sicut in viris annus obligationis non computatur à die peccati, sed à principio anni modo infra explicando; sic in pueris annus debet computari non à peccato, sed ab vsu rationis, vel à principio anni.

153. Infertur ex dictis, sicut infantes ante illud tempus non obligantur, sic nec amentes, circa quos tamen aduertunt aliqui, posse aliquem esse rationis expertem in aliqua materia, qui tamen habeat vsũ rationis in alia, atque adeo hunc esse capacem confessionis, & obligari hoc præcepto, cum circa eius materiam habeat rationis vsum. Talem sumus experti in hoc nostro Romano Collegio fratrem quemdam per multos annos in omnibus ferè materiis rationis vsu carentem, præterquam in Sacramentorum receptione, itavt absolutionis capax iudicaretur, & frequenter Sacramenta reciperet.

Dubitatur quintò, quo tempore obliget hoc Ecclesiæ præceptum, hoc est, quomodo computetur annus, intrà quẽ semel obligat? Quatuor, vel quinque modis cõputari po est. Primus est à primo peccato mortali post confessionem. Hic modus reijcitur, quia si homo peccauit post confessionem anni præteriti paulò ante finem quadragesimæ præsentis, posset manere toto etiam anno sequenti absque confessione vsque ad quadragesimam anni sequentis. Quod est, contra praxim, & sensum fidelium.

154. *Quomodo computetur annus.* Secundus modus est, computare annum ab vltima confessione. Hic etiam modus reijcitur, primò, quia qui peruenerit ad vsum rationis, nõ potest computare annum ab vltima confessione, cùm nunquam confessus fuerit. Secundò quia verba legis nõ sunt,

ne differatur confessio vltra annum, sed vt semel fiat in anno. Alia argumenta affert Suarez *disp.36. sect.3.n.6.*

158. Tertius modus est, vt hic annus sit à Paschate in Pascha; includendo dies illos præcedentes, & subsequentes proximè. Hæc enim videtur esse communis consuetudo fidelium, vt omnes tunc confiteantur, quam approbat Trident. *dicta sess.14.c.5 in fin.* Hanc tenet Suarez vbi supra Coninch *disp.5. dub.6.* & alij plures.

Hic etiam modus difficilis est. Primò, quia iuxta hanc computationem obligatur aliquis intrà decem menses bis confiteri. Si hoc anno confiteatur die 1. Maij, quæ esset v.g. Dominica in Albis, anno autem sequenti eadem Dominica esset dies vltima Martij; hoc autem videtur esse contra mentē Concilij Lateranensis, quod non voluit talem obligationem imponere. Secundò hoc contra ex verbis præcepti quibus dicitur, quod semel in anno fiat confessio: quod autem præcipitur semel in mense, vel semel in hebdomada sufficit, si fiat quacumque die huius mensis Maij v.g. vel quacumque die huius hebdomadæ; ergo quod præcipitur semel in anno, sufficit, si fiat qualibet die huius anni.

156. Quartus modus potest excogitari computandi annum à principio vsus rationis vniuscuiusque: nam textus dicit, omnes fideles statim ac perueniunt ad vsum rationis debere confiteri semel in anno. Sed hæc explicatio redderet præceptum valdè dubium, non enim sciri potest quando incipiat in singulis vsus rationis. Deinde appellatio anni, vt dicemus, communiter significat annum naturalem, qualis ponitur in Kalendario.

157. Quintus ergo modus videtur minùs violentus, quod scilicet intelligitur annus iuxta communem significationem, scilicet à 1. die Ianuarij vsque ad vltimam Decembris: itaque confessio facta in qualibet die illius anni sufficiat ad implendum præceptum. Hanc tenent Vasq *q.90.art.3.dub.1.* Nugnus *in addit. ad 3 p.q.6.art.5.diff 4.* & alij Auctores Recentiores, quorū plures refert, & sequitur Antonin. Diana *tom.1. tr.3. Miscell.resol.54. & tom.2.tract.4. resol.81.* Probatur autem, vt dixi, ex verbis illis, *semel in anno*, quæ nisi vim inferas, intelliguntur de toto tempore à principio anni vsque ad finem.

158. Dicunt primò, consuetudinem explicasse, intelligendum esse de tempore Quadragesimæ, in quo omnes confitentur. Sed illa consuetudo orta est ratione Eucharistiæ, quæ tunc sumitur, & quam debet præcedere confessio; non verò propter obligationem confessionis. Deinde talis consuetudo non est inducta animo se obligandi, sed faciendi confessionem ex præcepto debitam intra annum, sine impositione noui præcepti.

159. Obiiciunt secundò, Parochos denunciare eos, qui tunc non confitentur, etiamsi confessi fuissent anno præcedenti, & dicant se posse confiteri ante finem huius anni. Respondetur denunciari propter violationem præcepti communionis, quod determinatè obligat pro illo tempore Paschali.

160. Obiicitur tertiò Concil. Agathense relatum in *c.Quadrag. dict.50.* vbi præcipitur, vt initio Quadragesimæ confitentibus pœnitentia detur. Sed ibi sermo est de publicis pœnitentibus. Quartò adducitur Sixtus IV. in extrauag. *2.de tregua, & pace*, vbi præcipitur mendicantibus, ne prædicent, *quod Parochiani non sint obligati saltem in Paschate proprio confiteri Sacerdoti, quia de iure tenentur Parochiani saltem in Paschate proprio confiteri Sacerdoti.* Respondetur ibi non determinari tempus exclusiuè, hoc est, ita vt tunc, & non aliàs debeat obseruari præceptum; sed saltem tunc ratione communionis debere fieri, si aliàs satisfit præcepto alio tempore, & quidem cùm tunc fideles debeant confiteri ad communionem; probabile est, quod tempore Sixti IV. confessio, quæ tunc fiebat, deberet fieri cum proprio Parocho, licèt hoc iam reuocatum sit; hoc tamen non probat, quod præceptum confessionis secundùm se obliget ad illam tunc faciendam. Alij aliter respondent, sed hæc videtur facilior explicatio. Denique Tridentinum loco citato approbat, & laudat consuetudinem confitendi in quadragesima; non tamen inducit nouam obligationem, vt constat ex eius verbis.

Hinc infertur primò, quantum est ex præcepto præciso confessionis, posse aliquem differre confessionem per biennium ferè post præcedentem confessionem. Si v.g. confiteatur hoc anno die 1. Ianuarij, & anno sequenti die vltima Decembris. Quod idem fit sæpè in recitatione officij, si aliquis recitet totum officium hodiernum, statim post mediam noctem, & totum crastinum recitet cras proximè ante mediam noctem, hic enim per biduum ferè nihil recitauit. 161.

Infertur secundò; si aliquis per totum annū frequenter confiteatur solùm venialia, quæ habet & vltima die Decembris peccet mortaliter, obligari hoc præcepto ad confitendum illa die: quod licèt durum appareat, sequitur tamen apertè ex dictis vt fatetur Vasquez *vbi suprà n.16.* qui hoc probat ex eo, quod hoc præceptum est determinatio præcepti diuini, quod solùm erat de confessione mortalium. Possumus autem clariùs id colligere ex verbis Tridentini; nam præceptum hoc non est confitendi vtcumque, & recipiendi Sacramentum pœnitentiæ (huic enim præcepto iam satisfeciisset homo hoc anno) sed præceptum est de confessione, quam Christus præcipit, vt docet Tridentinum *dict. c.5. in fine*, vbi dicitur, Ecclesiam non *statuisse confessionem, quæ iure diuino necessaria iam erat, sed vt præceptum confessionis saltem semel in anno ab omnibus impleretur.* Præceptum autem confessionis fuerat de confessione mortalium, non de confessione venialium, ergo si Ecclesia voluit huic præcepto Christi satisfieri semel in anno, voluit confessionem mortalium fieri semel in anno. 162. Trident.

Nec hoc peculiare est in hac nostra sententia: idem enim tenentur admittere, qui annum computant à Paschate in Pascha. Nam licèt aliquis sæpius confessus fuisset venialia, si tamen in Paschate haberet conscientiam peccati mortalis, deberet propter confessionis annuæ præceptum tunc confiteri, vt satisfaciat præcepto confitendi in anno omnia peccata mortalia, vt fatetur ipse Suar. *d. sect.3.n.9.* atque adeo si vltima die termini peccaret mortaliter, teneretur tunc confiteri, licèt antea sæpius confessus fuisset de solis venialibus, quia illo anno nondum impleuerat præceptum Christi de confessione mortalium. 163.

Hinc autem oriuntur alia dubia, Quintò enim dubitari potest, an qui confessus est hoc anno peccata mortalia, si ante finem anni peccet iterum mortaliter, teneatur illo anno iterum confiteri? Præceptum enim videtur esse confitendi intra annum omnia peccata mortalia. Certum tamen est non dari talem obligationem, sed posse ea noua peccata seruari ad confessionem anni sequentis, quia præceptum solum est confitendi semel peccata mortalia vsque ad confessionem facta. 164. *An obligati Ecclesia ad confessionem bis eodem anno?* 165.

Sed dubitatur sextò an idem dicēdum sit de eo, qui confitetur mortalia, quorū nunc recordatur, & post confessionē recordatur alterius, an debeat illud hoc eodem anno confiteri, vt compleat confessionem præcedentem. Affirmatiuè respondet Medina 169.

in

in summ. l. 1. c. 14. §. 41. sed communis,& verior sententia negat, quam docent multi, quos congerit Diana *tom. 2. tract. 4. resol. 124.* & probatur quia Ecclesia solùm præcipit,quod semel in anno satisfiat Christi præcepto:sed per illam priorem confessionem satisfactum est Christi præcepto; hoc enim Christi præceptum est confitendi omnia mortalia, quæ tunc memoriæ occurrunt diligenti examine præmisso,vt explicat idem Tridentinum *eodem c. 5. circa initium.* Ergo per illam primam confessionem satisfactum est Ecclesiæ præcepto, per secundam enim confessionem non solùm impleretur semel, sed bis præceptum Christi,ad quod tamen Ecclesia non obligat. Cur autem ante communionem non sufficiat semel confiteri,sed oporteat iterum confiteri peccata noua, vel quæ de nouo memoriæ occurrunt,dixi *disp. 14. de Eucharistia, sect. 6.*

166. Maius dubium esse posset,quando aliquis in prima confessione propter iustam causam scienter dictis aliis peccatis mortalibus, tacuit aliquod peccatum: an teneatur illud peccatum intra eundem annum confiteri alteri Confessario,vel eidem,quãdo iam commodè potest illud confiteri Affirmat Sotus *dist. 18. q. 2. art. 5. ante solutionem quarti argumẽti,*& alij;imò Cordub *in summ. casu primo in princ.* addit teneri pœnitentem quam primum possit confiteri illud peccatum alteri Confessario,qui securè illud possit dicere. Hoc tamen vltimum caret omni fundamento,quia præceptum ad summum est confitendi in anno omnia peccata,quo ante confessionem memoriæ occurrebant, non verò confitendi quam primum omnia peccata.

167. Addo,probabile videri contra Sotum,quod nec teneatur ad confitendum eodem anno peccatum, quod propter graue detrimentum omisit in confessione:iam enim præsentauit se suo Sacerdoti,& dixit illi omnia mortalia, quæ illius memoriæ occurrebant, & quæ tunc poterat dicere;quod videtur satis ad implendum Christi præceptum, & ad obseruandum præceptum Ecclesiæ. Quod idem dicendum videtur,si aliquis in mortis periculo confessus est,& propter impedimentum superueniens, aut temporis angustias non potuit dicere omnia peccata,sed aliqua; hic enim elapso periculo non videtur obligatus ad confitenda alia eodem anno, quia iam fecit cõfessionem formaliter integrã hoc anno coram suo Parocho,vel Confessario proprio.

168. Dices;ergo idem dici poterit de eo, qui in casu necessitatis propter scandalum,vel communionem vrgentem confessus est alicui non habenti facultatem absoluendi à reseruatis,atque adeo ab his absolutus est solùm indirectè, ab aliis verò mortalibus directè. Consequenter enim dicendum erit, hunc non teneri eodem anno confiteri reseruata Prælato, eo quod iam hoc anno fecit confessionem formaliter integram coram illo,à quo absolutus est à non reseruatis.

Respondetur, quidquid sit de consequenti,negando consequentiam: quia hic non confessus est semel coram Sacerdote proprio;præceptum autem Ecclesiæ non solùm est confitendi semel,*sed confitendi semel proprio Sacerdoti*, hæc enim sunt verba canonis in *c. omnis.* Ergo per priorem confessionem nondum est impletum præceptum Ecclesiæ: nam proprius Sacerdos est ille,qui habet potestatem ordinariam, vel delegatam ad absoluendum pœnitentem à suis peccatis. In illo autem casu solus Prælatus potens absoluere à reseruatis habet talem potestatem.

169. Septimò dubitari posset,an idem dicendum sit de eo,qui hoc anno confessus est sæpè venialia,atque etiam aliquod mortale dubium,poste a vero incidit in aliquod mortale certum,an scilicet, hic obligetur ad confitendum hoc peccatum nouum ante finem anni? Respõdetur negatiuè. quia hic verè impleuit iam semel præceptũ Ecclesiæ,& Christi hoc eodem anno:nam Christi præceptum licet non sit confitendi venialia; est tamen confitendi non solùm peccata grauia certa,sed etiam dubia:illud ergo præceptum impletum est confitendo ea peccata dubia, quæ tunc habebat. Vnde apparet discrimen huius ab eo, qui solum confessus fuisset venialia;per quam confessionẽ non impleuerat Christi præceptum, vt diximus, & ideo debet iterum confiteri eodem anno,si habet peccatum graue.

Dices:si peccatum erat dubium, potuit contingere ,quod reuera non fuit peccatum,& per consequens nec fuit verè ab illo absolutus; imò nec recepit verũ Sacramentum,pone enim non dedisse aliam materiam,nec dixisse peccata venialia,aut nõ cum dolore de illis:ergo tenebitur ad iterum confitendũ peccatũ nouũ certũ, quia adhuc non impleuit præceptum Christi hoc anno de confessione Sacramentali peccati grauis. Si autem tenetur in illo casu,idem erit dicendum,licèt dederit simul pro materia alia peccata venialia:nam etiam tunc non fuit absolutus verè ab vllo peccato mortali, sed à solis venialibus:ergo vt præceptũ Christi impleat, debet cõfiteri hoc peccatũ graue nouũ,vt recipiat absolutionem Sacramentalem à peccato mortali. 170.

Respondetur præceptum Christi non esse solùm de confessione veri peccati, quod sit capax veræ absolutionis,sed etiam de cõfessione peccati dubij, quod fortasse aliquando non est capax veræ absolutionis. Quare vtraque confessione videtur obseruari præceptum Christi,& per consequens præceptum Ecclesiæ, quod solùm videtur obligare ad confessionem illam, & de illis, quam fideles ex Christi præcepto debeant facere. 171.

Dices præceptum Christi obligat ad confessionem ,quã snbsequatur absolutio,vt supra diximus; sed in hoc casu sequitur vera absolutio: ergo non impletur Christi præceptũ. Respondetur præceptũ Christi obligare ad terminandã per sententiã Iudicis eam causam,quare si non sequatur sententia,eo quod non profertur,vel quia hic non est iudex,nõ impletur Christi præceptum:secùs est quando ego defero ea,quæ Christus præcipit,vt in præsenti,& iudex proprius terminat causam,quantum est de se nam de hoc toto,& solo erat Christi præceptum. 172.

Octauò dubitabis consequenter,quid dicendum sit,si homo habens peccatum mortale, cuius non recordatur,confiteatur sola venialia:an hic postea, quando recordatur illius peccati,debeat illud confiteri eodem anno? Videtur enim, quod non debeat;quia licèt aliquis non habeat animũ implendi præceptum,si tamen facit rem præceptam,quãdo verè habet præceptum,etiamsi id ignoret,satisfacit præcepto, vt qui audit Sacrum,v.g. die festo ignorans esse festum, & absque animo implendi præceptum, satisfacit præcepto:in casu autem nostro ille homo habebat vere peccatum mortale,& obligationem confitendi;ergo confessio erat debita ex præcepto, & per consequens per confessionem illam,quæ fuit formaliter integra,satisfecit re ipsa præcepto confitendi,quod habebat. 173. *An qui sola venialia confitetur,mortalis alicuius peccati immemor, teneatur dum recordatur. illud eodem anno cõfiteri.*

Consequenter tamen ad superiùs dicta videtur, adhuc debere eodem anno confiteri illud peccatũ: quia reuera nõdum impleuit præceptum:nam præceptum Christi non erat confitendi,vt sæpè diximus,sed præceptum Christi est confitendi peccata mortalia certa,vel dubia proprio Sacerdoti:hic autem homo confessus fuit,non tamen peccatũ mortale;ergo licèt iam haberet præceptum,non tamen 174.

impleuit illud, quia non fecit id, quod præcipiebatur, sed aliquid aliud, quod non præcipiebatur. In quo est discrimen à casu posito: nam qui audit sacrum, vere facit totum id, quod præcipitur: qui autem confitetur solùm venialia, non facit id, quod præcipitur à Christo, sed aliquid, quod non præcipitur. Idem videtur dicendum in casu, quo aliquis habeat vnũ solum mortale, quod sine grauissimo periculo dicere non potest suo Confessario: nam licet illi cõfiteatur alia venialia, & taceat illud mortale in iis casibus quibus id licitè facere potest, atque adeo faciat confessionẽ formaliter integrã; nõ tamen dicitur satisfecisse præcepto cõfessionis annuæ, sed debet illud mortale intra annũ cõfiteri eidẽ, vel alteri Cõfessario, si possit absq; illo periculo.

175. Dices; illa cõfessio venialium erat tunc debita ex præcepto: nam qui non potest confiteri mortale, quod habet, debet saltem confiteri venialia, vt absoluatur saltẽ indirectè ab illo mortali. Respõdetur de obligatione, quam habet confitendi venialia in illo casu, est dubium; quod tractari solet de peccatis reseruatis, & de quo videri potest Diana *tom.* 2. *tract.* 4. *resol.* 75. & 125. pro nunc dico illam obligationem non esse ex præcepto diuino, vel Ecclesiastico cõfessionis, sed si quæ est esse ex obligatione nõ communicandi absque confessione, vel ratione charitatis propriæ, vel ex alio capite, vt in simili dixi *disp.* 14. *de Eucharistia. sect.* 5. Multò autem minùs excusabitur à confessione mortalis eodem anno facienda, si confessio venialium facta fuit Sacerdoti simplici; tunc enim non fuit facta corã proprio Sacerdote, atque adeo non impleuit præceptum confitendi proprio Sacerdoti; vt dictum est.

176. *An transacto anno desinat obligatio statim confitendi.* Dubitatur nonò, vtrùm qui per totum annum non est confessus, debeat confiteri quãprimũ anno sequenti, an verò possit differre confessionem vsq; ad finem ferè illius anni? Dubiũ autem æquè procedit, siue culpabiliter, siue inculpabiliter aliquis non fuerit confessus. Prima sententia docet posse differri confessionem per totum annũ sequentem. Ratio præcipua est, quia confessio annua est pondus cuiusq; anni, sicut officium diuinum est pondus diei: ergo sicut omittens officium hodie, non tenetur recitare cras duplex officium, nec recitare statim, sed potest recitare qualibet hora diei crastinæ: sic qui omittit confessionem hoc anno, non debet confiteri initio anni sequentis, sed qualibet die ipsius. Hanc sententiam tenet Antoninus 2. *part. tit.* 9. *c.* 7. §. 3. Syluester verbo *Eucharistia* 3. *q.* 15. *dicto* 3. & alij quos affert Diana *tom.* 2. *tract.* 4. *resolut.* 130. quorum aliqui inferunt, si ex statuto sit excommunicatio non confitentibus, & communicantib. tali tempore, tunc illum, qui transacto tempore communicat, vt absoluatur ab excommunicatione, non teneri iam ad communicandum in Parochia, quia illa communio non est iam ad implendũ præceptum Ecclesiasticum, cuius tẽpus finitum est, sed ad implendum præceptum Episcopi.

177. Secunda sententia verior docet etiam transacto anno debere quam primum fieri confessionẽ. Hanc tenent Soto, Nuarrus, Medina, Victoria, quos referunt, & sequuntur Suarez *disp.* 36. *sect.* 3. & Vasquez *q.* 90. *art.* 3. *dub.* 2. Coninch. *disp.* 5. *dub.* 8. & fere alij Recentiores communiter.

Probatur primò ex vsu Ecclesiæ, in qua Prælati excommunicationem ferunt in eos, qui transacto tẽpore debito non confitẽtur: quæ excõmunicatio non est solùm pro peccato præterito: nam si hoc esset, posset tolli per absolutionem à Parocho etiã extra confessionem: cùm ergo non possit tolli, nisi cõfiteatur, signũ est, quod fertur pro peccato durãte, donec satisfaciat homo obligationi confitendi

Hoc argumento vtitur etiam Pater Vasquez; non tamen facilè apparet, quàm consequenter ad id, quod dixerat *dub. præcedent.* scilicet præceptum confessionis annuæ non obligare ad confessionem in Paschate, sed posse illi satisfieri ante vltimum diem Decembris. Falsò ergo supponit nunc, quod excommunicentur, quia non confitẽtur statim post Pascha, vt inde colligat obligationẽ confitendi, etiã transacto tempore præfixo: nam in eius sententia non est transactum tempus præfixum ad confessionem annuam, tunc quando excommunicantur.

Posset tamen hoc argumentum mediatè, & arguitiuè applicari ad nostrũ casũ dicendo excommunicationem ferri propter communionem omissã tẽpore illo, quo debebatur, nec posse tolli, donec homo in confessione præuia ostẽdat iam se paratum, & promptum ad satisfaciendum præcepto communionis. Vnde argui potest, si præceptum communionis adhuc obligat transacto suo tẽpore præfixo, & debet homo quam primùm communicare: ergo à fortiori præceptum confessionis annuæ etiã transacto toto anno obligabit ad confitendum statim; clariùs enim apparet hæc obligatio in confessione, quam in communione, vt mox dicemus. 178.

Secundò ergo probatur ex verbis Trid. illo *c.* 5. dicentis voluisse Ecclesiã, quod saltem semel in anno confessionis præceptum ab omnib. impleretur: quibus verbis constat terminum anni fuisse positũ, vt terminum exequutionis, hoc est, vltra quẽ non differatur, non verò vt terminum, in quo si non fiat, non sit obligatio faciendi. Fatendum enim est vtroque modo solere tẽpus designari in præceptis, & in votis. Quando autem vno, vel altero modo sit intelligẽdũ explicat bene Suar. vbi suprà, & Th. Sanch. 4 *in Decal. c.* 14. *n.* 24. & *seqq.* qui dicunt id ex materia, & circunstantijs præcepti debere potissimè colligi. In casu autem nostro clarè colligitur tempus designari, vt terminum executionis, quia præceptum Ecclesiæ fuit ad hoc, vt fideles non differrent nimiũ obseruationem præcepti diuini, vt significant verba adducta Tridentini: nam dicere, quod saltem semel in anno obseruetur, est dicere quod non differatur plus; ergo qui elapso anno adhuc non cõfitetur, trãsgreditur adhuc præceptum: nam facit, quod dilatio sit maior. An verò de præcepto communionis idẽ dicẽdũ sit? Diximus *disp.* 16. *de Eucharist. sect.* 4. Certum autem non esse idem in præcepto officij recitandi, & similibus, quibus tempus non præcipitur, tanquam terminus exequutionis, sed vt terminus, cui annexum sit illud pondus, tanquam tributum illi diei.

Hinc oritur dubium decimũ, vtrùm qui elapso toto anno absq; confessione postea confitetur, inchoato iam anno sequenti, debeat iterum confiteri eodem anno? Pater Coninch. affirmat, nisi fortè confessio fieret elapso iam medio anno sequenti; secùs si fiat circa initium anni; quia secundùm æstimationem moralem illa confessio pertinet ad præcedentem annũ. P. Suar. consequenter ad sua principia exigit secunda etiam confessionem, quia ipse tenet ex consuetudine debere confessionem fieri circa Pascha: quare Paschate sequenti fieri debebit, sicut si ante tres etiã menses fuisset confessus. 179.

Cæterùm consequenter ad nostram sententiam videtur dicẽdum hanc confessionem sufficere pro hoc anno; præceptum enim solùm est de confessione semel in anno faciendã: ergo hoc eodem anno non tenetur ad aliam: alioquin si deberet confessiones etiam præteritas recompensare, obligaretur aliquis ad confitẽdum quater in anno pro ritibus annis præteritis, quibus non est confessus. Vnde ipse Suar. *n.* 5. fatetur in sententia computante

annum

annum à Ianuario ad Decembrem, vt nos computamus, ita consequenter esse dicendum.

181. Obijcies, quod procul dubio ab hoc homine exigetur confessio noua anno sequẽti, alioquin excommunicabitur de nouo. Respondetur, excommunicabitur, (vt dixi) pro defectu communionis, quæ quidem Paschate sequenti de nouo debetur, & ad quam prærequiritur noua confessio, si habet conscientiã peccati mortalis: si hanc autem conscientiã non habet, non debet confiteri, etiamsi nũquam fuisset antea confessus nedum si confessus iam fuit.

178. 182. An sit obligatio præuertendi? Dubitatur vndecimò, an qui præuidet, postea non sibi futuram opportunitatem confitendi hoc anno, debeat præuenire, & confiteri in medio anni? Respondetur affirmatiuè cùm enim præceptum sit vniuersale pro toto anno, obligat ad confitendum in ea parte anni, qua possum; sicut alia præcepta similia, v.g. audiendi sacrum die Dominica; debeo enim illud audire hora decima, quãdo in sequentibus horis non potero. Hinc fit, quando habẽs peccata reseruata tenetur confiteri nunc Prælato, vel habenti facultatem absoluendi, si non sperat futuram copiã similis Confessarij in reliqua parte anni.

183. Dices non tenetur homo præuenire mane in recitatione totius officij, quando præuidet futurum impedimentũ vespere. Respondetur aliquos ita asserere, quando impedimentum non est voluntariũ, sed necessarium, vt morbus, vel captiuitas, &c. nẽpè tunc non esse obligationem præueniendi. Alij tamen communiter id negant, vt Vasquez *in præsenti dicto dub. 2. n. 18.* Sed licèt daretur antecedens, non valet consequẽtia, quia anticipatio in officio diuino videtur esse licita ex priuilegio, quo posset aliquis nolle vti: at verò in nostro casu nõ datur talis anticipatio, cùm præceptum confitendi non obliget peculiariter pro reliqua anni parte, sed pro toto anno, sicut præceptum audiendi sacrum die festo.

SECTIO VIII.

De aliis qualitatibus confessionis.

184. MVltæ numerari solent qualitates confessionis, de quibus partim in superioribus dictum est; partim in propriis locis dicendum erit, partim nihil, aut parum notandum occurrit. Illas itaque breuiter attingemus, ne aliquis eas fortasse desideret. Prima conditio est, quod sit *simplex*: hoc est illa sola explicentur, quæ ad peccati grauitatem intelligendam pertinent, aliis omnibus resectis, vt superfluis dirigente, & adiuuante Confessario, cuius industria pœnitentes crassiores in hac parte, & fœminæ potissimum indigent. *Simplex.*

179. Secunda conditio est, quod sit *humilis*. Resplendet autem hæc humilitas in habitu etiam externo, & gestu pœnitentis. Vnde in Catechismo admonentur Parochi, vt doceant fideles cæremonias, & ritus seruari solitos in Ecclesia in confessione: qui licèt necessarij non sint; ostendunt tamen dignitatem Sacramenti, ac disponunt animum pœnitentis, & ad Dei gratiam facilius consequendam præparant. Ad hanc etiam humilitatem spectat ne quis ad vitandam solùm confusionem, relicto ordinario confessario, alterum adeat, vt peccatum grauius confiteatur, ne apud ordinarium confessarium bonam existimationem amittat: quod licèt aliquando prudenter fieret; rarissimè tamen expediet, & regulariter vituperabile est. *Humilis.*

180. 185. Tertia conditio est, quod sit *pura*, videlicet, quod fiat ex pura intentione placandi Deum, obediendi Ecclesiæ, fugiendi animæ periculum, &c. Circa quod occurrit quæstio non leuis an defectus huius conditionis ita vitiet confessionem, vt reddat eam inualidam, quod dubium operæ pretium erit, si ex professo examinetur *sect. seq.* *Pura.*

Quarta conditio est, quod sit *fidelis*, hoc est, absque mendacio, circa quam est vulgaris quæstio, an omne mendacium in confessione sit peccatum mortale. De hoc tamen egimus quantum sufficit *dist. 14 sect 8.* vbi diximus mendacium circa peccata mortalia esse mortale, circa venialia verò non semper, nisi quando illa darentur pro materia, posse tamen pœnitentem non dare illa pro materia, sed alia, in quibus non mentitur, & dicemus *infrà disp. 16 sect. 2. circa finem.* *Fidelis.*

Aliæ quinque conditiones assignari solent, quod sit *frequens, nuda, discreta, libens, verecunda.* Circa quas nihil oportet notare. Circa vltimam tamen obseruauit meritò Syluester *verb. Confessor. 5. §. 5.* vt verecundia seruetur, non debere Sacerdotem audire fœminam cum qua peccauit.

186. Decima conditio est, quod sit *integra*: quod quidem in confessione venialiũ necessarium non est; quoad mortalia verò est omnino necessariũ. Qualis autem debeat esse hæc integritas, & an semper requiratur, tractandum ex professo est *disp. seq.* *Integra.*

Vndecima conditio est, quod sit *secreta*, de quo diximus supra *sect. 5.* nõ esse contra Christi institutionẽ, quod pœnitens publicè confiteatur; id tamen nec regulariter expedire, nec esse sub præcepto: Confessarius tamen debet ex parte sua secretum procurare. Vnde meritò reprehenduntur Parochi, qui, vt bremitati consulant, pueros iam doli capaces simul plures audiũt, & interrogãt. Imò nec doli non capaces deberent publice interrogare, maximè de iis rebus, quæ ad eorum ignominiam possunt ab aliis memoria retineri, & adultis postea exprobari. *Secreta.*

187. Quinque aliæ conditiones addũtur, vt sit *lachrymabilis, fortis, accusans, accelerata*, hoc est, non differant longè post peccatum, & denique *parere paratæ*: quatenus pœnitens paratus esse debet ad exequẽda illa, quæ Confessarius dixerit teneri ipsum facere, v.g. restituere, occasionẽ proximam relinquere, implere etiam pœnitentiam grauem, prout infra agentes de satisfactione Sacramẽtali latiùs explicabitur. Nũc illam tertiam qualitatẽ *puritatis* in intẽtione requisitæ magis in particulari examinemus.

SECTIO IX.

Vtrum confessio ex fine malo, ita vitietur, vt Sacramentum sit irritum? Vbi, *An actus pœnitentiæ possit ex fine extrinseco vitiari?*

188. ALiqui antiquiores in vniuersum videtur affirmare, irritũ, & infructuosum esse hoc Sacramentũ, si ex malo fine pœnitẽs illud velit recipere; ita videtur sentire Syluester, *verb. Cõfessio 1. q. 7. §. 9.* vbi ait, quod cõfessio, quæ principaliter fit propter vanam gloriã, non est valida, neque per illam impletur præceptũ Ecclesiæ; quia de essentia confessionis est, quod fiat spe veniæ. Idem videtur tenere Angelus *verbo, vana gloria, §. 1.* vbi ait, quod concionari, Missam, celebrare, & alia principaliter diuino cultui dicata facere propter honorẽ aut vanã gloriam, est peccatũ mortale, & verbo *Confessio 1. §. 14.* dicit, eum, qui confitetur solùm, ne notetur in populo, aut coactus à Prælato, teneri iterũ confiteri, quia peccat mortaliter, constituendo illum finem confessionis: si tamen confiteatur propter Deũ, & vt

obtineat remissionem peccati, motus tamen pudore, aut timore, non peccat. Idem videntur sentire Tabiena, *Confessio* 2. §. 6. Armilla §. 4. & alij quos refert, & partim videtur approbare Henriq. *lib.* 2. *de pœnit. c.* 56.

189. Contraria tamen sententia communis est Theologis Recentioribus, Soto, Nauarro, & aliis, quos refert, & sequitur Suar. *in præsenti disp.* 2. *sect.* 3. *n.* 4. *& seqq* Et ratio est, quia, vt latè, & benè explicat P. Coninch. *disp.* 25. *de matrim. dub.* 2. dummodò non excludatur finis principalis positiuè, nolendo illum, non est obligatio sub mortali in eiusmodi rebus, non vtendi eis, nisi desiderando positiuè finē principalem. Sicut ergo potest absque mortali contrahi matrimonium ad honorem vel diuitias acquirendas: sic potest sacramentum Penitentiæ absque culpa graui ordinari ad aliquod aliud bonum, non excludendo finem principalem ipsius Sacramenti. Hoc tamen speciale est in hoc Sacramento, vt si finis, qui intenditur, sit peccatum mortale. Sacramentum non sit validum, vnde si aliquis confiteatur peccatum graue, vt glorietur de illo, confessio erit irrita & sic de aliis, quia non habet dispositionem necessariam, scilicet, dolorem, & propositum non peccandi, quādo verò intentio est mala solùm venialiter, non inualidatur Sacramentum, quia adhuc stare potest dolor, & propositum circa peccata mortalia, vel circa alia venialia, quod sufficit ad valorem Sacramenti: quare sicut per communionem factam ex fine venialiter malo, si homo sit in statu gratiæ, recipitur effectus Sacramenti; ita per confessionem venialiter malam potest recipi effectus Sacramenti, si adsint cætera requisita.

190. Contra hanc communiorem, & veram doctrinā videtur esse difficultas ex alio capite fundata in peculiari conditione huius Sacramenti, in quo dispositio ad effectum nempè dolor, & detestatio peccati est simul pars essentialis ipsius Sacramenti, vt vidimus. Requiritur autem actus detestationis non vtcumque, sed supernaturalis, & honestus, atque aptus ad impetrandam veniam peccatorum, qualis non esset actus inhonestus & vitiosus. Hinc ergo oritur difficultas contra supradicta: quia si aliquis ex fine vitioso & malo venialiter, v. g. vanæ gloriæ, & ad bonam existimationem apud confessarium, vel sodales comparandam, velit confiteri, & ad hunc finem imperet sibi dolorem de peccatis, vt confiteri possit, iam tunc ille actus doloris vitiabitur extrinsecè, & participabit malitiam aliquam extrinsecam, & denominatiuam ab intentione vanæ gloriæ, à qua procedit confessio, & omnia prærequisita ad confessionem: erit ergo malus, & vitiosus actus doloris, & per consequens nec supernaturalis, nec honestus, nec aptus ad impetrandam veniam peccati: Vnde non fiet Sacramentum pœnitentiæ validum: alioquin si validum esset, daret gratiam, cùm nullum inueniat obicem peccati mortalis, vt suppono, sed solùm effectum ad finem venialiter malum.

191. *Actus intrinsecè bonus, an possit vitiari extrinsecè.*

Hæc difficultas tota pendet ex alia quæstione, quæ tractari solet, an possit aliquando actus virtutis pœnitentiæ vitiari saltem extrinsecè, & participare malitiam saltem venialem ab aliquo actu imperante venialiter malo, à quo imperatur: quæ quidem quæstio licèt moueatur de actu pœnitentiæ; eadem tamen esse potest de actu fidei, & de actibus aliarum virtutum, & ideo ex professo de hoc egi in tractatu de bonitate, & malitia humanorū actuum; sed quia specialem difficultatem habet in actu pœnitentiæ, in quo reduci potest ad praxim, quatenus ex hoc dependet valor ipsius Sacramenti; operæpretium erit examinare in præsenti principia, quibus aliqui suadere volūt, in iis casibus confessiones esse sacrilegas, & Sacramenta irrita; an sint solida ad hoc persuadendum contra id, quod fideles omnes etiam timoratæ conscientiæ sentire videntur.

Cæterùm vt radicitus hoc punctum examinetur, videndum est, an actus internus imperatus ita participet malitiam ab actu imperante, vt non possit simul in se manere bonus, & meritorius, sed sit sicut actio externa, quæ non habet in se bonitatē, & malitiam, nisi quam accipit extrinsecè ab actu interno, & quæ est formaliter in ipso actu interno, à quo imperatur. Pro quo supponendum est ex verissima, & communi Theologorum sententia, actus potentiæ exterioris imperatos à voluntate non addere bonitatem, vel malitiam, nec meritum, vel demeritum supra bonitatem, & meritum, vel supra malitiam, & demeritum actus interioris: nam qui efficaciter vult dare eleemosynam, & quando mittit manum in crumenam; non inuenit pecuniam; perinde est per se loquendo, quod attinet ad bonitatem, & meritum, ac si eam dedisset, & è cōtra, qui proiicit sagittam in alium, & ex errore illum non occidit, perinde est in ordine ad culpam ac si verè occidisset: dixi *per se loquendo*, quia contingit per accidens, quod præsentia obiecti sit causa perseuerandi diutius in actu interno, vel maioris intentionis, propter quam, vel propter maiorem difficultatem, quæ tunc sentitur, sit magis meritorius actus interior. Cæteris tamē paribus, propter solam positionem, vel ablationem actus externi, non augetur, vel minuitur bonitas, vel malitia. Quamvis ergo actus etiam exterior sit bonus, vel malus, & peccatum; non tamē habet diuersam bonitatem, vel malitiam, sed denominatur bonus, vel malus ab eadem prorsus bonitate, vel malitia, quæ immediatè est in actu interno. Ratio autem est, quia supposito actu interno, & voluntate omnino efficaci, actus externus necessariò procedit sine nouo exercitio libertatis, eodem enim modo obediūnt potentiæ exteriores, & multò magis, quàm bruta: ergo sicut ex eo, quod equus moueatur, quando ego volo, non augetur meum meritum, vel demeritum; ita neque ex eo, quod moueatur pes vel manus; tam enim necessarius est vnus motus, quàm alter, supposita mea voluntate. Videatur Suarez latè hoc probans *tom.* 3. *de gratia, l.* 12 *c.* 6. & Salas *in* 1. 2. *tr.* 6. *disp.* 6. *sect.* 7.

191. *Actus internus, an possit præcedere actum imperantem.*

193. Ex hoc principio oritur difficultas præsens, nam sicut actus exterior comparatur in ordine ad internum, à quo oritur; ita videtur se habere vnus actus voluntatis imperatus ab alio actu voluntatis, à quo accipit bonitatem, vel malitiam extrinsecam; ergo sicut actus exterior non habet aliam bonitatem, ac malitiam præter eam, quam habet actus internus; ita actus imperatus non deberet habere aliā bonitatem, aut malitiam, præter eam, quam habet actus imperans; nam sicut posito actu interiori, necessariò sequitur exterior: ita posito imperio efficaci, quo volo elicere actum pœnitētiæ; non potest non sequi actus pœnitentiæ; ergo sequitur absque noua libertate, & per consequens absque noua bonitate. Consequens autem videtur absurdum, quia sequeretur primò in eo, qui ex timore inferni vult iustificari, & ad hunc finem vult omnino habere actum contritionis, tunc, inquam, contritionem imperatam ab illo actu priori non habere propriam bonitatem intrinsecam, sed solùm esse bonam bonitate actus imperantis, qui solùm erat ex timore inferni, & per consequens illam contritionem non esse sufficientem dispositionem ad iustificationem sicut nec dolor ex metu inferni sufficit extra Sacramentum. Sequeretur secundò detestationem illam peccati procedentem ab affectu

fectu vanæ gloriæ, nullam habere bonitatem, & per consequens non disponere validè ad Sacramentum pœnitentiæ.

194. Ideo prima sententia docet, actum internum imperatum nullam accipere bonitatem, aut malitiam ab actu imperãte, sed imperatum habere propriam libertatem, & moralitatem omnino distinctam ab imperante; quando enim voluntas ex desiderio pœnitentiæ, imperat actum dilectionis Dei, non aliter concurrit actus pœnitentiæ ad actum dilectionis nisi impellendo intellectum, vt applicet motiua ad actum dilectionis excitandum: quibus motiuis applicatis, adhuc est in potestate voluntatis non elicere dilectionem Dei; quare si eliciatur, habebit suam libertatem & moralitatem diuersam à moralitate actus pœnitentiæ. Ita videtur sentire P. Vasq. *in 1.2. disp. 51.c.5.& disp.53.c.1. & 2.& disp.73.c.10.* contra quem agit P. Suar. *lib.12 de gratia,c.11.n.15.* probans ex communi Theologorum, posse vnam virtutem imperare ad suum finem actus aliarum virtutum.

195. Ad hanc sententiam non parum accedunt alij, qui dicunt, actum imperij non posse esse absolutum & efficacem, respectu alterius actus voluntatis, sed solùm per modum simplicis complacentiæ, seu quasi inclinantis, & hortantis voluntatem ad alium actum, relinquendo tamen illi omnimodam indifferentiam, sicut etiam Dominus imperat seruo, & tamen seruus liberè obedit: quare posito imperio, potest non sequi actus imperatus.

196. Vtraque sententia est difficilis, quia vtraque solum admittit tale imperium, quo stante, possit non sequi actus imperatus: quod licèt possit intelligi in imperio Domini respectu serui: Dominus enim solùm vult obligare, quantum potest; non potest autem necessitare seruum, sed præcepto, vel minis mouere: at voluntas respectu sui ipsius habet maius dominium; ac ideo si sibi imperat, non potest non obedire. Alioquin sequeretur, posse aliquem habere propositum implendi omnia præcepta Dei, & stante, ac perseuerante hoc proposito, ac occurrente occasione seruandi aliquod præceptum, posse illud omittere. Probatur sequela: quia illud propositum, est quoddam imperium implicitum eorum actuum qui necessarij fuerint ad seruanda præcepta; sed stante imperio, potest non poni actus imperatus per te ergo, stante, & perseuerante illo proposito, potest violari aliquod præceptum. Consequens autem est satis absurdum, & contra mentem Tridentini *sess.14.cap.4.* vbi motum attritionis veræ dicit esse talem, vt omnem voluntatem peccandi excludat; ergo stante illo proposito vniuersali, non potest non sequi obseruatio cuiuscumque præcepti occurrentis, alioquin illud propositum non excludit omnem voluntatem peccandi, siquidem potest perseuerare cum illa.

197. Ideo alij dicunt, actum voluntatis imperatum, etiamsi ex suppositione imperantis necessariò sequatur, adhuc habere suam propriam libertatem distinctam à libertate imperantis; & per consequens distinctam moralitatem, bonitatem, & meritum. Cui sententiæ fauet, & accedit Suarez *dicto cap. 11.n.11.* vbi licèt neget, de facto imperari actum voluntatis adeo determinatè, vt necesse sit ex vi imperij poni actum imperatum eo instanti; addit tamen, casu quo ita imperaretur, dandam esse libertatem, & meritum distinctum in actu imperato: quia quando voluntas se liberè determinauit ad actum imperãtem, visa connexione necessaria inter ipsum, & imperatum: eo ipso se determinauit simul ad imperatum; qui solùm est necessarius, ex suppositione libera, & non aliter volita, quàm vt habente connexionem cum altero actu.

Hæc doctrina semper visa est mihi difficillima; 198.
Non enim video, quomodo possit bene cohærere cum doctrina communi supra tradita, & quam sequitur idem Suarez de actibus externis, qui non addunt nouam libertatem; aut bonitatem supra actum internum quoniam eadem prorsus ratio videtur vrgere in actu interno imperato: si quidè voluntas etiam amplectitur vno impetu actum internum, visa connexione necessaria, quam habet cum actu externo, & actus externus solùm est necessarius ex suppositione liberè volita: & tamen negatur actui externo noua bonitas, & distincta libertas; quia posito actu interno, non potest non subsequi; quare solùm est liber in causa. Eodem autem modo se habet omnino actus imperatus, qui posito imperante non potest non esse; ergo eodem modo non est liber in se, sed solùm in causa, scilicet, in positione actus efficaciter imperantis.

Dices, discrimen esse, quod actus potentiæ ex- 199.
ternæ de se est incapax libertatis, & moralitatis immediatæ, quia non oritur à potentia libera immediatè; At verò actus voluntatis est capax libertatis, quia est actus elicitus à potentia libera; & ideo potest esse subiectum immediatum libertatis & indifferentiæ; & denominari immediatè liber ab indifferentia, quam voluntas habet in actu primo.

Sed contra, quia quod actus de se sit capax liber- 200.
tatis, non sufficit, vt hîc, & nunc sit liber: nam dilectio Dei, quã habet Beatus, est de se capax libertatis iuxta communem sententiam, & tamen in patria non est libera, quia deficit conditio requisita, scilicet, indifferentia principij: ergo licèt actus pœnitentiæ imperatus, sit de se capax libertatis, non ideo erit immediatè liber hîc, & nunc, deficiente conditione necessaria ad libertatem immediatam, scilicet, indifferentia in principio proximo, & immediato: nam licèt voluntas pro signo priori ante actum imperantem sit indifferens ad vtrumque actum, sed tamen pro signo sequenti, quo habet actum imperantem pro priori naturæ, ante imperatum non est iam indifferens ad habendum, vel non habendum imperatum: ergo non habet indifferentiam per modum principij proximi, ad actum imperatum. Nec obstat, illam esse determinationem ex suppositione libera, quia ad impediendam libertatem immediatam in effectu sufficit ea determinatio. Vt si quis liberè vellet, & posset videre Deum dilectio Dei ex illa visione sequuta, non esset formaliter, & immediatè libera, sed solùm in causa, scilicet in volitione videndi Deum: licèt tota eius necessitas oriretur ex suppositione liberè volita, quod aliis multis exemplis est manifestum.

Ratio autem à priori est, quia licèt ante actum 201.
imperantem voluntas sit indifferens ad vtrumque actum, illa tamen indifferentia omninò tollitur per positionem actus imperantis, ita vt in illo signo medio, pro quo intelligimus actum imperantem ante imperatum, nulla sit iam indifferentia ad imperatum ponendum, vel non ponendum, sed omnimoda determinatio: Ergo quidquid postea fit, nõ est liberum noua libertate, sed solùm est liberum denominatiuè ab exercitio libertatis iam posito. Ponamus enim quod Deus neget tunc concursum ad actum imperatum: non stetit certè per hominem, quod nõ sequeretur actus imperatus: ipse enim de se posuit causam efficacem, ad quam necessariò debebat sequi, ergo non erit minùs laudabilis coram Deo & minus præmiabilis; quàm si fuisset secutus; Sicut è contra qui imperat actum odij Dei, licèt ex defectu concursus non sequeretur; non ideo minus esset culpabilis, & punibilis, si quidem quantũ

est

est de se ponit causam efficacem, vt necessariò sequeretur odium. Quod totum fundatur in eo quod nihil est obiectum laudis, aut vituperij, nisi quatenus homo se liberè determinat ad illud, actus autem imperatus non determinat liberè hominem per suum exercitium: Iam enim inuenit potentiam omnino determinatam ad illum eliciendum; ergo non est laudabilis, aut vituperabilis ratione sui, sed solùm in causa, quatenus actus imperatus in suo exercitio determinauit potentiam ad vtrumque actum habendum; qua determinatione posita, nulla laudabilitas, vel vituperabilitas noua aduenit per exercitium formale actus imperati.

202. Propter hæc alij magis consequenter concedunt, actum imperatum nullum habere nouam moralitatem, bonitatem, vel malitiam supra illam, quã habet actus imperans, sed solùm denominari bonũ, vel malum à bonitate vel malitia imperantis. Quæ sententia licèt videatur consequenter procedere; est tamen validè dura propter inconuenientia supra insinuata, quæ ex ipsa sequi videntur, scilicet; quando quis ex motiuo aliquo humano vult confiteri, ne confessarius ipsum reprehendat, & ad hoc se præparat, & dolet de peccatis, &c. tunc hunc actũ doloris imperatum, ex illo motiuo non habere in se aliam moralitatem, nisi quam participat ex actu imperante, qui cùm fuerit malus venialiter, sequitur, quod dolor sit malus venialiter malitia denominatiua, & nullã habeat bonitatem intrinsecam, ac per consequens non sit supernaturalis, nec sufficiens dispositio ad Sacramentum; ex quo fit, omnes, qui eo fine accedunt ad confessionem, efficere confessiones sacrilegas, vt pote sine dolore necessario ad valorem Sacramenti.

203. Ad obuiandum ergo his omnibus inconuenientibus dixi in prædicto loco, probabile mihi esse, de facto rarò, vel nunquam imperari actum voluntatis ita determinatè, vt cogatur voluntas ad habẽdum illum eodem instanti; sed imperari cum aliqua temporis latitudine, quam assertionem vidi postea quoad hanc partem esse de mente Patris Suarez *dicto tom.3.de gratia lib.12.c.11.n.11.* addidi tamen, casu, quo actus voluntatis determinatè imperaretur pro hoc eodem instanti, non habiturum aliam moralitatem præter eam, quam habet denominatiuè à moralitate actus imperantis, nisi forsan quoad aliquas circumstantias, quas actus imperans non præscriberet, qualis esset maior extensio, vel intensio affectus, & alia similia.

204. Ex qua doctrina facilè potest occurri rationibus dubitandi: ponimus enim ex vna parte imperium de facto, non per modum velleitatis, sed per modũ voluntatis efficacis, quæ dicat, volo elicere actum contritionis, vel pœnitentiæ: ex altera verò parte ponimus, voluntatem adhuc relinqui liberam, ad habendum, vel non habendum actum imperatum: & per consequens actum imperatum elici cum indifferentia, & bonitate propria distincta à libertate, & bonitate actus imperantis. Quando enim fit contritio, nihil præcedit in actu primo, quod cogat ad eam eliciendam, nam actus imperij non cogit ad eliciendam eo instanti: tempore verò sequenti potest voluntas desistere ab imperio quod nunc habet, & ita non elicere actum imperatum; ergo hoc instanti, quo fit actus contritionis, nihil omnino præcedit in actu primo, quod determinet ad eam vnquam habendam: solùm enim præcedit imperiũ nunc existens: sed imperium nunc existens non determinat ad contritionem nunc habendam, (vt suppono) nec ad habendam postea; quia potest postea cessare hoc imperium nunc existens: ergo nunc fit contritio omnino liberè, non solum quoad circumstantiam temporis, sed quoad substantiam; quia ita fit, vt posset nec nunc, nec postea esse, licèt imperium nunc existat. Habet ergo contritio libertatem, & bonitatem propriam distinctam à libertate, & bonitate imperij præcedentis. Hac ferè ratione vsus sum *disp.26.de incarnat.sect.8.* ad conciliandum impeccabilitatem Christi, & eius meritum, libertatem ad substantiam mortis cum præcepto moriendi, quod habebat, quatenus, scilicet, præceptum non determinabat ad moriendũ nunc, quando mortuus est, nec etiam præceptum nunc existens inferebat necessariò mortem pro tempore sequenti, quia tempore sequenti poterat tolli illud præceptum petente, & imperante dispensationem ipso Christo. De hoc tamen latiùs ibi.

Hinc etiam infertur secundò, quomodo actus imperatus participet etiam bonitatem, vel malitiam ex imperante, vltra bonitatem, vel malitiam propriam, quã habet ex suo obiecto. Ad hoc enim non requiritur, quod procedat necessariò ab actu imperãte: satis est procedere cõtingenter: esse enim bonum, vel malum hunc actum ex fine extrinseco non est aliud, quàm fieri propter illum finem, sicut eleemosyna exterior est bona, vel mala, quatenus fit propter bonum, vel malum finem voluntatis imperantis. Cùm ergo actus imperatus etiam contingenter, & liberè procedens ex actu imperante, fiat, & sit verè saltem intrinsecè propter finẽ imperantis mouentem ad ponendum hunc actum imperatum, hoc sufficiet ad hoc, vt actus imperantis sit bonus, vel malus per ordinem ad finem actus imperantis. Vnde obiter colliges, non sufficere ad participandam hanc bonitatem, vel malitiam extrinsecam esse præcisè obiectum actus boni, vel mali, nisi sit simul effectus: nam licèt gaudeas de existentia Petri ex fine aliquo malo; non ideò Petrus erit malus moraliter denominatiue à tua complacentia mala, quam terminat: ratio autem est, quia esse obiectum actus mali non sufficit, vt obiectum dicatur, esse propter malum finem nisi simul obiectum sit effectus illius actus mali, ergo nec sufficiet, vt obiectum participet malitiam, hæc enim in tantum participatur, in quantum aliquod respicit finem malum. 205. 206.

Dubitant aliqui, an hæc bonitas, vel malitia quam habet actus imperatus ex fine extrinseco, sit aliquid extrinsecum in actu imperato? in hoc tamen non potest esse quæstio de re in nostris principiis, iuxta quæ dicendum est eodem modo se habere, sicut in actu externo; quare sicut actus exterior secundùm se est omnino indifferens ad denominationem boni, vel mali iuxta diuersitatem voluntatis à qua oritur: ita actus voluntatis imperatus, secundùm se est indifferens, vt habeat vel non habeat illam bonitatem ex fine extrinseco, quia potest non imperari ab eo actu, neque ab vllo, & per consequens ea bonitas erit denominatio extrinseca, quæ sine vlla mutatione intrinseca actus imperari potuit ei deesse,

Infertur tertiò, actus voluntatis differre ab actibus externis, in eo quòd isti non habeant finẽ nisi extrinsecam, & denominatiuè ab actu, quo imperantur, illi verò habent finem intrinsecum, quem singuli actus respiciunt, tanquam obiectum proprium, & aliquando etiam habent finem extrinsecum denominatiuè ab actu, quo imperantur; & in ordine ad quem habent etiam bonitatem, vel malitiam extrinsecam, ita loquitur S. Thomas multis in locis, præsertim *2.2.quæst.32.art.1.ad 2. & quæst.85.art.3 & quæst.147.art.10. & 3.part q.85. art.2.ad primum & 1.2.quæst.19.art.2.ad secundum, & in quarto dist. 14. quæst.1.art.1.q.3. & dist.15. quæst.* 207.

quæst.3.art.1.& dist.16.q.3.art.2.quæstiuncula 2. ad tertium,& alibi sæpè vbi docet, posse vnum actum participare bonitatem ex fine extrinseco alterius virtutis imperantis, & hanc esse bonitatem accidentalem, & communem, non propriam, & substantialem. In quo etiam sensu accipiendum est, quod docet *1.2.q.13.art.1.in corpore*, vbi ait, si aliquis exerceat actum fortitudinis propter Dei amorem, actum quidem illum materialiter esse fortitudinis, formaliter verò charitatis; non enim negat bonitatem fortitudinis esse essentialem illi actui; bonitatem verò charitatis esse accidentalem: sed asserit bonitatem fortitudinis esse materialem, hoc est, substantialem illi actui, quia substantia actus materialiter se habet, seu per modum subiecti ad bonitatem denominatiuam charitatis, quæ est quasi vltima forma denominans illum actum, sicut substantia hominis se habet materialiter ad denominationem albi, licèt albedo conueniat accidentaliter homini, cui humanitas conuenit essentialiter, quæ explicatio colligitur satis ex verbis sequentibus S.Thomæ.

108. Infertur quartò, non posse aliquem actum malum malitia intrinseca, seu ex proprio obiecto imperari ab actu bono alicuius virtutis; posse tamen aliquem actum bonum ex obiecto imperari extrinsecè ab aliquo actu malo. Prima pars constat, quia si actus misericordiæ imperaret actus intemperantiæ, iam ille prior non fuisset verè ex motiuo misericordiæ; motiuum enim misericordiæ est honestas quæ hîc, & nunc apparet in subleuando hoc paupere: non potest autem apparere honestas hîc, & nunc in subleuando paupere per actum intemperantiæ: hæc enim subleuatio est mala, & inhonesta, vt supra dictum est; ergo ille prior actus non habebat veram honestatem pro motiuo intrinseco. & per consequens non erat actus bonus, & honestus.

109. Secunda vero pars probatur etiam, quia potest aliquis ex motiuo vanæ gloriæ, vel alteriùs finis mali velle exercere actus temperantiæ, fortitudinis, iustitiæ, & aliarum virtutum vt possit postea de illis gloriari, vel vt per ea media impetret à Deo aliquam mundanam dignitatem, quam desiderat: qui actus erunt boni ex proprio obiecto; mali autem ex fine extrinseco actus imperantis, vt constat in casu posito; in quo ille actus imperatus posset esse bonus bonitate intrinseca, & malus extrinsecè, seu denominatiuè ex fine operantis: nam licèt non possit idem actus esse simul bonus, & malus bonitate, & malitia intrinseca, vt ex communiori sententia suppono: potest tamen esse bonus intrinsecè, & malus extrinsecè per malitiam alienam, seu alterius actus; sicut religiosus orans vel confessiones audiens ex obedientia exercet actum bonum licèt Prælatus illud fortasse præcipiat ex fine vanæ gloriæ: quare tunc ille actus relatus ad impetum Prælati, & provt recipiens illum finem, esset malus extrinsecè, in se tamen, & ex proprio obiecto esset bonus, & laudabilis.

110. Huic doctrinæ sese opponunt aliqui Recentiores dicentes, tam repugnare bonitatem intrinsecam cum malitia extrinseca, quàm cum malitia intrinseca, quia bonum ex integra causa, malum autem ex quocumque defectu: & quia actus misericordiæ imperatus, licèt sit bonus ex obiecto, sed tamen hic, & nunc est medium, & causa effectus mali obtinendi qui intenditur per actum imperantem; id autem, quod est causa mali, eo ipso est malum; ergo non potest esse bonum hîc, & nunc elicere illum actum misericordiæ, qui extrinsecè ordinatur ad finem malum.

Ego tamen magnum discrimen inuenio inter malitiam intrinsecam, & extrinsecã, ratione cuius, licèt actus bonus nõ possit simul esse malus intrinsecè; possit tamen referri extrinsecè in finem malum. Quæ videtur esse aperta sententia S.Thomæ *q.2.de malo art.4.ad secundum*, his verbis: *Ad secundum dicendum, quod illud, quod consequitur speciem alicuius, semper inest ei. Cùm ergo actus hominis speciem consequantur ex ratione obiecti, secundùm quam est bonus, vel malus; actus sic specificatus in bono nunquam potest esse malus, nec specificatus in malo, vnquã potest esse bonus. Contingit tamen actui secundùm se bono, adiungi aliquem alium actum malum secundùm aliquem ordinem, & secundùm actum malum bonus dicitur aliquãdo maleficari: non quod in se ipso sit malus, sicut dare eleemosynam pauperi, vel diligere Deum, & actus secundùm se bonus, sed referre actum huiusmodi ad finem aliquem inordinatum scilicet, cupiditatis aut inanis gloriæ, est quidem alius actus malus*, &c. Hæc S.Thomas, iuxta quæ debet intelligi, quando alibi docet, non posse eumdem actum esse simul bonũ, & malum: loquitur enim de malitia intrinseca, non de extrinseca, & denominatiua: quo etiam sensu procedit communis sententia negans, eumdem actum posse simul esse meritorium, & demeritorium. Alioquin enim loquendo de malitia extrinseca, conceditur expressè à multis, qui videri possunt apud Salas *1.2.tract.7.disp.3.n.124.* & multi etiam concedunt, actum fidei, spei, imò & charitatis posse extrinsecè imperari ab intentione mala saltem venialiter; Caiet. *2.2.q.5.art.2 & 1.2.q.55.art.4.* & alij communiter, vt refert Ant.Perez *lect.1. Exam. p.3 cap.15* quos sequitur Curiel. *1.2.q.109. art.3.dub.8. circa finem*, & in re idem videtur concedere P. Coninch *disp.14. de fide dub.3.n.19.* vbi supponit, actum honestum posse imperari ab actu malo, licèt nolit appellare *malitiam* illam, quæ deriuatur in actum imperatum, in quo est quæstio de nomine, de re autem, iam concedit posse stare honestatem intrinsecam actus; cum hoc quod est, imperari alio actu malo. Quare clariùs, & magis consequenter loqui videtur Pater Granado *in 1.2. tract.9 d.3.n.1 & n.8 & tract.10 d.2.n.10. tract.14. disp.1.n.9.* vbi admittit posse actum bonum, & supernaturalem esse malum extrinsecè ex imperio malo. Et quidem de actu exteriori concedunt ipsi Aduersarij, posse esse bonũ simpliciter, provt procedit ex voluntate bona, & simul malum provt procedit ex alia voluntate mala. In quo exemplo, quod ab ipsis admittitur, retorquentur argumenta; nam malum est ex quocumque defectu, & bonum ex integra causa; & tamen ille actus exterior licèt sit malus, est simul bonus per te provt oritur ab alia voluntate bona. Item ille actus exterior assumitur tunc, vt medium, & causa ad obtinendum finem malum; sed quod est causa talis, non potest licitè poni per te: ergo non potest voluntas bona terminari hîc, & nunc ad ponendum illum actum exteriorem. Vides difficultatem esse eamdem, ad quam omnes debemus respondere.

111. *Potest actus imperatus esse bonus in se, & malus extrinsecè.*

Adde, maiorem aliunde difficultatem remanere soluendam in illa sententia contraria. Primò, quia si argumentum, cui innituntur aduersarij validum esset, probaret vtique nunquam posse actum pœnitentiæ vitiari extrinsecè, & manere intrinsecè, & formaliter bonum ac honestum; quia nimirũ, vt ipsi dicunt, non potest esse bonus actus, & meritorius, ac Deo placens, qui est simul malus ex imperio extrinseco: hoc autem principium cum hac vniuersalitate acceptum, non videtur posse etiam in eorum sententia sustineri: quia ipsi fatentur, sententiã contrariam esse quidem probabilem saltẽ per principia extrin-

112. *Potest fabri per accidens id fieri.*

extrinseca, & licet id ipsi negarent, posset tamen aliquis inculpabiliter eam probabilem, aut etiam veram existimare, atque adeo posset practice eam amplecti. Vnde posito imperio venialiter malo, quo ex fine vanæ gloriæ imperaret sibi confessionem, & pœnitentiam internam, licèt videret, eos actus hic, & nunc si ponantur vitiari ex fine extrinseco actus imperantis, & deservire ad eius finem malum: videns tamen aliundè esse probabile, quod non esset illicitum, aut malum noua malitia ponere actum pœnitentiæ ex imperio malo iam posito; posset se cõformare practicè huic sententiæ, & ponere actum pœnitẽtiæ imperatũ absque vlla prorsus malitia noua formali: quomodo enim posset contrahere nouam malitiã, aut turpitudinem in eo actu, in cuius positione iudicat probabiliter nullam nouam malitiam, aut turpitudinem confiteri.

213. Hoc quippè apud Theologos compertum est, nec Aduersarij id negant, iudicium probabile sufficere ad purgandam omnem malitiam formalem, quæ in exercitio alicuius actionis posset aliunde reperiri: esset ergo tunc ille actus pœnitentiæ secũdùm se honestus ex fine extrinseco, & ex carentia omnis circumstantiæ, quæ eum posset redddere intrinsecè malũ, quia si quæ daretur, illa ignoraretur inculpabiliter, cùm probabiliter iudicaretur, illam circumstantiam nõ obstare, ne poneretur actus imperatus pœnitentiæ posito iam actu imperante venialiter malo. Et tamen adhuc in eo casu actus pœnitentiæ esset extrinsecè, & denominatiuè malus; ergo non repugnat, aliquem actum pœnitentiæ honestum & bonum, ac formaliter meritorium, & Deo placentem posse simul esse malum extrinsecè, & denominatiuè, ac vitiari extrinsecè ex imperio malo. Porro tunc actum pœnitentiæ esse extrinsecè malum, probatur clarè: quia adhuc tunc procederet verè, & propriè ex imperio malo: adhuc enim moueretur extrinsecè homo ab illo imperio ad eliciendum actum pœnitentiæ, absque noua tamen malitia, quia probabiliter iudicaret, non esse malum noua malitia ponere id, ad quod imperium malum iam positum mouet, eo quod probabile iudicium purgaret omnem malitiam, quæ posset esse in exercitio illius actus imperati. Sicut quando superior, vel Dominus ex fine malo præcipit subdito, vel seruo aliquod opus de se bonum; tunc subditus, aut seruus, licèt videat illud opus, si ponatur procedere ab imperio vitioso superioris, vel Domini, adhuc quia simul iudicat, non esse malum malitia noua ponere ex imperio malo, opus quod de se est bonum; ideo non contrahit malitiam formalem obediendo illi imperio. Sic ergo in casu nostro ille actus non contraheret nouam malitiam formalem, licèt verè procederet ex illo imperio malo, atque adeo contraheret malitiam extrinsecam ab illo: nam esse malum extrinsecè, nihil est aliud nisi esse malum in causa, seu procedere à causa vitiosa: quamvis ergo esset actus bonus in se, posset esse malus in sua causa, & per consequens esset denominatiuè, & extrinsecè malus, in se autem honestus, & bonus.

214. Secundò, & à priori vrget contra Aduersarios, quia non potest explicari illa noua malitia in actu imperato, quæ sit noua, & distincta à malitia iam posita actus imperãtis. Malitia enim noua intelligi non potest sine libertate noua, quæ, inquam sit libertas in genere moris, hoc est, in ordine ad bonũ, & malum morale: non potest autem esse talis libertas noua post actum imperantem: Ergo non potest esse malitia noua. Minor probatur, quia si inter actũ imperantem, & imperatũ potest pro aliquo signo naturæ intermedio intelligi cognitio noua taliter repræsentãs malitiã actus imperati, peto an ex vi illius cognitionis moueri possit voluntas ad non ponendum actum imperatum pœnitentiæ v. g. ne ponatur illa malitia proposita, vel non possit moueri ab ea cognitione? Si potest moueri, & ad hoc habet potentiam proximam pro eo signo intermedio inter actum imperantem, & imperatum: Poterit ergo in tertio signo habere actum, quo ex illo motiuo, scilicet, ne contrahat malitiam illam nouam formalem, nolit elicere actum imperatum. Hoc autem omnino repugnat, quia iam in eodem instanti reali haberet voluntas duos actus contrarios circa idem obiectum; haberet enim in primo signo actũ imperantem, quo ex desiderio vanæ gloriæ, quam efficaciter amat, & intendit, vult habere in hac hora, v. g. actum pœnitentiæ, vt confiteatur: rursus haberet in tertio signo actum, quo ex odio vanæ gloriæ nollet habere actum pœnitentiæ ne deseruiret ad finem vanæ gloriæ priùs intentum, qui actus esset odium vanæ gloriæ; repugnat autem, quod eodem instanti, velit, nolit, amet, & odio habeat gloriam vanam: Ergo non potest ex illa cognitione intermedia moueri ad relinquendum actum pœnitentiæ imperatum, quia non potest ex illa cognitione moueri, nisi feratur per odium in eius motiuum, quod est malum vanæ gloriæ: ergo si non potest moueri ad respuendam vanam gloriam, quam nimirum eodem instanti amplectitur, non potest illa cognitio deseruire ad nouam libertatem proximam in genere moris, illa enim sola est libertas in genere moris, quæ propter malitiam moralem propositam potest omittere, vel respuere obiectum propositum, sed voluntas non potest potentia noua, & proxima, propter malitiam vanæ gloriæ omittere actum imperatum, stante imperio ex amore vanæ gloriæ, ergo non habet libertatem nouam proximam in genere moris, & per consequens neque nouam malitiam moralem.

215. Si verò dicas non posse quidem voluntatem ex vi illius cognitionis moueri ad omittendum actum imperatum pœnitentiæ; aliunde tamen esse formaliter liberum libertate proxima, quia potest ex aliis motiuis illum omittere. Contra hoc est, quod non sufficit libertas ex aliis motiuis ad dandam malitiã formalem, sed debet esse libertas, quæ oriatur ex turpitudine cognita, Quantuncumque enim ego possim non comedere, & hoc ex motiuo auaritiæ, ne expendam, & quantuncumque cognoscam eiã prohibitionem comestionis ex præcepto ieiunij; si tamen non possum moueri ex prohibitione, & malitia ad abstinendum, licèt possim moueri ex auaritia non habeo libertatem in genere moris requisitam ad peccandum contra ieiunium, quia cognitio præcepti, quæ me mouere non potest; perinde omnino est, ac si non esset: ergo sicut absque cognitione præcepti non pecco contra ipsum, sic absque cognitione tali, quæ me possit mouere. Si ergo in casu nostro cognitio illa intermedia de turpitudine vanæ gloriæ non potest pro eo signo mouere ad odium vanæ gloriæ: non dat libertatem nouam, & proximam in genere moris, ratione cuius contrahi possit noua malitia eliciendo actum imperatum, etiamsi aliunde voluntas ex aliis motiuis libera sit libertate proxima ad omittendum actum imperatum.

216. Faciliùs ergo in re proposita proceditur concedendo posse etiã actum imperatũ pœnitẽtiæ habere in se libertatem, & honestatẽ formalẽ & proximam ex proprio obiecto, itaut in se proximè placeat Deo, & disponat ad iustificationẽ, licèt in sua causa displiceat, atque adeo vitietur extrinsecè, & denominatiuè, quatenus aliquo modo procedit ex

ex imperio venialiter malo. Neque obstat non posse eumdem actum simul esse bonum, & malum: quia bonum ex integra causa, & malum ex quolibet defectu.

Respondetur enim facilè assignando discrimen inter malitiam intrinsecam, & extrinsecam: hæc enim non est defectus intrinsecus ipsius actus, sed est procedere à causa mala: quamuis ergo repugnet aliquid in se esse simpliciter bonum, & simpliciter malum; non tamè repugnat procedere à duabus causis, quarú vna sit simpliciter bona, & alia simpliciter mala: item non repugnat actum in se esse simpliciter bonum, & procedere ab aliqua causa simpliciter mala. Nam obedientia subditi (vt supra dicebam) est simpliciter bona, & procedit ex mala voluntate Prælati præcipientis ex prauo fine, & per consequens refertur extrinsecè ad malum finem à Prælato intentum.

227. Eodem modo respondetur ad secundam rationem, illum actum bonum misericordiæ, v. g. imperatum posse hîc: & nunc causare malum finem: negamus tamen idcò esse malum in se: nam illa etiam obedientia subditi est causa, & medium ad finem malum Prælati, & tamen non ideo est mala in se, sed solùm extrinsecè. Non enim sufficit ad hoc, vt aliquid sit malum in se, quod possit causare aliquod malum: alioquin omnes actus charitatis essent semper mali, quia semper possunt esse occasio vanæ gloriæ sequentis: sed requiritur, quod ex se ordinetur ad illud malum causandum: quod non habet actus imperatus bonus: quare tota malitia consistit in actu imperante, & ordinante eum actum bonum ad finem malum: quod autem supposita ea ordinatione, fiat postea actus misericordiæ, non est malum noua malitia: sicut quod posita voluntate efficaci occidendi, sequatur homicidium externum, non est malum noua malitia: sed potiùs bonum bonitate naturali ex suppositione, & ideò licèt Deus non velit peccatum; vult tamen, quod supposita voluntate interna, sequatur illa actio exterior, quæ de se nullam affert malitiam, sed solùm denominatur à malitia iam antecedenter posita; & sicut supposito peccato commisso à posteris in Adamo, Deus concurrit nunc ad generationem huius hominis, & vult producere hunc hominem, qui eo ipso denominabitur peccator à malitia iam antecedenter posita: ita vult Deus posita voluntate interna homicidij, sequi actionem externam, quæ eo ipso denominabitur malitia antecedenter posita. Ita etiam de actu imperato. Nam posito imperante malo placet Deo quod sequatur imperatus in se bonus, licèt debeat dominari malus ex malitia sola priori existente in imperante malo. Nam tota hæc denominatio nihil noui mali includit præter malitiam iam præexistentem.

Dices, virtus est, qua nemo malè vtitur; Ergo actus virtutis non potest esse malus. Respondetur, distinguendo antecedens cum S. Thom. 3. *part. quæst.* 80. *art.* 4. *ad* 3. Virtus est, qua nemo malè vtitur, vt principio, concedo, vt obiecto nego.

Dices iterum discrimen esse inter actum externum, & inter internum imperatum: Nam externus non habet nouam libertatem, & ideò non mirum, si supposito interno non displiceat Deo fieri externum, nec afferat nouam malitiam: at verò internus etiam imperatus habet nouam libertatem (vt iam concessimus) quare videtur afferre nouam malitiam, quia in ipso exercitio actus imperati voluntas liberè cooperatur imperio, & intentioni præ: cooperari autem liberè præ intentioni malum est; & per consequens displicet de nouo Deo, quod ponatur ille actus imperatus etiam supposito imperante.

Respondetur in primis hoc argumentum probare contra id, quod supponunt etiam Aduersarij: probat enim illam malitiam per ordinem ad finem extrinsecum non esse extrinsecam actui imperato, sed intrinsecam, & nouam; quia vltra malitiam præcedentem imperantis, est malitia noua cooperari liberè illi intentioni præ ponendo actum imperatum: destruitur ergo suppositio quæstionis quæ solum procedit de malitia, quam actus imperans habet solùm extrinsecè, & denominatiuè ab actu imperante. Deindè ad obiectionem dicimus, esse aliqua obiecta, quorum intentio, licèt sit mala, consequutio tamen non est mala: & ideò cooperatio ad illa, seu ponere aliquid, quod sit medium ad eorum consequutionem, non tamen ea intendendo, non est malum. Talis est laus, & existimatio apud homines, quam quidem intendere vanè malum est; consequi non est malum, nec etiam ponere aliquid, ex quo illa gloria sequatur. Hinc est, in exemplo supra posito, Prælatum peccare, intendendo gloriam humanam, & ex intentione præcipiendo aliquid subdito: subditum non peccare obediendo, licèt eo ipso ponat aliquid vtile ad eum finem malum, quem Prælatus intendit. Hæc enim cooperatio non est formalis, id est, intendendo eundem finem, sed materialis; quæ respectu eiusmodi obiectorum non est mala. Ita se habet voluntas in exercitio huius actus imperati in casu nostro: ponit enim liberè aliquid vtile ad finem prauum actus imperantis mali: sed non cooperatur ad eius malitiam; quia per actum imperatum voluntas non intendit illum finem: & licèt ponat aliquid vtile ad eius consequutionem; consequutio tamen non est mala, sed sola intentio: quæ iam tota posita est, & ad quam actus imperatus non cooperatur formaliter, sed cooperatur materialiter ad consequutionem, quæ non est mala.

Quando sit malum cooperari ad malum?

220. Dices, etiam posita malitia actus imperantis videri malum malitia noua ponere actum imperatum: quia debeo procurare, ne mea operatio fiat ex malo fine: si ponatur autem tunc actus imperatus, iam erit ex malo fine extrinseco; ergo etiam supposito imperante, debeo procurare, ne ponatur imperatus in his circumstantiis.

Respondetur distinguendo maiorem: debeo procurare, ne mea operatio sit ex malo fine extrinseco tollendo intentionem mali finis, & reuocando illam, concedo: impediendo actum imperatum de se bonum nego: tota ergo malitia consistit in positione actus imperantis, & in non reuocanda ea intentione: quod autem ea posita, sequatur actus imperatus, non est malum noua malitia, sed solùm denominatiuè à malitia præcedenti, quæ iam tota posita est.

221. Petes, an locum habeat, non solùm, quando finis, qui intenditur ab imperante, secundùm se, non est malus; licèt intentio sit mala, sed etiam quando finis ipse est malus. Potest enim dupliciter casus contingere. Primò cùm quis ad comparandam gloriam apud homines imperat sibi actum bonum: quæ quidem gloria secundùm se, non est culpa, sed sola intentio illius. Secundò, vt si aliquis imperaret sibi actum bonum, & honestum, vt postea posset gloriari, & laudare se de illo: quæ quidem gloriatio, & laudatio, quæ intenditur, erit etiam secundùm se mala, & culpabilis, quando ponetur.

222. Respondetur, doctrinam traditam faciliùs quidem procedere in primo casu: nam in eo actus imperatus, vt diximus, nullo modo cooperatur ad malum, quia gloria humana non est culpa, sed intentio illius, ad quam intentionem actus imperatus non cooperatur, sed supponit illam. In secundo autem casu posset esse maior difficultas: quia actus imperatus videtur cooperari prauæ intentioni, vt ponatur

An sit obligatio impediendi effectum malum.

postea aliquid malum, nempè peccatum vanæ iactantiæ, &c. Vndè videtur ipse actus imperatus, non posse tunc licitè poni: quia si ego video meam operationem præsentem fore causam, vt eras peccem, debeo abstinere ab hac operatione præsenti, vt impediam peccatum meum crastinum: Si ergo actus imperatus est occasio, vt postea sequatur actus malus, debeo abstinere ab illo, atque ideò ipsemet erit malus formaliter malitia noua, si ponatur.

223. Adhuc tamen in hoc secundo casu non potest dari regula vniuersalis, quia licèt aliquando sit obligatio abstinendi ab actu imperato, & quidem obligatio noua, si esse posset aduertentia cum libertate noua in genere moris: aliquando tamen non erit ea obligatio. Aliquando itaque poterit, & debebit omitti imperatus ad præcauendum peccatum futurum, vt si v. g. scias, eleemosynam hodiernam fore causam in te fornicationis crastinæ, debes abstinere ab hodierna eleemosyna propter obligationem impediendi graue peccatum crastinum: imò ob eamdem rationem posses, & deberes abstinere in die festo ab audienda Missa, quia præceptum non obligat cum tanto periculo. Aliquando non erit talis obligatio abstinendi ab actu bono præsenti, imò erit obligatio non abstinendi: vt si Sacerdos in Missa recordetur peccati mortalis, debet elicere contritionem, etiamsi sciat, quod postea gloriabitur vanè, & superbiet propter contritionem habitam: imò licet sciret, quod postea ea occasione incidet in peccatum mortale; adhuc debet obseruare nunc præceptum præmittendi contritionem. Ratio autem est; quia cum contritio de se non sit causa determinata peccati, positio contritionis non est cooperari peccato, sed solùm est non impedire, & præcauere illud: non est autem obligatio præcauendi, & impediendi peccatum futurum cum tanto onere: debemus quidem non intendere illud, atque ideò intentio illius, & actus imperans cum illa intentione erit peccatum: actus tamen imperatus secundùm se non intendit, nec est causa determinata illius.

224. Vndè ad propositum nostrum, loquendo de actu pœnitentiæ bono imperato ex intentione non bona faciliùs res hæc explicatur: Si enim intentio imperans est mortaliter mala; tunc confessio erit irrita propter defectum dispositionis requisitæ ad absolutionem, atque ideò non est inconueniens, quod etiam actus pœnitentiæ tunc esset malus formaliter: si verò intentio imperans sit solùm venialiter mala, & confessio sit occasio alicuius peccati venialis subsequentis, non est necesse, quod ipsa etiam confessio, aut attritio imperata sit mala formaliter: non enim est obligatio præcauendi peccatum veniale futurum cum dispendio confessionis præsentis, quæ secundùm se est bona, nec secundùm se cooperatur, aut est causa peccati futuri: erit ergo mala intentio actus imperantis: confessio tamen aut pœnitentia imperata non erit mala propter periculum peccati leuis futuri.

225. Hinc infero quintò, hanc doctrinam non solùm habere locum in actu bono imperato naturali, sed etiam in supernaturali, qualis est actus fidei, spei, attritionis, &c. quod etiam concedit expressè Magister Curiel *vbi suprà*. Quod enim sit entitas supernaturalis, non impedit quominùs extrinsecè possit denominari mala: nam consecratio Eucharistiæ est satis supernaturalis, & potest denominari mala à voluntate Sacerdotis consecrantis ex fine sacrilego: & Deus potest peculiariter concurrere ad illum effectum: quia licèt Deo non placeat illa intentio sacrilega; placet tamen, quod posita illa intentione, sequatur effectus supernaturalis. Ita licèt Deo non placeat, quod imperetur actus supernaturalis ex fine prauo extrinseco, placet tamen supposito illo imperio malo, quod sequatur actus de se bonus, & ideò stat, hominem demereri per illam intentionem malam venialiter, & mereri per actum bonum subsequentem. Quando autem dico actum fidei posse imperari extrinsecè ex fine malo; non intelligo de imperio immediato, quia voluntas immediata debet esse ex pia affectione, vt suppono ex materia de fide, sed loquor de intentione mediata, ex qua sequatur postea pia affectio, & media pia affectione sequatur assensus fidei, de quo dixi latè in tractatu de fide.

Porrò debere admitti respectu actuum supernaturalium eiusmodi imperium, probari videtur ex 226.
casu nostræ quæstionis, quando quis ex fine vanæ gloriæ malo venialiter accedit ad confessionem, & habet attritionem: durissimum enim esset, eas omnes confessiones damnare, vt sacrilegas, si alioquin confessio sit integra, & dolorosa: & tamen illa attritio debuit esse actus supernaturalis ortus aliquo modo ex intentione illa gloriæ humanæ, à cuius malitia totus ille actus denominatur extrinsecè malus, licèt intrinsecè sit bonus, & laudabilis: alioquin non posset disponere sufficienter ad effectum Sacramenti.

Respondent aliqui, eo casu solam confessionem 227.
externam imperari à fine malo, quia ea sola conducit ad consiliandam bonam existimationem apud confessarium; attritio autem interna non conducit ad hoc, sed ad efficiendum Sacramentum validum: quare attritio non imperatur ex illo fine malo. Hæc tamen responsio impugnatur facilè; quia licet attritio non conducat immediatè, & directè, conducit tamen mediatè ad eum finem vanæ gloriæ, scilicet, vt medium requisitum ad hoc, vt confessio exterior sit eligibilis hîc, & nunc: Si enim confessio exterior esset sacrilega, ego non eligerem eam, nec vellem cum tanto incommodo consequi bonam 228.
existimationem apud confessarium. Ergo illud, quod conducit, vt confessio exterior non sit sacrilega, conducit etiam, vt confessio eligatur à me in ordine ad illum finem; & per consequens conducit mediatè ad eum finem humanum, & eligitur ex eadem intentione, sicut qui vult ire Neapolim ad homicidium patrandum; & conducit equum, vel nauim: hæc ipsa conductio oritur ex intentione homicidij, & est mala ab eius malitia, quia licèt ad homicidium solùm conducat ire Neapolim, quod etiam sine equo fieri posset, & conductio equi solùm ordinetur immediatè ad vitandam incommoditatem itineris: ille tamen non vellet fortasse homicidium cum tanto incommodo, nec iret, nisi posset naulgare, vel equitare; quare conductio equi vel nauis, quæ facit illud medium eligibile, eligitur etiam ex eodem fine, quantum sufficit, vt ipsa conductio sit mala denominatiuè. Item qui ex fine vanæ gloriæ celebrat Sacrum, non solùm ordinat in eum finem prolationem verborum, sed etiam intentionem consecrandi; Nam licèt ad finem illum sufficeret prolatio exterior; quia tamen ipse nollet cum tanto sacrilegij scelere comparare vanam gloriam, necessaria est etiam intentio consecrandi, vt hoc medium sit eligibile hîc, & nunc ad eum finem: & qui ex fine solo lucri celebrat, eodem modo vitiat ipsam etiam intentionem consecrandi, licèt ad accipiendum stipendium sufficeret prolatio exterior verborum: intentio autem interna non requiritur, nisi ad non defraudandum iniustè eum, qui dat stipendium, & ad vitandum sacrilegium. Similiter ergo in nostro casu ipse actus attritionis, sine quo confessio exterior non eligeretur, ordinatur extrinsecè ad eum finem vanæ existimationis humanæ.

Respondent

229. Dispositio ad actum debet esse bona.

Respondent alij, eum actum doloris in prædicto casu non fore bonum, aut meritorium, fore tamen dispositionem sufficientem ad iustificationem quod extendunt etiam ad actum contritionis extra Sacramentum, nam esset (inquiunt) dispositio sufficiens ad gratiam habitualem, licèt non esset actus bonus moraliter, sed malus propter finem extrinsecum malum actus imperantis, Ita Salas *dicta disp. 3. sect. 11. numero 166.* Hæc tamen solutio difficillima est.

Primò quia ille actus, si dispositio est vltima ad gratiam deberet omninò esse supernaturalis, & ex auxilio gratiæ, vt ex principiis fidei colligitur, & Concilijs probat latè Suarez *tom. 3. de gratia lib. 8. cap. 7.* Ergo deberet esse actus bonus, & honestus.

Secundò, quia quando aliquis actus liber exigitur, vt dispositio vltima ad gratiam, non petitur tanquam dispositio physica, sed moralis, ac per consequens tanquam impetratoria, vel meritoria de congruo, vt notauit idem Suarez *vbi supra num. 7.* Ergo debet habere bonitatem moralem; quod enim bonum non est, nec placet Deo, nec mouet ipsum.

Tertiò ex Tridentino *sess. 14. cap. 4.* vbi de contritione in vniuersum, provt præscindit à perfecta, & imperfecta, dicitur fuisse semper necessariam ad impetrandam veniam peccatorum. Ergo contritio, quæ non posset impetrare ex defectu bonitatis moralis, non posset vltimò disponere ad iustificationem.

Denique hoc ipsum colligitur apertè ex locis Sacræ Scripturæ, vbi exigitur à Deo hic motus pœnitentiæ ad iustificationem: Semper enim exigitur tanquam aliquid placens Deo, & mouens Deum ad reconciliationem. Ierem. 3. *Conuertimini, & sanabo auersiones vestras*, &c. 18. *Si conuertamini salui eritis.* Psalm. 50. *Cor contritum, & humiliatum Deus non despicies*: Certè quia placet Deo illa contritio, & humilitas: non ergo potest negari, illum actum fore bonum moraliter, & placiturum Deo; si conceditur esse vltimam dispositionem ad gratiam habitualem, & remissionem peccatorum. Meliùs ergo dicitur, illum actum, licèt extrinsecè, & denominatiuè esset malus, adhuc posse esse intrinsecè bonum, & laudabilem; tota enim malitia esset illa extrinseca, & antecedens ipsum actum, tenensque se ex parte solius actus imperantis, qui displiceret Deo; placeret tamen imperatus in se, licèt non in sua causa, vt dictum est.

231. Dilucidatur ratio dubitandi.

Infero sextò, aliter dicendum esse de actu electionis, qui oritur ex intentione mala; hic enim non solùm est malus denominatiuè, sed intrinsecè, & ex proprio obiecto; Nam ipsamet electio (vt ex probabiliori sententia suppono) non solum fertur intrinsecè ad medium, sed etiam ad finem: v. g. quando eligitur medicina propter sanitatem, illa electio non sistit intrinsecè in sola medicina: medicina enim non repræsentatur, vt delectabilis, nec vt honesta, sed solùm, vt vtilis; ergo per illum actum amatur medicina, quia vtilis est: vtile autem vt vtile est relatiuum, vtile enim ad aliquid est vtile; ergo per illum actum amatur medicina vt vtilis ad sanitatem, & per consequens ille actus fertur intrinsecè ad sanitatem saltem in obliquo. Cùm ergo nullum medium possit amari vt medium, nisi in ordine ad finem, qui ordo sit intrinsecus in illo actu quo eligitur medium, hinc fit omnem electionem præcedentem ex intentione mali finis, debere esse malam non solùm extrinsecè, & denominatiuè, sed etiam intrinsecè & immediatè, quia ipsa etiam electio dicit ordinem intrinsecum ad malum finũ: Hoc autem intelligi debet, quando actus electionis haber nouam libertatem moralem. Si enim electio sit vnici medij, ea fortasse est aliquando necessaria supposita intentione efficaci finis; atque ideò electio erit solùm libera in causa, & mala etiam in causa, seu denominatiuè, & extrinsecè: quia deficiente liberalitate, habebit se sicut actus exterior. Loquimur ergo de electione medij, quæ etiam supposita intentione finis, posset non sequi: Nam sicut diximus actum imperatum posse sæpè non sequi posito iam actu imperante, quia imperans non cogit ad ponendum imperatum hoc instanti; pro tempore verò sequenti posset retractari imperium, ita intentio finis sæpè non cogit ad eligendum medium hoc instanti, pro tempore autem sequenti potest retractari ea intentio: quare electio medij hoc instanti habet nouam libertatem, posset enim non fieri nunc, nec postea. Differt tamen electio ab actu imperato, quod actus imperatus, si sit de se bonus, non fit malus intrinsecè, propter imperium malum: electio verò, licèt sit de medio secundùm se bono, vitiatur tamen in se ipsa propter intentionem mali finis.

SECTIO. X.

Difficultates quædam contra doctrinam præcedentem.

233. Diximus actum pœnitentiæ imperatum aliquando posse præcedere ex imperio absoluto quidem, sed non determinante omninò instans: & tunc actum imperatum fieri cum noua libertate formali propria ipsius, etiam quoad substantiam: aliquando verò procedere ex imperio determinante omninò, & imperante absolutè, illum fieri pro hoc ipso instanti, & tunc actum imperatum non esse liberum quoad substantiam, nisi denominatiuè, & in causa. Contra hoc videtur esse adhuc difficultas suprà insinuata, quia hinc sequi videtur, quod ille, qui ex metu inferni videns se esse in peccato, & non habere copiam Confessarij, vult sibi consulere per actum contritionis, & ad eum finem imperat sibi actum contritionis, hunc, inquam, non disponi sufficienter ad iustificationem per illam contritionem.

234. *Contritio libera solùm denominatiuè an sufficiat?*

Pone enim, quod oppressus temporis angustiis, imperat sibi contritionem in eodem instanti eliciendam: tunc contritio non habet nouam libertatem formalem, sed est denominatiuè libera ab actu imperante libero: Ergo nec habet nouam laudabilitatem, aut valorem in ratione meriti, sed erit laudabilis, & meritoria solùm denominatiuè ab actu imperante laudabili, & meritorio, sicut actus externus non habet nouam laudabilitatem, aut meritum supra internum propter defectum nouæ libertatis formalis. Meritum autem & laudabilitas actus imperantis in nostro casu non est laudabilitas, & meritum contritionis, vel charitatis, sed alterius inferioris virtutis, à qua elicitur actus attritionis habens pro motiuo propriam salutem, & fugiens pœnam inferni propter malum illius pœnæ. Ergo actus contritionis in illo casu non habebit laudabilitatem, aut præmiabilitatem contritionis, sed solùm attritionis, à qua necessariò procedit, & per consequens illa contritio sic imperata non erit sufficiens dispositio ad gratiam iustificantem, hæc enim non datur propter meritum congruum attritionis, sed propter meritum perfectionis virtutis, à qua elicitur contritio.

235. Propter hoc posset aliquis dicere voluntatem illã reflexam seruandi præceptum contritionis in hoc instanti non esse tunc voluntatem absolutam contritionis

nis, sed voluntatem applicandi intellectum ad cogitandum de motiuis contritionis,& tollendi impedimenta, vt moueatur voluntas ad contritionem: non tamen esse voluntatem absolutam contritionis, quia eo ipso destrueretur ratio contritionis meritoriæ,quæ sumitur ex eius libertate. Nec præceptum contritionis videtur posse alio modo obligare: non enim potest obligare immediatè ad contritionem; non enim potest immediatè præcipi aliquis actus, qui non possit habere pro motiuo honestatem obedientiæ: quia præceptum ad hoc imponitur, vt ab eo moueatur subditus; non potest autem ab eo moueri, nisi quia bonum, & honestum est obedire, quæ est honestas obedientiæ:Contritio verò cum sit ex motiuo charitatis, vel pœnitentiæ non potest habere pro motiuo formali honestatem obedientiæ,alioquin deberet elici à virtute obedientiæ:non potest ergo præcipi immediatè actus contritionis, sed solùm potest homo obligari ex præcepto, vel ad habendam contritionem,vel saltem actum alium reflexum, quo velit contritionem; qui actus reflexus poterit esse ex motiuo obedientiæ; ille tamen actus non poterit esse voluntas absoluta contritionis propter obiectionem supra factam,sed voluntas applicandi intellectum,& voluntatem, vt fiat contritio libera.

236. Cæterùm non videtur posse negari, quod possit aliquando dari talis voluntas absoluta,& efficax imperans absolutè contritionem hic, & nunc. Primò quia negari non potest, quod homo ex metu inferni possit concipere propositum efficax seruandi omnia præcepta: alioquin non sufficeret attritio ex metu inferni cum Sacramento ad remissionem peccatorum, Semper enim requiritur propositum seruandi omnia præcepta: illud autem propositum debet esse tale, cum quo non possit stare violatio alicuius præcepti grauis, vt constat ex Tridentino *sess.* 14. *cap.* 4. vbi dicitur, quod attritio requisita omnem voluntatem peccandi excludit. Ponamus ergo hominem in extremo constitutum, qui aduertat, sibi necessariam esse contritionem ad salutem atque adeò ex præcepto obligari ad eam primum habendam: hîc poterit ex desiderio salutis velle obseruare omnia præcepta,& per consequens poterit velle obseruare præceptum illud contritionis, cum quo proposito actuali non potest coniungi violatio illius præcepti, ergo potest habere voluntatem absolutam explicitam, vel implicitam habendi contritionem hîc, & nunc debitam ex præcepto.

237. Secundò, quia si homo ex præcepto contritionis solùm obligatur ad applicandum intellectum,& proponendum voluntati motiuum,&c.sequeretur,quod posset homo habere tale præceptum;& tamen nunquam conteri absque violatione illius præcepti: faceret enim totum id, ad quod obligat præceptum, nempè applicare intellectum, & proponere voluntati motiua contritionis, quibus stantibus, voluntas posset non habere contritionem: ergo stante præcepto contritionis, posset non habere contritionem absque vlla violatione præcepti: quod videtur omninò repugnare, & esse contra omnium fidelium sensum. Vnde tertiò sequeretur non posse contritionem præcipi homini præcepto proprio, & rigoroso; nam præceptum proprium debet obligare ad rem præceptam:obligare autem,vt ex terminis constat, est ligare, & astrigere;ita vt homo non possit licitè oppositum facere: Certum verò est posse hominem obligari ad contritionem, atque adeò certum esse debet posse eum ex motiuo obedientiæ, & præcepti moueri ad volendum efficaciter obedire,& habere actum contritionis.

238. Ad difficultatem ergo propositam dicendum videtur de facto rarò quidem, vel nunquam contingere, quod imperetur actus contritionis, vel attritionis ita determinatè, & limitatè, vt coarctetur ad imperium ad illud idem instans: si tamen imperaretur, licèt non esset liber libertate formali actus imperatus,saltem quoad substantiam, adhuc esset sufficiens dispositio ad iustificationem, vel absolutè, 241.
vel cum Sacramento,& quidem aliqui Theologi extendunt hanc doctrinam ad eum etiam casum in quo contritio, vel attritio non solùm non haberet honestatem, & libertatem formalem sibi propriam, sed etiam quando neque bonitatem haberet ab actu imperante, sed potius malitiam: vt si contritio,vel attritio imperaretur ab actu venialiter malo ex fine vanæ gloriæ, verbi gratia vel simili: Tunc enim dicunt etiam forè sufficientem dispositionem ad iustificationem;quorum sententiam referunt,& approbant Zumel *tom.* 2. *in* 1.2. *quæst.* 114. *art.*1. *disp.*5. & Salas *in præsenti*, *tractat.* 7. *disputatione* 3. *sectione* 11. *num.* 166.

Ergo tamen solùm id admitto, quando contritio, 239.
vel attritio oritur ex imperio honesto supernaturali:tunc enim licèt non addat honestatem, & libertatem formalem supra actum imperij: re tamen vera 242.
est honesta, meritoria, & impetratoria, sicut actus eleemosynæ: quare potest Deum mouere de congruo ad conferendam gratiam iustificationis Quando verò oritur ex imperio solùm malo, vel non bono; nulla ratione erit honesta, vel meritoria, atque adeò Deus non poterit ab illa moueri ad conferendam gratiam iustificationis, cùm tamen Concil Trident. *sess.* 14. *c.* 4. apertè dicat necessarium semper fuisse motum contritionis aliquem ad impetrandam peccatorum veniam; debet ergo esse talis illa contritio,quæ aliqua ratione possit impetrare saltem de congruo: quod quidem habere potest contritio necessariò orta ex imperio illo, quod fit ex metu gehennæ;non potest autem vlla ratione impetrare contritio, quæ necessariò oritur ex solo imperio malo, cùm neque in se, neque in causa haberet honestatem requisitam ad merendum, vel impetrandum, Quod verò in eo casu contritio non haberet honestatem formalem,& laudabilitatem propriam con- 243.
tritionis liberæ libertate formali, aufert quidem aliquam dignitatem ab illo actu: adhuc tamen manet contritio humana, & meritoria, quam Deus possit acceptare,vt dispositionem congruam ad iustificationem.

Dices;in eo casu contritio non addit honestatem, 240.
aut meritum supra actum imperij præcedentem;sed honestas actus imperantis non est talis,vt Deus eius solius intuitu conferat gratiam iustificationis. Ergo neque addita contritione imperata,habet Deus motiuum ad iustificationem de facto conferendam. 244.
Respondetur negando consequentiam: quia cum in præsenti non agatur de merito condigno, sed de dispositione congrua, quam Deus ex liberalitate, & misericordia sua acceptare vult; potest Deus eam aliquando non acceptare, & aliquando acceptare, quando apponitur aliquid;licèt hoc non addat maiorem valorem in ratione meriti. Exemplum habemus in martyre, in quo licèt mors re ipsa illata non augeat valorem, & meritum suprà voluntatem moriendi,vt suppono; de facto tamen Deus acceptat illam voluntatem, quando mors sequitur,ad præmia non solùm accidentalia, sed etiam ad gratiam iustificationis aliquando conferendam, & tollendum peccatum originale; ad quos effectus non acceptat illam voluntatem, quando mors non subsequitur re ipsa: quia hæc priuilegia voluit alligare ipsi morti honestè toleratæ: Sic potuit Deus alligare gratiam iustificationis contritioni honestè

honestè habitæ; ita vt manente quolibet alio actu; si desit contritio re ipsa habita, ille effectus non obtineatur; non quia contritio tunc maiorem honestatem afferat, sed quia illi soli Deus tale priuilegium voluit alligari.

141. Confirmatque potest; quia quod iustificatio sequatur infallibiliter actum contritionis, vel attritionis in Sacramento, non prouenit necessariò ex maiori honestate, & laudabilitate, quàm contritio, vel attritio illa, quàm alij actus boni. Potest enim contingere quod sint alij actus magis honesti in individuo, vt condonatio iniuriæ grauissimæ, vel ingressus religionis magis placebit Deo sæpè, quàm aliquis actus attritionis remissæ: & tamen illi alij actus etiam cum Sacramento non sufficiunt ad iustificationem, cum tamen attritio etiam remissa sufficiat: Ergo licèt attritio etiam, vel contritio non addat honestatem supra actum imperantem; poterit deseruire ad iustificationem, eo quod Deus illis solis actibus de facto honestè positis alligauerit hoc genus præmij ex sua liberalitate conferendum.

142. Contra hoc tamen potest adhuc vrgeri, quia si contritio imperetur ex desiderio salutis: oportet, quod imperetur, quatenus deseruire potest ad illum finem: non potest autem deseruire, nisi vt libera, & honesta: ergo imperatur contritio, vt libera, & honesta. Sed in casu posito, quo imperatur determinatè hîc, & nunc, non habet libertatem aut honestatem formalem suam, sed denominatiuam ab actu imperante, ergo si actus imperij vult contritionem vt honestam, & liberam, necesse est, quod velit seipsum, à quo formaliter habet contritio totam suam libertatem, & honestatem.

Hoc idem argumentum probaret etiam contra præceptum contritionis; præcipitur enim contritio, quia est vtilis ad salutem: non est autem vtilis, nisi sit libera; Ergo præcipitur contritio libera; Ergo qui vult obseruare præceptum illud, vel contritionem, vt liberam; sed est libera à libertate illius volitionis, quæ illam vult ponere hîc, & nunc determinatè; ergo illa voluntas vult seipsam, &c.

143. Adde, eamdem esse difficultatem soluendam ab omnibus in aliis materiis; nam qui vult ieiunare, vel dare eleemosynam ad satisfaciendum pro suis peccatis, vult ieiunium, vel eleemosynam propter vtilitatem, quam habent ad illum finem: non est autem vtile ieiunium, vel eleemosyna ad satisfaciendum, nisi fiant liberè, & honestè: ergo vult illa opera liberè & honestè facta. Cùm ergo denominentur libera; & honesta illa opera à voluntate illa interna honesta, & libera; consequens est, vt voluntas illa velit seipsam, à qua formaliter ieiunium, & eleemosyna redduntur libera & honesta.

144. Omnes ergo debemus respondere, voluntatem, quando imperat in prædicto casu determinatè opus aliquod externum, vel internum, non velle adæquatè totam honestatem, & libertatem, quam illud opus habet etiam denominatiuè; sed velle illud opus propter vtilitatem, quam habet de se ad satisfaciendum, v. gr. pro peccatis, & contritionem, v. gr. propter vtilitatem, quam de se habet ad iustificationem: nam licèt ieiunium se solo non possit satisfacere, nisi positum à voluntate honesta, & libera, & contritio materialiter accepta se sola non sufficiat ad iustificationem, nisi provt habens, vel libertatem formalem, vel denominatiuam à voluntate alia libera, & honesta; de se tamen habent aliquam vtilitatem saltem partialem ad illos fines, & propter illam potest voluntas imperare ieiunium, vel contritionem ad tales fines obtinendos.

P. Ioan. de Lugo de Pœnitentia.

Dices voluntas implendi præcepta, & in particulari obseruandi præceptum contritionis, vult totum, quod necessarium est ad implendum illud præceptum; ergo vult non solùm contritionem secundùm se, sed vt liberam, & honestam, sine quibus conditionibus non obseruatur plenè præceptum contritionis. 245.

Respondetur voluntatem, implendi præceptum velle quidem ea omnia, quæ necessaria sunt ad implendum præceptum præter circunstantias tenentes se ex parte illiusmet voluntatis: qui enim vult ieiunium ad satisfaciendum, non vult per illum actum libertatem, & honestatem eiusdem actus, à quo redditur ieiunium satisfactorium; sed omnia alia in ieiunio necessaria ad illum finem. Sic qui vult implere præceptum contritionis, vult contritionem, & honestatem, quam contritio de se habet, & cætiam totalis malitiæ aliunde; non tamen vult honestatem, & libertatem prouenientem ab eodemmet actu, quo illud vult. Si tamen aduerteret, quod ille actus imperij est malus, & quod vitiat contritionem, & reddit inutilem; tunc ex præcepto contritionis debet habere alium actum reflexum, quo nolit illud imperium malum, sed aliud bonum, à quo imperetur contritio absque illo vitio: tunc tamen non vult hunc eumdem actum reflexum, à quo etiam potest prouenire libertas aliquando & honestas contritionis, nisi aduertat per aliam reflexionem, & velit illum, per alium actum reflexum, de quo redit eadem difficultas. Interim verò dum non aduertit per actum reflexum, satisfacit præcepto contritionis, volendo contritionem aliunde non inutilem ad finem implendi præceptum, quia iam vult omnia necessaria præter ipsum actum, quo vult: quem, vt diximus, non potest velle per eumdem actum.

Alia difficultas potest esse contra eandem doctri- 246.
nam supra traditam: quia nimirum, si potest vnus *Angelus an possit imperare suos actus.*
actus voluntatis imperari absolutè per alium; Ergo Angelus, qui comprehendit se, & suos actus, potuit hunc actum, quem nunc habet, imperare per alium actum, & illum per alium, & sic deinceps; vnde videtur fieri, quod vel habeat infinitos actus, vel omissionem puram alicuius actus imperantis, cùm sistendum sit in aliquo actu, quem non imperat, quod imperium, cùm potuisset esse, & omittatur absque aliquo actu positiuo incompossibili, dabitur pura omissio libera illius imperij, quam tamen repugnare dixi *in tract. de actibus humanis.*

Ad hoc facilè respondetur potest, Angelum non posse habere plures, & plures actus in infinitum, quia habet capacitatem finitam; quare dum expleta est eius capacitas per tot actus, quot potest simul habere, non habet omissionem puram aliorum; quia non poterat illos alios habere cum istis, vt constat.

Sed vrgeri potest ex Deo, qui habet capacitatem infinitam; quare potest fieri in ipso idem argumentum, & probari, quod, vel habeat infinita imperia reflexa vel omissionem puram aliquorum. Si autem concedas, illum habere infinita imperia, quorum vnum alio imperetur, & illud alio; & sic in infinitum: sequitur rursus nullum actum voluntatis diuinæ esse formaliter liberum: quia actus imperatus determinatè, & absolutè hîc, & nunc, non habet libertatem formalem, vt vidimus, sed denominatiuam ab actu imperante: si ergo voluntas creandi mundum oritur ex alia voluntate imperante illam, iam ipsa non erit formaliter libera, sed solùm denominatiuè ab illa alia, de qua fit idem argumentum: Nam si illa oritur ex alia voluntate 247.
An possit etiam Deus.

imperante ipsam, nec ipsa erit formaliter libera. Quod probari potest eodem modo de illa tertia, & de aliis omnibus, si nulla est, quæ non imperetur ab alia: Imò nec habebunt libertatem denominatiuam: quia volitio denominatiuè libera, denominatur libera ab aliqua quæ sit formaliter libera: sed in Deo nulla voluntas esset assignabilis quæ esset formaliter libera, singulæ enim imperantur ab alia: ergo nulla esset à qua possent aliæ denominari libertate
248. denominatiua.

Responderi potest; negando, Deum posse habere illa infinita imperia, propter illa eadem inconuenientia, quæ in obiectione afferuntur, quia nimirum nullus actus esset formaliter liber. Neque ex hoc sequitur, quod habeat puram omissionem, habet enim aliquem actum quo vult non habere vllum imperium saltem præter aliqua, quæ fortasse habet: hic autem actus essentialiter non potest imperari, quia ipse excludit omne imperium, sicut cognitio, qua Angelus cognoscit, se non habere vllam aliam cognitionem, non potest cognosci per alium actum reflexum, quia iam esset falsa. Imò si Angelus habeat capacitatem ad habendos simul decem solos actus voluntatis, & imperaret sibi vno actu alios nouem, ille actus imperij, per suam naturam non posset imperari ab alio, quia destrueret suum obiectum; Nam deberent esse iam simul vndecim actus: potest ergo Deus absque pura omissione habere actus voluntatis non imperatos. Post hæc autem scripta editus est tomus primus Patris Ioannis Martinez de Ripalda *de ente supernaturali*, vbi *disp.* 50. latè probat hanc nostram sententiam, apud quem multa videri possunt in eius confirmationem.

DISPVTATIO XVI.

De integritate Confessionis, seu de peccatis, quæ possunt, vel debent esse materia Confessionis.

SECT. I. *Vtrùm peccatum quod sit ipso instanti Baptismi sit materia Sacramenti pœnitentiæ?*

SECT. II. *Aliqua alia dubia de peccatis, quæ sunt materia confessionis, & præsertim de peccatis dubiis.*

SECT. III. *Vtrùm circunstantiæ aggrauantes intra eandem speciem sint necessariò confitendæ?*

SECT. IV. *De circunstantiis in particulari, & primo de circunstantia*, Quis.

SECT. V. *De secunda circunstantia*, Quid, *& præsertim provt se tenet ex parte rei volitæ.*

SECT. VI. *De eadem circunstantia*, Quid, *provt se tenet ex parte personæ, ad quam terminatur peccatum.*

SECT. VII. *Vtrùm pœnitens possit, & debeat explicare in confessione complicem sui peccati?*

SECT. VIII. *Vtrùm aliquando possit Confessarius obligare pœnitentem ad declarandum complicem, quando id necessarium non est ad declarandum integrè totum suum peccatum?*

SECT. IX. *An debeat explicari effectus subsequutus: an verò sufficiat confiteri causam? Vbi etiam de actu externo*

SECT. X. *De circunstantia*, Vbi.

SECT. XI. *De circunstantia*, quibus auxiliis, *& circunstantia*, Cur.

SECT. XII. *De circunstantiis*, Quomodo, *&* Quando.

SECT. XIII. *An possit taceri circunstantia aliqua propter detrimentum, quod sibi, vel alteri pœnitens timet?*

SECT. XIV. *De integritate confessionis quoad numerum peccatorum explicandum.*

SECT. XV. *Quando confessio peccatorum reiteranda sit?*

SECT. XVI. *An repetenda sit confessio peccati integri, quando omissa fuit circunstantia; vel sufficiat confiteri solam circunstantiam omissam?*

CERTVM est, omnia peccata hominis Christiani post Baptismum commissa, esse posse materiam huius Sacramenti. Difficultas prima est de peccato illo, quod in ipsomet instanti, quo Baptismus recipitur, & character, aliquando fortasse committeretur, an possit, & consequenter debeat esse materia confessionis sequentis, si mortale fuit?

SECTIO I.

Vtrùm peccatum, quod sit ipso instanti Baptismi sit materia Sacramenti Pœnitentiæ?

PEccata quidem omnia, quæ ante Baptismum commissa sunt, non debent, nec possunt esse materia huius Sacramenti, vt constat ex Tridentino *sess. 14. cap. 2.* De peccatis verò, quæ fiunt simul cum ipso Baptismo: Aliqui dicunt, omnia esse materiam confessionis sequentis; quia iam sunt peccata hominis Christiani, & baptizati, atque idcò domestici Dei, & subditi Ecclesiæ. Alij distinguunt inter peccatum fictionis, seu voluntatis recipiendi Baptismum absque dispositione debita, & inter alia peccata odij, v.g. luxuriæ, furti &c. Hæc enim dicunt, etiam si fiant ipso vltimo instanti, quo terminatur Baptismus, non esse materiam Confessionis, illud verò, scilicet, peccatum fictionis dicunt debere postea in confessione explicari: cui distinctioni dedit occasionem S. Thomas supra *quæst. 69. art. 10. ad 2. & 3.* vbi videtur aliter loqui de fictione, & de aliis peccatis. Alij denique omnia peccata tunc existentia dicunt debere explicari in confessione, non tamen sub ratione speciali odij, vel furti, v.g. sed solùm quatenus continent malitiam fictionis: per illa enim omnia, & singula impeditur effectus Sacramenti, atque adeò sub ea ratione omnia illa habent speciem fictionis. Hæc sunt Doctorum placita, de quibus videri potest Suarez *3. tom. in 3. part. disp. 28. sect. 5.* Vasquez, *2. tom. disp. 159.* & alij Recentiores.

Dico primò: quæstio hæc nullo modo est practica, sed omninò speculatiua. Nam in praxi certum est, omnia illa peccata debere explicari in Confessione subsequenti, tanquam materiam necessariam, nemo enim scire potest aliquod peccatum duraſſe toto

toto tempore antecedenti, & ipso etiam instanti vltimo terminatiuo baptismi, vel solo illo instanti; & tamen non fuisse continuatum vllo modo per aliquid temporis sequentis. Hoc, inquam, impossibile est quod discernatur: cùm neque sciat homo, quando terminatum fuerit Sacramentum Baptismi: neque etiam, quando metaphificè desierit voluntas illa interior mala, quæ erat peccatum actuale; nam de illa loquimur, non de actu externo, qui si fortè duret aliquandiu post actum internum, iam pro tunc non tam erit peccatum actuale, quàm effectus peccati, sicut pollutio sequuta in ebrietate, vel somno præuisa, & volita priùs, non tam est peccatum tunc, quàm effectus peccati. Cùm ergo homo non possit scire, an illa voluntas mala desierit simul cum baptismo, vel continuata fuerit; debet illam postea confiteri, saltem tanquam peccatum; de quo dubitat, an fuerit factum post baptismum, atque ideo in praxi omnia illa sunt materia necessaria confessionis. Vnde fit, debere etiam omnia illa explicari secundùm malitias proprias odij, furti, &c. & non solùm sub ratione fictionis: quia cùm sit dubium, an commissa fuerint etiam post baptismum, debent explicari secundum propias species, sicut alia omnia peccata, quæ fiunt post baptismum propter eamdem rationem.

Dico secundo, loquendo non iam practicè, sed speculatiuè de peccato illo; procedere possumus iuxta diuersas Physicorum sententias. Aliter enim loquendum existimo in sententia communi componente tempus ex partibus diuisibilibus in infinitum: aliter verò in sententia illa, quæ tempus, & durationem componit ex instantibus solis finitis immediatis. Nam in sententia communi facilè explicari potest, quomodo tam peccata omnia, quàm peccatum fictionis præsens baptismo pertinere debeat ad confessionem sequentem. Suppono enim, baptismum non compleri, nec producere suum effectum in aliquo instanti terminatiuo, sed potiùs in tempore, quia prolatio verborum, aut ablutio, cùm sit motus successiuus, non potest in illo instanti accipere aliquid, ratione cuius sit loquutio significatiua, vel ablutio, & sine quo non esset, absque illo terminatiuo esset verè motus successiuus: & significaret, quod ex professo probaui *disputatione 4. de Sacramentis in genere, section. 6.* de omnibus Sacramentis, de quibus in vniuersum dixi iuxta communem illam Philosophiam dicendum esse, quod producunt gratiam in tempore. Quo supposito sequitur manifestè, peccatum illud siue fictionis, siue quoduis aliud esse materiam necessariam Sacramenti pœnitentiæ. Nam vel illud peccatum terminatum est illo instanti, quod immediatè præcedit complementum baptismi, & productionem gratiæ, in quo verum est dicere, nunc nondum est baptismus completus, nec character, sed immediatè pòst erit; & quidem, si peccatum est vltimò in illo instanti, non verò immediatè post, non pertinet ad Sacramentum pœnitentiæ, quia nunquam fuit peccatum hominis baptizati, & habentis iam characterem, cùm illo istanti, quo peccatum vltimò fuit nondum esset character. Si verò peccatum continuatum fuit pro tempore illo quo baptismus completur, & character producitur, certum etiam videtur quod pertineat ad Sacramentum pœnitentiæ: quia cùm quodlibet tempus sit diuisibile, non potuit continuari peccatum pro etmpore illo, quin continuetur, postquam character est iam productus: cum enim in toto illo tempore sit character, consequens est, vt in secunda medietate illius temporis verum sit, quod peccatum perseuerat, postquàm character iam erat, nam in priori medietate character fuit, atque adeò peccatum illud debet explicari necessariò, tanquam peccatum continuatum post baptismum, & characterem. Vnde etiam constat explicandam esse speciem illius peccati, odij scilicet, vel furti, &c. propter eamdem rationem, sicut de omnibus aliis peccatis, quæ fiunt post baptismum.

Dico tertiò: Si aliquis contendat, baptismum compleri vltimò, & producere suum effectum in instanti vltimo terminatiuo intrinseco, siue quia velit, tempus omne componi intrinsecè ex solis instantibus, siue quia opinatur, non posse effectum indiuisibilem, qualis est character produci in tempore, sed debere incipere intrinsecè in instanti: Tunc quidem; si aliter loquendum esset de peccato fictionis, quàm de aliis peccatis illius instantis: maior fortasse videtur esse ratio, vt diceretur peccatum fictionis non esse materiam Sacramenti Pœnitentiæ, quàm vt diceretur de aliis peccatis. Hæc videtur esse contra illos, qui distinguebant inter peccatum fictionis, & alia peccata, ita vt peccatum fictionis, & non alia, deberet esse materia confessionis sequentis. Hæc tamen differentia inter eiusmodi peccata non videtur habere fundamentum solidum, imò magis posset, vt dixi, dubitari de peccato fictionis, quàm de aliis. Porrò non esse excludenda alia peccata, si non excluditur peccatum fictionis probatur, quia, tam cætera, quàm fictio sunt peccata hominis baptizati, fidelis existentis intra Ecclesiam, &c. ergo si peccatum fictionis subditur clauibus Ecclesiæ in Sacramento pœnitentiæ, cætera etiam subdi debent clauibus.

4. *Non minùs peccata alia, quàm fictio deberet esse materia pœnitentia.*

Dices, illud solum peccatum debere subdi Ecclesiæ clauibus in hoc Sacramento, quod subsequitur baptismum, & præsupponit iam hominem intra Ecclesiam per baptismum susceptum, saltem, pro aliquo priori naturæ: peccatum autem fictionis habet hoc peculiare, quod possit aliquando esse posterius natura, quàm susceptio baptismi: potest enim pro priori velle aliquis baptizari, & rursus ex hoc ipso potest moueri ad habendam dispositionem debitam; tunc autem sic omittat hanc dispositionem, illa omissio erit post baptismum, quem iam supponit ex vi prioris voluntatis, quæ præcessit: erit ergo iam illa omissio posterior natura, quàm baptismus, non quia oriatur ex baptismo, sed quia est omissio dispositionis, ad quam habendam mouebat baptismus susceptus. 5.

Sed contrà, quia in primis hoc non probat de omni peccato fictionis in illo instanti contingenti, non enim semper mouetur aliquis ex baptismo susceptо ad hoc, vt habeat dispositionem, sed potiùs contingit, quod ipsa voluntas baptismi sit mala, vel quia est ex fine malo mortali, vel quia est in iis circunstantiis, in quibus præuidetur non posse esse dispositionem debitam, quod quidem semper moraliter contingit; nam qui antea non est dispositus, non potest moraliter in illo instanti ex cognitione baptismi excitari ad habendam tunc dispositionem debitam: quare ipsa voluntas recipiendi baptismum sine dispositione antecedenti erat mala antecedenter ad baptismum, & in illa consistebat totum peccatum fictionis, vel saltem tota eius malitia. 6.

Deinde hoc ipsum inueniri etiam posset in aliis peccatis quæ fiunt illo instanti: nam sicut ex consideratione baptismi potest moueri homo ad habendam dispositionem debitam, & ideò omissio dispositionis posset esse tunc posterior baptismo, sic etiam ex eadem consideratione baptismi susceptі posset moueri homo ad non futandum, vel non habendum odium: hæc enim peccata dedecent ma- 7.

gis hominem baptizatum, atque adeò furtum, vel odium erit posterius natura baptismo, ex cuius consideratione potuit illud peccatum impediri: ergo sicut propter hanc posterioritatem naturæ dicis, peccatum fictionis debere declarari in confessione, sic propter eamdem posterioritatem naturæ debes dicere, quod furtum, vel odium debent explicari in confessione, vt remittantur per claues cùm non minùs hæc peccata, quàm peccatum fictionis inueniant hominem iam baptizatum, & subditum Ecclesiæ, atque adeò peccata, quæ pro eo signo fiunt, debent explicari quaod proprias species in confessione, sicut peccata, quæ fiunt tempore sequenti, in quo etiam homo est subditus Ecclesiæ.

8. Tertiò denique totum hoc non probat, quod peccatum fictionis sit tunc posterius natura, quàm baptismus, sed solùm, quod sit posterius natura, quàm voluntas suscipiendi baptismum. Homo enim non mouetur ad habendam dispositionem debitam ex cognitione baptismi suscepti, cùm non videat characterem, nec discernat indiuisibile terminatiuum baptismi, sed mouetur ex illo, quod experitur; scilicet, voluntate suscipiendi baptismum, atque adeò hæc voluntas ad summum præcedit proprior naturæ ante peccatum fictionis, non verò ipse baptismus: præsertim quia licèt homo experiatur etiam absolutionem, vel verba formæ, hæc tamen cognitio non potest mouere pro eo instanti quo Sacramentum completur ad habendum dispositionem debitam, quia hæc experimentalis cognitio intrat communiter per auditum quo audiuntur verba, vel per tactum, atque adeò non fit instantaneè, quia species ad auditum veniunt successiuè non instantaneè, & tactus etiam non mittit speciem ad sensum internum eo instanti, quo applicatur manui ignis, vel aquæ vt docet experientia, non enim sentimus statim frigus, vel calorem, sed post aliquam morulam breuem: non ergo mouet baptismus cognitus eodem instanti, quo fit ad habendam dispositionem debitam, sed ad summum voluntas suscipiendi baptismum, & per consequens hæc sola erit prior natura, quàm omissio dispositionis debitæ: non est ergo maior ratio de peccato fictionis, quam de aliis, vt debeat esse materia confessionis sequentis.

9. Dixi tamen esse fortasse maiorem rationem de aliis peccatis, quam de peccato fictionis, seu susceptione indigna baptismi; quia posset aliquis contendere, cætera peccata illius instantis posse pertinere ad iudicium, & censuram Ecclesiæ, non verò susceptionem indignam baptismi. Ratio autem discriminis reddi posset ex eo, quod licèt cætera omnia peccata posset Ecclesia prohibere illo instanti homini baptizato, non tamen potest illi directè prohibere susceptionem indignam baptismi: non potest enim directè præcipi, aut prohiberi aliquid; nisi ei, qui aliunde subditus est, atque ideò non subdito non potest prohiberi directè, ne fiat subditus; quia si non fiat subditus, non obligatur præcepto eius, quia non est superior ipsius; ergo si fiat subditus, non facit contra prohibitionem, cùm nulla præcederet prohibitio superioris legitimi: non potest ergo Ecclesia prohibere directè indignam susceptionem baptismi ei, qui nondum est subditus Ecclesiæ, nec supponitur subditus, antequam violet illud præceptum: Ergo ex hoc capite peccatum illud posset iudicari non pertinere ad iudicium, & censuram ipsius Ecclesiæ. Alia verò peccata illius instantis possent pertinere ad iudicium Ecclesiæ, quia per illa non fit homo subditus Ecclesiæ, sed per baptismum tunc susceptum: possunt ergo illi, qui aliunde est subditus, præcipi, & prohiberi alia peccata, independenter à quibus est iam subditus Ecclesiæ eo instanti. Dixi autem semper, Ecclesiam non posse *directè* prohibere non subdito indignam susceptionem baptismi: quia *indirectè* benè potest, prohibendo, scilicet: Ministris Ecclesiæ, ne illum recipiant ad baptismum, nisi tali modo, & cum tali dispositione, *&c.* quo casu iam ipsemet baptizandus obligaretur indirectè; saltem ne cooperaretur peccato ministri Ecclesiastici, vel ex aliis capitibus. Cæterùm directè non posset 14.
Ecclesia illum obligare, cùm non sit capax Ecclesiasticæ obligationis, nisi per ipsammet susceptionem baptismi.

Loquendo autem absolutè, an peccata illius instantis tam peccatum fictionis, seu susceptionis indigni baptismi, quàm cætera omnia, provt præcisè sunt in illo instanti sint materia confessionis sequentis: mihi quidem olim probabilior videbatur pars negans: quam quoad alia peccata præter peccatum fictionis docent communiter Thomistæ: quoad omnia verò in vniuersum videtur docere Syluester *in summa* verbo *Baptismus 4. num.* 11. vbi 15
dicitur contritionem requiri postea pro peccatis subsequentibus baptismum: pro peccato autem ipso fictionis refert sententiam Paludani, quam videtur approbare, quod sufficiat attritio, vt virtute baptismi præteriti auferatur. Eamdem indicare videtur S. Thomas, & alij antiqui ferè, omnes, qui de solis peccatis subsequentibus baptismum dicunt esse materiam confessionis. Expresè eandem docet Ioannes de la Crux Dominicanus *in directorio conscientiæ quæst. quarta de baptismo*, & alij Recentiores Salmanticenses.

Colligi autem videtur ex Concilio Tridentino 11.
sess. 14. *cap.* 2. vbi dicitur expresè, *Ecclesiam in* Trident.
neminem iudicium exercere, qui non prius in ipsam per baptismi ianuam fuerit ingressus. Vnde postea infert, si aliquis ingrediatur Ecclesiam, & postea se crimine aliquo contaminauerit; hunc ante hoc confessionis tribunal reum comparere debere & denique in fine capitis concludit, hoc Sacramentum necessarium esse lapsis post baptismum. Quæ omnia videntur requirere, peccatum, quod est materia huius Sacramenti, fieri post baptismum & non ante, vel simul cum ipso baptismo. Iam enim Ecclesia exerceret iudicium in aliquem, qui non prius in ipsam per baptismum fuisset ingressus: iam fuisset necessarium Sacramentum pœnitentiæ eis etiam, qui post baptismum non sunt lapsi, nec postea se aliquo crimine contaminauerunt. Eandem doctrinam repetit *cap.* 5. *in principio*, vbi dicitur, institutam esse à Christo Domino confessionem omnibus post baptismum lapsis necessariam: Idem definitur *can.* 1. institutum scilicet, esse hoc Sacramentum pro fidelibus reconciliandis, qui post baptismum labuntur. 12.

Respondent primò aliqui, Concilium ibi dixisse id, quod certum erat, scilicet, peccata post baptismum commissa esse materiam huius Sacramenti, non tamen negasse id, quod in opinione erat de peccato in ipso baptismo commisso, sed abstinuisse ab illa quæstione. Hæc tamen interpretatio difficilis videtur: primò ex verbis adductis, in quibus dicitur Ecclesiam non exercere suum iudicium in eum, qui priùs non fuerit ingressus: quibus verbis insinuatur peccata illa, quæ non fiunt ab eo, qui priùs 17.
fuerit Ecclesiam ingressus, non subdi Ecclesiæ iudicio. 13.

Secundò, quia in assignanda materia Sacramentorum, eo ipso quod à Concilio assignatur vna, videtur excludi omnis alia, quæ non sit illa saltem æquiualenter. Nam eo ipso quod in Florentino dicitur

dicitur materiam baptismi esse aquam naturalem, excluditur aqua artificialis, & quando assignatur pro materia Eucharistiæ vinum ex vite, excluditur vinum ex pomis, & sic de aliis. Ergo cùm in Tridentino assignentur toties pro materia peccata post baptismum commissa, seu confessio peccati post baptismum commissi, eo ipso excluditur peccatum non commissum post baptismum.

14. Alij respondent secundò, peccatum illud fictionis esse peccatum commissum post baptismum; quia baptismus priùs producit characterem, quàm gratiam: tum quia ad producendum characterem nullam requirit dispositionem, sicut requirit ad gratiam; tum etiam, quia character ipse censetur, quasi potentia saltem moralis in ordine ad productionem gratiæ: ergo obex positus per peccatum actualis fictionis ad effectum gratiæ supponit iam hominem habentem characterem, & baptizatum, atque adeo illud peccatum est posterius baptismo. Ita ferè P. Suarez *dict. sect. 5. post tertiam conclusionem*, cum aliis.

15. Hæc tamen responsio non videtur satisfacere, primò quia licèt character non supponat dispositionem, atque ideo non sit posterior obice fictionis: non tamen sequitur esse priorem obice: illud enim solum est prius naturâ alio, quod est causa illius, vel conditio, aut dispositio, &c. character autem nullo modo est causa illius peccati: Nam licèt Deus impediret influxum Sacramenti, & productionem characteris; peccatum idem fieret, vt constat. Vnde secundò impugnatur, quia imò peccatum illud in rigore est prius charactere: nam est voluntas recipiendi baptismum tunc, quando non potest esse dispositio debita, v. g. voluntas recipiendi baptismum à Ministro hæretico, vel prohibito ministrare; quæ voluntas procul dubio est causa receptionis Sacramenti, & per consequens productionis characteris: Ergo non potest illa voluntas mala esse posterior natura ipso charactere.

16. Alij tertiò respondent illud peccatum esse post baptismum, quia licèt voluntas interna præcedat baptismum; illud tamen peccatum, vt opere consummatum, subsequitur baptismum, priùs enim natura est baptizari, quàm indignè baptizari, ergo peccatum receptionis indignæ subsequitur post baptismum susceptum, ac proinde illud peccatum ratione operis externi subditur clauibus Ecclesiæ. Ita P. Vasquez *dicta disp. 160. cap. 2. num. 19.* Hæc etiam responsio difficilis videtur. Primò quia, licèt daremus opus externum subsequi post baptismum; si tamen voluntas interior præcedit, non videtur sufficere, vt peccatum illud sit materia Sacramenti pœnitentiæ: Nam voluntas saltem interna, cuius tota malitia per te præcedit baptismum, poterit virtute baptismi posse tolli cum attritione, sicut possunt in ea sententia deleri alia omnia peccata comitantia baptismum, & eodem instanti commissa, quia hæc non subsequuntur baptismum, si autem voluntas illa interior tolli potest virtute baptismi, non oportet, quod opus externum tollatur per Sacramentum pœnitentiæ: nam ablata, & condonata voluntate interna, eo ipso aufertur tota culpa operis externi quod non habet aliam libertatem à libertate interna, atque adeo non potest condonari culpa voluntatis internæ, quin formalissimè condonetur actio externa.

17. Secundò probatur hoc ipsum contra eamdem responsionem: quia si pro eo signo, quo sit voluntas mala interna, homo nondum est subditus Ecclesiæ; non sufficit esse subditum Ecclesiæ, quando ponitur opus externum, ad hoc, vt illud peccatum sit confitendum. Pone enim aliquem dedisse causam culpabilem pollutioni, & postea in somno baptizari (petierat enim antea baptismum) & post baptismum pati pollutionem adhuc in somnio; illa certè pollutio non est materia confessionis, quia licèt positum sit opus externum post baptismum; voluntas tamen, & libertas tota posita fuerat ante baptismum: similiter ergo in casu nostro, licèt actio externa posita sit posteriùs natura, quàm baptismus: non tamen erit materia confessionis, quia tota libertas, & voluntas mala fuerat iam posita ante baptismum, si verè requiritur, quod peccatum sit post susceptum baptismum ad hoc, vt subdatur iudicio Ecclesiæ.

18. Tertiò impugnatur eadem responsio: quia supponit falsum, quod scilicet tunc baptismus sit ptior natura, quàm peccatum externum: hoc enim peccatum nihil aliud est, nisi indigna Sacramenti susceptio: Indigna autem Sacramenti susceptio includit duo, nempe susceptionem Sacramenti, & indignitatem, hoc est, carentiam dispositionis debitæ; ex quibus neutrum est posterius baptismo. Non primum, scilicet susceptio baptismi, vt constat; neque etiam secundum, nempe carentia dispositionis debitæ: Tum quia hæc carentia non causatur, aut procedit vllo modo à Baptismo: ergo baptismus non est prior natura, quàm talis carentia, in quam nullo modo influit: tum etiam quia hæc carentia culpabilis dispositionis debitæ est formalissimè voluntas illa contraria, vel omissio libera dispositionis debitæ, quæ ex illa voluntate mala adeo necessariò consequitur, vt etiam si non compleretur baptismus, tunc esset eadem prorsus omissio dispositionis debitæ, saltem secundùm existimationem: iam enim homo apprehendit obligationem ponendi dispositionem, & omisit illam: ergo de primo ad vltimum nihil includitur in illa susceptione Sacramenti indigna, quod sit posterius natura ipsa susceptione. Verùm est, quod absque susceptione baptismi non potest dari susceptio indigna, quod erat fundamentum illius solutionis; hoc tamen non est, quia susceptio sit prior indignitate; sed quia hoc complexum susceptionis indignæ includit duo (vt diximus) scilicet susceptionem, & indignationem, ex quibus vnum iam præcedebat, nempe indignitas, deerat autem alterum, nempe susceptio Sacramenti, sine qua susceptione non potest dari illud complexum, & qua posita, datur iam complexum, quia datur vtraque pars, ex qua solum absque alia vnione media constat illud compositum susceptionis indignæ.

19. Ratio denique à priori, & vniuersalis, ad hoc, vt omnia peccata, quæ fiunt illo instanti baptismi provt sunt in eo instanti, non sint materia confessionis, videtur esse desumpta ex institutione Sacramenti pœnitentiæ, quod vt constat ex Conciliis & Patribus institutum est, quasi secunda tabula, in remedium eorum peccatorum, quæ baptismi lauacro auferri non potuerunt. Ex hoc autem fieri videtur, quod pro iis solùm peccatis institutum sit pœnitentiæ Sacramentum, quæ fiunt tempore sequenti post baptismum susceptum; nam pro aliis omnibus potuit sufficere remedium baptismi. Per baptismum quippe applicatur pretium sanguinis Christi, non quidem ad soluendum pro peccatis futuris (ad hoc enim non sunt instituta Sacramenta) sed ad soluendum, & extinguendum omne debitum iam contractum, & præsens: sicut si Rex remittat alicui totum, quod vsque ad hanc diem debet, remittit etiam debitum, quod hac ipsa die contraxit, & quod contraxit hoc ipso momento, quo fit remissio: sic baptismus est applicatio sanguinis Christi pro omni debito contracto. Cùm ergo peccata

peccata illo instanti commissa sint debitum verè, & realiter contractum, quando homo baptizatur: tunc enim habet verè illud peccatum; consequens est, vt ad illud etiam debitum extinguendum, extendatur virtus, & efficacia baptismi.

20. Dicunt impossibile esse, quod baptismus institutus sit ad remittendum peccatum fictionis, quod directè impedit vim, & efficaciam ipsius baptismi. Sed contra, quia hoc in primis probat de omnibus peccatis, quæ fiunt illo instanti baptisini; Nam omnia alia quatenus sunt eo instanti, impediunt vim, & efficaciam baptismi, & tamen plerique; concedunt illa posse postea tolli per virtutem baptismi præteriti. Sic ergo posset dici, licèt peccatum fictionis præsentis impediat efficaciam baptismi potuisse baptismum institui cum efficacia ad tollendum postea illud idem peccatum, à quo priùs eius vis impediebatur, in hoc enim nulla apparet repugnantia: sicut sanguis ipse Christi habebat efficaciam ad tollendum postea illud idem peccatum, quo ab occisoribus effundebatur, & quod pro tunc eius efficaciam impediebat. Sic aqua baptismi, quæ est quasi effusio sanguinis Christi super baptizatum, habet vim tollendi tunc, vel postea omne peccatum, & debitum hucvsque contractum, etiam illud, quod baptismi efficaciam nunc impedit.

21. Posset autem hæc ratio confirmari ex Augustino *de baptism. contra Donatistas, lib. 1. cap. 12. tom. 7.* vbi adducit ad hoc propositum seruum illum Euangelicum, cui *Matth. 18.* Dominus dimisit omne debitum decem millium talentorum postea verò, cum ipse conseruo suo mutuam pecuniam dimittere nollet, sed acerbiùs pro debitò eum torqueret; iterum Domiuus iratus illum coniecit in carcerem propter antiqua debita. Quo exemplo dicit Augustinus significari illum, qui cum fictione recipit baptismum: nam sicut ille seruus retento odio aduersùs conseruum (quod odium significatur per debitum, quod conseruo nolebat dimittere) adhuc accepit à Domino remissionem totius debiti, sic baptizatus cum peccato actuali fictionis recipit à Deo baptismum ex se totius debiti: sed sicut seruo illi non profuit remissio, quia non deposuit odium aduersùs conseruum; sic nec proderit baptismus, & remissio susceptа, nisi deponatur peccatum fictionis. Notat autem Augustinus seruo illi dimissum fuisse à Domino omne prorsus debitum, quod tunc habebat, sicut in baptismo fit remissio totius debiti, quod tunc est, *Tempus ergo*, inquit, *quo accipitur indulgentia per baptismum, tanquam tempus est reddenda rationis, vt omia debita, quæ inuenta fuerint, dimittantur*, addit postea peccatum actuale illius serui non impediuisse, quominus Dominus ex se omnia debita, quæ in illo instanti erant, ei dimitteret. *Nec tamen* (inquit) *quod nondum conseruo dimiserat, impediuit Domiñ eius, quominus in illo tempore accipiendæ rationis dimitteret ei omnia, quæ debebat: sed quid profuit, quandoquidem in caput eius propter odiorum perseuerantiam rursus omnia continuò replicata sunt. Sic non impeditur baptismi gratia, quominus omnia peccata dimittat, etiamsi odium fraternum in eius cui dimittuntur animo perseuerat. Soluitur enim hesternus dies & quidquid supra est, soluitur, etiam ipsa hora, momentúmque ante baptismum, & in baptismo. Deinceps autem reus esse coniuncto incipit*, &c. In quibus verbis videtur dicere solui per baptismũ pro debitis præteritis, & illiusetiam momenti, in quo fit baptismus, loquitur autem de debito potissimum ipsius fictionis: nam eius occasione totam illam doctrinam attulit, & hoc debitum quoad illud etiam momentum, dicitur soli per baptismum, deinceps autem incipere nouam rationem debiti. Sentit ergo baptismum habere secum pretium sanguinis Christi ad soluendum pro omni debito præterito, & præsenti, etiam pro illo, quo eius efficacia illo, momento impeditur.

Augustin.

Quod rursus obiter explicare possumus exemplo martyrij, quod in hac plena remissione peccatorum à culpa, & pœna, baptismo solet assimilari: Si autem martyr in ipsomet momento martyrij habeat peccatum actuale veniale, quod quidem in eodem instanti remitti non potest; adhuc martyrium habet efficaciam ad tollendum postea reatum eiusdem peccati: nam ablato obice peccati per retractionem in instanti mortis, statim virtute martyrij præteriti remittitur tota pœna debita illi peccato: alioquin enim potuisset aliquis verus martyr detineri in purgatorio per aliquot menses pro culpis venialibus, quod videtur contra mentem Ecclesiæ, in qua iniuriam facit martyri, qui orat pro martyre. Imò & in ipso baptismo possumus hoc declarare, si aliquis ex intentione vanæ gloriæ baptizetur cum contritione debita de omnibus peccatis mortalibus; hic si statim immediatè post baptismum moretur, nullo peccato post baptismum commisso, non indigeret Purgatorio: nam illud peccatum veniale virtute ipsius baptismi remittetur, etiam quoad pœnam ablato obice per retractationem, dummodo post baptismum non fuisset continuatum. Sic ergo de peccato illo mortali fictionis dicendum videtur iuxta mentem Augustini, quod si consideretur præcisè; quatenus existit in illo instanti baptismi potest remitti per ipsum baptismum, quando auferatur obex per sufficientem retractationem. An verò hunc effectum habeat baptismus per se, an per accidens: erit quæstio de nomine: posset enim dici habere illum per se, non primariò, sed secundariò; quia scilicet ex primaria intentione exigeret non inuenire obicem peccati præsentis; ex suppositione tamen, quod illum inueniat, sicut habet vim ad operandum suum effectum postea ablato obice, sic habet vim ad tollendum postea omne debitum, quod innenit quando existit, & per consequens ipsum etiam peccatum fictionis, quatenus tunc erat præsens.

Hæc, vt dixi, olim me in illam negantem partem inclinabant; placet tamen non discedere in hoc à communi sententia affirmante, peccatum illius instantis, in quo iam homo baptizatus est, & charactere insignitus, debuisse pertinere ad Sacramentum pœnitentiæ. Quod quidem colligere etiam possumus ex modo loquendi Tridentini illa *sess. 14. c. 2.* vbi Patres eorum solùm peccatorum iudicium videntur Ecclesiæ ministris negare, quæ extra Ecclesiam fiunt: inde enim probant ministrum Baptismi non esse iudicem, sicut ministrum pœnitentiæ, quia iuxta Apostolum Paulum. 1. Corinth. 5. *Quid mihi de iis, qui foris sunt, iudicare*; Ergo à contrario de iis, qui non iam foris, sed intra Ecclesiam sunt poterit ipsa Ecclesia iudicare. Alioquin non rectè concluderetur, nec probaretur intentum, ministrum, scilicet baptismi non esse iudicem, quia eius ministerium ordinatur ad dimittenda solùm peccata, quæ extra Ecclesiam fiunt. Nam si per baptismum dimitterentur etiam peccata aliqua, quæ fiunt intra Ecclesiam; iam ex ea parte posset minister esse iudex. Deinde *cap. 5.* clarius, & vniuersaliter Christus dicitur reliquisse Sacerdotes suiipsius Vicarios, *& tanquam Præsides, & iudices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Christi fideles ceciderint.* Quæ verba vniuersalia sunt, & comprehendunt omnia peccata mortalia

salia sunt, & comprehendunt omnia peccata mortalia, quæ quilibet Christianus commiserit. Cùm ergo peccatum illud, quod sit ipso instanti Baptismi completi, sit peccatum hominis Christiani, siquidem iam tunc habet Christi characterem; consequens est, vt in illa propositione vniuersali comprehendatur à Concilio docente omnia peccata hominis Christiani debere ad Sacerdotes in foro pœnitentiali deferri. Accedit auctoritas Augusti, qui illo *cap.* 12. supra citato ad tollendum illud peccatum fictionis videtur requirere confessionem subsequentem, his verbis. *Fit vt non denuo baptizetur, sed ipsa pia correctione, & veraci confessione purgetur, quod non posset sine Baptismo, vt quod ante datum est, tunc valere incipiat ad salutem, cùm illa fictio veraci confessione recesserit.*

Augustin.

14. Ex his Tridentini verbis colligere possumus rationem à priori pro hac communi sententia: quia scilicet peccatum illud, provt illo instanti fieret, esset verè peccatum hominis Christiani, & Christi charactere insigniti: atque adeo hominis subditi Ecclesiæ: ergo pertineret ad iudices Ecclesiæ; sicut delictum commissum in Territorio Florentino pertinet ad iudicem Florentinum.

Confirmatur, quia pro peccato commisso illo instanti posset hic homo ab Ecclesia excommunicari, & puniri: ergo peccata illius instantis pertinent ad Tribunal Ecclesiæ. Consequentia videtur bona: quia Ecclesia etiam non potest excommunicare, nisi pro peccatis factis post Baptismum: hoc enim videtur supponi in illa propositione vniuersali, quæ habetur in Tridentino *sess.* 14. *cap.* 2. *quod Ecclesia in neminem iudicium exercet, qui non prius in ipsam per Baptismi ianuam fuerit ingressus*: excommunicare autem aliquem procul dubio est iudicium in eum exercere; est enim proferre sententiam in illum propter eius delicta; ergo si ad hoc iudicium exercendum sufficit, quod ille homo eo instanti ingressus sit Ecclesiam per Baptismum, sufficiet etiam ad hoc, quod peccata illius instantis pertineant ad iudicium Sacramentale Ecclesiæ: alioquin posset excommunicari propter aliquod peccatum, à quo non posset absolui per Ecclesiam, quod videtur absurdum; nam quoties censura pertinet ad claues Ecclesiæ, à fortiori culpa, & peccatum pertinet ad easdem claues.

Tridentin.

15. Antecedens verò, quod scilicet pro peccato commisso eo instanti possit homo incurrere excommunicationem, probari potest: quia illo instanti est iam subditus Ecclesiæ: ergo Ecclesia habet superioritatem, & iurisdictionem in illum: hæc enim sunt correlatiua, nec potest esse subditus sine superiore: ergo illo instanti ligatur Ecclesiæ legibus, & peccare potest contra illas, ac per consequens poterit puniri ab eadem Ecclesia propter tale peccatum. Quod explicari, & confirmari potest exemplo religiosi, qui eodem instanti, quo emittit vota religionis, posset contra illa vota peccare, si tunc haberet intentionem aliquid accipiendi absque licentia Prælati, vel non obediendi, &c. Item coniux eodem instanti, quo contrahit matrimonium, posset peccare contra ius coniugis, si haberet intentionem fornicationis, quæ intentio habebit iam malitiam adulterij: ergo similiter eodem instanti, quo quis se subiicit Ecclesiæ, posset peccare contra ius Ecclesiæ & per consequens ab illa posset iam puniri.

Respondebit fortasse aliquis, negando primum Antecedens: quod scilicet homo eo primo instanti possit incurrere excommunicationem, vel aliam similem pœnam Ecclesiasticam: nam licèt iam sit subditus Ecclesiæ, non sufficit hoc, vt possit excommunicari, sed requiritur etiam vt possit esse contumax, & inobediens Ecclesiæ præceptis, quibus ei talis pœna imposita fuit. Præceptum autem debet imponi homini iam subdito, quare debuisset eo instanti, postquam iam subditus est, imponi ei tale præceptum ab Ecclesia sub excommunicatione pro signo posteriori, & rursus ipse homo pro alio posteriori naturæ deberet violare præceptum sciens, & videns censuram Ecclesiæ, quam tunc pro alio posteriori incurreret. Hoc autem est impossibile: quia homo non attendit ad tale præceptum pro posteriori naturæ post Baptismum: ad hoc enim oporteret, vt supra dixi, quod Baptismus esset causa illius attentionis ad præceptum, & violationis: quia illud solùm habet prioritatem naturæ, quod est causa; vel quasi causa posterioris, in ipsum aliquo modo influendo: Baptismus autem non est causa violandi præcepti, nec attendendi ad illud; cùm homo non sciat nunc esse iam Baptismum completum, vel ex eius existentia possit moueri ad apprehendendum præceptum; ergo Baptismus non est prior natura, & per consequens illud præceptum non intimatur subdito postquam subditus est, non solùm posterioritate temporis, sed nec posterioritate naturæ.

Sed contra est, quia non requiritur, quod lex fiat, postquam homo iam est subditus: sufficit enim legem vniuersalem antea esse factam, quæ eo ipso perseuerat moraliter, atque adeo statim ac perficitur Baptismus, illa lex posteriori naturæ incipit obligare ex se, perinde ac si pro eo signo conderetur: potest autem intelligi legem illam moraliter existere pro posteriori, & Baptismum esse causam illius, quia cùm Ecclesia voluerit obligare omnes statim, hac sunt baptizati: iam Baptismus requiritur tanquam conditio, ad hoc vt postea ex illa censeatur moraliter ferri de nouo in eum hominem, atque adeo pro posteriori naturæ intelligitur moraliter condi illa lex ex voluntate Ecclesiæ præterita: datur ergo prioritas, & posterioritas sufficiens inter Baptismum, inter legem illam, vt obligantem hunc hominem. 17.

Dices, dari quidem, & intelligi illam prioritatem, & posterioritatem inter Baptismum, & legem obligantem ex se hunc hominem: non tamen dari inter Baptismum, & intimationem talis legis, neque sufficit ad violationem legis, quod lex ex se sit condita, & obligans, nisi intimetur subdito. hæc autem intimatio est notitia, quâ subditus attendit ad præceptum: quæ notitia, seu attentio non est posterior natura, quàm Baptismus: nam licèt Baptismus sit conditio, vt lex illa censeatur nunc iam moraliter comprehendens hunc hominem, non tamen est conditio, vt in hoc homine fiat illa notitia, attentio physica ad talem legem quia vt dixi, Baptismus nullo modo influit, vel excitat ad talem aduertentiam habendam: ergo illa aduertentia ad legem, seu notitia legis non habetur à subdito, postquam subditus est, nec etiam posterioritate naturæ, quod saltem requireretur ad hoc, vt posset peccare contra talem legem. 18.

Sed contra, quia non requiritur ad violationem legis, quod inter legem, & eius violationem mediet aduertentia, & notitia: satis est, quod priùs, viderit, & scierit homo pro tali signo legem ferendam cum obligatione, & voluerit adhuc facere contra illam, hoc enim posito iam pro eo signo lex incipiet obligare, & trangressio imputabitur propter aduertentiam, & voluntatem præcedentem. Quod explicari, & confirmati potest exemplis suprà adductis religiosi, & coniugis, ad quorum delicta contra possessionem, vel matrimonium non 19.

est

est necesse, quod inter obligationem contractam per professionem, vel matrimonium, & eius violationem mediet aduertentia noua, & notitia: satis est, quod præuideatur, posita professione, vel consensu in matrimonium, non esse licitum talem actum: tunc enim eo ipso, quod velim simul professionem, v. g. & illum alium actum, pecco contra obligationem professionis, absque eo, quod mediat alia cognitio professionis iam positæ. Rursus si Ioannes se tradat, aut vendat Petro in seruum, si simul subtrahat se eodem momento ab eius potestate, aut obedientia, peccat procul dubio contra seruitutis debitum, quod tunc sibi imposuit: potest ergo Christianus peccare contra obedientiam Ecclesiæ debitam eodem instanti, quo se subditum Ecclesiæ constituit. Ratio autem vniuersalis est, quia ad hoc, vt actio mea sit licita, requiritur, quod non sit contra ius alterius: vnde vt ego licitè vtar re aliqua, necesse est, quod eam alteri non vendam: si enim eam nunc Petro vendo, non erit licitus vsus illius inuito Petro: quia esset contra ius Petri, quod ex venditione acquisiuit, & habet hoc ipso instanti, atque adeo esset contrectatio rei alienæ inuito Domino. Sic etiam, vt actio mea sit licita, requiritur, quod non sit contra ius legitimi superioris repugnantis: nam omnis actio subditi contra voluntatem iustam superioris contrahit malitiam inobedientiæ. Cùm ergo Ecclesia legibus suis iam promulgatis voluerit obligare suos subditos præsentes, & futuros, eo ipso, quod aliquis vult fieri subditus, præuidet talem actionem, si fiat eo instanti, futuram contra voluntatem, & legem superioris, atque adeo non esse licitam, quia non habet illud requisitum, quod non sit contra voluntatem, & legem alicuius legitimi superioris: non potest ergo aliquis velle licitè fieri simul subditus Ecclesiæ, & operari aliquid contra præceptum eiusdem Ecclesiæ: vnde peccatum illo instanti
30. commissum pertinere vtique potetit ad iudicium, & correctionem eiusdem Ecclesiæ.

Adde; licèt Ecclesia non posset pro eo primo instanti aliquid subdito præcipere, vel prohibere, non sequi, quod non posset de delicto eo instanti commisso cognoscere, illudque iudicare, & punire, maxime in foro Sacramentali. Non posset quidem excommunicationem incurrere is, cui aliquid præcipi non posset; quia excommunicatio est pœna ob inobedientiam, & contumaciam contra Ecclesiæ præcepta; posset tamen aliis pœnis puniri iuxta quantitatem delicti: sic enim iudices sæculares punire possunt pœnis condignis crimina extraordinaria: quibus in legibus humanis pœna nulla statuta est, vt cum aliis probat P. Molina *tom. 4. de iust. & iure, tract. 3. disp. 4. n. 11.* ex leg. *hodie, ff. de pœnis*, & leg. 1. *ff. de effractoribus*, ad quod induci etiam possunt, quæ habentur in toto titulo *ff. de extraordinariis criminibus*. Ad iudicem enim spectat non solùm præuenire prohibitione, & præcepto, ne fiant delicta; sed etiam punire, quæ fiunt, vt alij terreantur. Sic ergo posset Ecclesia iudicare peccata illius instantis, licèt non posset illa prohibere, præsertim in foro Sacramentali, in quo de facto iudicat, & punit pro peccatis merè internis, circa quæ tamen non potest leges condere. Vnde licèt non possit, vt supra dixi, ei, qui non est baptizatus, proh bere directè indignam susceptionem Baptismi, quia non supponitur aliunde subditus; posset tamen de illo peccato iudicare, & illud punire in foro pœnitentiæ, quia est peccatum hominis iam Christiani, & insigniti charactere ipsius Christi, atque ideo comprehenditur in illa vniuersali propositione, qua omnia fidelium peccata deferri iubentur ad Sacerdotes, tanquam ad Christi Vicarios in foro Sacramentali.

Restat nunc respondere ad argumenta, quæ adduximus ad probandum peccatum illius instantis 32.
non esse materiam confessionis Sacramentalis. Ad primum itaque petitum ex modo loquendi Concilij Tridentini, in quo sermo est semper de peccatis post Baptismum commissis, quando declaratur institutio, aut necessitas confessionis: Respondetur in primis non semper loqui Concilium cum ea restrictione, quando enim necessitatem confessionis declarauit *illo c. 5.* expressit pro materia necessaria omnia peccata mortalia, in quæ Christi fideles incidunt; in quo sensu debent intelligi, quæ dixerat *c. 2.* nam quod dixit, Ecclesiam in neminem iudicium exercere, *qui non prius in ipsam per Baptismi ianuam fuerit ingressus*; verissimum est: non dicit enim, quod non possit Ecclesia iudicare de peccato, quod antequam fieret, homo non fuisset priùs in Ecclesiam ingressus, sed solum dicit, quod homo debet esse in Ecclesiam ingressus, priusquam Ecclesia exerceat iudicium in ipsum. Debet ergo Baptismus præcedere iudicium, & punitionem, non verò peccatum ipsum. Debet, inquam, Baptismus præcedere, vel tempore, vel certè prioritate naturæ: nam Ecclesia potest sub graui pœna prohibere aliquod peccatum, & hac lege obligare subditum etiam pro eo instanti, quo Ecclesiæ subditur; tunc Baptismus non præcedit tempore, sed naturâ illam obligationem legis Ecclesiasticæ, quatenus priùs intelligitur homo baptizatus, & subditus Ecclesiæ, & pro posteriori intelligitur Ecclesia sua lege obligare illum subditum: ideo enim illum obligat, quia subditus est, non è contra: vnde neque hunc actum iurisdictionis, & præcepti exercet Ecclesia in aliquem, qui non priùs saltem natura intelligitur in ipsam ingressus. Iudicium verò sacramentale non exercet, nisi priùs etiam tempore ingressus fuerit; quæ tamen prioritas non requiritur respectu ipsius peccati, de quo iudicat, sed respectu iudicij, vt diximus. 33.

In eodem sensu intelligi debent illa alia verba, quæ sequuntur eodem cap 2. *si se postea crimine aliquo contaminauerint, ante hoc tribunal sisti voluit*: in quibus illud, *postea*, non debet restringi ad solum tempus subsequens, ita vt positiuè excludat ipsum instans, quo baptismus perficitur. Nam vox ipsa de se indifferens est ad vtramque significationem: sic enim dicere solemus ante solis ortum sunt tenebræ; postea verò non sunt. Item: ante vsum rationis non peccat homo; postea verò peccat: vbi illud, *postea*, non includit solum tempus subsequens, sed etiam ipsum primum instans, quod sol est ortus, vel quo primùm datur vsus rationis. Volumus itaque comprehendere omne tempus sub illis vocibus, *ante* & *postea*, ita vt quidquid non comprehenditur sub priori, comprehendatur sub posteriori. Hoc autem sensu vsurpatam fuisse particulam, *postea*, in illo loco Tridentini, colligitur ex contextu. *Constat* (inquit) *certè Baptismi Ministrum iudicè esse non oportere, cùm Ecclesia in neminem iudicium exerceat, qui non priùs in ipsam per Baptismi ianuam fuerit ingressus. Quid enim mihi, inquio Apostolus, de iis, qui foris sunt iudicare? Secus est de domesticis fidei, quos Christus Dominus lauacro Baptismi sui corporis membra semel effecit. Nam hos si se postea crimine aliquo contaminauerint, non iam repetito Baptismo ablui, sed ante hoc Tribunal tanquam reos, sisti voluit.* In quibus verbis omnia hominum peccata diuidit in duas classes, alteram eorum, quæ fiunt *foris*, hoc est extra Ecclesiam; alteram eorum, quæ fiunt postquam homo Trident.

mo baptizatus est. Debet ergo hoc secundum membrum, vt diuisio sufficienter fiat, comprehendere ea omnia peccata, quæ non fiunt foris, & quorum iudicium dicitur non pertinet ad Ecclesiam, quæ de iis, quæ foris sunt, non iudicat. Ergo, illud *postea*, non restringitur ad solum tempus subsequens excludendo ipsum instans Baptismi perfecti, alioquin diuisio non erit adæquata, nec secundum membrum adæquatè opponetur primo, cùm non comprehendat omnia peccata, quæ excluduntur à primo.

33. Quod si nolueris illud, *postea*, in eo sensu ibi accipi, sed provt significat solum tempus subsequens post baptismum, ex iis verbis argui non posset contra nos: dicemus enim, Concilium ibi non loqui de omnibus baptizatis, sed de iis solis, qui dignè baptizantur, & lauacro Baptismi purgati, & sanctificati, membra Christi efficiuntur: quo certo nomine non intelliguntur, qui baptizantur indignè, ij enim, vt Theologi cum S. Thom. 3. *p. quæst.* 8. *art.* 3. *ad secundum*, communiter docent, non dicuntur propriè, & simpliciter membra Christi, sed imperfectè, dum sunt in peccato mortali. Illi ergo, qui in Baptismo fiunt membra Christi, non indigent Sacramento pœnitentiæ, nisi ad peccata, quibus tempore sequenti sese contaminauerint. Secùs est de iis, qui non abluuntur, nec sanctificantur interiùs in ipso Baptismo, de quibus Concilium in illis verbis non egit.

34. Denique illa alia verba, quæ adduntur in fine eiusdem *cap.* 2. & *c.* 5. & *can.* 1. quibus dicitur hoc Sacramentum necessarium esse iis omnibus, qui post Baptismum lapsi sunt in mortale peccatum, vel debent intelligi in sensu paulò ante explicato, ita vt illud *post* includat totam durationem, quæ non præcessit Baptismum; vel accipienda sunt in sensu præcisiuo, ita vt affirment quidem necessitatem confessionis in illo, qui peccauit tempore subsequenti Baptismum; de peccato autem commisso illo ipso instanti Baptismi nihil dicant: quod sine doctrinæ vitio fieri potuit, quando iam in eodem loco posita fuit regula vniuersalis comprehendens illud etiam peccatum sub illa vniuersalitate *omnium peccatorum hominis fidelis*, quorum confessio necessaria asseritur ex Christi institutione.

35. Ad rationem deindè desumptam ex eo, quod per baptismum applicatur pretium sanguinis Christi ad soluenda omnia debita contracta, in quibus includi videtur illud etiam debitum, quod illo ipso instanti contractum est: respondeti potest negando, Baptismum esse institutum ad soluendum illud debitum, quod tunc contrahitur: nec id argui potest ab exemplo sanguinis Christi qui effundebatur ad soluendum pro illo etiam peccato, quod tunc committebatur ab effundentibus ipsum sanguinem. Si enim exemplum illud id probaret; probaret etiam, Baptismum habere efficaciam ad soluendum pro peccatis committendis tempore subsequenti, post Baptismum: sicut sanguis Christi continebat prætium ad soluendum non solùm pro peccato tunc præsenti, sed etiam pro futuris. Aliundè verò Baptismum non habere efficaciam ad tollendum peccatum præsens, sed solùm præterita, colligitur in primis ex institutione Sacramenti pœnitentiæ, in quo Sacerdotes constituti sunt à Christo iudices pro peccatis omnibus fidelium, in quorum numero includitur etiam peccatum illo instanti commissum, vt vidimus. Deindè à priori colligitur, quia, vel remissionem illius peccati causaret Baptismus per se, vel per accidens. Non quidem per se, quia Baptismus per se, & ex sua institutione exigit dispositionem in recipiente, & carentiam obicis; ergo ordinatur per se ad illud peccatum auferendum, sed non: neque per accidens potest illud auferre; quia ad hoc necesse esset, vt remissio illius peccati includeretur aliquo modo in effectu, quem significat Baptismus, alioquin non potest illam causare, cùm solùm causet, quod significat, sicut omnia alia Sacramenta, quæ significando causant: remissio autem illius peccati non significatur vllo modo per formam Baptismi: nam verba illa significant absolutionem, & purgationem ab illis peccatis, ad quorum expiationem ponendam exigit pœnitentiam præcedentem, tanquam dispositionem, sicut absolutio Sacramentalis exigit dolorem, & pœnitentiam peccatoris: quare sicut absolutio non significat remissionem peccati, quod fit eo instanti absolutionis, quia non potuit præexigere dolorem de illo peccato, cùm non possit esse ante absolutionem dolor de peccato commisso ipso instanti absolutionis; ita Baptismus non potest exigere ex se dolorem, & pœnitentiam præcedentem de peccato, quod fit ipso instanti Baptismi, ergo cùm verba formæ significent solùm expiationem eorum peccatorum, de quibus præexigit dolorem, & pœnitentiam præcedentem; consequens est, quod nullo modo significet expiationem illius peccati, sed aliorum, de quibus potuit præcedere dolor, & pœnitentia, quam Baptismus præexigit in eo, qui baptizatur.

Explicatur exemplo indulgentiæ plenariæ, quàm Pontifex solet concedere. Similiter enim in Baptismo contineri videtur indulgentia plenissima omnium peccatorum, quoad culpam, & pœnam à Christo Domino, concessa. Pontifex autem concedens eiusmodi indulgentiam omnium peccatorum non comprehendit peccatum illud veniale, quod fortè committeret homo eo instanti, quo indulgentiam lucratur: quia nimirum indulgentia ad suum effectum prærequirit dolorem, & retractationem peccati, quam retractationem non potest exigere circa peccatum illius instantis, cùm non possit peccatum retractari eo instanti, quo fit: quare indulgentia illa, quantumcumque sit plenissima, solùm extenditur ad peccata præcedentia, non ad peccatum præsens; similiter ergo indulgentia, & remissio plenissima, quam Baptismus, ex Christi concessione affert, non extenditur ad peccatum præsens, sed ad præterita; quia circa illa solùm præcedere potuit pœnitentia, quam Baptismus præexigit circa peccata, quorum expiationem significat. 36.

Nec obstant huic doctrinæ verba Augustini ibi adducta, quibus dicit, quod per Baptismum soluitur *quidquid supra est, etiam ipsa hora, momentumque ante Baptismum, & in Baptismo. Deinceps autem reus esse continuò incipit*, &c. Vbi videtur dare efficaciam Baptismo ad soluendum pro peccato commisso in ipso instanti Baptismi. Respondetur enim, Augustinum non loqui ita metaphysicè de peccatis, quæ fiunt in ipso instanti vltimo, quo perficitur Baptismus, sed cum maiori quadam latitudine de debito, quod homo habet, non solùm antea contractum, sed etiam quandiu ministratur Baptismus, quæ actio, cùm sit successiua, durat per aliquod tempus. Porrò; Augustinum non loqui de vltimo instanti metaphysico, probatur primò, quia ipse loquitur ibi ex suppositione doctrinæ falsæ, quam aduersariis concedit ad maiorem abundantiam solutionis; quod scilicet qui in statu peccati absque debita dispositione baptizatur, adhuc virtute Baptismi sanctificatur pro tunc, & mundatur à peccatis, quæ tamen statim redeant propter perseueran- 37. Augustin.

etiam malæ voluntatis. Sicut Seruus Euangelicus
Matth. 18. *Matth* 18. accepit à Domino pro tunc remissionem totius debiti, licèt odium aduersùs conseruum non deposuisset, protinus autem rediit totus prior reatus propter perseuerentiam prauæ voluntatis. Hac ergo doctrina suppositа, non potuit Augustinus loqui de peccato, quod actu fieret ipso vltimo instanti Baptismi. Supponebat enim, quod licèt antea esset in peccato, quod adhuc non retractauerat; virtute tamen Baptismi illo temporis puncto propter assistentiam Spiritus sancti, & lucem, quam Sacramentum afferret, peccata recederent, & sanctitas, atque iustitia adesset; postea verò hæc recederet, & peccata redirent: non ergo supponit, quod illo instanti fiat nouum peccatum actuale: si enim gratia Sacramenti, & Spiritus sancti præsentia effugat pro tunc tenebras peccati habitualis; multò magis effugaret tenebras peccati actualis, quod peius est. Vndè affert exemplum illius, qui à tenebris per lucem transit ad tenebras, quem quidem lux perfundit transeuntem; sic eo casu post illud, inquit, temporis punctum redeunt peccata, *tanquam redeunte obscuritate, quam lux in transitu excusserat.* Non loquitur ergo de peccato quod eodem puncto temporis fiat; illud enim non recedit, quomodo enim dicetur recedere, quando actu venit, & fit?

38. Secundò colligitur idem Augustini sensus ex illo exemplo, quod affert serui Euangelici, cui Dominus vniuersum debitum tunc dimisit. Sic inquit, in Baptismo dimittuntur (concessa scilicet falsa illa doctrina aduersariis) omnia debita, quæ inuenta fuerint, reditura statim propter perseuerentiam indispositionis. Non loquitur ergo de peccato, quod fit eo ipso instanti perfecti baptismi: quia illud peccatum, seu eius reatus, non esset debitum propriè, repugnat enim debitum esse tunc, quando est iam remissio debiti, quia per remissionem tollitur formaliter debitum, si ergo eo instanti ponitur remissio; non est debitum vllum ex illo peccato eo instanti: sed nec fuit tempore antecedenti illud debitum, cùm nondum esset positum peccatum illius instantis: ergo tunc non remittitur propriè debitum illius peccati, atque adeò Augustinus non comprehendit illud peccatum, quando dicit, remitti tunc omnia debita, quæ inuenta fuerint sed loquitur de peccatis præcedentibus, quorum homo debitor fuerat, & à quorum debito eo instanti soluitur per Baptismum, & postea propter indispositionem redit.

39. In quo etiam sensu intelligi posset S. Thomas *quæst. 69. art. 10. ad secundum*, vbi differentiam agnoscit inter peccatum fictionis, & cætera peccata, ita vt cætera tollantur postea virtute Baptismi præteriti quando peccatum fictionis per pœnitentiam ablatum fuerit. *Ad secundum* (inquit) *dicendum, quod*
S. Thom. *fictio non remouetur per Baptismum, sed per pœnitentiam subsequentem, qua remota, Baptismus aufert culpam, & reatum omnium peccatorum precedentium Baptismi: & etiam simul existentium cum Baptismo.* Vbi per peccata, quæ existunt simul cum Baptismo, non oportet intelligere, ea quæ fiunt ipso vltimo instanti Baptismi, sed quæ fiunt tempore illo, quo profertur forma, vel effunditur aqua ante vltimum instans, quæ omnia tolluntur postea virtute Baptismi, recedente fictione, & ablato obice; constituit autem differentiam inter peccatum fictionis, & alia peccata: quia fictio semper censetur perseuerare non solùm vsque ad vltimum instans Baptismi inclusiuè, sed etiam tempore sequenti. Ideò oportet, quod tollatur per Sacramentum pœnitentiæ, vel contritionem subsequentem: reliqua verò peccata possunt coëxistere Baptismo, & non perseuerare actu in vltimo instanti Baptismi; ideò possunt tolli virtute eiusdem Baptismi.

Meritò ergo assignatur discrimen ex hac parte 40.
inter peccatum fictionis, & alia peccata; quia fictio est voluntas suscipiendi Baptismum indebitè: voluntas autem illa perseuerat, dum suscipitur Baptismus, cum semper homo adsit voluntariè recipiens Baptismum; imò & postea continuatur; nescit enim homo, quando metaphysicè sit iam completum Sacramentum, atque adeò intentio illud recipiendi, perseuerat aliquandiu post illud susceptum, quæ intentio est peccatum fictionis indigens Sacramento pœnitentiæ, alia autem peccata possunt sæpè esse cum Baptismo absque eo? quod perseuerent post illum: nam illud etiam peccatum odij, v. g. quod committitur in principio prolationis verborum, vel ablutionis dicitur propriè existere cum Baptismo; iam enim incepit Baptismus: & tamen illud peccatum non continuatur post Baptismum, imo nec coëxistit vltimo complemento Baptismi. Potuit ergo Sanctus Thomas aliter loqui de peccatis aliis etiam existentibus cum Baptismo, non exigens pœnitentiam ad eorum remissionem; aliter verò de peccato fictionis, quod quia per se loquendo durat post Baptismum, indiget etiam per se loquendo Sacramento pœnitentiæ.

Solutio hæc sufficit ad defendendum sanctum 41.
Thomam. Sed credo magis iuxta eius mentem esse, si dicamus eum loqui de fictione actuali, quam dicit tolli per pœnitentiam sequentem; non tamen negat reatum eius fictionis, provt coëxistit Baptismo, auferri per virtutem Baptismi præteriti, imò statim subiungit, quod remota fictione per pœnitentiam, *Baptismus aufert culpam, & reatum omnium peccatorum precedentium Baptismum, & etiam simul existentium cum Baptismo.* S. Thom. Per quem loquendi modum videtur significare, se non loqui de remittenda culpa fictionis; quæ remissio fiat per pœnitentiam, sed de remouenda fictione, quæ impediebat effectum Baptismi: nam diuerso modo explicat effectum pœnitentiæ: & effectum Baptismi: dicit enim per pœnitentiam subsequentem, scilicet per detestationem, remoueri fictionem, & statim per Baptismum auferri culpam, & reatum omnium peccatorum, &c. In quibus verbis solùm videtur tribuere pœnitentiæ remotionem fictionis actualis, non remissionem culpæ. Vndè postea subiungit, ad effectum Baptismi concurrere etiam pœnitentiam, sed solùm tanquam causam per accidens, hoc est remouentem prohibens: quod de sola ablatione fictionis actualis intelligi potest, nam sola fictio actualis erit, quæ impediebat effectum Baptismi. Semper itaque loquitur de pœnitentia 42.
actuali, per quam auferatur fictio, nunquam verò de Sacramento pœnitentiæ. Videatur *in quarto distinct. 4. q. 3. art. 2. quæstiunc. 3. ad 2.* vbi vtitur etiam illo diuerso modo explicandi effectum pœnitentiæ, & Baptismi, dum ait: *peccata precedentia* S. Thom. *Baptismum remitti per Baptismum quoad culpam, & pœnam*, quando auferetur fictio, *sed peccata sequentia remittuntur* (inquit) *virtute contritionis, quæ fictionem amouet, quantum ad culpam, & quantum ad pœnam totaliter.* Vbi illa verba, *quantum ad culpam*, non coniunguntur cum verbo, *amouet*, proximo, sed cum verbo *remittuntur.* Sensus enim est: Per contritionem, per quam amouetur fictio, remittuntur peccata sequentia Baptismum, quantum ad culpam, non quantum ad totam pœnam; in quibus verbis contri-

tioni

tioni tribuit amouere fictionem; remittere verò peccata, non nisi ea, quæ consequuntur Baptismum eodem modo loquitur *in secundo scripto super quartum sententiarum eadem dist. 4. art. 2. ad 1. quod habetur tom.* 17. vbi dicit, Baptismum indigere contritione, non vt causa ad destructionem peccati actualis, sed solùm ad remouendam fictionem, quæ est contraria dispositio impediens effectum Baptismi. Vbi apertè distinguit inter remotionem fictionis, ad quam conducit contritio, & inter destructionem peccati. Ergo in nostro etiam textu non videtur significare remissionem peccati fictionis per remotionem fictionis, quam tribuit pœnitentiæ subsequenti.

43. Denique ad exempla martyrij, & Baptismi suprà adducta, quando scilicet aliquis in ipso momento martyrij, vel Baptismi, peccaret venialiter, & statim moreretur, quod peccatum virtute martyrij, vel Baptismi deberet auferri: ad hoc, inquam, responderi potest, quod attinet ad peccatum veniale commissum in vltimo instanti Baptismi perfecti, eandem esse difficultatem. Nam sicut diximus peccatum mortale illius instantis non remitti postea virtute Baptismi, sed esse materiam confessionis sequentis, sic dicendum est de veniali, non auferri virtute Baptismi, sed posse remitti postea per confessionem, quia verè fuit peccatum hominis Christiani, & subditi Ecclesiæ: differt tamen à mortali, quia hoc esset necessariò confitendum, non verò veniale, sed posset sine ordine ad claues deleri per contritionem, aut etiam aliquando per attritionem extra Sacramentum. De facto ergo, quando communiter dicitur eum, qui moritur statim post Baptismum, rectà via ire in cælum absque purgatorio; intelligitur, si neque post Baptismum peccauit venialiter, prout potuit in illa breuissima morula vitæ peccare: neque etiam in ipso vltimo instanti Baptismi: alioquin certum est apud omnes illum indigere purgatorio, si immediatè post Baptismum commisit aliquod veniale.

44. De Martyre aliter dicendum est, concedimus enim ex priuilegio Martyrij omnia peccata venialia ei dimitti in ipso mortis momento. Negamus tamen peccatum commissum ipso instanti martyrij remitti virtute martyrij, supponitur enim aliquid impossibile, nempè illo instanti fieri aliquod peccatum veniale. Nam instans martyrij non est illud, quo martyr offert se, vel acceptat mortem pro Christo, aut quo vulneratur, si enim hoc esset iam martyrij virtus, se extenderet non solùm ad tollenda peccata illo instanti commissa, sed etiam posteriora; nam si post lethale vulnus acceptum Martyr peccet venialiter ante mortem, adhuc in instanti mortis remitteretur illud etiam peccatum, nec indigebit purgatorio, alioquin oporteret orare pro multis Martyribus, quis enim scit, an post vulnus acceptum aliquod veniale commiserint? Quod cùm absurdum sit, non argueretur iam benè à martyrio ad Baptismum, cùm certum sit Baptismum non habere virtutem ad remissionem venialis post ipsum Baptismum commissi. Dicendum ergo est instans martyrij esse illud, quo martyrium consummatur per mortem: martyrio enim per mortem consummato annectitur illud priuilegium, & indulgentia omnium peccatorum. Cùm ergo non possit fieri peccatum veniale illo ipso instanti, quo homo moritur, quia iam tunc homo non viuit, consequens est, vt non possit virtus martyrij extendi ad remissionem peccati, quod fit illo ipso instanti, quo martyrium perficitur: imò magis hoc repugnat martyrio, quàm Baptismo, cùm oriatur repugnantia, non solùm ex defectu potentiæ, seu virtutis, sed etiam ex defectu obiecti, quia licèt possit fieri peccatum ipso instanti baptismi, nullum tamen fieri potest ipso instanti martyrij, quod est idem cum instanti mortis. Et hæc sufficiant de hoc puncto, quod ad praxim, vt diximus, reduci non potest: nunc iam veniamus ad alia magis practica.

SECTIO. II.

Aliqua alia dubia de peccatis, quæ sunt materia confessionis, & præsertim de peccatis dubiis.

PRimò dubitari potest de peccatis venialibus, an sint materia sufficiens huius Sacramenti? De hoc tamen diximus *suprà disp. 15. sect. 1.* vbi explicuimus, quomodo ex verbis Christi, *quorum remiseritis*, &c. colligatur potestas remittendi venialia, licèt non colligatur potestas ad illa retinenda. 45.

Secundò dubitari potest de peccatis, quæ iterum iam homo confessus est, & à quibus fuit ritè absolutus, an possint esse materia secundæ confessionis, de quo etiam diximus *disp. 13. sect. 3.* vbi explicuimus quomodo verificentur verba absoluendi, & remittendi etiam de peccatis iam antea remissis.

§. 1. Dubium incidens; *An oporteat pœnitentem explicare, quod peccata illa sit, vel non sit confessus?*

SOlùm pro praxi restat breuiter notandum circa eiusmodi confessiones, in quibus repetuntur peccata præterita, aliquos velle, quod pœnitens debeat explicare se iam iterum confessum fuisse illa peccata, ne confessarius decipiatur, existimans illam esse materiam necessariam confessionis cùm non sit. Quod quidem pendet ex altero dubio contrario: an scilicet qui facit confessionem generalem, & confitetur simul aliqua peccata commissa post vltimam confessionem, quæ nunquam priùs confessus erat, debeat explicare illa peccata esse commissa post confessionem vltimam, vt Confessarius ea excipiat tanquam materiam necessariam. In quo dubio aliqui dicunt debere omninò id explicare: Imò Luisius Turrianus *in opusc. Theol. centur. Theol. 4. dub. 7.* dicit contrariam sententiam non esse probabilem, nec tutam in praxi, sed potiùs pernicioſam bonis moribus. Huius autem censuræ adeò rigidæ nullam prorsus rationem affert, nisi quod sæpè necesse est explicare tempus, quo peccatum commissum est. Primò si sit reseruatum commissum à Religioso, quod ab eodem in sæculo commissum non est reseruatum. Secundò, si pœnitens nunc sit in proxima occasione peccandi, & iterum relabendi. Tertiò, si pœnitens habeat consuetudinem præsentem peccandi, debet illam explicare, vt Sacerdos applicet illi medicinam, & iudicet, an sit dispositus ad absolutionem. 46.

Cæterùm excessit hic Auctor in censura absque fundamento. Ad primum enim, & secundum facilè respondetur, tunc esse obligationem, non quidem dicendi, an sit confessus iterum illud peccatum, sed an sit reseruatum, vel an habeat occasionem proximam, quæ quando potest relinqui, arguit illud peccatum, imò indispositionem præsentem, si non relinquitur. Ad tertium: supponit falsum, quod pœnitens ex se debeat dicere consuetudinem præteritam, nisi interrogetur cùm iam peccata præterita ritè confessus est. Alij ergo melius negant talem obligationem pœnitentis, vt debeat explicare non fuisse antea se confessum illa peccata. Ita Bonacina *disp. 5. de Sacram. q. 5. sect. 2 punct. 2. § 3 diffic. 4. n. 5.* 47.

Homobonus de Bonis *in consult. cas. consc. vol. 2. part. 5. respons. 132.* Diana *2. tom. tract. 4. resol. 62. & tom. 3. tract. 3. de conscient. dub. resol 65.* & ante illos S. Thom. Sanch. *l. 1. in Decal. c. 10. n. 71.* Suar. *in præs. disp. 22. sect. 9.* qui duo loquuntur in primo casu, quo scilicet non tenetur pœnitens explicare sed iam iterum confessum fuisse illud peccatum, sed posse peccatum antiquum confiteri, non explicando tempus, in quo etiam casu idem dicit Coninch. *in præsenti, disp. 17. dub. 8. n. 69.* Rationes autem probant in vtroque casu; quia scilicet peccatum idem est, siue illud antea confessus fuerit, siue non, nisi fortè mutatio temporis afferat secum circunstantiam specie diuersam, vt se accuset coniugatus de peccato contra castitatem commisso, quando erat solutus: nisi enim explicetur tempus, Confessarius apprehendet speciem adulterij, quando verò peccatum idem est, non est, cur debeat explicari circunstantia temporis. Cùm ergo peccatum idem sit, siue antea illud confessus fuerit, siue non, nec illa circunstantia variet vllo modo peccatum, non est, cur debeat necessariò explicati. Quæ quidem ratio non solùm probat in sententia negante obligationem explicandi circunstantias notabiliter aggrauantes intra eandem speciem; sed etiam in scientia contraria. Vndè Suar. & Sanchez qui dicunt debere explicari illas circunstantias, adhuc negant hoc debere explicari. Ratio autem est, quia circunstantia illa non se habet ex parte peccati; sed ex parte pœnitentis, quare illa non explicata, adhuc explicatur totum peccatum secundùm totam suam grauitatem specificam, & secundùm circunstantias omnes ipsum aggrauantes.

48. Obiiciunt, quia magis distat peccatum remissum à non remisso, quàm veniale à mortali: nam ens, & non ens magis distant, quàm ens magnum, & paruum, sed pœnitens debet explicare eam circunstantiam, quæ facit, quod peccatum transeat de veniali in mortale, vel è contra: vndè qui odium habuit, vel occidit sine aduertentia plena, debet explicare defectum aduertentiæ plenæ: Ergo debet etiam explicare, an confessus sit illud peccatum, vel non sit confessus, cùm ea circunstantia transferat de materia necessaria in non necessariam, quæ est plusquam differentia specifica in genere moris.

49. Respondetur distinguendo maiorem: magis distat secundùm statum præsentem, concedo: magis distat secundùm statum, quem habuit, quando fuit commissum, nego: & tunc negatur consequentia. Pro cuius declaratione, aduerte, peccatum non esse materiam confessionis, provt est habituale, seu provt habet maculam habitualem perseuerantem: nam pœnitens non se accusat de peccato habituali, nec de perseuerantia maculæ, sed præcisè de actu præterito, & de peccato actuali, quod fuit. Alioquin si peccatum fuisset paulò post per contritionem deletum, deberet etiam explicari, illa circunstantia. Cùm ergo solùm detur pro materia actus peccati, provt fuit, quando fuit commissum: & provt sic non sit differentia inter illud, quod iam nunc est ablatum per confessionem præcedentem, & quod non est ablatum; consequens est totam illam differentiam esse extrinsecam, & per accidens in ordine ad accusationem. Peccatum autem veniale, & mortale differunt penes id, quod habuerunt, quando fuerunt commissa: quare differentia illa explicanda omninò est, quando deferuntur ad hoc iudicium.

50. Dicunt: Confessarius potest interrogare, & pœnitens debet respondere, an confessus iterum sit illud peccatum: ergo illa etiam circunstantia necessariò explicanda est in confessione præsenti. Respondetur, idem argumentum fieri posse de circunstantiis aggrauantibus intra eandem speciem, quas pœnitens interrogatus non potest negare, licèt ipse de se illas explicare non teneatur. Admisso itaque antecedenti, negatur consequentia, quia multa potest, & aliquando debet interrogare Confessarius ad meliùs exercendum suum munus, quæ pœnitens non interrogatus explicare non tenetur, vt dicemus *infrà sectione sequenti.*

Sed contra hoc vrgent, quod hæc circunstantia necessaria omninò est ad hoc, vt Confessarius possit prudenter imponere pœnitentiam; nam leuiorem debet imponere pro peccatis iam iterum punitis in alia confessione, quàm pro nunquam punitis: ergo non potest pœnitens illam tacere. Respondetur, multa alia sunt, quæ possunt Confessarium prudenter mouere ad minuendam, vel augendam pœnitentiam, quæ tamen non debet pœnitens explicare, v. g. quod pœnitens intensum, vel remissum dolorem habeat de peccatis; quod ex se aliùnde plura satisfactoria opera exerceat; quod peccatum fuerit cum intensione, & maiori affectu admissum, quantitas etiam maior, vel minor furti iuxta sententiam probabiliorem, quod eiusmodi circunstantiæ aggrauantes non debent explicari. Quomodo autem Concilium Tridentinum vtatur ea ratione, & ex obligatione imponendi pœnitentiam colligat necessitatem explicandi circunstantias mutantes speciem, dicemus postea *dicta sect. seq.* 51.

Dices adhuc: pœnitens dicens se velle facere confessionem generalem, eo ipso indicat peccata illa, quæ confitetur esse antiqua & non proximè commissa: sed si expresè diceret ea peccata esse antiqua, deciperet grauiter confessarium; ergo idem erit, si implicitè id dicat: nam explicitum, & implicitum quoad hoc non videntur differre. Ad hoc aliquis fortassè diceret pœnitentem sufficienter declarare suum peccatum, etiamsi expresè diceret illud fuisse factum anno præterito, cùm factum sit hoc mense: quia illa circunstantia videtur esse omninò extrinseca: sicut si diceret se, dum esset vestitus, odio habuisse Petrum, cùm tamen esset tunc in lecto nudus; nam odium idem est, & secundùm se totum declaratur. 52. *An liceat confiteri peccata antiqua, & omittere recentia?*

Aliundè verò videtur non sufficere illam confessionem; quia iuxta probabilem satis sententiam, quam ex Philosophia suppono, actiones, & actus voluntatis durant seipsis, atque adeò assignantur essentialiter ad talem durationem: vndè actus voluntatis, qui fit hodie, non est idem cum eo, qui potuit fieri anno præterito: ergo si dico me peccasse anno præterito, non confiteor peccatum, quod feci hodie, sed aliud distinctum, quod nunquam feci. Vndè, sicut si ille, qui occidit Petrum fratrem Confessarij, dicat se occidisse alium, nempè Ioannem, ne Confessarius suspicetur, quod occiderit eius fratrem; hic non videtur sufficienter confiteri; quia non confitetur peccatum, quod fecit, sed aliud, quod non fecit: sic in nostro casu, qui dicit se non peccasse hodie, sed anno præterito, non dicit peccatum, quod fecit, sed aliud, quod non fecit. 53. 54.

Quidquid sit de hoc, ad obiectionem propositam facilè respondetur, in nostro casu pœnitentem, licet non omninò explicet distinctè suum peccatum, imò vellet, quod Confessarius intelligat de alio; verè tamen habere intentionem illud confitendi, atque ideò de illo loqui, nec aliquid contrarium dicere. Nec obstat, quod dicat se velle confessionem generalem facere; per hoc enim non dicit se velle confiteri sola peccata antiqua, sed velle se etiam illa comprehendere; nam confessio

confessio generalis omnia peccata complectitur vsque ad hanc horam. Nec etiam refert, quod Confessarius intelligit illud esse peccatum antiquum: pœnitens enim id non dixit; atque ideò intentio absoluendi non regulatur ab existimatione priuata Confessarij, sed intendit absoluere à peccatis, quæ pœnitens detulit ad iudicium, quæcumque illa sint. Sicut, si quis affert baptizandum infantem, & dicit esse filium suum, cùm non sit, sed supponit vnum pro alio, adhuc infans est baptizatus, quia minister intendit baptizare, non eum, quem putat esse, sed eum, quem præsentem habet, quicunque ille sit. Denique non refert, quod pœnitens videatur implicitè indicare, quod sint peccata antiqua: nam ipse verè habet animum loquendi de peccatis nouis, & de illis vult loqui, licèt desideret non intelligi quoad hoc à confessario: non est ergo idem loqui obscurè, ne intelligatur de illo de quo loquitur, ac expressè negare, quia in primo casu verba verè significant id, quod vult confiteri, atque ideò defert peccatum verum; in secundo autem casu verba non possent significare verum peccatum, sed falsum.

55. Potest autem ad hoc retorqueri exemplum suprà positum: si aliquis, v. g. qui habuit rem cum sorore ipsius Confessarij, cuius hospes est; velit confiteri suum peccatum, sed ita obscurè, vt non suspicetur Confessarius de sua sorore, ad quem finem dicat; ergo peccaui cum quadam fœmina, quam in Ecclesia vidi, & concupiui: tunc Confessarius nihil suspicatur de sua sorore; non tamen limitat absolutionem ad culpam habitam cum alia fœmina, sed intendit absoluere ab illo peccato, quod pœnitens dicit, quæcunque fœmina illa fuerit: nec aliquis dicet illum non esse ritè confessum; si verè eam fœminam in Ecclesia vidit, & concupiuit, licèt Confessarius priuata existimatione de alia existimauerit, & non de sorore sua. Similiter ergo in casu nostro peccata illa noua sufficienter explicata sunt, & absolutio ad illa refertur ex generali intentione, licèt Confessarius priuata existimatione intellexit esse peccata antiqua, & iterum confessioni subiecta.

§. 2. *An qui facit confessionem generalem possit omittere aliqua peccata.*

56. CIrca hoc ipsum dubitari rursus solet, an qui facit confessionem generalem, debeat omnia prorsus peccata mortalia vitæ præteritæ confiteri; an possit aliqua omittere, cùm iam iterum illa eadem ritè confessus sit. Negant aliqui, si dicat se velle omnia peccata confiteri, quia deciperet grauiter Confessarium, qui iudicaret eum castè, & piè vixisse, tacitis grauioribus, & turpioribus peccatis. Ita Victoria *in summ.* §. 153. *aliàs* 166. & Ledesma 2. *part. quart. q.* 8. *art.* 2. *dub.* 15.

57. Verius tamen est, non esse obligationem grauem dicendi omnia mortalia, à quibus iam olim validè fuit pœnitens absolutus: vt cum aliis docet Henriquez *lib.* 2. *de pœnitent. cap.* 12. §. 2. *in Glossa littera* D. Diana *tom.* 2. *tractatu quarto, resolut.* 86. & alij plures Salmaticenses, quos sequitur, & refert Ioannes de Salas in manuscriptis. Ratio autem est, quia pœnitens non decipit Confessarium in materia huius Iudicij: solùm enim dat pro materia ea peccata, quæ confitetur, illa autem alia, quæ tacet non dat, nec tenetur dare, cùm illa alia confessus fuerit: quod verò promiserit se velle facere confessionem generalem totius vitæ; est quidem mendacium, sed non circa materiam Sacramenti, sed circa aliquid extrinsecum, sicuti si dixisset se fuisse abstinentem, deuotum, aut affectum ad orationem: quæ quidem aliquando possent continere hypocrisim, grauiter culpabilem, aliquando tamen solùm venialem: non debet ergo damnari peccati mortalis, qui ex proposito taceret magnam partem peccatorum in confessione generali, multò minùs qui tacet aliqua vel ex negligentia, vel etiam ex tædio, aut ex alia causa: sicut enim tota confessio generalis est libera, & ex supererogatione, sic liberum est illam magis, vel minùs generalem facere.

Hinc obiter aduerte contra Syluestr. verbo *confessio* 1. *quæstione* 6. & Victoriam *in summ. num.* 196. non esse contra valorem Sacramenti, si aliquis habeat duos confessores, quorum alteri priùs confiteatur mortalia, alteri postea solùm venialia, quod docent Suar. & alij omnes Recentiores, quos congerit Diana *tom.* 2. *tract.* 4. *resol.* 232. Ratio autem est, quia licèt tunc etiam secundus Confessarius decipiatur, putans pœnitentem illa sola peccata fecisse ab vltima confessione: pœnitens tamen non mentitur, sed solùm proponit illa, in quo nullum est mendacium. 57.

§. 3. *An sit obligatio confitendi peccata dubia?*

58. TErtiò ergo dubitatur principaliter de peccatis dubiis, an sint materia necessaria confessionis? Supponitur autem dupliciter esse posse peccatum dubium, primo modo per dubium positiuum, quando scilicet aliquis habet rationes, vel motiua probabilia ad credendum se fecisse tale peccatum, & ad credendum etiam oppositum, vel certè habet saltem rationes probabiles ad credendam vnam partem, licèt ad aliam non habeat. Et in hoc sensu communiter docent omnes hunc non teneri ad confitendum illud, quod probabiliter iudicat se vel non fecisse, vel non peccasse mortaliter in illo, vel confessum iam fuisse illud, quia iam sequitur iudicium probabile, quod sicut in aliis materiis, sic etiam in hac sufficit ad obseruandum præceptum. Quando verò probabiliter credit se illud fecisse cum culpa graui, nec illud confessum fuisse, nec habet rationes ad credendum probabiliter oppositum, tunc tenetur id confiteri, quia non habet iudicium probabile, quod sequatur ad omittendam confessionem illius.

59. Secundo modo contingit dubium negatiuum, quando scilicet non habet rationes ad probabilem assensum huius, vel illius partis, prout se habet homo ad hanc propositionem, *sidera sunt paria*: ad quam concedendam, vel negandam non habet argumentum positiuum, & in hoc sensu est potissima difficultas: an qui dubitat de peccato mortali à se commisso, & quod confessus non sit, debeat necessariò illud sub dubio confiteri? In quo puncto conueniunt etiam omnes in hoc, quod is, qui scit se peccasse mortaliter, dubitat tamen an illud peccatum sit confessus, debeat illud confiteri: nam tunc possessio est contra pœnitentem: constat enim de peccato, & de obligatione confitendi; non autem constat de confessione. Imò Ægidius de Coninch. *in præsent. disput.* 7. *dub.* 8. *numero* 68. addit idem dicendum esse, quando constat certo de peccato commisso, & solùm probabiliter existimatur fuisse dictum in confessione, quia debito certo non satisfit per solutionem incertam, pro quo alios affert Diana 2. *tom. tract.* 4. *resolut.* 107. Hoc tamen non videtur verum (vt dixi) quia in aliis etiam præceptis obligatio est certa audiendi sacrum, v. g. iciunandi, recitandi officium, &c. & tamen satisfacit homo,

si iuxta probabilem sententiam ieiunet, audiat sacrum, vel recitet officium: cur ergo non satisfaciet per confessionem probabilem obligationi confitendi? Imò nihil frequentius apud Theologos, quàm excusare à reiteranda confessione eum, qui confessus est confessario habenti solùm iurisdictionem probabilem, hoc est iuxta probabilem aliquam sententiam de eius valore. Ij etiam, qui dicunt probabile esse quod detur Sacramentum pœnitentiæ validum informe non sequenter dicunt illa peccata non esse iterum confitenda, licèt reuera valor præcedentis confessionis solùm sit probabilis.

60. Dices, si debes ex contractu centum, non liberaris ab obligatione totali, nisi per solutionem certam. Respondetur in primis, si illa centum debeantur ex promissione liberali, videtur satisfieri solutione probabili; sicut qui ex voto debet ieiunium si ieiunet obseruando ieiunium iuxta probabilem opinionem, licèt non iuxta certam. Si autem debeantur ex contractu oneroso, vt ex exemptione, permutatione, &c. tunc fortasse non satisfacit, quia non seruatur æqualitas dando pro re certa aliam incertam, quæ eo ipso minùs valet; & quia intentio contrahentium ea videtur esse, vt detur sibi pecunia certa pro mercibus certis: quæ rationes in nostro casu non procedunt magis, quàm in aliis omnibus præceptis, vt constat.

61. Restat ergo difficultas tota de peccato, de quo est dubium, an fuerit commissum, & an fuerit mortale. Aliqui dicunt, quando est dubium, an sit commissum, non esse obligationem confitendi illud, secus quando constat esse commissum, dubitatur verò, an fuerit mortale aut veniale. Ita Coninch vbi suprà, *numero* 69.

Hoc tamen non videtur consequenter dictum, nam si homo excusatur in priori casu, eo quod in dubio melior sit conditio possidentis, nec debet condemnari, aut cogi pati sententiam propter delictum, quod non probatur, eodem modo in casu posteriori excusabitur propter easdem rationes, quia possidet etiam suam libertatem, & non debet cogi pati sententiam propter delictum, quod non probatur: nam licèt constet fuisse peccatum: non tamen omne peccatum est materia necessaria huius iudicij. Sicut si aliquis scit se fecisse hodie aliquem actum virtutis in genere, dubitat autem an fuerit votum non est reus voti, quia non omnis actio virtutis est votum.

62. Ideo alij vniuersaliter videntur sentire, non esse obligationem confitendi illud peccatum, quod post debitum examen, dubium manet, an fuerit, vel non fuerit commissum, vel etiamsi constet fuisse commissum, dubitatur, an fuerit mortale, aut veniale. Ita videtur tanquam sibi probabile proponere Paulus Laymam *tom.* 1. *Theologiæ moralis, lib.* 1. *tract.* 1. *cap.* 5. §. 4. *num.* 37. licèt in fine concludat se nihil in hoc puncto velle decernere, sed solum aliis cogitandum proponere, & postea Ioan. Præpositus *in præsenti, quæst.* 5. *de integritate confessionis, dub.* 3. *num.* 117. dicit esse speculatiuè probabile, licèt in praxi non sit à contraria recedendum

63. Omnes tamen alij Theologi docent peccata mortalia dubia esse necessariò confitenda, siue dubium sit de substantia actionis, an fuerit facta, siue an fuerit mortalis, siue an fuerit iam illud peccatum in confessione dictum. Ita S. Thomas cum aliis quos latè referunt, & sequuntur Suarez *disp.* 22. *sect.* 9. & Thom. Sanchez *lib.* 1. *in decalogum, cap.* 10. *num.* 66. qui hanc dicunt esse rem omnino certam. Probant aliqui primò, quia in dubiis tutior pars est sequenda. Sed hoc principium patitur multas exceptiones, quare sicut in dubio voti non cogitur aliquis obseruare votum, licèt sit tutius, non apparet, cur cogatur confiteri peccatum in dubio, eo quod id sit tutius; præsertim cùm vtrobique æquè possideat suam libertatem.

Probant secundò, quia in voto, & in debitis iustitiæ, si obligaretur aliquis soluere: obligaretur 64.
ad aliquid vltra limites dubij, nam obligaretur ad solutionem certam debiti dubij: & in nostro casu non obligatur pœnitens vltra limites dubij, cùm solum obligetur ad confitendum, vt dubium id, quod est dubium. Sed contra, quia hæc ipsa est obligatio ad aliquid certum: nam confessio peccati dubij est aliquod onus certum, & non ita leue, licèt autem sit minus, quàm quod deberetur peccato certo, eodem tamen modo posset pro dubio, vel pro debito dubio iustitiæ obligari aliquis ad solutionem non integram, sicut pro debito certo, sed partialem, quæ parum non excederet etiam debitum dubium.

Tertiò probari posset ex institutione huius Sa- 65. 66.
cramenti, quod institutum est per modum remedij vniuersalis contra omnia peccata post baptismum commissa: Vndè oportuit, quod etiam peccata dubia possent afferri ad Tribunal Sacerdotis, alioquin enim ille, qui solùm haberet peccatum mortale dubium, non haberet remedium in hoc Sacramento, atque esset prioris conditionis, quàm ille alius, qui haberet peccatum mortale certum. Propter fauorem ergo animarum debuit extendi hoc iudicium sacerdotale etiam ad peccata dubia, vt contra illa daretur remedium aliquod præter contritionem.

Sed neque hoc videtur efficax, quia peccatum 66.
etiam probabile, seu de quo est probabile esse commissum, & probabile non esse commissum, pertinere potest ad hoc iudicium, & potest aliquis se de illo accusare, vt (si fortè fuit peccatum) remittatur ex vi Sacramenti, & tamen non est materia necessaria, quæ sub obligatione confitenda sit, vt diximus. Sic ergo potuissent peccata dubia explicari in confessione ex institutione huius Sacramenti, liberè tamen, & absque obligatione, sicut explicantur peccata probabilia, & peccata etiam venialia, fauori ergo animarum conducit, vt extendatur materia Sacramenti, non vt extendatur obligatio, quæ potiùs videtur odiosa quàm fauorabilis.

Potissimum ergo fundamentum huius doctrinæ, 67.
desumendum est ex vsu, & praxi totius Ecclesiæ, cuius initium non agnoscitur, quare credendum est ab ipsis Apostolis promanasse, qui vim, & obligationem inclusam in huius Sacramenti institutione melius potuerunt intelligere. Potest autem hoc ipsum ex Sacramenti natura deduci: nam hoc Sacramentum in lege noua institutum est per modum tribunalis, in quo Deus reliquit Vicarios suos, ad quos recurrere deberent Christiani pro remissione peccatorum obtinenda eo modo quo ad ipsum 69.
Deum priùs immediatè recurrere tenebantur per contritionem, & eo modo quo ad ipsum Deum recurrerent, si visibile aliquod Tribunal in terris erigeret, in quo visibiliter peccatores lapsos sibi reconciliaret, & eis veniam peccatorum concederet: nam cùm Sacerdotes Vicarij Dei, & Christi fuerint constituti, eorum Tribunal ad easdem causas debet extendi, ad quas extenderetur tribunal Dei, si ipse immediatè in hoc tribunali sederet. Quo argumento vtitur in simili Tridentinum *sess.* 14. *cap.* 5. vbi necessitatè confessionis probat, ex eo quod Sacerdotes relicti sunt à Christo, vt sui Vicarij; & ideò necessarium est ad illos recurrere, sicut recurreretur ad Christum. Porrò ad Tribunal Dei, si ipse immediatè

huic

huic iudicio præesset cogerentur recurrere non solùm ij, qui certa peccata haberent, sed etiam qui dubia: ij enim omnes cogerentur ad illud visibile Tribunal accedere, qui ante legem gratiæ tenebantur accedere ad Tribunal inuisibile Dei, procurando veniam peccati per remedium contritionis, ad quam quidem contritionem habendam tenebantur ij etiam, qui peccata dubia habebant; & hoc non solùm in mortis articulo constituti, ne se exponerent periculo damnationis æternæ; sed etiam in vita, eo modo, quo alij, qui peccata mortalia certa habebant, debebant etiam aliquando in vita de illis conteri, vt redirent in gratiam, & amicitiam Dei: ergo de primo ad vltimum, cùm hoc Tribunal Sacerdotum succedat loco diuini Tribunalis, ad quod illi etiam, qui peccata dubia habebant, debent accidere, consequens est, quod ad hoc etiam Sacramentum cum eisdem peccatis dubiis accedere teneantur.

68. Obijcies primò; præceptum seruandi æqualitatem cum proximis in materia iustitiæ non obligat nos ad satisfaciendum illis, aut ad petendam veniam, quando dubitamus de iniuria, offensa illis à nobis illata: Ergo nec præceptum procurandi pacem, & amicitiam cum Deo, obligat non ad petendam veniam, & offerendam pœnitentiam, quando dubitamus de offensa diuina à nobis posita. Respondetur negando consequentiam. Ratio autem discriminis sumitur ex ipsis præceptis; nam præceptum restituendi, & satisfaciendi proximis, licèt appareat affirmatiuum, re tamen vera est negatiuum; est enim idem præceptum non lædendi proximum, cui præcepto opponitur læsio in fieri & eadem continuata, quandiu non compensatur, & redditur, quod reddi debet. Vnde quandiu non constat de læsione facta, non est obligatio resarciendi, non enim ostendit mihi aduersarius aliquod ius læsum, contra quod ergo operer non restituendo. At verò præceptum pœnitentiæ est affirmatiuum, scilicet præceptum, & obligatio procurandi positiuè pacem, & amicitiam diuinam, ad quod non sufficit, quod non sciam me violasse eius præcepta, aut Deum offendisse; sed oportet agere, vt sciam aliquo modo me eius gratiam, & amicitiam retinere. In quo differt Deus à proximis nam erga hos satis est, si nescias te illos læsisse, vel offendisse: non enim teneris positiuè ad procurandam æqualitatem cum illis, sed negatiuè ad non ponendam inæqualitatem: erga Deum verò propter ipsius dignitatem infinitam non sufficit, si nescias te illum offendisse; sed oportet procurare positiuè illius gratiam, & amicitiam; atque adeo facere, vt scire possis aliquo modo te in eius pace, & amicitia conseruari. Hinc ergo fit, vt qui dubitat de offensa graui in Deum à se posita, teneatur positiuè ad petendam, & procurandam veniam, atque adeo ad ostendendam pœnitentiam saltem sub conditione.

69. Sed contra obijcies secundò: Ergo ille etiam, qui habet dubium probabile de peccato mortali, debet illud confiteri, licet probabiliter iudicet, non fuisse peccatum graue; quia hic etiam tenetur positiuè procurare gratiam, & amicitiam Dei ad quam procurandam videtur necessarium confiteri peccatum probabile, sicut peccatum dubium. Respondetur negando sequelam, quia ille iudicans probabiliter se non peccasse, probabiliter etiam iudicat se retinere gratiam, & amicitiam Dei, atque adeo probabiliter obseruat præceptum de procuranda amicitia diuina, sicut obseruantur alia præcepta cum simili iudicio probabili; in mortis tamen articulo deberet procurare remedium pœnitentiæ, ne se exponeret periculo damnationis, si fortè peccasset: qui verò non habet iudicium probabile, sed merum dubium, non potest probabiliter iudicare se retinere gratiam Dei, atque adeo tenetur ad id faciendum, quod requiritur, vt possit tale iudicium habere.

70. Tertiò obijcitur, quia in Tridentino *dicta sess. 14. cap. 5. & can. 7.* vbi explicatur materia necessaria confessionis, nihil prorsus dicitur de peccatis dubiis: ergo horum non est necessaria confessio, alioquin non debuisset prætermitti doctrina necessaria de hac obligatione. Respondent aliqui Concilium id non negasse, nec opportere, quod omnia, & singula distinctè traderet, sed ea, de quibus erat controuersia cum hæreticis. Alij dicunt in Concilio ipso fuisse implicitè dictum, quatenus sola venialia excipit ab obligatione confessionis, & quatenus dicit peccata esse detegenda eo modo, quo sunt in conscientia pœnitentis: Cùm ergo sint in conscientia, tanquam dubia, eo modo sunt aperienda, vtramque solutionem tradit Thomas Sanchez *vbi supra, numero 66. & num. 78.*

71. Contra vtramque tamen solutionem obstat adhuc idem Concilium *illo cap. 5.* in quo videntur excludi positiuè etiam peccata dubia his verbis, quibus totam solam materiam necessariam explicat. *Constat enim* (inquit) *nihil aliud in Ecclesia à pœnitentibus exigi, quam, vt postquam quisque diligentius se excusserit, & conscientiæ suæ sinus omnes, & latebras explicauerit ea peccata confiteatur, quibus se Dominum, & Deum suum mortaliter offendisse meminerit.* Quæ verba potiùs videntur oppositum insinuare, dum eorum solùm peccatorum exigunt confessionem, quorum pœnitens conscientiam habet: conscientia enim videtur inuoluere scientiam iuxta illud Bernard. *lib. de conscientia, cap. 8. conscientiam esse quasi cordis scientiam*: peccatorum ergo, quorum non est, scientia, non videtur esse conscientia. Bernard.

72. Ad argumentum itaque aliter respondere possumus: Concilium, licèt nihil explicuerit de peccatis dubiis, ea tamen non excluisse, imò in illa generalitate verborum videri inclusa: nam de peccatis dubiis etsi non sit iudicium asseuerans; est tamen memoria aliqua, quæ minus est, quàm iudicium. Concilium autem dixit ea peccata esse confitenda, quorum homo *meminit*: per quod verbum solùm videntur excluſa peccata oblita, non peccata dubia; hæc enim in rigore non sunt oblita. Item licèt horum peccatorum non sit scientia, ea tamen iam sunt in conscientia, quia *conscientiæ* nomine comprehenditur etiam notitia illa, seu reminiscentia dubia: Communiter enim diuidi solet conscientia in conscientiam certam, dubiam, erroneam, probabilem, *&c.* Conscientia ergo dubia conscientia est: Vnde qui habet dubium de peccato commisso, dicitur habere remorsum conscientiæ; ergo iam est illud peccatum aliqua ratione in eius conscientia, non vt certum, sed vt dubium, quod sufficit, vt talis homo non possit absolutè dicere, *nihil mihi conscius sum.*

73. Confirmari potest solutio ex verbis illis immediatè sequentibus, *reliqua autem peccata quæ diligenter cogitanti non occurrunt in vniuersum eadem confessione inclusa esse intelliguntur, &c.* In quibus verbis, peccatis iis, quorum memoria est, & quæ confitenda esse dictum fuerat, opponuntur, tanquam alterum membrum peccata reliqua, quæ memoriæ nullo modo occurrunt: in quibus non videntur comprehendi peccata dubia: hæc enim iam aliquo modo memoriæ occurrunt; ergo hæc pec-

cata dubia intelliguntur iam inclusa in priori membro diuisionis.

74. Quartò objicitur: qui dubitat de præcepto, non obligatur: ergo qui dubitat de peccato commisso, non obligatur præcepto confessionis. Respondetur cum Thoma Sanchez vbi supra, in præsenti non dubitari de præcepto: Nam præceptum est confitendi peccata certa, & dubia: Vnde qui scit se habere peccata dubia, non dubitat de præcepto, licèt dubitet de peccatis.

75. Vltimò objicitur; in dubio, an casus sit reseruatus, non tenetur pœnitens adire superiorem: ergo qui dubitat, an peccatum sit mortale, non debet adire confessarium pro absolutione, eadem enim videtur esse ratio. Respondetur, quidquid sit de antecedenti, quod aliqui non concedunt negando consequentiam, quia reseruatio peccati, cùm sit lex pœnalis, & ablatio potestatis intelligitur strictè de iis solùm delictis quæ sunt simpliciter talia; homicidium autem non est simpliciter homicidium, sed secundùm quid. At verò lex confessionis non est reseruatio, aut ablatio potestatis; sed potiùs communicatio potestatis, qua Christus potestatem, quam ipse habebat circa peccata communicauit Apostolis, tanquam suis vicariis, vt loco ipsius in eius tribunali sederent. Sicut si Episcopus relinqueret Vicarium cum facultate, & potestate eadem, quam ipse habet, intelligeretur etiam relictus ad peccata dubia, & subditi deberent ad illum recurrere, sicut ad Episcopum. Cùm ergo homines antea deberent recurrere ad Christum pro peccatis etiam dubiis, vt supra diximus; eodem modo debent recurrere ad eius Vicarios: nam confessio iurisdictionis, & potestatis est res fauorabilis, & latè interpretanda, vt latè probat Thom. Sanchez *lib.* 8. *de matrimonio disputat.* 2. quare Christus communicans suam potestatem Apostolis circa peccata, intelligitur communicasse illam plenè etiam circa peccata dubia: sicut erat in Christo; per hoc enim nulli auferebat potestatem, sicut aufertur per reseruationem, sed potiùs excommunicabat suam de nouo.

76. Dices, legem illam partim esse fauorabilem, quatenus dat potestatem sacerdotibus remittendi peccata, & vt sic extendendam esse etiam ad peccata dubia; partim verò esse odiosam, quatenus obligat subditos ad confessionem peccati, & vt sic restringendam esse ad peccata non dubia, quæ sola sunt simpliciter, & absolutè peccata. Sed contra, quia in hoc Sacramento si sermo sit de peccato capaci retentionis, non minùs extenditur potestas retinendi, quàm potestas remittendi: de eisdem enim peccatis dixit Christus: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur, & quorum retinueritis, retenta erunt:* Nam licèt peccata venialia possint à sacerdote remitti, & non possint retineri; hoc prouenit ex incapacitate materiæ, quia scilicet peccatum veniale non potest retineri, cùm non sit obligatio petendi veniam ipsius in hac vita. In hoc autem Sacramento non fuit imposita obligatio circa nouam materiam, sed circa eamdem, circa quam erat obligatio recurrendi ad tribunal Dei in hac vita pro venia peccati, substitutum fuit tribunal Sacerdotum, quibus sicut per illa verba datur potestas remittendi plena extensiuè, qualis est in Christo, sic datur potestas retinendi: Ergo sicut erat obligatio recurrendi ad tribunal Dei, & Christi pro venia peccati dubij, sine quo recursu retineretur illud peccatum in æternum, sic erit eadem obligatio recurrendi ad tribunal Sacerdotis, nullum enim peccatum retentionis capax remittitur Christianis, nisi per claues Ecclesiæ in re, vel in voto, vt constat ex omnibus Theologis, nec poterant verba Christi absque ingenti æquiuocatione aliter intelligi, ita vt daret potestatem remittendi omnia, remittendi autem non ea omnia, etiamsi essent capacia retentionis, sed solum aliqua.

§. 4. *An peccatum dictum vt dubium, debeat iterum cessante dubio dici vt certum.*

77. CIrca hoc tamen occurrit quæstio practica, an ille, qui confessus est aliquod peccatum dubium, vt dubium, & postea facta maiori diligentia, recordatur certò illius peccati, debeat confiteri illud, vt certum, an verò sufficiat confessio præterita. Certum est, si pœnitens è contra confessus fuisset illud, vt certum, & postea incipit dubitare de illo, non teneri iterum confiteri illud, vt dubium, sicut qui accusauit se decem peccatis, si postea comperiat fuisse sola sex, non tenetur iterum confiteri, & accusare se de solis sex. Quando verò confessus est illud, vt dubium, & postea comperit esse certum, debere iterum explicari in confessione, vt certum, docet Thom. Sanchez *lib.* 1. *in decalogum, cap.* 10. *n.* 69. Turrianus *de pœnitentia, quæst.* 9. *art.* 2. *disputatione* 29. *dubio* 6. Diana 2. *tom. tract.* 4. *resolutione* 91. & alij. Ratio est, quia si ab initio constaret peccatum illud, vt certum, deberet, vt certum explicari, obligatio autem illa tunc per accidens cessauit propter ignorantiam & dubium, quod erat: ergo cessante illo impedimento dubij vel ignorantiæ, redit obligatio confitendi peccatum certum, vt certum, quæ priùs per accidens fuerat impedita.

78. Contra hanc doctrinam, & eius rationem vrgere videtur grauiter doctrina alia multorum, qui dicunt, quando pœnitens non potens determinare numerum certum peccatorum, confitetur numerum verisimilem, verbi gratia, *peieraui decies plus, minusve:* si postea recordetur, se peieraſſe duodecim vicibus, non oportere id confiteri, quia illa verba *plus, minusve* complectuntur ad minus illa duo periuria. Quod docent communiter plures, & graues Auctores, Suarez *in præsenti disp.* 22. *sect.* 5. *num.* 58. Vasquez *in præsenti quæst.* 91. *art.* 1. *dub.* 6. Coninch. *in præsenti disputatione* 7. *de integritate confess. dub.* 7. *num.* 62. Vega *in summa* 1. *part. capite* 63. *casu* 22. Petrus Ledesma *in summa tom.* 1. *cap.* 17. Villalobos *in summa tom.* 1. *tract.* 9. *dub.* 33. Soto *in quarto distinct.* 18. *quæstione* 2. *art.* 4. Sa verbo *confessio, num.* 32. & alij. Ex hoc autem casu argumentum difficile desumitur contra priorem casum de peccato dubio; quia ille, qui dicit, se peieraſſe, decies, *plus, minusve*, non dicit, vt certum vndecimum periurium, sed vt dubium: & tamen si postea recordatur, quod vndecim, vel duodecim vicibus peierauit, non tenetur dicere iterum, tanquam certum illud vndecimum, vel duodecimum peccatum quod priùs sub dubio dixerat: ergo neque etiamsi vnicum periurium in dubio confessus fuisset, deberet postea certior factus illud vt certum confiteri: cur enim magis vnum quàm vndecimum debet confiteri, quando vtrumque cum æquali dubio dixit; & postea de vtroque æqualem habet certitudinem? Quod argumentum vrgeri ampliùs potest, quia si res attentè consideretur, non solùm dicitur in prædicto casu sub dubio peccatum vndecimum, vel duodecimum, sed etiam ipsummet peccatum decimum. Nam qui dicit, se peccasse decies *plus, minusve*, non affirmat pro certo, se peccasse decies, sed relinquit sub dubio, an fuerint peccata pauciora, & per consequens non di-

cit

cit peccatum decimum, vt certum, sed vt dubium; & tamen iuxta prædictos Auctores, etiamsi postea recordetur determinatè, & certò, quod fuerunt decem, non tenetur illa iterum confiteri: ergo sicut peccatum decimum dictum sub dubio non debet iterum dici, vt certum, sic nec peccatum primum dictum sub dubio debebit postea explicari, vt certum, quando iam pœnitens illius certò recordatur.

79. Auctorum diffi-cultas. Non inuenio apud Auctores solutionem huius difficultatis, quæ (vt verum fatear) apud me tanti ponderis est, vt iuxta sententiam illam supra relatam dicentem, peccata dicta, vt dubia postea confitenda, vt certa, quando iam certa sunt, vt satisfiat Christi præcepto, consequenter dicendum censeam, quodcumque peccatum, quod solum, vt dubium explicatum est, debere postea explicari, vt certum, quando certò postea cognoscitur, atque adeo eum, qui dicit, se peccasse decies, plus minúsve, si postea recordetur certò, quod fuerint vndecim: debere id, vt certum confiteri; imò si recordetur certò, quod fuerunt decem, debere id etiam confiteri, quia prius non solum peccatum vndecimum, sed etiam decimum dixerat sub dubio: ergo si iam scit certò se commisisse vndecimum, vel decimum, debet illud, vt certum confiteri, nam sicut si à principio certò sciret se decies peccasse, non potuisset dicere *decies*, *plus minúsve*; quia hæc verba significant incertitudinem, & dubium de decimo peccato; si postea cessante illo dubio, ratione cuius excusabatur ab explicando absolutè, & vt certo illo peccato, debet illud iam absolutè, & certò explicare. Hæc, vt dixi, mihi videntur consequenter dicenda iuxta doctrinam illam, quia illi Theologi docent, peccatum dictum, vt dubium; ablato postea dubio, debere, vt certum explicari; & ideo fortasse P. Gaspar. Hurtado *de Sacramentis disp. 9. de pœnit. difficul. 5.* cùm dixisset eum, qui confitetur, se fornicatum fuisse decem vicibus, paulò plus, minúsve, & postea recordatur se aliis vicibus fornicatum fuisse, quæ illo priori numero comprehendi poterant, non teneri illas vices de nouo confiteri; statim limitat illam doctrinam, & subiungit, id verum esse, quando pœnitens, stante adhuc illa noua memoria posset adhuc cum veritate dicere, & iudicare, se decies fornicatum paulò plus, minusve: secus verò dicendum, si tunc pœnitens non posset id iudicare, siue quia iam nouit certum, & determinatum numerum, verbi gratia, se duodecim vicibus fornicatum; siue quia non posset iam dicere se decem vicibus, plus, minúsve fornicatum, sed duodecim vicibus, plus, minusve: & addit rationem, quia sicut si à principio certò constaret pœnitenti, se duodecim vicibus determinatè peccasse, aut iudicaret, se duodecim vicibus paulò plus, vel minus peccasse, teneretur ita confiteri; sic etiam teneretur post confessionem factam. Ita ille auctor, quod mihi, vt dixi, apparet magis consequenter dici ad illam aliam sententiam.

Quare vel ita consequenter dicendum est, vel esset neganda illa doctrina, quæ supponitur, & quam Thom. Sanchez, & Turrianus tradunt, quod peccatum dictum, vt dubium, debeat postea iterum dici, quando comperimus, fuisse certum, quæ quidem ex hoc, & ex aliis capitibus non parum difficilis est: Primò, quia hæc doctrina, vt vidimus, apertè videtur repugnare cum illa alia communi ferè omnium, quod explicato numero confuso, *plus minúsve*, vigesimo, verbi gratia, postea licèt constet certò fuisse viginti duo, non debeant illa duo iterum in confessione dici: & tamen certum est, non solùm illa duo, sed etiam ipsum vigesimum & decimum nouum, non fuisse prius dicta, vt certa, sed sub dubio: ergo iuxta communem Theologorum sensum, & iuxta fidelium praxim, non debemus iterum, vt certum confiteri illud peccatum, quod prius sub aliquo dubio confessi fueramus: nec enim apparet, quomodo hæc praxis communis posset cum illa alia doctrina stare. Et quidem argumentum, quo Turrianus loco citato vtitur, planè procedit etiam in hoc casu. Ille enim sic arguit, quia scilicet peccatum explicandum est in confessione pro vt est in conscientia pœnitentis: prædictum autem peccatum iam est in conscientia pœnitentis; vt certum, qua ratione non erat subiectum clauibus, sed solum, vt dubium est: ergo adest obligatio manifestandi illud in confessione. Hoc, inquam, argumentum eodem modo procedit in illo alio casu: nam quando se accusat aliquis de viginti periuriis, *plus, minúsve*, tunc vigesimum primum, vel secundum, iam est in conscientia pœnitentis, vt certum, qua ratione non erat subiectum clauibus, sed solum vt dubium; Ergo erit obligatio illud manifestandi, vt certum in confessione, & quidquid ad hunc casum responderis, poteris ad primum respondere.

Confirmatur, quia quod illud peccatum dicatur cum aliis, vel seorsim, parum videtur referre. Pone enim, quod dicat, accuso me de decem periuriis certis, & rursus de alio dubio: tunc iam seorsim se accusat de isto vndecimo: Idem autem est, si dicat accuso me decem *plus, minúsve*, quia tunc etiam de aliquibus se accusat, vt certis, & de aliis, vt dubiis: Ergo idem in vtroque casu dicendum est.

Secundò, eidem doctrinæ obstare videtur alia praxis communis fidelium, qui in pueritia rudiores magis grosso modo confitentur; rustici etiam minùs subtiliter declarant numerum peccatorum, eorum tamen confessiones non esse postea ex necessitate repetendas, dicunt graues Doctores, & praxis ita obseruat: quia nimirum confessarius, qui statum, & conditionem talium hominum nouit ex tali modo confitendi cognoscit numerum confusum, quantum iuxta eorum capacitatem explicari potest, & ita habet notitiam sufficientem. Si autem superior doctrina vera esset, deberemus postea eiusmodi iuuenes obligare ad repetendas confessiones illas factas in pueritia, & rusticos etiam quando magis instructi sunt, quia sub illa confusione negari non potest, quod plura peccata dixerunt, non vt determinatè certa, quæ modo diligenti examine certa inuenissent. Quis tamen hoc onus imponat confessariis? Dicendum ergo est illa peccata sufficienter iam fuisse ad claues deducta, neque esse obligationem illa iterum deducendi. 82.

Tertiò à simili argui potest: quia si aliquis dubius de excommunicatione, censura, irregularitate, voto, *&c.* petat ad cautelam absolutionem, vel dispensationem, & ea obtenta postea comperiat, censuram, aut vinculum fuisse certò contractum: non indiget noua absolutione, vel dispensatione: quia ad hoc ipsum data fuit prior absolutio, vel dispensatio, vt si vinculum fuit verè contractum, dissoluatur: Ergo si postea comperit vinculum fuisse verè contractum, eo ipso comperit, positam fuisse conditionem, sub qua absolutio, vel dispensatio data fuerat, atque ideo illam transisse in absolutam, & habuisse suum effectum, quare non indiget noua absolutione, aut dispensatione: Ergo hoc ipsum de peccato dicendum est, quando aliquis proponit illud prout est in sua conscientia sub ratione dubij, non indigere postea noua absolutione, cùm fuerit absolutus sub conditione, si verum 83.

peccatum

peccatum fuit. Imò ipse Sanchez *lib. 4. in decalogum cap. 44. num. 10.* apertè fatetur; quod si aliquis in dubio de voto castitatis emisso petat eius dispensationem ab Episcopo (quia in eius sententia votum dubium non est reseruatum) dispensatio valet, ita vt licèt postea constet votum fuisse certum, non indigeat alia dispensatione, quod idem de absolutione ab excommunicatione, vel à casu reseruato dubio dicemus *infra disp. 20. sect. 2.*

84. Vnde quartò possumus à priori arguere: quia quando es confessus peccatum vt dubium, si fuit verum peccatum, absolutio cadit supra illud, & non quidem indirectè, sed directè: qui ad hoc ipsum illud confiteris, vt absoluaris ab illo: & probatur clarè quia in aliquo casu teneris illud solum confiteri, & dare pro materia absolutionis, si aliud non haberes: ergo tunc Sacerdos absoluit directè ab illo peccato, absoluit autem directè sub conditione implicita, nempè si fuit peccatum: si enim peccatum non fuit, non absoluit directè, vel indirectè ab illo: ergo si fuit verum peccatum, absolueris directè ab illo: ergo licèt postea constet certò, fuisse peccatum, non debes iterum ad iudicium illud deferre. Ad quid enim; non certè ad absolutionem directam obtinendam; quia iam directè absolutus es ab illo. Neque etiam, vt des notitiam certam illius Confessario: nam notitia talis debet tota esse in ordine ad absolutionem, qua tamen iam non indiges, cùm sis directè absolutus: & quia alioquin sufficeret dare illam notitiam etiam extra Sacramentum, cùm non ordinetur ad absolutionem. Repugnat ergo, quod absolutionem directam obtineris toties peccati, & quod adhuc sit obligatio deferendi iterum illud idem peccatum ad iudicem pro obtinenda absolutione.

85. Confirmatur, & explicatur, quia tota obligatio confitendi peccata continetur in illa potestate *retinendi*, quam Sacerdotes accipiunt: retinent autem, quæ non soluunt, & quandiu retinent, est obligatio deferendi peccata ad eos, vt soluant: sed postquam Sacerdos soluit directè, in quantum potuit aliquod peccatum, si fortè peccatum erat; iam non videtur illud retinere, cùm soluerit; ergo cessat obligatio illud confitendi, cùm iam non sit peccatum retentum, sed directè solutum.

86. Obijcies primò, hæc argumenta nimium probare: quia sequitur, quod etiamsi aliquis dixerit peccatum, non vt dubium, sed vt possibile, & petat eius absolutionem ad cautelam, postea sciens, se illud peccatum revera commisisse, non tenebitur illud confiteri. Probatur sequela ex dictis: quia si petat aliquis à Pontifice dispensationem cuiuscunque irregularitatis, si fortè contraxerit, licèt nec dubium habeat de aliqua; obtenta hac dispensatione, non indiget postea noua petitione; etiamsi postea comperiat, quod aliquam irregularitatem revera contraxerat: quod idem de censura dici debet: ergo si exemplum est ad rem idem deberet dici in peccatis; atque adeo si aliquis se accusat solùm sub conditione de peccatis, si illa contraxerit, non debet postea illa confiteri, licèt prius, nec vt dubiè illa dixerit.

Responderi posset, idem argumentum fieri posse contra illum alium casum, qui ab omnibus recipitur: nam si aliquis se accuset de viginti periuriis, & addit, si fortè plura commissi, quod ego non scio, de omnibus me accuso, hic certè non excusatur ab aliis viginti confitendis, quæ postea illius memoriæ occurrant; & tamen quando sub dubio se accusauit de illis dicens, accuso me de quindecim certis, & dubito an fuerit maior numerus vsque ad vigesimum, conceditur absolutus directè ab illis, & non indigere noua illorum confessione. Respondetur ergo ad obiectionem negando sequelam. Ratio autem discriminis est clara: quia Pontifex potest sub conditione tollere irregularitatem, & similia vincula, etiam non præcedente accusatione; At verò Sacerdos in Sacramento non potest tollere directè vincula peccatorum, etiam sub conditione, nisi vt iudex, & præcedente accusatione: ille autem, qui solùm proponit, vt possibilia, nullo modo accusat, vt constat: ergo non subdit iudicio, aut potestati Sacerdotis, sicut subjicit, qui proponit ea, vt dubia, & provt sunt in conscientia ipsius pœnitentis.

Secundò objicies; peccata debent manifestari, provt sunt in conscientia pœnitentis: sed hoc peccatum in conscientia pœnitentis iam non est dubium, sed certum; ergo debet manifestari, vt certum. Hoc argumentum quod fuit fundamentum Turriani, vidimus probare, quod etiam peccatum vigesimum primum, cognitum postea vt certum debet confiteri de nouo pœnitens qui confessus est viginti, *plus, minúsve*, quia iam illud peccatum est certum in conscientia pœnitentis. Omnes ergo debent respondere, peccatum debere aliquando manifestari, provt est in conscientia pœnitentis solùm quando manifestatur, non provt est postquam pœnitens ab eo plenè, & directè fuit absolutus.

Ad quod deseruit etiam exemplum censuræ, vel irregularitatis supra adductum: Nam si petas absolutionem à censura ad cautelam, vel dispensationem irregularitatis ad cautelam, proponendo illi casum, vt dubium, cùm tamen certus sis de censura, aut irregularitate, non satisfacis debito tuo: quia non explicas vinculum; provt est in conscientia tua: Si autem tunc dubius eras, & post obtentam absolutionem, vel dispensationem cognoscas certò, censuram, vel irregularitatem contractam fuisse, non tenèris iam illam amplius explicare, provt nunc est in conscientia tua: quod idem de voto dicendum videtur.

Dices, si ab initio fuisset certum peccatum in conscientia, debuisses illud ita manifestare: ergo licèt excusatus fueris tunc per accidens propter dubium; postea cessante dubio, redit obligatio confitendi, vt certum, quæ priùs fuerat per accidens impedita.

Respondetur, idem argumentum fieri posse de censura, & irregularitate: item de peccato illo, quod vt dubium comprehenditur sub illis verbis, *plus, minúsve*. Fatendum ergo est, debuisse à principio dici, vt certum fuisset in conscientia: fuisse item impeditam illam obligationem per accidens propter ignorantiam, vel dubium; sed postea non resurgere illam obligationem cessante impedimento: quia iam cessat etiam finis obligationis illius, qui erat obtinere absolutionem directam illius peccati; quòd cùm iam supponatur directè solutum per claues, non est, cur iterum clauibus subjiciatur.

Tertiò objicies, quia circunstantia omissa per obliuionem debet postea iterum dici, & quidem totum peccatum, si circunstantia sine illo explicari non potest; ergo quando per ignorantiam omittitur certitudo peccati, debet illa manifestari: Magis enim est de substantia peccati certitudo eius, quàm alia circunstantia. Hoc etiam argumentum militat contra illum casum, vt constat quare omnes respondere debent, certitudinem non esse circunstantiam, vel aliquid se tenens ex parte ipsius peccati, sed ex parte manifestationis, seu notitiæ: quare in prædicto casu totum peccatum manifestatum est non tali, & tanta manifestatione, quali, & quanta postea

postea posset manifestari, sed tamen provt erat in conscientia pœnitentis, quod solùm requiri videtur ex praxi, & aliis argumentis suprà adductis.

90. Quartò objici potest, quod peccata debent à pœnitente manifestari, provt sunt in eius conscientia, sed in eius conscientia illud peccatum iam non est dubium sed certum: ergo debet, vt certum confessario manifestari. Hoc etiam argumentum procedit contra exemplum suprà positum de confitente numerum incertum peccatorum qui postea licèt certò recordetur, dicitur non teneri ad illum confitendum &c. Quare responderi posset, peccata esse confitenda provt sunt in conscientia pœnitentis, quando ea confitetur, non provt sunt postea, si verè eius speciem, & grauitatem exposuit.

91. Quintò objici potest, hinc sequi, quod si pœnitens bona fide, & per ignorantiam, vel inaduertentiam confiteretur, vt dubium illud, quod tunc sciebat certò à se peccatum, non teneretur postea illud iterum, vt certum confiteri, quia iam fuisset ab illo eodem peccato directè absolutus. Hoc etiam procedit contra idem exemplum casu, quo aliquis bona fide confessus fuisset numerum incertum; quando reuera certum sciebat: quare posset in vtroque casu negari sequela: quia ad remissionem directam peccati in hoc Sacramento requiritur, quod peccatum dicatur, provt est saltem tunc in conscientia pœnitentis, quod in vtroque casu deficit, cùm explicetur peccatum aliter, ac erat in conscientia confitentis.

92. Hæc faciunt pro hac parte, propter quæ aliqui viri docti probabile iudicarunt, non teneri postea pœnitentem confiteri, vt certum, quod prius, vt dubium confessus fuerat, provt tunc revera sibi erat. In quibus erat Reuerendissimus Pater Nicolaus Ricchardius Sacri Palatij Magister, cum quo priuatim rem hanc contuli, & ipse priuatim etiam respondit valde probabile sibi videri, non adesse talem obligationem; id, quod alij etiam iudicarunt. Cæterùm quia in re mortali non est facile recedendum à communi sensu, & quia nullum inuenio scriptorem pro ea parte, eos autem paucos, qui hoc attigerunt, video in contrarium inclinare, nolo ego in hoc puncto aliquid definire, sed securiorem partem consulere.

93. Duo tamen aduertenda videntur. Primum, quando pœnitens confitetur peccatum certum integrè, de quo tamen dubitabat, an esset mortale, vel veniale, & licèt Confessarius etiam simili dubio teneatur; non esse iterum confitendum; quando postea, vel pœnitens, vel Confessarius doctior factus aut aliis cõsultis, sciat, id esse peccatum mortale, quia iam revera confessus integrè est suum peccatum, neque ad Confessionis valorem requiritur, quod pœnitens, vel Confessarius sciat, illud esse peccatum mortale, vt benè notauit Sanchez. *dicto c.* 10. *n.* 69.

§. 5. *Ad quod se extendant illa verba* plus, minúsve, *quia addi solent.*

94. SEcundùm aduertendum est, in prima sententia communi, quæ dicit, non esse peccata confitenda, quæ illo priori numero cum latitudine illa, *plus, minúsve*, comprehendi poterant, dubitari posse, ad quod se extendant illæ voces, *plus, minúsve*. Aliqui enim dicunt, extendi ad duo, vel tria. Hæc tamen regula non est vniuersaliter vera: quia illa verba non habent sensum omnino absolutum, sed respectiuum ad numerum determinatum, cui adduntur: quare si dicas; *millies, plus, minúsve* non restringuntur certè ad duo, vel tria, vt benè notauit Fagundez *lib.* 3. *præcept. Confess. c.* 5. *num.* 9. Vnde nec admitti potest generaliter regula, quam alij tradunt, quos refert. Glossa in leg. *Hæc adictio* 192. *ff. de verbor. significat* quod scilicet extendi possint illa verba ad quartam partẽ summæ, cui adjicitur, vt si dicas, *octo pluriésve*, verificetur in sex, vel in decem, quia duo sunt quarta pars ex octo. Hæc etiam regula, non potest esse in vniuersum vera, quia si promittas mihi centum millia aureorum, parum *plus, minúsve*; non satisfacies dando quãta septuaginta quinque millia, quia illud, quod deest, licèt sit sola quarta pars; non est tamen parum sed multum minus, quàm centum millia in communi hominum existimatione. *An ad quatam partem summæ?*

95. Alij dicunt verba illa, *vel citra*, quæ eundem habent sensum, verificari posse de quinque pro quolibet Centenario, & non de pluribus. Ita declaratum fuisse statuto Mediolanensi refert Menochius *lib.* 2. *de arbitriis iudicum, casu* 46. Sed neque hoc potest in vniuersum esse verum: quia licèt in magna summa id verum esset, in parua tamen esset regula nimis rigida v. g. si dicas, quinquaginta, vel circa, falsa essẽt verba positis quinquaginta tribus, vel quadraginta septem. Alij dicunt, qui confitetur, se paccasse decies paulò plus minúsve, iis verbis comprehendere alias tres, vel quatuor vices. Ita Gaspar. Hurtado loco citato, quem affert, & non improbat Diana 3. *tom. tract.* 4. *Miscellan. resol.* 294. *Ad quinque pro quolibet centenario:*

96. Mihi placet explicatio Iureconsulti Vlpiani in dicta leg. *Hæc adiectio*. Vbi sic ait: *hæc adiectio* pluriſve *non infinitam pecuniam cõtinet, sed modicam dumtaxat. Adiectio hæc solidorũ decẽ pluriſve ad minuſculam* (vel, vt alij legunt *ad minuculam*) *summam refertur*. Quanta autem debeat esse, non potest definiri vniuersali regula, sed arbitrio prudentis relinquitur, vt docet Glossa ibidem, & Vasquez *quæst* 91. *art.* 1. *dub.* 6. *n.* 2. Debet autem in eo iudicio formando seruari hæc regula, vt quo maior est numerus qui nominatur; maior etiam numerus possit intelligi verbis illis, *plus minúsve*: non tamen debet hoc accipi proportione Arithmetica, vt dicunt, sed Geometrica: hoc est, non debet ita accipi, vt si numero minori addita extendantur ad quintam partem, addita etiam numero maiori possint extendi ad quintam eius partem v. g. cùm dicis, *peccaui decies plus minúsne*, verificatur, si octo, vel si duodecim vicibus peccasti, atque adeo illa verba addunt, vel demunt quintam partem numeri denarij, quæ est duo: & tamen cùm dicis, *peccaui centies plus, minúsve*, non verificantur verba, si octuaginta solis, vel centum viginti vicibus peccasti: quia quinta pars numeri centenarij, quæ est viginti, non est parum, sed multum, plus, vel minus. *Opinio probabiliter.* Vlpian.

97. Ratio regulæ huius quoad vtramque partem est quod ad verificanda illa verba, *parum plus, vel minus* semper debet interuenire aliqua peruitas in eo, quod additur, vel aufertur: paruitas autem aliquando est absoluta, quando in se ipso absolutè est paruum id, quod additur: aliquando verò est respectiua, quando licèt in se non sit paruum; est tamen paruum respectiuè ad aliquid multò maius. Hinc est quando verba illa *plus, minúsve*, adduntur numero paruo, verificari, etiamsi id, quod additur, vel aufertur sit tertia pars, v. g. si dicas, *peccaui ter. plus, minúsve*, vera sunt, si solùm bis, aut quater peccasti; quia licèt vnum sit tertia pars numeri ternarij, est tamẽ in se satis paruũ. Si autem dicas *peccaui centies, plus minúsve*: non erunt vera, si centum triginta vicibus peccasti, quia triginta, neque in se, neque respectiuè ad centum sunt aliquid paruum. E contra verò, si dicas, *peccaui milites, plus minúsve*, verum erit licèt mille quinquaginta vicibus peccaueris, quia licèt quinquaginta non sint parum in se, sunt tamen nimis parum respectiuè ad mille. Hinc ergo oritur ratio, cur verba illa ad plus se extendant addita numero maiori, sed non cum totali proportione: quia scilicet, quando

dicis

dicis, *decies, plus, minúsve* duo v.g. ad quæ se extendunt illa verba, sunt aliquid paruum ex vtroque capite, nempe absolutè, & respectiuè. Quando verò dicis, *millies, plus, minúsve*, ducentum, licèt sint aliquid paruum respectiuè, sunt tamen aliquid magnum absolutè, quæ magnitudo absoluta debet vinci per maiorem multò paruitatem respectiuam ratione cuius possit intelligi illis verbis, *parum, plus, minúsve*. Quò ergo maior est numerus, qui nominatur, eò plus debet distare ab illo pars quæ additur, vel aufertur, vt intelligatur verbis illis; quia quò pars illa est maior in se, eò minùs intelligitur per *paruum*, nisi adeo crescat paruitas respectiua, vt propter excessum illum possit dici, *paruum, plus, vel minus*, id quod in se non est paruum, sed magnum. In praxi autem placet id; quod dicebat Menochius, verba illa posse verificari de quinque pro quolibet centenario; maximè si addantur numero millesimo, vel vltra millesimum; ná si simus infra millesimum, videtur aliquantulum stricta regula illa: qui enim dicit *centies, plus, minusve*, verũ dicit, licet centum & decem vicibus peccasset.

§. 6. *An sit mortale mentiri in Confessione.*

98. *Quæstio est de mendacio in re quæ ad confessionem pertinet.*

QVartum dubium principale esse potest, an mendacium quolibet in confessione peccatorum sit culpa grauis, an vero possit esse leuis? Loquimur autem de mendacio in materia pertinente ad confessionem; Nam de mendacio in aliis materiis, licèt dicatur in illo loco, & inter confitendum; certum est non accipere grauitatem mortalem ex illa circunstantia temporis, & loci. Certum etiam videtur non esse peccatum graue negare aliquod peccatum, quod nullo modo pertinet ad confessionem præsentem, quia nimirum confessus est iam homo illud in alia confessione nec habet connexionem cum peccatis, quæ nunc confitetur, sicut nec erit mendacium graue negare aliqua venialia, quæ facit. Imò aduertit benè Suarez *in præsenti disp. 22. sect. 10. n. 5.* nec esse veniale id negare, si homo respondeat in sensu debito: quia numirum, quando reus non iuridicè interrogatur, negando delictum, significat solùm, se non fecisse ita, vt teneatur in illo foro id fateri. An verò, & cur peccet grauiter negans peccata iam confessa Sacerdoti interroganti in ordine ad præsens peccatum? Diximus supra *disputat. 14. sectione 10.*

99. *Quid circa veniale.*

Difficilius est, an sit peccatum mortale accusare se de aliquo veniali, quod non fecit? Affirmat Caietan. cum aliis, quos refert Suarez *vbi supra num. 6.* Communior tamen, & probabilior sententia negat, si tamen dentur alia peccata vera pro materia Sacramenti. Hanc tenent Nauarrus, Sylvester, Angelus, Petrus Soto, & alij: quos referunt, & sequuntur Suarez, vbi supra, & Vasquez *q. 91. art. 1. dub. 7.* & alij Recentes communiter.

Constat autem hæc conclusio ex iis, quæ in simili diximus *supra disp. 24. sect. 7. dub. 3.* vbi concessimus posse absque peccato graui aliquem dicere in confessione aliquod veniale, de quo non habeat dolorem sufficientem, dummodò habeat dolorem de aliis peccatis, quæ confitetur. Eadem autem est ratio in hoc casu; nam sicut ibi non fit irreuerentia grauis dicendo peccatum, quod non possit esse materia Sacramenti; sic nec in hoc casu erit grauis irreuerentia dicere peccatum falsum, quod non possit esse materia Sacramenti; Iam enim vtrobique datur alia materia: per illud autem mendacium non cogitur Confessarius ad variandum notabiliter iudicium, cùm non sit variatio, aut additio in materia graui. Argumenta, quæ contra hanc sententiam solent afferri, proposuimus, & dissoluimus loco citato, atque adeo non oportet iterum eadem nunc repetere.

100. *Quid circa mortale.*

Si verò loquamur de peccato mortali non confesso; certum est, mendacium circa illud esse peccatum graue. Si enim esset peccatum graue, illud tacere, quantò magis erit illud negare, si absque ratione sufficienti fiat: Si enim haberet aliquis causam sufficientem tacendi illud peccatum, posset etiam illud negare. Similiter est peccatum graue fateri aliquod peccatum mortale, quod non fecisti, quidquid velint aliqui, quos tacito nomine refert Vasquez vbi suprà *num. 10.* Si enim id liceret, posset aliquis absque multo examine augere numerum peccatorum, & ita dicere, quæ fecit, & non fecit, quod est contra mentem omnium fidelium. Ratio autem est, quia variatur in re graui iudicium confessarij per illam additionem.

101. *Quidnam mortale excusat.*

Petes, an sit peccatum graue mentiri circa peccatum mortale iam antea confessum, addendo aliquam circunstantiam grauem; vel aliquid simile? videtur enim esse eadem ratio de illo, de peccato veniali cùm neutrum sit materia necessaria; & de hoc diximus *disp. 14. sect. 8.* Breuiter respondetur esse peccatum graue. Primò quia illud, quod falsò additur, non reputatur, peccatum iam confessum; cùm enim sit falsum non est vnquam confessum Sacramentaliter: quare perinde erit mentiri circa illud, ac si esset circa peccatum nunquam confessum. Secundò, quia siue peccatum illud mortale fuerit antea confessum, siue non, parum refert; Nam in hac confessione datur pro materia huius iudicij, perinde ac si non fuisset antea confessum; atque ideo de eo debet fieri nunc iudicium independenter ab aliis confessionibus. Si ergo mentitur pœnitens in eo, iam facit variari iudicium Confessarij in re graui pertinente ad materiam huius iudicij. Nec obstat, quod non sit materia necessaria; Iam enim datur pro materia huius iudicij, vt iudex de illo iudicet, perinde ac si non esset res iudicata.

102. *Imperfectiones an iure confitendæ.*

Quintum dubium esse potest, an imperfectiones, qualis est, non correspondere inspirationibus diuinis, sit materia confessionis, atque ideo laudabiliter faciant pœnitentes, dum de eiusmodi imperfectionibus se accusant. Toletus enim *lib. 3. cap. 2. num. 6.* inter peccata omissionis numerat diuinis inspirationibus non respondere, nec operari aliquod bonum cùm possit quis operari, licèt non obligetur ex præcepto. Sed ibi nomine præcepti intelligit illud solùm quod obligat ad mortale, vt explicuerat *eodem cap.* quem modum loquendi vsurparunt etiam Scotus *in 2. distinct. 21. quæst. 1. §. Dico ergo.* Gabriel *in quarto dist. 16. quæst. 5. art. 1. notab. 1. & 2. distinct. 22. q. 1. art. 3. dub. 1.* Bassolus, Alensis, Magister sent. cũ multis ex antiquioribus, quos congerit Salas *2. tom. in 1. 2. tract. 13. disp. 16. sect. 9.* Quo loquendi modo non significatur, quod peccatum veniale nullo modo sit contra aliquod diuinum præceptum, sed quod non sit grauiter, sed leuiter: atque ideo, comparatum cum peccato mortali videatur esse analogicè contra præceptum, & non simpliciter, sed solùm secundùm quid, sicut accidens verè est ens, sed comparatum cum substantia, non dicitur simpliciter ens, sed secundùm quid; & creatura, licèt verè habeat esse, cõparata tamen cum creatore, dicitur quasi non ens, & solus Deus dicere potest: *Ego sum, qui sum.* Vide non debuit hanc Toleti doctrinam ita acriter reprehendere, Ioannes Sanctius *in Selectis disput. 7.* vbi *& disp. 1. & disp. 6. num. 4.* contendit, non esse permittendum pœnitentibus in confessione accusare se quod non consenserint inspirationibus diuinis, quibus à Deo mouebantur ad non habendam nimiam solicitudinem de corporis salute, non quærenda alimenta superflua, sed vt contenti essent habentes necessaria,

necessaria, & quibus tegantur ad non appetendas dignitates, &c. sicut nec debent permitti se accusare, quod transgressi fuerint inspirationem oblatam, quando vrgebat occasio violandi præceptum; (hæc enim transgressio inspirationis non est distinctum peccatum ab ipsa transgressione præcepti,) quod non præmiserit examen, nec doleat intensè, provt posset de peccatis; quod Deum non dilexerit quàm potuisset intensè, quod in copula cum coniuge, vel aliàs verba amatoria, & impudica cum ea fuerit colloquutus, quod in copula illa nimiam delectationem fuerint experti, &c. hæc enim, & similia, cùm peccata non sint, non debent afferri ad confessionem. Ita ex prædicto Auctore refert Diana *2. tom. tract. 4. resol. 52.*

103. Verùm non debent reprehendi Confessarij, quod pœnitentes in iis dicendis non impediant: tum quia plura ex iis, quæ videntur meræ imperfectiones, non fiunt sine aliqua culpa veniali; præsertim si cum communi sententia Thomistarum supponas, non dari actum moralem indifferentem in individuo: ex hoc enim constat, eos omnes actus, qui ex fine honesto non fiunt, esse peccata venialia. Tum etiam quia non est necesse, quod omnia, quæ pœnitens in confessione dicit, sint determinatè, & absolutè materia absolutionis: multa quippè dicuntur, vel ad maiorem abundantiam, vt notitiam sui magis plenam pœnitens Confessario tribuat; vndè & beneficia etiam à Deo accepta narrantur, vel vt si quid fortasse culpæ, & peccati in iis fuit, id totum per Sacramentum, & absolutionem deleatur. Sicut ergo infirmus omnia medico narrat, vt si quid inuenerit curatione dignum, remedium adhibeat: sic pœnitens Confessario, qui simul Medicus est, potest absque vitio omnia narrare, etiam imperfectiones, quia ad confessarium magis spectat discernere, quæ sit, & quæ non sit absolutionis materia, & vt Confessarius magis perspectam habeat pœnitentis conscientiam, & eò melius de toto eius statu iudicare possit in ordine ad debitum remedium adhibendum.

SECTIO III.

Vtrùm circunstantiæ aggrauantes intra eandem speciem sint necessariò confitendæ?

SVpponimus, circunstantias afferentes nouam speciem esse necessariò explicandas, vt definitur in Tridentino *sess. 14. cap. 5. & can. 7.* v. g. si sit percussio personæ sacræ, circunstantia illa explicanda est, quia transfert peccatum ad nouam speciem sacrilegij. Hanc doctrinam limitat, vel explicat Caietan. *in tom. 1. opusculorum tract. 5. quæst. 3.* vt intelligatur de illis solùm speciebus, quæ communiter mediocriter doctis notæ sunt, seu quæ diuersùm postulant iudicium, vt curentur, non de aliis subtilioribus. Quam limitationem amplecti videntur Caietanus *relectione de pœnit. part. 5. §. Ad quartum argumentum respondetur.* Nauarr. in c. *considereat, de pœnitentia dist. 5. num. 17.* & 18 & Fagundez *lib. 4. de secundo Ecclesiæ præcepto cap. 2. num. 4.* Hoc tamen si, vt sonant verba, accipiatur, videtur esse contra apertam definitionem Tridentini supra adducti, vbi damnatur, qui dixerit non esse necessarium confiteri circunstantias, quæ peccati speciem mutant. cui doctrinæ, cum vniuersalis sit, opponitur ille, qui dicit, aliquas circunstantias mutantes speciem non esse confitendas. Fortasse illi Auctores magis differunt in modo loquendi, quàm in re ipsa à communi doctrina, & loquuntur de speciebus non moralibus, sed physicis; nam exempla, quæ adducunt, non habent differentiam specificam moralem, sed physicam, & aliundè certum videtur, omnem differentiam specificam moralem deseruire ad variandum iudicium confessarij; nam ideò dicuntur morales, quia in ordine ad considerationem Philosophi, aut Theologi moralis, id est, qui mores considerat, habent diuersitatem notabilem; vel fortasse aliqui horum Auctorum solùm volunt excusari per accidens pœnitentem à Confessione explicita aliquarum specierum subtiliorum propter maximam difficultatem in iis explicandis, vel dignoscendis, eo quod confessio debeat esse humana, & non metaphysica. De quo, & an debeat interrogare confessarius de iis speciebus, dicemus aliquid infrà *sect. 14. & disp. 22. sect. 2.*

Supponendum secundò, circunstantias illas, quæ 105.
supra peccatum aliquod mortale addunt speciem nouam peccati, non tamen aggrauant mortaliter, sed venialiter, non esse necessario explicandas, verbi gratia, si aliquis occidit hominem propter vanam gloriam, non est necessariò explicanda circunstantia vanæ gloriæ, licèt det speciem nouam peccati: quia quod per se non erat materia necessaria, nec etiam erit talis, licèt coniungatur cum peccato mortali.

Difficultas est de circunstantiis, quæ non dant *Sed de aggrauantibus.*
nouam speciem, sed aggrauant notabiliter intra eandem. v. g. si furatus es centum, grauiùs peccasti, quàm qui furatur viginti. Sed tamen intra eandem speciem.

Prima sententia docet, eas circunstantias esse ne- 106.
cessariò explicandas. Hanc tenent Altisiodor. Alex. Marsilius, Angel. & alij plures, quos referunt, & sequuntur Suarez *disput. 22. sect. 3.* Henriquez *de pœnitent. lib. 2. cap. 7. num. 6.* Fagundez *vbi supra num. 10.* eundem sequitur Thom. Sanch. *lib. 2. decalog. cap. 32. num. 39. & lib. 4. cap. 11. num. 24.* & alij communiter.

Secunda sententia negat, debere eas circunstantias explicari. Hanc tenet S. Thom. *in quarto dist. 16. quæstiunc. 3. art. 2. gloss. 5.* Durand. Gabriel. Palud. Scot. Almainus, Bonauentur. Albert. Antoninus, Adrianus, Nauarrus, & alij plures, quos referunt, & sequuntur Vasquez *quæst. 91. art. 1. dub. 2.* Reginald. *in prax. tom. 1. lib. 6. cap. 5. num. 135.* Valentia *in præsenti disp. 7. quæst. 11. punct. 1.* Lessius *lib. 4. de iust. cap. 3. dub. 12. num. 8.* quos & alios multos congerit Antonin. Diana *tract. 7. de circunst. aggrauantib. resol. 1.* Omitto tertiam sententiam mediam, docentem debere explicari eas circunstantias in peccatis externis, non verò in internis, quia nullum habet fundamentum, licèt in eam inclinare videatur Henriquez *lib. 2. de pœnit. cap. 7. num. 5.*

Ex his sententiis, licèt prima sit valdè probabilis, 107.
magis tamen placet secunda. Quæ probatur primò *Non sunt necessariò explicanda?*
ex Trident. *dict. sess. 14. cap. 5.* vbi postquam dictum est circunstantias, quæ speciem peccati mutant, esse explicandas, additur impium esse hanc confessionem impossibilem appellare, aut carnificinam conscientiæ, *constat enim nihil aliud à pœnitentibus in Ecclesia exigi*, &c. Quibus verbis excludi videtur necessitas explicandi alias circunstantias. Cæterùm hæc verba non habent illum sensum; non enim dicunt nihil aliud exigi præter id, quod suprà explicatum fuerat: *sed nihil aliud exigi à pœnitentibus, quàm vt postquam quisque diligentiùs se excusserit, & conscientiæ suæ sinus omnes, & latebras explicauerit, & peccata confiteatur, quibus se Deum offendisse meminerit: reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrant in vniuersum, eadem confessione inclusa intelliguntur*

Itaque illa verba, *nihil aliud*, non excludunt circunstantias aggrauantes, sed peccata, quæ memoriæ cum diligenti quodam examine non occurrunt. Potest autem quis dicere eo ipso, quod exigitur confessio integra peccatorum, quæ occurrunt, iam ibi includi confessionem circunstantiæ, sine qua peccatum ipsum integrè non explicatur. Adhuc tamen induci poterunt hæc verba in fauorem huius sententiæ, quia ille, qui explicat speciem, & numerum peccatorum, verè & in rigore dicitur confiteri peccata, vt infrà videbimus: si ergo solùm exigitur confessio peccatorum, quæ memoriæ occurrunt, & nihil aliud, consequens est non exigi confessionem circunstantiæ, sine qua habetur vera, & propria confessio peccati.

108. Magis fauet idem Trident. *illo cap. 5. & can. 7.* vbi dum explicat necessitatem confitendi peccata mortalia, & circunstantias eorum, semper addit limitationem illam, *circunstantias, quæ speciem peccati mutant*: qua limitatione videtur tacitè excludere alias circunstantias. Nam licèt id non dicat expressè, atque adeò videatur esse argumentum solùm negatiuum, non tamen est purè negatiuum: aliud enim est, nihil prorsus dicere: aliud verò est agendo de circunstantiis, limitare semper positiuè sermonem ad eas, quæ speciem mutant: per quod videtur positiuè excludere alias. Sicut si tradens obligationem confitendi peccata, quę colligitur ex Christi verbis, semper adderet limitationem, scilicet esse obligationem confitendi omnia peccata mortalia, quæ prodeunt in actum externum: certè videtur positiuè excludere obligationem confitendi peccata interna. Similiter dicendo non posse aliquem sine speciali priuilegio vitare omnia peccata venialia, eo ipso significatur cum speciali priuilegio posse. Item dicendo, neminem posse sine speciali reuelatione certò scire se esse in gratia, significatur cum reuelatione posse id scire. Item dicendo neminem sine lumine Dei eleuante posse Deum clarè videre, significatur posse cum lumine eleuante, & sic in aliis mille exemplis, in quibus limitatio doctrinæ ad vnam partem tacitè excludit aliam partem ab illa doctrina. Cùm ergo toties Tridentinum addiderit illam limitationem, videtur obiter alias circunstantias excludere ab illa obligatione confitendi, quam ex Christi verbis colligebat.

109. Dicunt, Patres Concilij voluisse tradere doctrinam certam, & abstinere ab incertis, quæ sunt in opinione Theologorum. Sed contra primò, quia potuisset id Concilium præstare, vtendo verbis vniuersalibus, v. g. esse obligationem confitendi *saltem* circumstantias mutantes speciem, &c. His enim loquendi formulis non videretur positiuè excludere obligationem circa alias circunstantias, provt de facto videtur exclusisse. Deindè ex hac responsione habemus non colligi clarè ex Christi verbis, & Sacramenti institutione obligationem confitendi huiusmodi circunstantias, siquidem Ecclesia vniuersalis Spiritus S. lumine illustrata in generali Synodo non potuit hanc obligationem ex verbis Christi colligere, & tradere. Vndè fit legem illam non esse clarè prolatam circa confessione circunstantiarum intra eandem speciem: lex autem in dubio legis latæ non obligat, vt cum aliis tradit Thom. Sanchez *lib. 1. in decalog. capite 10. numero 32.* Contra eum enim, qui Ius clarum dicere potuit, & non dixit, interpretatio est facienda. Cùm ergo lex clarè non præcipiat confessionem circunstantiæ non mutantis speciem, nec ex eius verbis colligatur clarè talis obligatio, (alioquin non limitasset Tridentinum suam illationem, (consequens est, vt talis lex non obliget: atque adeò nec fuerit lata, quorsum enim Christus tulisset legem, cuius vim, & obligationem non manifestasset? 114.

Secundò probatur ratione, quia ex contraria sententia sequitur debere etiam explicari circunstantias notabiliter alleuiantes: nam in hoc iudicio, sicut non possumus minuere delictum, ita nec augere supra veritatem; ergo sicut illud obligat ad non tacendam circunstantiam aggrauantem, ne peccatum appareat minus; sic hoc obligabit ad non tacendam circunstantiam alleuiantem, ne peccatum appareat grauius. Vndè oporteret dicere, quando aliquis ex graui metu peccauit, vel vehementer ab alio sollicitatus, & quasi coactus, aut per dolum inductus, &c. Nam hæc omnia valdè minuunt delictum etiam in foro externo. Quis autem dicat virum, qui occidit adulterum cum vxore deprehensum, non satisfacere, confitendo homicidium à se factum? & tamen circunstantia illa adulterij contra se facti minuit (si quæ alia) notabiliter grauitatem peccati, vt constat. Non ergo datur obligatio eas circunstantias explicandi, etiam quando aggrauarent. 110.

Tertiò probatur, quia ex contraria etiam sententia sequitur declarandas esse circunstantias durationis, intensionis, & alias similes; hæ enim aggrauant etiam notabiliter: nam sicut declaranda est per te quantitas furti, eo quod furtum viginti aureorum æquiualet tribus, vel quatuor furtis quinque aureorum: sic odium intensum vt octo debet declarari, cùm æquiualeat pluribus odiis remissis. Item odium per quadrantem horæ debebit declarari, cùm æquiualeat quatuor, vel pluribus odiis instantaneis. Et tamen hæ circunstantiæ à nemine declarantur. 111. 115.

Quartò probatur, quia si quantitas furti declaranda est, debet etiam declarari quantitas in detractione, aut aliis damnis illatis: nam sicut furtum gemmæ valentis quatuor aureos infert tantum nocumentum; sic detractio in tali materia grauiori infert grauius nocumentum, quàm in tali materia minùs graui: qui excessus non poterit declarari, nisi explicando materiam detractionis, & qualitatem personæ, cui detrahitur, & numerum eorum, coram quibus detrahitur, & alia similia, quæ omnia declarare in singulis detractionibus esset nimis onerosum, & ideò non est in vsu de iis omnibus interrogare. 112. 113.

Dices, non quemlibet excessum esse necessariò explicandum, sed notabilem, aut extraordinarium. Sed contra, quia ratio, cur debent explicari illæ circunstantiæ, est, quia variant iudicium confessarij, hic enim, sicut aliter iudicat de duobus furtis singulorum aureorum, quàm de vno, sic iudicat aliter de furto magno, quàm de paruo: hæc autem ratio, sicut probat, esse explicandam quantitatem furti, quæ continet duas quantitates duorum furtorum minorum; sic probat excessum in detractione, quo hæc fama est duplo maior, quàm fama illius detractionis, debere explicari propter eandem rationem, atque adeò debere, sicut in valore rei furtiuæ, sic in fama ablata pensari valorem, & quantitatem, quantum fieri possit, vt explicetur excessus illius detractionis supra alias minores.

Denique ratio à priori huius sententiæ, quæ simul deseruit ad soluenda argumenta sententiæ contrariæ, est, quam supra indicauimus; quod scilicet Christus solùm præcepit necessariò confessionem peccatorum: ille autem, qui explicat species, & numerum peccatorum, verè, & propriè confitetur sua peccata. Ergo nihil aliud exigitur per se loquendo ex parte pœnitentis. Quæ ratio magis constabit ex argumentorum solutione. 117. 3.

Primò

114. Primò ergo objiciunt ex Tridentino *illo capite* 5. in quo probat species peccatorum esse explicandas: rationes autem, quibus id probat, omnes videntur æquè probare necessitatem explicandi has circumstantias aggrauantes intra eamdem speciem, illæ enim rationes sunt, quia Sacerdos iudex est: atque adeò non potest iudicium incognita causa exercere. Item quia alioquin peccata non integrè exponuntur, aut iudicibus innotescunt: nec de illis Sacerdos, aut de eorum grauitate rectè censere potest, nec denique æquitatem in pœnis pro peccatis iniungendis potest seruare. Quæ rationes omnes videntur æquè procedere in his circumstantiis aggrauantibns, quæ nisi explicentur, peccatum non videtur integrè exponi, sed secundùm partem; nec Sacerdos potest de eius grauitate iudicium ferre: nec denique pro eo poterit debitam pœnitentiam imponere: non enim est iniungenda æqualis pœnitentia pro furto vnius aurei, & pro furto decem millium aureorum, vt de se constat; ergo si rationes illæ bonæ sunt, non minùs probant de his circumstantiis, quàm de illis, quæ mutant speciem.

115. Respondetur rationes illas non æquè probare de vtrisque circumstantiis, quod quidem aduersarij ipsi fateri coguntur; nam si æquè probarent, sine causa Concilium limitasset totam doctrinam illam ad circumstantias, quæ mutant speciem; debuisset enim de vtrisque in genere loqui absque limitatione, & discrimine. Agnouit ergo Concilium rationes illas non æquè probare de vtrisque. Oritur autem hæc inæqualitas, & differentia potissimum ex ratione supra tradita, quia scilicet absque explicatione circumstantiæ non mutantis speciem, verè, & propriè declaratur peccatum: nam quidditas peccati sumitur ex ratione specifica ipsius: ergo declarando speciem, declaratur quidditas, & essentia talis peccati; reliqua autem sunt extra essentiam illius, atque adeò reputantur, quasi eius accidentia, logicè loquendo: qui ergo dicit se commisisse furtum graue, iam explicuit suum peccatum, & integrè quidem, quia totam eius essentiam specificam aperuit, quoad genus, & differentiam vltimam, quam differentiam si non dixisset, non explicuisset integrè peccatum, vt dixit Tridentinum.

116. Dices, ergo ex institutione huius Sacramenti non potest colligi obligatio explicandi numerum peccatorum; quia sicut confitendo furtum in confuso, explicatur sufficienter illud peccatum; sic dicendo: *Ego commisi plura furta*; confitetur homo sua peccata verè, & propriè, licèt non explicet distinctè eorum numerum.

117. Respondetur, negando sequelam; quia ex institutione huius Sacramenti colligitur, non solùm, quòd debeat explicari peccatum commissum; sed etiam quod debeat dici vt certum, quod certum est, & vt dubium, quod est dubium, vt vidimus in superioribus. Si autem non explicatur numerus peccatorum, non explicantur vt certa aliqua ex illis: nam qui dicit: Ego commisi furta, solùm significat certò se commisisse duo, vel tria, reliqua verò non explicat certò, nec Confessarius facit iudicium certum de illis, sed dubium, iudicat enim fuisse duo, vel tria, & fortasse plura: ergo quartum furtum, & alia vlteriora non proponuntur certò, quod est contra rationem huius iudicij, in quo singula peccata debent dici certò, si sunt certa.

117. 2. Sed contra vrgebis, ergo propter eamdem rationem debent explicari circunstantiæ aggrauantes: nam qui dicit solùm se commisisse furtum graue, solùm significat, vt certum furtum quatuor, vel quinque Iuliorum; furtum verò vlterioris quantitatis non significat certò, nec Confessarius potest ferre iudicium certum de illo excessu: ergo ille excessus qui certus est, debet certò explicari. Idem est de intensione: nam qui dicit se habuisse odium, solùm explicat, vt certum primum gradum odij, alios verò non explicat certò; ergo illi omnes non explicantur eo modo, quo debent peccata certa explicari.

118. Respondetur negando sequelam. Ratio verò discriminis colligitur ex dictis: quia non explicato numero, non explicatur certò quartum, vel quintum furtum, vt diximus, sed duo, vel tria priora, quæ sunt peccata distincta à sequentibus: atque adeò non explicantur omnia peccata, siquidem aliqua restant, non certò explicata. At verò non explicata quantitate furti (& idem est de intensione odij) nullum peccatum manet, quod non explicetur certò; nam totum illud furtum est vnum, & idem peccatum, quod licèt non explicetur quoad totam suam indiuiduationem, illud tamen revera explicatur quoad suam speciem, & quidditatem, atque adeò pœnitens dicit certò se commisisse illud peccatum, nec celat aliquod peccatum à se commissum, & per consequens satisfacit toti præcepto confitendi omnia peccata, cui præcepto non satisfacit, quando non explicat numerum peccatorum.

119. Hinc sequitur, quomodò secunda ratio adducta à Concilio ad obligationem confitendi species, ex eo quod aliàs Sacerdos non possit censere de grauitate criminis, non æquè procedat in ordine ad explicandas alias circunstantias aggrauantes. Nam sine harum explicatione cognita specie peccati mortalis, iam cognoscitur eius grauitas specifica, & essentialis, licèt non cognoscatur distinctè tota grauitas indiuidualis. Si autem species non explicetur, iam ignorabitur eius peccati grauitas; quia sicut ignorata specie, ignoratur simpliciter peccatum, sic ignoratur simpliciter eius grauitas. Noluit autem Christus exigere talem omninò notitiam, qua Saderdos censere possit de grauitate specifica, & essentiali peccati, & de granitate etiam indiuiduali eiusdem, propter rationes paulò post explicandas.

120. Restat itaque tertia ratio adducta in Tridentino pro necessitate confitendi, & explicandi species, scilicet, vt possit seruari æquitas in pœnitentiis imponendis pro peccatis; quæ ratio videtur etiam probare necessitatem explicandi alias circumstantias aggrauantes, iuxta quarum etiam grauitatem pœnitentia debet mensurari. Sed nec hæc ratio procedit in his circumstantiis. nam si species peccati ignoratur, nulla potest æquitas seruari in pœnitentia imponenda; si enim aliquis dicat solum se peccasse mortaliter, non potest, nisi cæco modo pœnitentia imponi. Si autem dicat se habuisse ter, vel quater odium proximi, iam potest ei pœnitentia proportionata imponi, licèt non explicet intensionem odij: quæ pœnitentia quamuis non sit omninò æqualis, nisi cognoscantur circunstantiæ aggrauantes: non tamen semper requiritur tam exacta æqualitas in pœnitentia imponenda. Si autem aliquando opottet maiorem æqualitatem seruare; tunc potest, & debet confessarius interrogare de circunstantiis aggrauantibus, ad quod habet Ius, & pœnitens debet respondere, & fateri quod interrogatur. Aliqua enim debet ex seipso confiteri etiam non interrogatus; quæ magis necessaria sunt: aliqua verò debet confiteri interrogatus, quia minùs necessaria sunt, & non semper eorum notitia desideratur. Vndè reddi potest ratio, cur Christus noluerit æquè obligare pœnitentem ad vtrasque circumstantias explicandas,

sed diuerso modo: scilicet ad aliquas immediatè, & proximè, ad alias verò solùm mediatè, & remotè, scilicet dando Ius Confessario interrogandi, quando expedierit. Ratio enim esse potest primò, quia circunstantiæ non mutantes speciem, non semper deseruiunt ad variandum iudicium circa pœnitentiam imponendam, sicut deseruit cognitio malitiæ specificæ, rarò enim variabitur propter maiorem intensionem, aut durationem actus, quando autem duratio fuisset diuturna, explicanda erit propter numerum peccatorum, quæ in illa diuturna duratione possent interuenire.

121. Quantitas verò furti, quæ posset variare illud iudicium, potest inquiri à Confessario, quando oportuerit, nec propterea deberet fieri regula generalis explicandi omnes circunstantias. Secundò potuit hoc discrimen prouenire ex difficultate maxima, quæ esset in explicandis his omnibus circunstantiis. Nam licèt vna, vel altera posset explicari, aliæ ferè omnes difficillimè explicarentur. Lex autem vniuersalis debet attendere ad ea, quæ frequenter contingunt, non ad vnum, vel alterum casum. Tertiò denique, quia in iis casibus, in quibus circunstantiæ eiusmodi possunt facilè explicari, & eorum notitia necessaria est ad iudicium debitè exercendum, possunt facilè inquisitione Confessarij indagari, qui cognita iam specie peccati, potest scire, an sit talis species, in qua oporteat vlteriùs procedi ad cognoscendnm circunstantiam indiuidualem, provt sæpè oportet facere in peccato furti, & tunc debet interrogare, quod Ius datum Confessario sufficit ad conuenientem institutionem huius iudicij, in quo id, quod ex se manifestat pœnitens, nempè species peccati, dat occasionem Confessario interrogandi id, quod restat, quando in aliquo casu oportet illud scire ad pœnitentiam, vel ad restitutionem, vel ad medicinam, vel ad alios fines. Si autem species non manifestaretur, non haberet vndè sciret Sacerdos, an in hoc casu de circunstantiis deberet interrogare, imò semper deberet vlteriùs interrogare speciem: id autem, quod semper debet inquiri, debet etiam pœnitens ex se manifestare.

122. Secundò principaliter obijcitur, Augustinus *lib. 2. de visitat. infirmor. capite 5. tom. 9. & lib. de vera, & falsa pœnitentia, cap. 14. tom. 4.* in quibus locis enumerat plures circumstantias à pœnitente explicandas, quæ non mutant speciem, sed aggrauant intra eamdem. Respondetur illos libros non recipi tanquam libros Augustini, sed alterius Auctoris: in his verò locis aliquas etiam circumstantias numerari, quæ nec ab Aduersariis dicuntur ex necessitate explicandæ, v. g. si peccatum contingit in die ieiunij, vel orationis, vel in domo domini sui, &c. Quare fatendum est eum Auctorem non loqui de debito obligationis, sed perfectionis, in ponderandis iis omnibus circunstantiis, vel eius doctrina temperanda est.

123. *An possit pœnitens eas circunstãtias negare.* Tertiò objiciunt: si circunstantiæ eiusmodi non sunt ex necessitate confitendæ: ergo licèt Confessarius pœnitentem interroget, poterit ipse eas negare, vel æquiuocatione aliqua dissimulare. Respondetur negando sequelam, quia, vt sæpè diximus, aliqua sunt, quæ pœnitens ex se non tenetur manifestare, & tamen inquisitus debet ea confiteri. Confessarius enim vt Iudex, & vt medicus Ius habet inquirendi plura; vt debitam medicinam applicet, & vt iustam satisfactionem imponat. In nostro autem casu est alia specialis ratio, quia si pœnitens interrogatus de furto, v. g. an fuissent decem, vel viginti aureorum, diceret fuisse solùm decem, cùm revera fuissent viginti, iam non daret pro materia confessionis illud peccatum, quod fecit, sed aliud, scilicet quoddam furtum solùm decem aureorum, vt notauit benè Vasquez *qua. 91. artic. 1. dub. 3.* & per consequens non confiteretur peccatum: quod fecit; nam licèt non teneatur ex se explicare distinctè indiuiduationem sui peccati; tenetur tamen non supponere vnum pro alio: si enim qui occidit Petrum, accusaret se de homicidio, dicens: *Ego occidi Paulum*, (volens celare hominem occisum (non confiteretur validè, quia non confiteretur peccatum, quod fecit, sed aliud, quod non fecit. Vndè soluitur simile argumentum aliorum, quod scilicet ille, qui alicui amputasset brachia, & pedes circa occisionem, satisfaceret dicendo se eum aliquantulum læsisse. Respondetur enim negando sequelam, quia eo modo loquendi significaret læsionem exiguam, atque adeò aliud diuersum peccatum. 117.

Quartò objiciunt, quia interdum Ecclesia reseruat peccatum ratione alicuius circunstantiæ aggrauantis, sine qua non est reseruatum; Ecclesia autem non reseruat, nisi ea, quæ sunt de necessitate confessionis: ergo illa circunstantia erat materia necessaria confessionis. Respondetur, Ecclesiam posse reseruare peccatum mortale ratione circunstantiæ alicuius, quæ non aggrauat notabiliter intra eamdem speciem; imò de facto id facere, quia furtum de bonis naufragorum habet excommunicationem reseruatam? cùm tamen circunstantia illa naufragij præcedentis non aggrauet notabiliter, nec esset exprimenda, si non accessisset reseruatio Ecclesiæ. Sic etiam posset in religione reseruari furtum, quando peruenit ad talem quantitatem, v. g. quinque Iuliorum, licèt excessus huius furti supra aliud furtum graue non sit circunstantia notabiliter aggrauans. In his autem casibus explicanda est hæc, circunstantia, vt constet excommunicatio, vel reseruatio. 124. 125.

Quintò objiciunt, quia si quis decies furatus esset decem aureos, tenetur numerum confiteri: ergo si vnico furto furatur centum, debet eam quantitatem declarare: eadem enim videtur esse malitia, & grauitas in hoc vnico furto, quæ esset in aliis decem. Confirmatur, quia plerumque maior est grauitas, quæ prouenit ex circumstantia intra eamdem speciem, quàm quæ prouenit ex circumstantia mutante speciem: grauiùs enim peccat, qui mille aureos furatur extra Ecclesiam, quàm qui duos furatur ex Ecclesia; ergo magis oportet explicare illam grauitatem, quàm istam. Respondetur negando consequentiam, quia, vt suprà diximus, obligatio explicandi numerum non est præcisè, vt explicetur maior grauitas vtcumque, sed vt manifestentur omnia peccata certa certò, & non in dubio provt fieret, si solùm proferretur aliquis numerus in confuso. Vndè etiam patet ad confirmationem; nam grauitas prouenies ex specie noua, debet explicari propter rationes superiùs explicatas, quæ, vt vidimus, non probant æquè de obligatione explicandi semper grauitatem prouenientem ex circumstantia intra eamdem speciem, nisi quando Confessarius eam inquirit, quod communiter debet facere in illo exemplo furti propter speciales rationes. 32. 33. 130.

Sextò objciunt, quia qui vno ictu occidit decem homines, debet explicare illam circunstantiam, nec sufficit dicere, feci homicidium, sed debet dicere, occidi decem homines, licèt illa sit solùm circunstantia aggrauans intra eamdem speciem, & idem est de voluntate, & desiderio interno occidendi decem homines P. Vasquez *dicta quæst. 91. art. 1. dub. 4.* respondet illam circunstantiam esse quidem explicandam; quia 131. *An debeat explicare numerum in dubio parum.*

quia illud peccatum habet decem malitias distinctas ex illis decem obiectis. Pro explicatione statuit hanc regulam vniuersalem, quoties circunstantia aliqua supponit iam actum constitutum in genere mali, & auget illius malitiam, vt maior intensio, maior duratio, non multiplicatur peccatum, nec illa circunstantia est explicanda: quando verò circunstantia non supponit actum in genere mali, sed ipsa per se constitueret, est duplex, vel multiplex peccatum. Sic cùm coniugatus peccat cum coniugata, est duplex malitia adulterij explicanda; quia matrimonium singulorum sufficit per se ad dandam malitiam adulterij. Idem est, cùm quis vno ictu plures occidit, & qui maledicit plutibus, &c.

117. Hæc doctrina difficilis videtur. Primò quia non facilè explicatur, cur singulæ partes pecuniæ furtiuæ non multiplicent etiam malitias in peccato furti, sicut distincti homines, quos aliquis vult occidere, refundunt diuersas malitias in volitionem. Ratio enim, quam affert P. Vasquez *ibi num.* 4. ad multiplicandas malitias, est hæc, quia malitia actus consistit in respectu contrarietatis ad virtutem; quare cùm hic actus dicat ordinem ad plura obiecta, ex quorum vnoquoque per se prouenit contrarietas ad virtutem; consequens est, vt sint plures malitiæ numero distinctæ, & plura peccata. Hæc autem ratio videtur etiam procedere in furto: nam illa voluntas, & actio furandi centum aureos, dicit ordinem ad plura obiecta, ex quorum vnoquoque per se prouenit contrarietas ad virtutem iustitiæ; quilibet enim aureus, & eius ablatio opponitur virtuti iustitiæ per se; Ergo debent etiam multiplicari malitiæ.

118. Aliam rationem indicat *num.* 5. quod, scilicet in furto rei magnæ circunstantia magnitudinis supponit iam constitutam actionem in esse mali, solúmque auget eandem malitiam. Sed hæc ratio videtur etiam procedere in exemplo homicidij: nam multitudo interfectorum supponit etiam actionem constitutam in genere homicidij, quare illa circumstantia solùm augebit, non multiplicauit malitiam: & sicut mors vnius est diuersa secundùm se à morte alterius; sic ablatio, seu carentia vnius aurei, quæ causatur per illud furtum, est diuersa à carentia alterius, & independens ab illa, nec vna supponit aliam, possunt enim omnes aurei simul in eadem bursa surripi sine prioritate vlla: ergo nulla ex illis malitiis supponit aliam, nec actum constitutum in esse mali.

119. Propter hæc fortasse *num.* 10. indicare videtur aliam rationem differentiæ, quod scilicet tria vulnera eidem personæ vno ictu illata faciunt vnum, & idem damnum, scilicet vnam ægritudinem resultantem ex tribus vulneribus, quod idem dicere posset de furto centum aureorum, quod videtur causare plura damna componentia vnum damnum illius personæ: at verò diffamatio duarum personarum causat duas læsiones famæ, quæ non continuantur inter se ad componendum vnum damnum, vel vnam læsionem.

120. Sed contra hoc, quia damnum carentiæ vnius aurei non continuatur, vel vnitur propriè, nisi solùm moraliter, & extrinsecè cum damno carentiæ alterius: ergo si hæc vnio moralis sufficit ad componendum vnicum peccatum, sufficiet à fortiori maior illa vnio, qua damnum vnius hominis vnitur cum damno alterius in vnica, & eadem volitione, qua aliquis vtrumque simul odio habet. Nam peccatum odij non est damnum desideratum, sed affectus, quo desideratur; hic autem affectus est magis vnus, quàm damnum illarum sit vnum in furto. Ergo hæc vnitas sufficiet magis ad reddendum vnum illùm peccatum odij.

Adde posse etiam aliquando inueniri vnionem moralem in ipso damno, quando enim aliquis lædit famam alicuius familiæ, vel domus, tunc sicut personæ læsæ habent coniunctionem moralem in vna familia, vel domo, sic diffamatio, & damnum videtur habere eamdem coniunctionem moralem: ergo si coniunctio moralis impedit multiplicationem malitiarum in furto, sic impediet in hoc casu.

131. Dices, in hoc casu peccari contra plura Iura diuersa, nam singuli habebant Ius ad suam famam, vel vitam, *&c.* Sed contra, quia in furto etiam peccatur contra plura Iura diuersa: nam idem Dominus habet plura Iura ad ea, quæ possidet, vnum scilicet ad pecuniam, aliud ad vestes, aliud ad libros, &c. Ergo auferendo hæc omnia peccatur etiam contra plura Iura diuersa.

Vndè argui potest secundò principaliter contra illam doctrinam Patris Vasquez, quia si iuxta multitudinem personarum, quæ læduntur, multiplicantur peccata in actione eadem, cum peccata, quæ à parte rei committuntur, debeant esse actu determinata, quæri potest, quando aliquis vult occidere omnes homines vnius familiæ, quorum numerum ignoret, quot peccata committat, non enim committit multitudinem aliquam peccatorum confusam, & indeterminatam, quia omnis multitudo, quæ datur à parte rei, est determinata, & certa. Ergo fatendum est committi vnicum peccatum cum ordine ad illam multitudinem hominum confusam, & non plura peccata distincta. Hoc autem argumentum vrgeri potest in eo, qui haberet velleitatem peccaminosam occidendi infinitos homines: tunc enim deberent multiplicari infinitæ malitiæ in eo actu, & per consequens ille homo committeret infinita peccata, quod admitti non potest: ergo dicendum est committi vnicum cum tanta grauitate determinata per ordinem ad illam multitudinem hominum apprehensum.

132. *An multiplicentur malitiæ in eodem actu in ordine ad multa obiecta.*

Vides difficultatem illius doctrinæ, aliundè tamen non caret difficultate negare in vniuersum, quod multiplicentur malitiæ propter ordinem ad plura obiecta, vel personas distinctas numero. Primò, quia non videtur posse negari, quod multiplicentur malitiæ in eodem actu propter respectum ad obiecta specie diuersa; vt si quis eodem actu peccet contra castitatem, & contra religionem propter votum castitatis; quo casu dicunt communiter esse duas malitias specie diuersas, atque ideò explicato peccato fornicationis in vna confessione, posse in alia explicari malitiam solam violationis voti, quæ per oblivionem fuerat omissa, non explicando iterum malitiam fornicationis, quæ iam fuerat sufficienter explicata, de quo dicemus infrà *sectione* 5. Qua doctrina suppositâ, videtur posse retorqueri argumentum factum contra Patrem Vasquez, quia si aliquis vno actu velit agere contra infinitas virtutes specie diuersas, deberent esse infinitæ malitiæ specie diuersæ: quod ergo dicetur de multiplicatione illa specierum, idem dici poterit de multiplicatione malitiæ indiuidualis.

133. Secundò, & à priori, quia sicut oppositio cum diuersa regula rationis, & honestatis, potest multiplicare malitias in specie: sic oppositio cum Iuribus distinctis poterit multiplicare numero malitias iniustitiæ; nam sicut malitia moralis est læsio regulæ rationis, sic malitia moralis iniustitiæ est læsio Iuris alieni: cùm ergo qui occidit

duos homines, aut infamat, lædat duo distincta iura, quæ illi habent ad suam vitam, & famam; consequens est, vt contrahat duas malitias iniustitiæ, seu duas oppositiones contra duo Iura aliena.

134. Ego quidem existimo, quod attinet ad propositum nostræ quæstionis posse nos præscindere ab illa alia controuersia speculatiua de multiplicatione malitiæ in eodem peccato, quæstio enim nostra nunc non est, an in illo actu sint plures malitiæ, vel vna, sed an id debeat explicari in confessione; & quidem licèt in peccato habente plures malitias specie diuersas debeant omnes explicari, non sequitur idem in peccato habente plures numero distinctas. Ratio differentiæ est, quod in primo casu non explicaretur distinctè tota species illius peccati, si aliqua malitia specifica illius taceretur: cùm autem debeant explicari distinctè omnia peccata quoad suam speciem, consequens est, quod debeant explicari distinctæ omnes illæ malitiæ specie diuersæ. At verò in secundo casu, etiam non explicata distinctè tota malitia individuali illius peccati, explicatur illud numero peccatum, quod ad suam speciem distinctè, & confusè quoad differentiam numericam, quod sufficit ad satisfaciendum præcepto confessionis, cùm nullum peccatum maneat non explicatum quoad suam speciem, & aliundè dicatur totus numerus peccatorum, licèt non totus numerus malitiarum, de quo explicando non inuenimus aliquod præceptum.

135. Mihi ergo probabilius est illum præcisum respectum vnius actus ad personas diuersas non debere necessariò explicari, vt supponit Suarez cum aliis *disp. 22. sect. 5. à n. 33.* dum negat multiplicari malitias: quam illationem fatetur probabilem ipse Vasquez *vbi supra, num. 3. & 8.* & loquens de voluntate occidendi plures, eam tenet expresè Marullus Megala Clericus Regularis *in institutione confessariorum 1. part. lib. 5 cap. 12. num. 4.* & loquens de eo, qui audit plures confessiones in peccato idem docet Eman. Rodriquez *in summ. tom. 2. cap. 44. numero 23.* dicens non debere necessariò explicari numerum confessionum, si eas omnes semel successiuè vnam post aliam audiuit; & ni fallor, in peccato detractionis ita sæpè fit, vt non explicet pœnitens personas quas vnica detractatione læsit, vt si detrahit familiæ vel domui, non explicat, quot sint in illa familia, vel domo, aut religione, sed ad summum dicit se detraxisse grauiter alicui ordini religioso, nec solliciti sumus de interrogando ordine in particulari, quod tunc deberet fieri ad cognoscendum melius numerum personarum læsarum. Item quando aliquis suo peccato scandalum præbet adstantibus, non credo solere interrogari communiter de numero determinato adstantium, qui potuerunt scandalizari, quod tamen fieri deberet, si hæc doctrina non esset probabilis.

136. Probari autem potest primò ex peccato furti, in quo licèt pœnitentes soleant explicare quantitatem furti, non tamen solent explicare respectum ad diuersas personas, quibus damnum illatum est eodem furto, vt si res ablata erat alicuius communitatis, vel pertinebat ad plures hæredes pro indiuiso ante hæreditatis diuisionem: in quo casu deberet hoc explicari, si peccata multiplicantur iuxta numerum personarum, quæ læduntur: & tamen pœnitens arbitratur se satisfeciisse dicendo; abstuli rem alienam, licèt non dicat, quot domini eo furto læsi fuerint.

137. Pater Vasquez *vbi suprà, num. 5.* videtur negare paritatem huius exempli, eo quod vnitas malitiæ consistit in vno respectu contra rationem: vnus verò respectus malitiæ consideratur ex vno damno; quod enim plures illud damnum patiantur, non multiplicat respectum, vt sit duplex furtum. Sed contra, quia non video, cur non sit ibi duplex damnum, aut multiplex, cùm ex illo furto singuli hæredes aliquod damnum partiale sentiant, nam sicut vtilitas rei communis erat, & diuidebatur inter illos; sic damnum erit commune, & diuidetur inter eosdem. Nec video, quomodo sit magis damnum multiplex, quando aliquis loquitur malè de tota familia, cùm illi etiam possideant famam, & honorem communitatis, quasi pro indiuiso, sicut hæredes possident pro indiuiso hæreditatem, & tamen ipse Vasquez *n. 50.* concedit peccatum maledicentiæ in vnam familiam esse multiplex peccatum, & inferre multa damna propter respectum ad diuersas personas, quas continet familia.

Melius responderi posset in vtroque illo casu, 138.
nec multiplicari peccata, nec etiam malitias, quia Ius ad hæreditatem, vel ad famam, quod læditur, non est multiplex, sed vnicum residens pro indiuiso in illis omnibus; sed quidquid de hoc sit, restat semper ratio supra facta, quòd licèt ex multiplicitate Iuris læsi multiplicentur numero malitiæ, non tamen peccata, nec est necesse explicare distinctè totam malitiam individualem illius peccati, sufficit confiteri illud peccatum, explicando malitiam specificam.

Secundò probari potest doctrina nostræ illatio- 139.
nis ex alio exemplo, quod admittit ipse Vasquez *in 1. 2. disp. 98.* quod scilicet peccatum aliquod contra duo præcepta diuersorum superiorum non habet duas malitias, nec ea circunstantia debet in confessione explicari, si sint præcepta eiusdem rationis, vtraque enim est malitia inobedientiæ, atque adeò peccatum contra præceptum diuinum, & humanum non habet duplicem malitiam inobedientiæ in sententia satis communi, quam relatis multis Auctoribus probat, & sequitur Pater Salas *2. tom. in primam 2. tract. 13. disp. 3 sect. 2.* ex quo casu argui potest ad nostrum. Nam illud peccatum fit etiam contra Ius vtriusque superioris, & lædit Ius, quod vterque habet, vt ei obediatur, quæ Iura sunt diuersa, atque adeò damnum illatum videtur esse diuersum, sicut quando læditur duplex Ius duorum ad famam, vel ad vitam: & tamen illa duplex læsio iurisdictionis non debet explicari in confessione; ergo nec in nostro casu.

Dixi tamen in illatione respectum illum præci- 140.
sum ad diuersas personas non esse explicandum in confessione: fateor enim sæpissimè explicandum esse ex aliis capitibus. Primò, quando ille respectus addit circunstantiam specie diuersam, vt si aliquis desideraret occidere plures, quorum aliquis esset Sacerdos, alius suus pater, &c. Tunc enim peccatum contraheret malitiam sacrilegij, parricidij, &c. Secundò existimo in peccato adulterij coniugati cum coniugata explicandum esse vtriusque coniugium, quia adulter coniugatus contrahit diuersam specie malitiam ratione sui coniugij, & diuersam ratione coniugij sui complicis: prior enim malitia est contra fidelitatem, quam debet suæ coniugi, & contra obligationem seruandi leges sui matrimonij: posterior verò est, quatenus est causa sua cooperatione, quod complex violet leges sui matrimonij: diuersa autem virtus esse videtur, quæ inclinat hunc coniugem ad seruandum suum matrimonium ab ea, quæ inclinat ad seruanda aliena matrimonia, sicut diuersa virtus est, quæ me inclinat ad seruandum ieiunium meum ab illa, quæ inclinat ad non violandum ieiunium, quod alij debent; illa enim prior est propriè virtus temperantiæ, hæc verò posterior non est propriè temperantia, sed reductiuè. Eadem ratione, si quis habens votum castitatis peccat cum habente similiter votum castitatis, debet explicare in confessione votum 141.
vtriusque,

vtriusque, quia alia species malitiæ contrahitur ex violatione proprij voti, alia vero ex cooperatione ad violationem voti alieni, ad cuius obseruationem ego non teneor ex voto, vt constat. Similiter ergo diuersa obligatio est non violandi proprium matrimonium, & non cooperandi ad hoc vt alius violet suum. Tertiò occisionem plurium, vel voluntatem occidendi plures, credo communiter non explicari benè in confessione, dicendo, feci homicidium, aut habui voluntatem homicidij: quia homicidium ex communi acceptione significat occisionem hominis, non hominum, quare confessarius conciperet tunc occisionem vnius hominis, & per consequens non intelligeret illud peccatum, quod reuera fuit, sed aliud; sicut si ille, qui furatus est centum, diceret furatus sum viginti, non benè explicat suum peccatum, quia dicit vnum peccatum pro alio. Eâdem ratione qui desiderauit peccare cum tribus fœminis, non benè explicaret dicendo, desideraui fornicationem aut habui desiderium fornicationis, quare regulariter existimo explicandum esse in praxi numerum personarum, saltem sub aliqua generalitate confusa significante pluralitatem.

De circunstantia autem sollicitantis fœminam ad fornicationem, an sit explicanda: an verò sufficiat fateri fornicationem, placet, quod cum aliis docet Vasquez *in præsenti dicto, dub. 4. num. 7.* non esse explicandam illam circunstantiam, quia illa malitia habetur, licèt non ita grauis, quando aliquis non solicitat: adhuc enim participat cum illa in suo peccato, & est causa cooperans ad eius ruinam; quare solùm videtur aggrauari magis hæc malitia intra eandem speciem, quando aliquis positiuè inuitat, & sollicitat. Quod obseruandum est pro illis etiam, qui in Missa diebus festis distrahũtur volũtariè è colloquiis, & confabulationibus; nec enim videntur interrogandi in confessione, an ipsi prouocauerint socios ad colloquendum, vel non, cùm vtrouis modo cooperati sint ad peccatum aliorum, & hæc dicta sunt occasione illius sexti argumenti, quod sit contra nostram sententiam.

Septimò objici solet, quia in incestu explicari debet gradus consanguinitatis, & affinitatis, licèt non afferant ij gradus diuersitatem specificam: Ergo solùm debent explicari propter maiorem grauitatem intra eamdem speciem. Respondetur, si incestus non sint specie diuersi ex graduum diuersitate, non esse gradus in confessione explicandos, de quo latiùs *infrà sect. 6.* An verò sint specie diuersi, est magna quæstio, de qua Vasquez *in præsenti, dub. quarto à numero vndecimo*, & mihi probabile est differre specie coïtum cum parentibus ab aliis omnibus propter specialem deformitatem, quæ oritur ex peculiari reuerentia parentibus debita, quæ non debetur aliis consanguineis. Probabile etiam videtur differre specie coïtum cum fratre, aut sorore ab aliis, quia probabilius est hunc esse iure naturæ interdictum, vt cum communi probat latè Thomas Sanchez *lib. 7. de matrimonio, disq. 52. numero 11.* & hoc quidem propter specialem fœditatem, quæ est in illa coniunctione, eo quod fratres ab incunabilis conuiuentes, & simul nutriti nimis procliues essent ad coïtum, nisi naturæ fræno prohiberentur ob illam nimiam coniunctionem. In reliquis autem grauibus prohibitis transuersalibus consanguinitatis non videtur esse differentia specifica, sed grauitas maior, vel minor non necessariò explicanda: provt ipsi etiam Auctores contrariæ sententiæ concedunt, tertium, vel quartum non esse necessariò explicandum, imò aliqui idem dicunt de secundo, eo quod non aggrauet notabiliter. De grauibus verò affinitatis probabile est, primum gradum lineæ rectæ differre specie ab aliis, eo quod habeat specialem quandam deformitatem; propter reuerentiam quasi paternam debitam vxori patris vel marito matris. De aliis autem gradibus transuersalibus verius videtur, non esse explicandos in particulari, quia non addunt diuersitatem specificam. Scio, aliquos concedere, nullum prorsus gradum consanguinitatis, vel affinitatis esse necessariò explicandum, sed solam malitiam incestus, etiamsi sit cum filia, vel sorore, quam sententiam post alios sequitur Dian. *in tract. de circunstantiis aggrauantibus resol. 31.* vbi alios refert. Hæc in genere dicta sunt. Nunc descendemus paulò magis in particulari ad circunstantias, quæ afferunt differentiam specificam, & quæ debent explicari, & pro pleniori intelligentia indicabimus in sequentibus præcipua capita, ad quæ eiusmodi circunstantiæ reduci possunt.

SECTIO IV.

§. 1. *De circunstantiis in particulari, & primò de circunstantia* Quis.

144. SEptem solent assignari circunstantiæ peccatorum, ad quas aliæ reduci possunt, scilicet: *Quis, Quid, Vbi, Quibus auxiliis, Cur, Quomodo, Quando.*

De quibus in particulari dicemus, & obiter resoluemus dubia practica, quæ circa illas solent occurrere. Prima ergo est, *Quis*, hoc est, qualis sit persona pœnitentis, non quidem quando confitetur, sed quando peccatum commisit: quod in vniuersum notandum est pro omnibus circunstantiis, quæ quidem non sunt explicandæ, nec attendendæ secundùm statum præsentem, sed secundùm statum, quem habebat pœnitens, quando peccauit, vt in fornicatione non refert, an nunc sit coniugatus, vel religiosus, sed an fuerit talis, quando peccauit.

145. Circa hanc circunstantiam plura dubitari solent. Primo de circunstantia voti, de qua certum est, debere explicari, verbi gratia, eum, qui se de fornicatione accusat, debere explicare, quod habebat votũ castitatis, quia transfert ad aliam speciem peccati contra religionem: aliqua tamen dubia sunt circa obligationem confitendi hanc circunstantiam voti, quæ breuiter indicabimus.

§. 2. *De circunstantia voti: vbi, An debeat explicari votum, vel similis circunstantia quæ sit in eo, quem pœnitens induxit ad peccandum.*

146. CErtum in primis videtur, non oportere explicare, an pluries, vel semel solùm promissa fuerit per votum res illa, quia nec affert circunstantia illa differentiam specificam, neque etiam aggrauat notabiliter intra eandem speciem. Dubium est in primis, an qui violauit votum solemne castitatis, verbi gratia, teneatur id explicare; an sufficiat dicere, violaui votum castitatis in tali malitia, de quo latè Thomas Sanchez *lib. 7. de matrim. disp. 27.* Lessius *lib. 2. de iustit. cap. 40. dub. 5. n. 40.* qui plures sententias, & singularum Auctores referunt, qui videri possunt apud Dianam *1. tom. tract. de circunstantiis aggrauantibus resolut. 3. 4. & 2. tom. tract. 4. resolut. 67.*

Solemnitas voti an sit explicanda.

147. Multi negant, debere explicari solemnitatem voti, atque adeo dicunt, sufficere, quod dicat, se habere votum castitatis; quia vtrumque votum est eiusdem speciei: quam sententiam amplectitur Sanchez *vbi suprà, & lib. 5. de statu religioso cap. 6. n. 14.* & est probabilissima. Alij plures dicunt, oportere,

quod explicetur. Ergo in praxi primam sententiam tutam existimo: stando tamen in ratione, verius puto, quod religiosus non satisfaciat nisi explicet statum religiosum, quem habet.

Probant hoc aliqui, quia religiosus (& idem dicendum esset de habente ordinem sacrum,) non solùm habet votum, sed etiam habet inhabilitatem, & impedimentum irritans ad matrimonium: hæc autem inhabilitas addit circumstantiam specie diuersam in fornicatione: ideo enim copula cum consanguinea intra quartum gradum habet malitiam incestus explicandam, quia Ecclesia prohibuit, & irritauit matrimonium inter illos; & ablata Ecclesiæ prohibitione fornicatio cum consanguinea in secundo gradu transuerso non habet malitiam incestus: ergo impedimentum irritans matrimonij sufficit, vt fornicatio religiosi habeat malitiam specie diuersam explicandam. Ad hoc tamen sufficienter respondet Sanchez *lib. 7. de matrim. disp. 5. n. 16.* malitiam totam, quæ resultat ex impedimento irritanti in religioso, esse eiusdem speciei cum malitia violationis voti. Vtraque enim est contra religionem, & obseruantiam voti, tam enim matrimonium, quàm fornicatio prohibetur religioso, vel sacerdoti, propter idem motiuum, scilicet, vt obseruet votum castitatis, quod fecit, quare explicata violatione voti castitatis, explicari videtur tota malitia specifica.

148. *Status religiosus an sit explicandus.* Aliunde tamen probari potest diuersitas specifica declaranda à religioso: quia religiosus per vota non solùm se obligauit Deo, sed etiam ipsi religioni, cui se dicauit, & donauit: sicut ergo coniux fornicarius; peccat non solùm contra castitatem, sed etiam contra coniugem, cui per matrimonium dedit dominium sui corporis quæ est malitia specifica adulterij necessariò explicanda: sic religiosus, qui dedit dominium, non solùm suæ voluntatis, & fortunarum, sed etiam corporis religioni, cui se per vota mancipauit, peccat non solùm contra votum castitatis, sed etiam contra religionem, cui sui corporis dominium tradiderat, atque ideo videtur aliqualem adulterij maculam contrahere, violando fidem datam religioni: atque adeo deberet hanc circumstantiam religiosi status explicare. Quod autem in statu religioso vota solemnia emiserit, vel solum simplicia, provt in nostra societate plures emittunt, non ita videtur referre, cùm per vtraque constituatur in statu religioso, & se religioni mancipet, & consecret, atque adeo quolibet voto ligatus videtur violare religionis ius, siue per solemne, siue per simplex votum ortum fuerit.

149. An verò Sacerdos debeat in peccatis contra castitatem explicare sacerdotium; an verò sufficiat dicere, se habere ordinem sacrum: verius videtur id sufficere, provt contra aliquos docet idem Sanchez *dicta disp. 27. num. 31.* & Diana cum aliis, quos refert locis allegatis. Quia votum eiusdem rationis est quod cuilibet ordini sacro annectitur: maior autem consecratio, seu dignitas personæ non addit circumstantiam specie diuersam.

Denique quod dictum est de ipso pœnitente habente votum, dicendum est de pœnitente, qui peccauit cum persona sacra, aut votum habente: nam fœmina, quæ peccauit cum sacerdote, satis est, si dicat se peccasse cum habente ordinem sacrum. Item si peccauit cum Religioso, in nostra sententia deberet explicare statum religiosum illius, vt explicaret malitiam iuris læsi religionis: sicut quando fœmina soluta peccat cum coniugato, debet explicare coniugium complicis propter ius vxoris violatum. Cæterùm in sententia contratia, quæ tuta est, vt diximus, & probabilis, satis erit, si dicat se peccasse cum habente votum castitatis, non explicando, an esset religiosus, vel sæcularis.

Obiter aduerte contra Llamas *in summa part. 3. cap. 8. §. 14.* nouitium, aut peccatum cum nouitio, vel nouitia non debere necessariò illam circumstantiam explicare in peccatis contra castitatem, vt notarunt etiam Megala *1. part. lib. 5. cap. 11. num. 7.* & Diana *tom. 1. dict. tract. de circumst. aggrauant. resolut. 7.* quia cùm nondum habeant votum castitatis, non additur malitia specie diuersa: quod à fortiori dicendum est de clericis minorum ordinum, etiamsi habeant beneficium, aut de peccantibus cum illis in materia castitatis. 150. Quid de nouitio aut nouitia?

Circa eandem circumstantiam voti dubitari potest vlteriùs, an qui habet castitatis votum, debeat votum explicare, quando ipse consilio, vel auxilio causa fuit, vt alij tale votum non habentes peccarent contra castitatem, verbi gratia, si religiosus intercedat cum Titia, vt consentiat Caio, eam ad libidinem procuranti, an debeat religiosus circumstantiam sui voti, & status in confessione declarare, P. Thomas Sanchez *dicto lib. 5. c. 6. n. 10.* simile dubium proponit de religioso, qui actu venialiter malo contra castitatem dat scandalum graue contra castitatem alteri, & est causa, quod ille alius grauiter in ea materia peccet, & respondet, in illo peccato mortali scandali non debere necessariò explicari votum castitatis illius, qui scandalum dedit, sed illius, cui datur, si fortè habeat tale votum, quia licèt illud peccatum scandali sit graue, non tamen est graue contra votum propriæ castitatis, per quod religiosus solùm promisit castitatem suam, non alienam. Vnde si peccata contra votum castitatis reseruentur: illud non erit reseruatum, quia non est verè contra votum castitatis, sed contra præceptum non scandalizandi, &c. 151. Vtrum ex obligatione proximi teneatur religiosus explicare votum castitatis.

Hæc doctrina, nec difficultate caret, nec videtur satis cohærere cum iis, quæ idem Sanchez docuerat *lib. 1. in decalog. cap. 6. num. 3. & 8.* vbi dixit peccatum scandali pertinere ad eamdem speciem, ad quam inducitur ille, qui scandalizatur, quare scandalum ad fornicationem pertinebit ad speciem fornicationis: vnde qui absolutè promisit castitatem, videtur peccare contra eiusmodi promissionem, quoties contra virtutem castitatis specificè peccat grauiter, atque ideo si verè contrahit malitiam eiusdem speciei, quando alium inducit ad fornicationem, ac quando ipse fornicatur; debebit in vtroque casu circumstantiam proprij voti explicare. 152. 153.

Est etiam aliunde difficilis illa doctrina, quatenus dicit explicandam esse circumstantiam voti illius, quod habet is, cui scandalum datur, quia scandalum iudirectum, quo scilicet aliquis non intendit directè peccatum proximi, sed solùm ponit aliquid, quod præuidet futurum occasionem peccandi proximo; hoc, inquam, peccatum regulariter loquendo non videtur habere aliam malitiam, nisi quatenus opponitur charitati erga proximum, cuius detrimentum spirituale deberem impedire, cùm commodè possim, & non impedio. Suppono enim me non teneri aliunde ratione officij, neque etiam ex debito iustitiæ: solùm ergo opponitur charitati erga proximum, atque ideo non videtur posse esse obligationem explicandi speciem peccati, ad quam scandalizatus inducitur; hæc enim videtur materialiter se habere ad malitiam scandali, quod est solùm contra charitatem. Quod inductione probari potest ex aliis peccatis, quæ opponuntur eidem charitati erga proximum, & non variantur specie pro varietate specifica illius mali, quod proximo afferunt, verbi gratia, qui peccat omittendo correctionem proximi, casu, quo debebat, & poterat illum corrigere 154.

corrigere, si tamen non tenebatur ex officio, sed præcisè ex charitate, non tenetur explicare in confessione speciem peccati; quod in proximo vitandum erat per correctionem fraternam, sed sufficit dicere se omisisse correctionem debitam cum graui detrimento spirituali sui proximi: quia ad debitum charitatis, cui soli aduersatur illa omissio correctionis, per accidens, & materialiter se habet, quod detrimentum proximi sit hoc, vel illud peccatum. Item qui ex odio gaudet de graui malo proximi, vel illud desiderat: iuxta probabiliorem sententiam non contrahit diuersam speciem malitiæ pro diuersitate specifica mali grauis, quod proximo desiderat: quia charitas, cui soli illa peccata opponuntur, est eiusdem speciei, & sic de aliis: ergo cùm peccatum scandali opponatur etiam virtuti charitatis, non accipiet speciem diuersam ex diuersitate peccati, ad quod scandalizatus indirectè inducitur.

155. *Scandalo applicandum est species peccati, ad quod inducit.*

Contra hoc tamen videtur esse communis Theologorum sensus, qui in peccato scandali dicunt explicandam esse speciem peccati, ad quod scandalum inducit. Quod potest à posteriori confirmari: quia si in peccato scandali solùm esset malitia contra charitatem propter detrimentum proximo illatum, & nulla esset malitia contra specialem virtutem, cui opponitur peccatum illud particulare, ad quod proximus inducitur; sequeretur non esse peccatum scandali, si inducas aliquem ad rem prohibitam, quando ille ex obliuione, vel ignorantia inuincibili, non attendit ad prohibitionem, verbi gratia, si inducas ad comedendas carnes eum qui oblitus est præceptum hodierni ieiunij. Probatur sequela: quia tunc nullum prorsus infers detrimentum spirituale, vel corporale proximo, cùm ipse non peccet propter inaduertentiam: ergo si illa inductio non habet malitiam, nisi ex detrimento proximo, nullam prorsus habebit malitiam in prædicto casu. Consequens nemo concedet: alioquin liceret inducere ad mendacia, inobedientiam, & similia, eum qui inuincibiliter ignoraret, hæc esse illicita. Fatendum ergo est eiusmodi inductionem non solùm aduersari charitati propter spirituale detrimentum proximi; sed etiam lædere specialem virtutem in illa materia particulari, quæ indirectè obligat nos, ne cooperemur alicui ad eius violationem.

Ratio autem à priori colligi potest ex adducto exemplo ieiunij: in quo licèt Prælatus, qui ieiunium præcipit, non sit fortasse meus superior, atque ideo non possit me obligare ad ieiunandum, sed solùm suos subditos; adhuc indirectè obligat me, ne diuertam suos subditos ab obedientia debita, nec eos inducam positiuè ad violandum ieiunium: quia eadem lex, quæ directè obligat subditos, obligat indirectè alios, ne remoueant subditos ab obseruatione legis. Vnde licèt ego, qui non sum eius subditus, non peccem proprio peccato inobedientiæ, inducendo eius subditum ad inobedientiam; peccato tamen peccato inobedientiæ indirectæ, quæ opponitur indirectè præcepto directo in subditum. Sic ergo dicendum est de aliis virtutibus: nam licèt temperantia, verbi gratia, non me obliget ad ieiunandum: obligat me tamen indirectè, ne remoueam à ieiunio eum, quem temperantia obligat ad ieiunandum. Contra quam obligationem pecco quidem, non proprio peccato intemperantiæ, sed alio diuerso, quod accipit speciem ex obligatione illa indirecta. Vnde licèt ego habeam votum castitatis, non pecco contra votum procurando aliorum peccata contra castitatem, quia hoc peccatum meum non est in specie luxuriæ, sed alterius vitij accipientis suam speciem ex ordine ad obligationem indirectam castitatis obligantis directæ alios: debeo ergo explicare in confessione votum castitatis illius, cuius luxuriam procuraui, non meum, si ego non meæ, sed illius solum incontinentiæ causa fui.

157. *Tripliciter aliquis alium ad peccatum potest inducere.*

Ego, vt meam sententiam in hoc puncto aperiam, distinguendum puto inter eum, qui directè intendit peccatum proximi, & eum, qui solùm indirectè illud vult. Suppono enim, tripliciter posse me alterum ad peccatum inducere. Primò directè & formaliter intendendo ruinam spiritualem proximi, hoc est, ex desiderio, vt proximus patiatur damnum illud spirituale. Secundò directè, sed non formaliter; quando scilicet volo, quod ipse violet castitatem, non quia malum eius est, sed quia inde lucrum aliquod spero. Tertiò indirectè, quando, v.g. præuideo, quod ex mea actione proximus facilè occasionem accipiet peccandi: ego tamen id non intendo, sed quia possem, & deberem scandalum illud impedire, pecco peccato scandali, siue speciali, siue generali; in quo potest esse quæstio de nomine. Aliqui enim, cum quibus sentit Sanchez *dicto lib. 1. in Decal. c. 6. num. 3.* dicunt, speciale peccatum scandali reperiri solùm in primo modo inductionis, non in aliis? fatentur tamen semper in confessione explicandam illam circumstantiam scandali: quod ego etiam verum existimo, quia semper affert nouam speciem peccati, nam diuersa specie malitia est, vt dixi, inducere alium ad non ieiunandum ab ea, quam contrahit ipse, qui violat ieiunium.

158.

Difficultas est, an non debeat in confessione explicari circumstantia scandali, sed an debeat semper in confessione explicari species peccati, ad quod proximus scandalizatus inducitur, an verò sufficiat dicere, meo exemplo, vel opere dedi occasionem peccandi grauiter proximo, cùm deberem id præcauere. P. Sanchez *vbi suprà num. 8.* docet, debere semper explicare speciem peccati, ad quod proximus inducitur: quod idem videtur supponere P. Vasquez *in 1. 2. quæst. 73. disp. 102. c. 3. num. 5. & c. 7. num. 23.* vbi supponit, scandalum ipsum esse in eâdem specie cum peccato, ad quod moueo. Vnde P. Coninch *disp. 32. de charit. dub 5. num. 35.* dicit non esse controuersiam inter Doctores de obligatione circa modum confitendi illud peccatum, sed solùm restare quæstionem speculatiuam magis, quàm practicam, quando dicatur scandalum speciale, quando generale: & postea *num. 56.* concludit, debere semper explicari in confessione speciem peccati, ad quod scandalizatus inducitur. Affert etiam *illo num. 35.* pro illa doctrina M. Bañes 2. 2. *q. 43. artic. 4. dub. 1.* & Lorcam *ibidem disp. 56.* Sed ij dicunt quidem, confitendam esse semper circumstantiam scandali, an verò debeat explicari species peccati, ad quod proximus inducitur, nihil dicunt.

159.

Ego itaque eam doctrinam veram existimo, quoties scandalum fit primo, vel secundo modo, ita vt formaliter, vel saltem directè intendatur peccatum proximi, quo casu dico, debere explicari in confessione speciem peccati, ad quam proximus inducitur: quando verò tertio modo inducitur proximus, præuiso, scilicet, sed non volito directè eius periculo; tunc puto, satisfieri explicando malitiam scandali, licèt non explicetur species peccati, ad quod proximus induci poterat hanc sententiam supponit Nauarr. *in Summ. cap. 6. num. 19.* vbi tunc dicit explicandam esse speciem peccati, ad quam proximus inducitur, quando directè intenditur peccatum proximi: quando verò non intenditur directè, non apponit talem obligationem; sed solùm obligationem confitendi peccatum scandali,

dali. Hoc ipsum debet consequenter concedere P. Coninch in sententia eorum, qui dicunt non esse explicandas circumstantias aggrauantes intra eamdem speciem : quia ipse *num.* 56. supra citato dicit, ideo esse explicandam speciem peccati, ad quod proximus inducitur, quia est circumstantia aggrauans intra eamdem speciem scandali. In quo non videtur mihi ille Auctor satis consequenter procedere: nam ipse *num.* 46. optimè explicuerat, & probauerat, peccatum scandali, quando indirectè solùm voluimus periculum proximi, non aduersari grauiter alteri virtuti, nisi soli charitati, qua tenemur proximi mala impedire : quo principio posito, non deberet postea statuere obligationem vniuersalem explicandi semper speciem peccati, ad quod proximus inducitur, etiam in scandalo indirectè volito. Nam licèt demus, debere explicari circumstantias notabiliter aggrauantes intra eamdem speciem: hæc tamen circunstantia non est semper notabiliter aggrauans; sed aliquando erit notabiliter diminuens: pone enim, proximum fuisse inductum scandalo meo iudirecto ad minimum peccatum mortale: rursus si ideo explicanda est species illius peccati, quia aggrauat meum scandalum, non video, cur in omissione correctionis fraternæ non debeat etiam explicari species peccati, quod in proximo non corrigo, cùm etiam maior grauitas illius peccati magis aggrauet omissionem correctionis : vnde si omittas correctionem hominis variis vitiorum generibus maculati, deberes in confessione explicare omnes species peccatorum, quæ ille habet, nec facilè poteris rationem discriminis assignare.

160. Meliùs ergo, & clariùs loquutus est in hoc puncto P. Suarez *disp.* 10. *de charit. sect.* 2. *num.* 9. vbi cùm dixisset, eum, qui dat scandalum indirectum, de quo nunc loquimur, esse causam moralem ruinæ proximi; obiicit aliqua inconuenientia, quæ ex hac doctrina sequerentur : quorum secundum erat, quod in illa actione scandalosa reperiret duplex species malitiæ; altera scandali contra charitatem; altera illius speciei peccati, ad quam proximus inducitur. Ad hoc autem argumentum respondet dupliciter. Prima responsio, & clarior, est, negando sequelam, scilicet, ibi esse aliam speciem malitiæ, nisi contra solam charitatem, quia licèt ille homo sit aliquo modo causa moralis ruinæ spiritualis proximi, id solùm est, quatenus potest, tenetúrque vitare peccatum proximi : *Vnde* (inquit) *eo modo solum erit causa, quo tenetur : intelligi autem potest, me teneri ad vitandum opus, ne proximus ad peccandum inducatur ex obligatione charitatis, non iustitiæ, vel alterius similis virtutis : quia charitas est vniuersalior, & excellentior virtus : vnde magis obligat, & in pluribus casibus : & ideo ille in eo casu censetur esse causa moralis ruinæ proximi, vt est contra charitatem, non verò vt est contrà alias virtutes. Neque est simile de illo, qui per consilium directè inducit : nam hoc apertè est contra obligationem cuiusvis virtutis; habet enim adiunctam voluntatem contrariam directè illi virtuti.* Suar. Hæc Suarez, qui licèt alteram responsionem adiungat, & dicat, posse concedi illas duas species malitiæ in peccato scandali; priorem tamen non rejicit, in qua breuiter indicauit rationem à priori huius doctrinæ, & differentiam quoad hoc inter scandalum, quo volumus directè peccatum proximi, & illud, quo id volumus solùm indirectè; quam rationem latiùs explicuit P. Coninch *dicta disp.* 32. *de charitate n.* 46. & *disp.* 28. *n.* 12.

161. Ratio ergo hæc est, quia licèt quælibet virtus possit non solùm obligare directè ad eam amplectendam, sed etiam indirectè, ne in aliis eam impediam : non tamen obligat me ad procurandum positiuè, quod alij eam amplectantur. Iustitia, v. g. obligat me, ne procurem, quod alius furetur; non tamen me obligat, vt procurem, ne alij furentur, nisi fortè ex peculiari officio ad id tenear. Castitas obligat me indirectè, ne alios inducam ad luxuriam, non tamen, vt positiuè procurem, alios esse castos; nam licèt affectus erga castitatem possit ad id etiam inclinare, non tamen obligare, vt notauit benè P. Coninch *dicta disput.* 28. *num.* 13. Quamuis ergo peccet contra obligationem indirectam castitatis, qui proximo luxuriam consulit: non tamen peccat vllo modo contra castitatem, qui proximi luxuriam non impedit; & ideo qui lasciuum non corripit, peccat quidem contra charitatem, non verò contra virtutem castitatis. Sic ergo nec peccas contra iustitiam, si præuidens, præter intentionem tuam alium ex tua intemperantia inducendum esse ad furandum, id non impedias; quia iustitia obligat quidem te ne procures alios furari, non tamen vt eorum furta impedias, & ad hunc finem abstineas ab intemperantia.

Possumus autem ad hoc retorquere, & simul dissoluere argumenta suprà pro contraria parte adducta : quia licèt Prælatus Petri obligans directè Petrum ad ieiunium, obliget me indirectè, ne Petro consulam ieiunij violationem etiam materialem, & cum ignorantia; non tamen obligat me vllo modo, vt positiuè procurem, quod ieiunet, aut impediam ieiunij violationem. Similiter ergo quælibet alia virtus, quatenus Petrum obligat directè, ad suum actum, obligat me indirectè, ne procurem Petrum à suo debio diuertere: non tamen videtur me obligare, vt procurem positiuè, quod Petrus suo subdito satisfaciat, aut impediam violationem eius virtutis, sed tota ea obligatio erit in me ex charitate erga Petrum, qua teneor eius malum impedire, non verò ex obligatione talis, vel talis virtutis particularis. Et quidem si in supradicto casu, quando præuides, ex tua intemperantia Petrum præter intentionem tuam inducendum ad furtum; si tunc, inquam, non solùm peccas contra castitatem, sed etiam contra iustitiam; difficile explicatur, quomodo non tenearis ad restitutionem, si quidem ex iustitia tenebaris abstinere ab illo peccato intemperantiæ. Consequens autem negant Sanchez *dicto cap.* 6. *num.* 5. Suarez *illa sect.* 2. *num.* 10. Coninch *dicta disp.* 32. *num.* 46. & *dicta disp.* 28. *n.* 11. & 12. vbi ex eo, quod non sit obligatio restituendi; probat, in iis casibus peccati solùm contra charitatem, & non contra iustitiam.

161. 165. 166. 167.

§. 3. Dubium incidens, *An debeant in confessione explicari personæ, coram quibus aliquis turpia loquutus est.*

163. EX hac doctrina, quæ mihi probabilis videtur, colligere possumus ad praxim resolutionem cuiusdam dubij : an scilicet, pœnitens, qui se accusat, quod loquutus sit de rebus turpibus, quarum auditu facile induci, & moueri poterant auditores ad aliqua desideria illicita concipienda, vel ad aliquas delectationes morosas, &c. an tunc pœnitens debeat explicare, vel à Confessario interrogati de qualitate personarum, quæ aderant, an essent coniugati, an Sacerdotes, an Religiosi, &c. In quo partem affirmatiuam, vt certam supponit Antoninus Diana *tom.* 2. *tract.* 4. *resol.* 114. qui affert Bonacinam *de Sacramentis disput.* 5. *quæst.* 5. *sect.* 2. *punct.* 2. §. 3. *difficultat.* 3. *num.* 21. & inuehitur grauiter in confessarios, qui non interrogant tunc numerum personarum,

personarum quæ aderant, & rursus singulorum statum, & conditionem. Cui doctrinæ consentit etiam Castrus Palaus loco infrà citando.

164. Cæterùm, quod attinet in primis ad numerum personarum necessariò explicandum, non video, quomodo Pater Diana possit id tanquam exploratum docere; cùm ipsemet *tom. 1. tract. de circumstant. aggrauant. resol.* 29. proponat vt probabile non debere explicari in confessione numerum personarum, quas eâdem iniuria læsisti, *& resol.* 17. idem dixerit, quando vnica voluntate plures voluisset occidere: est autem omnino eadem ratio, quando vnico actu malo scandalum præbet, & occasionem ruinæ spiritualis pluribus: non potest ergo esse certa obligatio explicandi numerum personarum in peccato scandali, si non est certa in supradictis casibus, & ideo *supra sect. 3. n.* 135. consequenter docuimus, idem dicendum esse in peccato scandali, quoad numerum personarum.

165. Deinde quoad qualitatem, & conditionem personarum, quæ scandalizantur, non debuit eam obligationem, vt manifestam statuere: fateor id docere Thomam Sanchez, & Bonacinam, Filliucium, & Laymam, quos affert idem Diana, sed si attentè euoluantur Doctores antiquiores, non facilè inuenietur vllus, qui id dixerit. Imò apud illos duplex erat sententia: altera docebat, scandalum tunc solum dare speciem, & malitiam specificam, quando directè intenditur peccatum proximi: altera verò id concedit etiam, quando non directè, sed indirectè intenditur. Rursus ex iis, qui tenent hanc secundam sententiam, aliqui dicunt tunc solùm contrahi malitiam mortalem scandali, quando nostro facto, aut verbo conjicimus proximum in grauem difficultatem, & tentationem, cui difficillimè possit resistere, vt docet P. Salas 2. *tom. in* 1. 2. *tract.* 13. *disp.* 5. *sect.* 15. *num.* 132. *&* 133. Certum est autem, quod regulariter eiusmodi colloquia turpia non inducunt audientes in adeo grauem tentationem peccandi, cui non nisi difficillimè possint resistere.

166. Vnde ipsemet Sanchez *dicto cap.* 6. *n.* 6. 7. tandem fatetur, multo excusari ab illa scandali circumstantia confitenda, quia vel ipsi tam prauis moribus imbuti sunt, vt eorum exemplum parum moueat; vel si qui mouentur, ij tam faciles ad peccandum, ac inducti sunt, vt qui suo exemplo occasionem dedit illis peccandi, non censeatur moraliter eos inducere. Quod idem docent plures, quos refert, & sequitur Castrus Palaus *tom.* 1. *tractat.* 6. *disp.* 6.

167. Denique adduximus suprà graues Doctores, qui fatentur, quando præter intentionem præbetur scandalum, solùm contrahi malitiam specificam contra charitatem, non contra illam specialem virtutem, cui aduersatur peccatum, ad quod scandalizatus inducitur, Nauarrum, Coninch, & Suarez, quibus consentire videtur Salas *illa sect.* 15. *n.* 128. *&* 134. *&* 146. vbi dicit, illam inductionem indirectam non esse in specie fornicationis, sed in specie scandali; cuius doctrinæ rationem attulimus, & confirmauimus exemplo præcepti correctionis fraternæ, quam qui omittit, non debet explicare speciem peccati, quod in proximo non correxit; quia solùm peccat contra charitatem, & misericordiam spiritualem. Consequenter ergo ad illa principia videtur probabile quod in circumstantia scandali, quod præter intentionem datur, non sit necesse explicare speciem peccati, ad quod scandalizatus inducitur, atque adeo non oporteat explicare statum, & conditionem singulorum, qui aderant, & moueri potuerunt ad effectus contra castitatem ex illa impudica narratione. Fateor, debere explicari circumstantiam scandali? quia siue appelletur speciale, siue generale, dat tamen aliquam specificam malitiam actui, quam non haberet, nisi adesset scandalum, & opponitur non castitati solùm, sed etiam charitati. Concedo item, debere explicari speciem peccati, ad quod inducitur proximus, quando directè intendebas verbis illis impudicis eum inducere ad peccatum, siue hoc esset ex desiderio ruinæ spiritualis proximi (quod rarissimum est,) siue ob tuam commoditatem, vel alium finem (quod frequentius est,) quia virtus castitatis, (& idem est de aliis virtutibus) obligans directè proximum ad castitatem, obligat te indirectè, vt supra dixi, ne ex industria procures eum à castitate remouere. Cæterùm quando tu neque intendis proximi ruinam, neque etiam eius peccatum, aut lapsum; neque eo fine dicis illa verba, licèt præuideas scandalum proximi: probabile videtur, quod solùm contrahitur malitia scandali contra charitatem, atque adeo non oporteat explicare conditionem proximi, vt declaretur species peccati, quam ipse committere potuit occasione accepta ab illis verbis. Quia, vt dixit Coninch *disp. illa* 32. *num.* 46. etsi eiusmodi virtutes grauiter nos obligent, vt vitia ipsis contraria nullo modo committamus, siue per nos, siue per alios, hæc illis suadendo, aut mandando: tamen vt summum ex decentia, vel certè leuiter nos obligant, vt ea in aliis impediamus, aut ne simus iis præter intentionem occasio ea committendi. Vnde Apostolus Paulus eum, qui cum scandalo pusillorum, & infirmorum manducabat oblata idolis, numquam reprehendit, vt idololatram, sed quia charitatem negligeret, & fratris ruinam non impediret. Sic loquitur ad Roman. 14. *Si enim propter cibum frater tuus contristatur, iam non secundum charitatẽ ambulas. Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est.* Item 1. ad Cor. 8. *Videte autem ne forte hæc licentia vestra offendiculum fiat infirmis. Si enim quis viderit eum, qui habet scientiam, in idolio recumbentem: nonne conscientia eius, cùm sit infirma ædificabitur ad manducãdum idolothyta? Et peribit infirmus in tua scientia frater, propter quem Christus mortuus est? Sic autem peccantes in fratrem, & percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum*, &c. Eodem modo loquitur *c.* 10. in quibus locis illam solam videtur agnoscere malitiam scandali in eo actu, quo proximus indirectè scandalizatur, quæ opponitur charitati, qua debemus fratres nostros in Christo diligere, pro quibus Christus mortuus est, eorumque spiritualem salutem procurare.

168. Rom. 14. 1. Cor. 8.

§. 4. *Quædam alia de circumstantia voti.*

169. REstat duplex dubium de eâdem circumstantia voti. Primum est, an qui peccauit contra votum, quod iuramento etiam confirmauerat, debeat hanc circunstantiam iuramenti in confessione explicare, vel sufficiat dicere, se violasse votum. Respondetur, vtrumque esse explicandum: quia est duplex malitia: altera contra fidem Deo datam per votum: altera contra obligationem non adducendi Deum in testem falsum. Ita Sanchez *lib.* 7. *de matrimon. disp.* 27. *n.* 26. vbi affert Henriquez, & Azorium.

170. *Inobedientia in Religioso an habeat duas malitias.* Secundum dubium est: an Religiosus, qui violat præceptum Prælati, contrahat duplicem malitiam, quam debeat in confessione explicare; alteram contra votum obedientiæ, alteram contra præceptum, & obedientiam debitam Prælato legitimè

legitimè precipienti. In quo puncto duæ sunt sententiæ. Prima fatetur quidem, posse Prælatum vtrâque potestate vti, & vtroque modo obligare subditum, & tunc subditus contrahet procul dubio vtramque malitiam, & vtramque tenebitur in confessione explicare. Imò debet etiam explicare materiam præcepti, quod violauit; quia licèt inobedientia, quatenus est contra votum, semper sit eiusdem speciei infimæ; solùm enim aduersatur religioni, & fidelitati erga Deum: quatenus tamen est contra præceptum, non habet vnicam speciem infimam; sed accipit speciem ab illa virtute, ad quam spectabat res præcepta, vnde violatio ieiunij præcepti habet malitiam intemperantiæ; violatio verò festi præcepti est contra religionem, & sic de aliis. Vnde religiosus violans præceptum Prælati in materia temperantiæ debet explicare materiam illam, vt explicet speciem peccati. De facto tamen dicunt, regulariter loquendo, Prælatum non velle obligare vtroque modo, sed communiter vult obligare solùm ex voto, quam intentionem explicat, dum dicit, se præcipere in virtute sanctæ obedientiæ, quæ verba videntur proponere subdito obligationem, quam contraxit ex obedientiæ voto, Quando autem Prælatus præcipit sub excommunicatione; iam tunc vtitur potestate iurisdictionis, quam habet à summo Pontifice: & tunc debet explicari materia præcepti, quæ violatur. Addunt aliqui, tunc non præsumi velle Prælatum obligare ex voto, sed solùm ex potestate iurisdictionis. Quando tamen præciperet in virtute sanctæ obedientiæ & sub excommunicatione, tunc vellet vtroque modo obligare, & debet vtraque malitia in confessione explicari. Ita docet Thom. Sanch. *lib.4.in Decal. cap.11.n.25.*& consentit ferè Suar. *tom. 3. de Relig. lib.10.c.6.*& alij, quos refert Diana *tom.1. tr. de circunst.aggrauant.resol.16.*

171 Sed licèt prædicta sententia probabilis sit, verior tamen videtur contraria, quæ docet, in eiusmodi peccatis reperiri de facto vtramque malitiam. Quam supponit Vasquez *in 1.2. disp.98.c.3.* Salas *2.tom. in 1.2. tract. 13.disp.3.sect. 2.num.16.* Villalobos *in summ. tract.9.dub.36.num.14.* & alij apud Sanchez loco citato, quibus consentit Castrus Palaus *tom.1.tract.2. disp. 3. punct.5. n.12.* & in primis, quod verba illa, *in virtute sanctæ obedientiæ*, non restringant obligationem ad solum debitum ex voto obedientiæ, constat ex vsu summorum Pontificum, qui passim in suis bullis præcipiunt omnibus fidelibus *in virtute sanctæ obedientiæ*, quibus verbis non exigunt ab illis obedientiam debitam ex voto, sed ex mera subiectione ad præcepta legitimi superioris; imò in rigore *obedientiæ* semper respicit superiorem potentem præcipere: cur ergo verba illa magis significabunt voluntatem obligandi ex voto, quàm ex vero & proprio præcepto.

172. Deinde quando constat, Prælatum vti velle potestate iurisdictionis, & imponere verum præceptum, vt cum præcipit sub pœna excommunicationis; tunc, inquam, non censeri eo ipso relictam obligationem ex voto obedientiæ, vt docebat P. Sanchez, probari potest, quia etiamsi vellet, non videtur posse Prælatus velle obligare grauiter præcepto obedientiæ subditum; & simul velle, quod non violet votum obedientiæ transgrediendo illud præceptum, sicut non potest velle obligare obligatione iustitiæ subditum ad non accipiendum librum ex Bibliotheca; & simul nolle, quod peccet contra votum paupertatis, si illum accipiat. Ratio enim est eadem in vtroque casu: quia sicut per votum paupertatis promisit Deo non peccare contra iustitiam, accipiendo ex rebus conuentus absque consensu Prælati; & ideo non potest accipere librum inuito Prælato, quin eo ipso violet votum paupertatis: sic per votum obediendientiæ promisit Deo non violare præcepta Prælati, nec peccare cõtra obedientiam ei debitam: repugnat ergo, quod violet verum præceptum Prælati, & peccet grauiter peccato inobedientiæ, & quod non violet votum obedientiæ, quo omnem inobedientiam sibi prohibuit. Non est ergo in potestate Prælati, quod in obedientia subditi religiosi non sit contra votum: si vult, quod sit inobedientia grauis, sicut nec potest facere, quod vsurpatio rei communis contra iustitiam, non sit contra votum paupertatis: quia religiosus non solùm prohibuit sibi inobedientiam, quando Prælatus vellet obligare ex voto: sed absolutè prohibuit sibi omnem veram inobedientiam.

Quod rursus ad hominem confirmari potest: quia 173
ipse P. Sanchez *illo c.11.n.25. in fine* fatetur, religiosum, qui violat præceptum regulæ, obligans sub mortali, contrahere duplicem malitiam: alteram contra votum obedientiæ, quo vouit regulam; alteram contra virtutem specialem, in qua materia illius præcepti versatur: quia regula est lex quædam constituens materiam præceptam in ea virtute, ad quam spectat. Ex hoc autem argui potest ad casum nostrum, in quo videtur esse eadem omnino ratio. Nam sicut regula potest obligare vtroque modo, sic & Prælatus, si velit, vt fatentur ij Auctores: sicut subditus promisit per votum seruare regulam; sic promisit facere ea, quæ Prælatus iniungeret: ergo sicut peccat contra votum, quando non obseruat ieiunium, verbi gratia, à regula impositum, nec ad hoc requiritur, quod regula in actu signato explicet obligationem ex voto, & dicat, quod subditus obligetur ex voto; sed solùm quod præcipiat ieiunium 177.
quo præcepto posito, statim resultat obligatio voti, quo promisit obseruare præcepta regulæ. Sic dicendum est in casu nostro, vt inobedientia sit contra votum, non requiri, quod Prælatus dicat, se velle 174.
obligare ex voto, sed solùm, se velle obligare, & præcipere: quo præcepto posito, statim consurgit obligatio voti, quo eodem modo promisit seruare præcepta Prælati, sicut seruare regulam. Item si regula, licèt non explicet, quod velit obligare potestate iurisdictionis, adhuc censetur eo modo obligare, & constituere rem præceptam in materia talis, vel talis virtutis: cur Prælatus, qui est regula viua, quando aliquid præcipit, non censebitur velle obligare eodem modo, & vsurpare potestatem iurisdictionis; aut quæ differentia potest afferri quoad 178.
hoc inter Prælatum loquentem per regulam, aut loquentem per præcepta actualia? Et quidem hæc videtur esse intentio Prælati, quando vult imponere præceptum graue: vult enim assumere personam Prælati, & potestatem gubernatiuam, quam habet vt Prælatus, quæ directè parit obligationem contra obedientiam, & constituit rem præceptam in materia talis virtutis: quare oportebit & sufficiet in confessione dicere, Violaui præceptum Prælati graue in tali materia; nam hoc ipso explicatur malitia contra votum obedientiæ, & malitia contra præceptum pertinens ad talem virtutem.

§. 5. *De aliis circumstantiis tenentibus se ex parte ipsius pœnitentis.*

175. PErcurramus nunc breuiter alias circumstantias, quæ pertinent ad hoc primum caput personæ peccantis. Prima est impotentia ad copulam, an scilicet, frigidus, vel Eunuchus accusans se de fornicatione, debeat explicare circumstantiam impotentiæ

Impotentia ad copulam, an sit explicanda.

tentiæ generandi. In quo quidquid dubitare videatur Filliucius *tom. 1. tractat. 10. part. 2. cap. 1. numero 23.* affirmandum videtur cum Sanchio *libro septimo de matrimon. disputat. 5. num. 14* Hentiquez *lib. 5. de pœnitent. cap. 6. num. 3. in Gloſſa littera M.* Leſſio *lib. 4. cap. 3. dub. 6. num. 45.* Quia circumſtantia illa transfert peccatum ad aliam ſpeciem, nempe contra naturam, quatenus fruſtratur finis, ad quem natura deſtinauit copulam carnalem, cùm nulla poſſit ibi eſſe ſpes, vel intentio generationis.

176. Secunda poteſt eſſe circumſtantia ſponſalium; an qui habet ſponſam de futuro, debeat hoc explicare, dum confitetur copulam fornicariam cum alia. Triplex eſt ſententia. Prima negat explicandam eam circumſtantiam: quia per ſponſalia nondum traditur ius in corpus, nec poteſt eſſe adultera, quæ adhuc non habet virum. Quare ſicut qui habet votum ingrediendi religionem, non violat hoc votum, nec tenetur hanc circumſtantiam explicare in fornicatione, quam interim confitetur; quia nondum habet votum caſtitatis: ſic qui promiſit matrimonium, nondum cenſetur proximè obligatus ad fugiendam copulam cum illa; ſed ſolùm remotè, quatenus ſe obligauit ad ſuſcipiendam illam obligationem proximam per matrimonium de præſenti, quod promiſit. Hanc ſententiam tenent Couarruuias, & Viualdus apud Sanchez *libr. 1. de matrim. diſputat. 2. num. 4.* Megala *1. part. lib. 5. cap. 11. quæſt. 5. num. 9.* Baſilius Pontius *de matrimon. lib. 11. cap. 6. num. 8.* & probabilem dicunt Petrus Ledeſma apud Sanchez vbi ſuprà, & Layman *lib. 5. tractat. 10. part. 1. cap. 1. numero 6.* & probabiliorem Azor. apud Filliucium *tom. 3. tractat. 30. cap. 2. num. 53.*

177. Secunda ſententia docet eſſe explicandam eam circumſtantiam: quia ſi ex contractu debes vendere, & tradere mihi equum tuum cras, peccas peccato iniuſtitiæ, ſi hodie eruto oculo, equum deteriorem reddas: ergo licèt corpus ſponſæ nondum ſit ſponſo traditum, peccat tamen ſponſa contra ius, quod habet ſponſus ad illud corpus accipiendum, dum per copulam fornicariam illud longè deterius, & inutilius reddit. Hanc tenent Sarmiento, Ludouicus Lopez, & Ledeſma apud Sanchez *vbi ſuprà, num. 5.* Homobonus, Naldus, Syluius, Pitigianus, & Petrus Fay apud Dianam *1. tom. tractat. de circumſtant. aggrauant. reſolut. 5. & 2. tom. tractat. 4. reſolut. 67.* vbi addit Molinam, Coninch, Rebellium, Gutierrez, & Ioann. de la Cruz.

178. Tertia ſententia media dicit explicandam eſſe eam circumſtantiam à ſponſa, vel à peccante cum ipſa, non à ſponſo, nec ab ea, quæ cum ipſo peccauit. Quia licèt vterque propter copulam ſubſequutam alterius poſſit iuſtè reſilire, & diſſoluere ſponſalia, longè tamen grauiorem iniuriam patitur ſponſus, & longè grauius onus, ac dedecus ſubit, quàm ſponſa, quæ non niſi leuiter offendi videtur. Hanc tenet Sanchez illa *diſp. 2. num. 6.* & pro eadem affert Diana dicta *reſol. 5.* Eman. Rodriguez, Filliucium, Fagundez, & Villalobos. Omnes iſtæ tres ſententiæ ſunt probabiles, nec facilè aliquam ex iis efficaci argumento impugnare.

179. Tertia circunſtantia eſſe poteſt dignitatis operantis, verbi gratia, ſi pœnitens eſt Epiſcopus Generalis, Prælatus, an debebat id explicari. Affirmant aliqui, Nonnus *in addit. ad 3 part. quaſtion. 9. artic. 2. dub. 3. concluſ. 2. &* 3. Fagundez *Præcepto 2. lib. 4. capite 3 num. 8.* Quod quidem verum eſt quando ea circumſtantia afferret ſecum in peccato peculiarem malitiam ſcandali, quod non rarò reperitur, quando eiuſmodi perſonæ peccare conſpiciuntur.

Cæterùm per ſe loquendo, & in vniuerſum non videtur neceſſe in omni peccato mortali etiam intento, vel occulto eam circumſtantiam explicare, vt ſupponit Sanchez *lib. 7. de matrimon. diſputat. 27. num. 33.* Henriquez, Coninch. Filliucius, & alij, quos affert Diana *vbi ſuprà, reſolut. 6.* quia ſecluſo ſcandalo, non transfert circumſtantia illa peccatum ad aliam ſpeciem, licèt illud aggrauet ratione maioris obligationis, qua Prælatus debet procurare perfectionem. Hoc tamen etiam reperitur in religioſo, qui ratione ſui ſtatus magis debet procurare perfectionem, & tamen non ideo in quolibet peccato mortali debet explicare circumſtantiam ſtatus religioſi, vt conſtat.

180. Hinc reſponderi obiter poteſt ad aliud ſimile dubium de Gubernatore, aut publicum magiſtratum gerente; an ſi ipſe furetur, debeat circumſtantiam ſui officij explicare, ratione cuius debebat furta in Ciuitate impedire. Affirmat vterque Medina apud Dianam *vbi ſuprà, reſolut. 36.* Negat tamen Henriquez *lib. 2. cap. 6. num. 3. in Gloſſa, littera O.* & alij Recentiores communiter: quod verius videtur, & probari poteſt; quia licèt Gubernator ex iuſtitia tenetur ad impediendum furtum ſuum pro debito ſui muneris; illa tamen circumſtantia non adderet nouam ſpeciem, cùm iam ipſum peccatum furti conſtitutum ſit in ſpecie iniuſtitiæ.

181. Dices: circumſtantiam officij addere ſpeciem nouam, quia eſt contra iuſtitiam, non ſolùm commutatiuam, ſed etiam contra diſtributiuam, quæ obligat Gubernatorem ad impedienda furta propter bonum publicum. Sed contra, quia licèt Gubernator conſtituatur ad hoc, vt impediat furta, & delicta aliorum, non tamen, vt impediat ſua. Sicut Fiſcalis debet ex munere ſuo denuntiare delicta contra bonum publicum, non tamen ſua, ſed aliorum: & cuſtos vineæ debet manifeſtare fures, non tamen ſeipſum: quia ij omnes conſtituuntur in ordine ad alios in officio conſtituendos, non in ordine ad ipſorummet delicta impedienda: non ergo accipit ex hoc capite ſpeciem nouam malitiæ furtum illud, vel adulterium, quod à Gubernatore patratur.

Hinc etiam colligitur à fortiori contra Nunnum *loco ſuprà allegato, concluſ. 5.* Sacerdotem percutientem aliquem laicum citra occiſionem, aut membri mutilationem, etiamſi ſit percuſſio cum effuſione ſanguinis, non debere explicare circumſtantiam proprij Sacerdotij: nam licèt magis indecens ſit Sacerdoti percuſſio illa: id tamen non videtur continere ſpeciem malitiæ diuerſam in confeſſione explicandam.

§. 6. *De circumſtantia ignorantiæ.*

182. QVarta circumſtantia eſſe poteſt ignorantia; an ſcilicet, qui peccauit ex ignorantia vincibili, & mortaliter culpabili, debeat id explicare; quod eſt quærere, an peccata commiſſa ſcienter, & commiſſa ex ignorantia culpabili ſint eiuſdem ſpeciei. De quo videri poſſunt Suarez *in præſenti diſput. 22. ſect. 4 num 14.* Vaſquez *in 1. 2. diſput. 11.* Salas *2 tom. in 1. 2. tractat. 13. diſput. 8. ſect. 8.* qui alios multos congerit. Clariùs tamen, & breuiùs rem explicuit Sanchez *lib. 1. in Decalog. cap. 17. n. 22. &* 23. qui cum reliquis citatis negat eam circumſtantiam afferre differentiam ſpecificam; ſine enim Miſſam omittas ſcienter, ſine id facias ignorans præceptum, cùm tamen aduerteres debitum inquirendi; peccatum habet malitiam eiuſdem ſpeciei.

183. Aduertunt tamen ij Auctores primò explicandam esse ignorantiam, quando ea excusat ab incurrenda censura imposita violanti solùm scienter tale præceptum. Secundò quando ob ignorantiam aliquis exponitur periculo peccandi in alia specie, v. g. si ignores statum fœminæ, quam cognoscis: tunc enim te exponis periculo adulterij, vel sacrilegij, &c. si nupta, si Deo sacra sit. Tertiò addunt aliqui explicandam ignorantiam, quando est affectata ad finem liberiùs peccandi. Quod quidem verum est, quando ideo subest, vt diximus, periculum peccandi in alia specie: quando verò non est tale periculum, sed ignorantia affectatur, ne noticia certa præcepti remoueat à peccato, non videtur explicanda ea circunstantia, quia nec mutat speciem, nec etiam notabiliter aggrauat: peius enim fortasse est violare præceptum notum, quàm nolle illud cognoscere, vt sine remorsu violetur: plus enim reuerentiæ, & timoris ostenditur in secundo casu, quàm in primo, quidquid dicat Sanchez *loc. cit. num. 2. & 3. & num. 5.*

184. Ab hac communi doctrina discedit aliquantulum Ioann. Malderus *in 1. 2. quæst. 76. art. 2.* vbi obseruat obligationem sciendi, & expellendi ignorantiam circa aliquid dupliciter contingere. Aliquando enim oritur solùm ex obligatione aliquid faciendi, vel omittendi, ad quod necessaria est eius cognitio. Aliquando obligatio sciendi prouenit ex peculiari præcepto, quo tenemur comparare nobis aliquam scientiam, vt sciamus. Quando ergo obligatio est prioris generis, vnicum peccatum, & eadem in specie malitia est ignorantia, & peccatum ex ignorantia sequutum. Quando verò obligatio sciendi est posterioris generis, ignorantia secundùm se est peccatum distinctum à peccato, quod ex illa ignorantia admittitur, verbi gratia, si quis ex ignorantia culpabili Decalogi incidat in peccatum homicidij; duplex peccatum committit: vnum negligentiæ sciendi illud, quod scire poterat, & debebat, scilicet, Decalogum; alterum homicidij. Sic etiam Confessarius absoluens ex ignorantia eum, quem absoluere non poterat, dupliciter peccat, ignorans ea, quæ ad officium suum pertinent, & indebitè absoluens. Cui doctrinæ consentire videtur Tann. *in 1. 2. disp. 4. q. 9. dub. 1. num. 12.*

185. Hoc tamen, nisi sano modo, & iuxta id, quod superiùs diximus, intelligatur, in rigore non est vniuersaliter verum. Fateor quidem aliquam ignorantiam secundùm se esse speciale peccatum independenter ab opere illicito subsequuto, qualis est ignorantia culpabilis articulorum, & mysteriorum fidei, quorum notitia per seipsam præcipitur, atque ideo sistendo in ipsa obligatione sciendi, est culpabilis talis ignorantia. Cæterùm ignorantia Decalogi, aut earum rerum, quas quisque scire debet ad rectè exequendum munus, & officium suum, non est speciale peccatum contra aliquam specialem obligationem diuersam ab obligatione seruandi legem, vel exequendi debito modo officium proprium. Poterit quidem contingere, quod committens homicidium ex ignorantia Decalogi committat peccatum aliquod diuersum etiam specie à puro homicidio: quia nimirum per ignorantiam totius Decalogi non solùm se exposuit periculo homicidij, sed aliorum peccatorum contra Decalogum: quod idem de Confessario, & quolibet alio ignorante, quæ ad officium suum pertinent cum proportione dicendum est; & tunc oportet explicare etiam malitiam ignorantiæ. Cæterùm si ignorantia culpabilis sit solùm circa aliquod præceptum speciale, verbi gratia, circa malitiam, & prohibitionem vsuræ, non est duplex malitia in vsura commissa ex tali ignorantia; quia tota obligatio sciendi prohibitionem vsuræ nascitur ex prohibitione vsuræ, quæ tota est in specie iniustitiæ: non oportet ergo distinguere ibi duas malitias, quia perinde se habet tunc obligatio sciendi, sicut in eo, qui culpabiliter ignorat præceptum seruandi festum, vel ieiunandi hac die, qui quidem non contrahit duas malitias, sed vnam contra præceptum festi, vel ieiunij, quod simul obligat ad expellendam illam ignorantiam, quod bene explicuit Vasquez *in 1. 2. dilla disput. 219.* & Layman *lib. 1. tract. 2. cap. 4. numero 10.* qui de ignorantia etiam Decalogi loquuntur, & in vniuersum de omni ignorantia rerum operandarum.

Maior difficultas esse potest circa ignorantiam prioris, quæ versatur circa speculabilia, & opponitur obligationi sciendi sine ordine ad operandum, qualis est ignorantia articulorum fidei. De qua in primis dicendum videtur consequenter esse peccatum eiusdem speciei, licèt obiecta, quæ ignorantur, differant specie; quia eadem est obligatio sciendi eas omnes veritates, & contra eandem virtutem, & obligationem fidei peccatur eas omnes ignorando. Vndè Suarez *disput. 15. de fide, sect. 1 num. 7.* aduertit non esse plura peccata, sed vnicum, quando aliquis culpabiliter ignorat plures fidei articulos, quos scire debebat. 186.

Difficultas est, an ignorantia culpabilis circa eiusmodi articulos sit peccatum diuersæ speciei moralis, à peccato infidelitatis, quo aliquis scienter negat aliquam fidei veritatem; an verò sit eiusdem malitiæ quoad speciem, sicut diximus homicidium ex ignorantia culpabili factum non differre specie morali ab homicidio scienter commisso. P. Vasquez *in 1. 2. disput. 126. c. 2. & 3.* differentiam assignat quoad hoc inter peccatum homicidij, & infidelitatis, vt ignorantia non faciat malitiam specie diuersam in homicidio, faciat tamen differentiam specificam in peccato contra fidem: quia stante ignorantia, manet tota malitia homicidij ex parte obiecti externi: at verò posita ignorantia etiam culpabili, non manet malitia hæresis, vel infidelitatis, quæ consistit in hoc, quod aliquis scienter aduersetur dictis, & auctoritati Dei loquentis, quod non facit, qui ignorat Deum loqui, licèt id culpabiliter ignoret. 187. *Ignorantia fidei an differat specie ab infidelitate.*

Hæc sententia, & eius ratio mihi semper difficilis visa est, nec inuenio discrimen quoad hoc inter peccata contra obligationem credendi, & contra alia præcepta. Malitia enim, quæ in infidelitate apparet, vt dicit ipse P. Vasquez *num. 4.* sumitur ex eo, quod aliquis offendit auctoritatem loquentis, non credendo, quod dicit. Hæc autem irreuerentia non solùm inuenitur, quando aliquis scienter dissentit Deo loquenti; sed etiam quando culpabiliter negligit examinare, an sit doctrina Dei, & ob eam negligentiam re ipsa dissentit iis, quæ à Deo dicuntur. Quod quidem ex ipso irreuerentiæ exemplo comprobari potest: quia si ego alicui honorem debitum non exhibeo, siue id faciam illum cognoscens, siue ex culpabili negligentia eum ignorans, pertinet ad eamdem speciem irreuerentiæ: vndè qui vulnerat personam sacram, siue scienter id faciat, siue ex culpabili ignorantia, in vtroque casu contrahit eamdem malitiam sacrilegij secundùm speciem; ergo in vtroque casu offendit, & violat reuerentiam debitam personæ sacræ; sic etiam qui ex ignorantia culpabili irreuerenter se gerit erga Principem, aut summum Pontificem, procul dubio contraheret irreuerentiam contra eorum dignitatem. Similiter ergo qui ex negligentia culpabili negat esse vera, quæ Deus nobis credenda proponit, contrahit malitiam irreuerentiæ 188. 189. 190. 191.

irreuerentiæ contra Diuinam auctoritatem. Fateor quidem maiorem longè fore irreuerentiam, si scienter neget, quæ fides docet: id tamen non sufficit ad differentiam specificam; quia maior etiam irreuerentia est Principem, vel Pontificem cognitum dehonorare, quàm culpabiliter incognitum: maior etiam iniustitia est, hominem scienter occidere, quàm quem ex culpabili ignorantia feram existimas: & tamen in iis, & similibus casibus non ponitur differentia specifica inter malitias. Similiter grauior inobedientia est scienter violare præceptum Prælati, quàm culpabiliter ignoratum, & tamen non est differentia specifica inobedientiæ. Cur ergo irreuerentia contra auctoritatem Dei loquentis cognitam, vel culpabiliter ignoratam faciet illam distinctionem specificam magis, quàm in aliis peccatis?

189. Dicunt deesse ex parte obiecti malitiam completam obiectiuam infidelitatis; quæ consistit in dissentiendo scienter iis quæ Deus dicit: sed contra, quia etiam ego dicam in dehonoratione Pontificis culpabiliter incogniti deesse malitiam illam specificam obiectiuam, quæ est dehonorare scienter Pontificem: item in inobedientia ex ignorantia culpabili præcepti deesse malitiam illam completam specificam, quæ est agere scienter contra obedientiam; atque adeo esse duas species inobedientiæ, vel dehonorationis, sicut ponis duas species agendi contra auctoritatem, & testimonium diuinum. Sicut ergo in iis exemplis reperitur eadem malitia contra reuerentiam, aut contra obedientiam, licèt minor, quando ex ignorantia, quàm quando ex scientia peccatur; sic in casu nostro videtur esse malitia in specie in vtroque casu contra reuerentiam debitam diuino testimonio; quæ quidem obligat non solùm ad non negandum scienter id, quod Deus dicit, sed etiam ad non exponendum nos periculo id negandi temerè propter inconsiderationem, & negligentiam

190. nostram.

Confirmatur; quia in aliis materiis exponens se culpabiliter periculo alicuius peccati contrahit malitiam illius peccati, & exponens se manifesto periculo incidendi in hæresim, contrahit malitiam hæresis, licèt non omnino consummatam, vt fatentur Suarez *disputat. 19. de fide, sect. 6. num.* 18. & tamen ille nondum resistit scienter testimonio diuino: ergo similiter qui ob negligentiam culpabilem exponit se periculo negandi id, quod Deus

188. dicit, & quod tenebatur credere, contrahet malitiam eiusdem rationis, licèt non sit peccatum infidelitatis, aut hæresis consummatæ, vt postea dicam.

191. Dices: diuersa malitia est significare Deum non esse veracem, quod videtur facere, qui scienter negat fidem, & diuersa est negligentia in examinanda fide proposita, an verè proposita sit; per quod non videtur se quis opponere veracitati Dei. Sed contra, quia ad peccatum infidelitatis non requiritur, quod aliquis neget Deum esse veracem: imò nullus fortasse hæreticus, aut infidelis id negat, sed negat esse reuelata à Deo, quæ nostra fides proponit: hoc tamen sufficit, ad veram infidelitatem; quia auctoritas Dei non solùm exigit, quod non negemus Deum esse veracem, sed etiam quod non negemus ea, quæ Deus dicit: ad quod necesse est non negare Deum loqui, quando eius loquutio sufficienter nobis proponitur. Sicut ergo contrahit malitiam infidelitatis, qui negat Deum reuelare hæc mysteria: sic poterit eam contrahere, qui ex negligentia culpabili vult se exponere periculo negandi, quod ex diuino testimonio credere tenebatur.

192. Propter hæc ergo alij eodem modo loquuntur de peccatis contra fidem, sicut de peccatis contra alia præcepta, vt eodem etiam modo contrahant malitiam eiusdem rationis, siue scienter, siue ex ignorantia culpabili committantur. Soto *in 4. distinct. 2. quæstion. 22. articul. 3. post 5. conclusion.* Lorca 2. 2. *quæstion.* 11. *disputat.* 41. *numero* 15. & fauent Bonauent. *in 4. distinct.* 13. *dub.* 4. *circa sextum.* Alij saltem id concedunt in habente ignorantiam affectatam. Ita Cano *locis Theolog. lib.* 12. *cap.* 8. *& cap.* 9. Petrus Nauarra *lib.* 2. *de restitut. cap.* 4. *part.* 2. *dub.* 8. *numero* 208. & in vniuersum de proferente hæresim ex ignorantia qualibet mortaliter culpabili; idem docet Thomas Sanchez *libro secundo in Decalog. capite septimo numero* 24. confirmans doctrinam generalem, quam tradiderat *libro primo, cap.* 17. *numero* 15. de omnibus peccatis ex ignorantia factis pertinere ad eandem speciem, ad quam pertinent scienter facta, quam regulam dicit in præsenti etiam materia locum habere.

193. Dices; ergo qui ex ignorantia culpabili negat res fidei, peccat vero peccato infidelitatis, sicut qui scienter eas negat, atque adeo perdidit habitum fidei infusæ, quæ quidem licèt in peccatore maneat, peccato tamen infidelitatis deperditur, iuxta doctrinam Trident. *sess. 6. cap.* 15.

Respondetur fidem deperdi peccato infidelitatis consummato, & perfecto: hoc autem peccatum ex ignorantia culpabili commissum, licèt participet eandem specie malitiam; non tamen habet denominationem infidelitatis simpliciter, & propriè. Sicut ille etiam, qui culpabiliter exponit se morali periculo incidendi in hæresim, contrahit malitiam hæresis, vt suprà vidimus; & tamen nondum est hæreticus, nec perdidit habitum fidei infusæ: quin denominatio hæretici, & infidelis vltra malitiam specificam, requirat alias conditiones, quæ licèt non afferant differentiam essentialem, sunt tamen necessariæ ad tale peccatum in indiuiduo.

194. Ratio autem, cur non perdatur fides infusa quolibet peccato illius speciei, sed sola infidelitate, ea reddi potest; quia quandiu aliquis non dissentit scienter Deo, potest credere debito modo, quæ sibi sufficienter proponuntur, vt reuelata à Deo; nam licèt ex negligentia culpabili ignoret aliqua quæ debebat credere, adhuc circa alia, quæ non ignorat, potest exercere verum assensum fidei supernaturalis, & illa debito modo credere, atque ideo habitus fidei non erit in ipso inutilis, & otiosus, sed vtilis ad credendum, provt de facto credo, quæ non ignorat. At verò qui scienter rejicit testimonium Dei sufficienter propositum, dum in ea dispositione perseuerat, non est dispositus ad credenda debito modo alia obiecta propter auctoritatem Dei, quam circa vnum articulum scienter rejicit, atque ideo habitus fidei inutilis, & otiosus maneret, & idcirco meritò ab ipso tunc auferetur, licèt non auferatur, quando solùm ex ignorantia culpabili errat circa fidei veritatem.

195. Dices, qui peccat etiam peccato proprio infidelitatis, potest, dum est in ea dispositione, credere alios articulos, circa quos non errat: potest enim negare aliquem articulum, non quia sentiat Deum mentiri, sed quia non credit Deum illum reuelasse; qui tamen est proprius actus infidelitatis, imò hæretici, & infideles regulariter non negant veracitatem Dei, vt suprà diximus, sed solùm negant Deum reuelasse hos articulos: & tamen hoc sufficit, vt perdant habitum fidei infusæ, licèt in eo statu possint cæteros articulos

credere propter Dei testimonium, quod circa illos acceptant, ergo similiter deberet perdi habitus fidei ab eo, qui ex ignorantia culpabili errat circa articulos fidei, licèt in eo statu paratus sit ad credenda omnia, quæ ex parte Dei sibi sufficienter proponentur,

196. Pater Conincha *disput.18.de fide, dub.4.num. 31.* admittit aliquando habitum infusum perdi, quando homo ex negligentia culpabili, & ex affectu erga errorem contrarium non vult intendere considerationem ad res fidei sufficienter ex se propositas. Sed quidquid sit de hoc, ad obiectionem propositam responderi facilè potest eum, qui negat testimonium Dei sibi sufficienter propositum, licèt non neget Dei veritatem, esse verè, & propriè infidelem, nec posse, dum est in dispositione, credere alios articulos debito modo, sicut potest ille, qui ex ignorantia culpabili errat circa vnum articulum, quem credere debuisset. Pro quo suppono ex contractu de fide, Christianam fidem includere voluntatem credendi Deo super omnia, & exhibendi diuinæ Auctoritati supremum cultum intellectualem. Hic autem supremus cultus intellectualis includit duo, scilicet credere verum esse, quod Deus dicit, & non negare Deum dicere, & loqui, quando eius loquutio sufficienter proposita est. Nam si in horum altero intellectus deficiat, dissentit Deo loquenti, & testificanti, atque adeo deficit in cultu intellectuali debito. Hinc constat; quomodo hæreticus, qui testimonium Dei sufficienter propositum rejicit, non possit debito modo alios articulos credere; quia non potest habere voluntatem illam exhibendi cultum supremum intellectualem diuino testimonio, sine qua voluntate fides non operatur suum proprium, & perfectum actum: ideo meritò aufertur habitus fidei durante tali dispositione: sicut aufertur habitus charitatis à peccatore, quia durante illa dispositione, non potest Deum diligere super omnia, licèt possit Deum, vtcumque, & minùs perfectè diligere. At verò qui solùm ex ignorantia culpabili errat, potest adhuc habere eiusmodi voluntatem circa articulos sibi propositos exhibendi cultum supremum intellectualem diuino testimonio, scilicet credendo, & acceptando semper ipsum testimonium Dei, & rem testificatam: in neutro enim deficit ex parte intellectus, qui ex ignorantia culpabili errat; cùm semper credat vtrumque, quoties sibi proponitur. Potest ergo manere in eo habitus fidei infusæ, cùm non sit otiosus, & inutilis in eo statu.

197. Vnde à fortiori colligitur, multò minùs eiusmodi errantem ex ignorantia culpabili incurrere pœnas, aut censuras Ecclesiæ contra hæreticos latas: quia licèt malitia sit eiusdem speciei, non tamen intelligitur nomine hæretici, nisi ille solus, qui pertinaciter, & scienter negat fidei veritates: sicut neque intelligitur quicumque fidem negat, sed qui post Baptismum eum negat; licèt illa circumstantia non faciat peccatum infidelitatis specie diuersum. Videatur Sanchez, qui alios multos affert *lib.2.in Decalog.cap.7.* & Suarez *disput.19. de fide, sect.3.& 5.*

198. Concludimus ergo ex dictis circumstantiam ignorantiæ culpabilis, aut scientiæ, non afferre differentiam specificam, nec debere explicari, nisi in ordine ad censuras, vel reseruationem, vt contingit in peccato hæresis. Faciliùs admitti posset, quod docuit Suarez *disputat.16. de fide, sect.1. num.10.* differre specie peccatum omissionis à peccato commissionis contra fidem, verbi gratia, si quis negatiuè se habet, abstinendo ab assensu, quem deberet elicere, non tamen ex dubitatione, aut incertitudine, sed ob alias causas, hic peccaret contra fidem, sed eius peccatum non habet eamdem specie malitiam, quam peccatum illius, qui positiuè dissentiret rebus fidei: sicut non est eadem malitia in specie in omissione dilectionis Dei debitæ ex præcepto, & in odio positiuo Dei, atque adeo differentia illa debet omnino in confessione explicari.

Petes, an circumstantia illa, quod aliquis peccauerit ex conscientia erronea, sit explicanda. De hoc dicemus latè *infra sectione 12.* explicando circumstantiam, quæ vocari solet, *Quomodo.* 199.

§. 7. *De circumstantia consuetudinis.*

HÆc etiam circumstantia pertinere videtur ad personam pœnitentis, per quam, scilicet explicatur, qualiter dispositus fuerit ad peccandum faciliùs. Et quidem debere explicare eam consuetudinem præcedentem, docent Henriquez, Fagundez, & alij, quos refert Diana *tom.1. tract. de circumstant. aggrauant. resolut.15.* atque ideo qui ex inueterata consuetudine hodie fornicatur, non satisfacit confitendo peccatum hodiernum solum, nisi dicat etiam consuetudinem præteritam, licèt illa priora peccata iam confessus fuerit. 200.

Hanc sententiam communiter reiiciunt Theologi, Suarez, Vasquez, Reginaldus, Bonacina, & alij, quos affert idem Diana ibi; quia peccata præterita non addunt hodierno peccato aliquam circumstantiam nouam, præsertim specie diuersam. Pro huius tamen communis doctrinæ explicatione, distinguendum videtur de consuetudine, quædam enim est consuetudo, quæ solùm inducit ad similia peccata postea committenda, quæ tamen quando fient, habebunt suam propriam, & nouam libertatem, ac malitiam, vt cùm quis ex consuetudine depranata peierandi, iurat, frequenter falsum, sed semper cum aduertentia sufficienti ad nouum peccatum committendum. Altera est consuetudo, quæ inducit quidem ad similes actus postea ex habitu faciendos, sed absque noua aduertentia, aut libertate noua ad nouum peccatum: vt cùm ex depranata consuetudine iurandi, iurat aliquis falsum sine aduertentia ad id, quod facit. 201.

His suppositis, si sermo sit de priori consuetudine, res videtur clara, quod non sit necessariò explicanda, nisi confessarius interrogat, (tunc enim debere explicare, diximus *supra disput.14.num.*) quia peccata illa, quibus comparata est consuetudo iam sunt explicata in præcedenti confessione; peccatum autem præsens non aggrauatur; imò videtur minùs graue propter consuetudinem, & habitum præcedentem; sed tamen hoc ipsum non caret difficultate: quia consuetudo videtur esse speciale peccatum distinctum à peccato, quod ex ipsa consequitur; quod non declaratur, nisi seorsim explicetur: nam ponere, vel retinere occasionem proximam peccandi mortaliter, est peccatum mortale, quod debet explicari in confessione, vt fatetur Vasquez *in præsent.quæst.91.art.3. dub.3.num.3.* quod quidem intelligi debet, quando inter occasionem proximam, & peccatum ex ea subsequutum intercessit mora notabilis sufficiens ad interruptionem actus, & ad multiplicanda numero peccata; alioquin reputabitur vnum, & idem peccatum: sed ille, qui per plura periuria comparat consuetudinem peierandi, eo ipso constituit se in periculo, & occasione 202.

occasione proximè peierandi postea, & peccandi iterum: ergo debet in confessione explicare illam circumstantiam consuetudinis, quatenus includit periculum morale, & occasionem proximam ad peccata subsequentia: quam quidem circumstantiam nunquam explicuit in confessionibus præteritis, in quibus accusauit se in singulis de duobus, vel tribus periuriis, per quod non explicabat consuetudinem, & occasionem moralem peccati subsequentis: debet ergo in confessione subsequenti explicare circunstantiam consuetudinis, vt explicet periculum morale, cui se exposuit.

203. Adhuc tamen regulariter non videtur necessariò explicanda illa circumstantia: tum quia homines non attendunt communiter ad illud periculum morale sequentis peccati, quando aliquod peccatum committunt, nec facilè discerni potest quando consuetudo peruenerit ad eum gradum, vt inducat iam occasionem moralem proximam aliorum subsequentium peccatorum: tum etiam quia exponere se periculo fornicationis, verbi gratia, non habet malitiam specie diuersam ab ipsa fornicatione: cùm ergo explicuit in confessione præcedenti suam fornicationem, iam explicuit totam malitiam specificam illius peccati: nam circumstantia illa periculi, quod subiit alterius fornicationis, non addit malitiam specie diuersam, licèt aggrauet intra eamdem speciem: vnde regulariter non videtur obligandus pœnitens ad fatendam necessariò consuetudinem, nisi interrogetur.

Maior difficultas esse potest de consuetudine posterioris generis, quæ scilicet est causa faciendi postea similes actus absque deliberatione sufficienti, vel aduertentia. In quo casu certum in primis videtur actus subsequentes sine deliberatione præsenti factos non esse noua peccata, sed solùm esse peccata in sua causa, nempe in consuetudine præcedenti liberè volita, seu esse effectus peccati, vt cum aliis probat Thomas Sanchez *lib. 3. in Decalog. cap. 5. numero* 18. & Suarez *tom. 1. de Religione tract. 3. lib. 1. de irreligiosit. cap. 6. numero 2. & tom. 2. lib. 3. de iuramento, cap. 7. numero 3. & sequentibus.* Vnde non erit necesse iuramenta sequentia absque aduertentia prolata in confessione explicare; sed solùm causam culpabiliter antea positam, nempe consuetudinem illam volitam, aut permissam, vt notant iidem Sanchez *ibi numero* 33. & Suarez *dicto lib. 3. cap. 8. numero 5.* quia effectus peccati præcedentis non habens malitiam præsentem, non debet necessariò explicari, nisi ob reseruationem, vel censuram, aut quid simile, vt infrà dicemus. Imò addit Sanchez *ibi numero* 34. quando esset reseruatio, vel censura pro periurio, non comprehendi iuramentum illud falsum sine præsenti aduertentia prolatum ortum ex consuetudine culpabili præcedenti.

Ex hoc tamen oritur non leue dubium; cur scilicet sit obligatio grauis auferendi illam consuetudinem, ita vt permissio consuetudinis sit peccatum mortale: cùm enim actus subsequentes non sint peccata propter inaduertentiam; consuetudo, ex qua illi actus oriuntur, non erit mala, saltem ex eo capite, cùm non exponat hominem periculo morali peccandi, sed solum faciendi aliquid absque peccato propter inaduertentiam. Quod argumentum in materia iuramenti videtur magis vigere: quia quando aliquis ore profert verba, quæ sufficerent ad iuramentum, sed ea profert sine vllo animo iurandi, quia inuincibiliter ignorat illam esse iurandi formulam, verè non iurat propter defectum aduertentiæ; ergo ille actus nullo modo est periurium, atque ideo consuetudo, ex qua fit, vt proferantur illa verba absque aduertentia, & per consequens absque animo iurandi non est causa periurij subsequentis, siquidem illud neque est periurium, neque iuramentum. Quare sicut contumelia ab ebrio non est verè contumelia, & ideo non est peccatum, neque in se, neque in causa, quia de ratione contumeliæ prohibitæ est, quod sit verbum humanum ab homine ratione vtente prolatum: sic iuramenta falsa absque aduertentia prolata non erunt iuramenta, atque ideo neque in se, neque in causa erunt peccata licèt præuisa fuerint. Quod hoc argumento conuictus concessit Ioannes Sancius *in selectis, disputat. 20. numero 5.* quem refert Diana *2. tom. tract. 5. Miscell. resol. 62.*

206. *Consuetudo iurandi.* Communis tamen sententia Theologorum docet prædictam consuetudinem, qua fit, vt aliquis iuret falsum sine aduertentia, esse culpabilem in se & debere auferri, vt cum aliis tradit Thomas Sanchez *dicto cap. 5. num. 13. & 14.* Pro quo aduertendum est actum illum, qui ex consuetudine oritur, aliquando esse talem, vt etiam sine aduertentia factus, retineat in se totam malitiam obiectiuam, ratione cuius prohibetur, vt contingit in homicidio; vulneratione, & similibus: quæ siue fiant cum aduertentia, siue sine illa, semper retinent malitiam, seu indecentiam obiectiuam, ob quam prohibentur, ita vt aduenientе aduertentia habeant iam malitiam formalem. Et de his non est dubium, quin consuetudo, quæ facit, vt fiant eiusmodi actiones absque aduertentia, sit culpabilis, & peccatum: vnde qui præuidet homicidium in ebrietate sequuturum, peccat peccato homicidij, quia tenebatur in causa illud impedire.

207. Aliquando verò ij actus sunt tales, vt sine aduertentia facti non retineant malitiam obiectiuam, ob quam prohibetur, verbi gratia, contumelia, quæ si ab ebrio proferatur absque vsu rationis, non est contumelia, nec habet malitiam obiectiuam contumeliæ; quia non sunt verba humana; sed perinde ac si à psittaco proferrentur: quod idem est de iuramento in ebrietate, somno, vel amentia prolato, quod propter eamdem rationem non retinet malitiam obiectiuam, & ideo non contumelia, nec periurium in ebrietate, aut somno proferenda, etiamsi præuiderentur, essent peccata in se, vel in causa, quia posita illa circumstantia non retinent iam malitiam obiectiuam propter quam prohibentur.

208. Aliter tamen dicendum est de iuramento, quod non in ebrietate, aut somno profertur, sed ab habente rationis vsum, sine aduertentia tamen actuali; eiusmodi enim periuria possunt esse peccata in causa, & est obligatio auferendi consuetudinem, ex qua oriuntur; quia semper retinent aliquam turpitudinem obiectiuam, quæ potest dupliciter considerari. Aliquando enim inaduertentia potest esse solùm circa prohibitionem, non circa substantiam actus, vt si aliquis ex consuetudine iuret falsum aduertendo quidem ad iuramentum, & ad falsitatem, nullo tamen modo ad prohibitionem, vel malitiam periurij: & tunc actus ille retinet in se malitiam, & indecentiam obiectiuam, quia adducitur Deus in testem rei falsæ. Sicut ergo prohibetur mihi adducere Deum in testem falsitatis: sic prohibetur velle in causa ponere illum actum, per quem adducam postea Deum in testem falsitatis; atque ideo consuetudo, ex qua sequitur postea talis actus, quo adduco Deum in testem falsitatis, erit eodem modo prohibita.

Quod etiam procedit in eo, qui ex deprauata consuetudine iurat, non attendendo ad prohibitionem, nec etiam ad veritatem, aut falsitatem rei, quam iurat: nam hæc etiam consuetudo est mala, & debet auferri propter eamdem rationem: quia adducere Deum in testem cum periculo falsitatis, de se habet malitiam obiectiuam, ob quam prohibeatur talis actus: ergo consuetudo, quæ facit, vt ponatur talis actus, eodem modo erit prohibita: quod constat ex posito exemplo homicidij, quia non solùm debeo auferre causam, verbi gratia, ebrietatem, ex qua sequitur homicidium, sed etiam illam ex qua sequitur, quod projiciam sagittam in aliquem, non attendendo an sit homo, vel fera; quia hæc etiam actio est mala obiectiuè, atque ideo debeo impedire eius causam: similiter ergo debeo impedire causam, ex qua fit, quod vel adducam Deum in testem falsi, vel in testem alicuius rei, non attendendo, an sit vera, vel falsa.

209. Denique aliquando inaduertentia, & inconsideratio actualis potest est non solùm circa prohibitionem, aut falsitatem, sed etiam circa substantiam iuramenti, verbi gratia, si quis inuisibiliter ignoret, contineri iuramentum in illis verbis *Per Deum* aut, *Per vitam meam*: & ideo assuefactus est illa verba passim absque iuramenti intentione, aut scrupulo proferre: postea verò cognito errore, prosequitur ex consuetudine proferre eadem verba, sicut priùs, absque intentione iurandi, aut aduertentia, quia non recordatur significationis illorum verborum, quam didicit denuò à Confessario. Et quidem in hoc casu posset esse maior difficultas, an teneatur sub peccato mortali procurare auferre sibi illam consuetudinem. Nam illi actus indeliberati verè non sunt iuramenta, cùm non habeat animum iurandi, nec adducendi Deum in testem: ergo non retinent turpitudinem obiectiuam, ob quam periurium prohibetur: ergo consuetudo, quæ ex causa illorum actuum, non est causa alicuius actus prohibiti, vel habentis turpitudinem obiectiuam; non est ergo obligatio auferendi illam causam: sicut neque est obligatio vitandi ebrietatem propter contumelias, quæ in ebrietate proferentur, eo quod illæ absque rationis vsu prolatæ non sunt veræ contumeliæ; & hoc fortasse solùm intendit Ioannes Sancius supra citatus.

210. Cæterùm communis sententia etiam in hoc casu agnoscit grauem obligationem auferendi illam consuetudinem, vt tradunt expressè Thomas Sanchez *illo num.* 14. & Suarez ibi adductus cum aliis. Probari autem potest primo ab absurdo: quia si aliquis consuetudinem haberet proferendi frequenter verba illa, quia inuincibiliter ignorabat continere blasphemiam impiissimam contra Deum, aut contra Beatam Virginem; postea verò cognita significatione eorum verborum, ex consuetudine, & habitu prosequeretur, & proferret absque aduertentia ad blasphemiam, eadem verba, quis dicat hunc non debere sub peccato graui procurare auferre à se eiusmodi consuetudinem, sed posse licitè in ea perseuerare, eo quod actus omnes propter inaduertentiam non essent propriæ, & veræ blasphemiæ? similiter ergo de consuetudine proferendi iuramenta absque aduertentia ad iusiurandum dicendum est.

211. Ratio autem à priori esse videtur, quia non solùm continent turpitudinem, & indecentiam obiectiuam verba illa prolata cum animo blasphemandi, aut iurandi falsum; sed etiam prolata absque illo animo, dum tamen exteriùs sonent blasphemiam, aut iuramentum, & eum sensum generent apud audientes. Vnde quidquid sit, an peccet peccato periurij, qui exteriùs iurat falsum sine animo interno iurandi, peccat tamen grauiter contra religionem, vsurpando ea verba, quæ exteriùs sonant, & significant audientibus iuramentum rei falsæ, vt cum aliis tradit Suarez 2. *tom. de relig. cap.* 17. *num.* 2. *& sequentibus*, vbi idem omnino docet quoad hoc de proferente iuramentum falsum, sine animo iurandi, & de proferente verba blasphemiæ sine animo blasphemandi. Vtrumque enim dicit peccare mortaliter: & addit illam ipsam fictionem periurij esse grauem iniuriam Dei, & valde pernitiosam societati humanæ: quod verissimum est, quia ad tollendum commercium humanum perinde se habet proferre verba iuramenti externi falsi absque animo iurandi, & proferre cum vero animo iurandi, si ille defectus animi ex modo loquendi colligi nullo modo possit. Habent ergo illa verba secundùm se, & absque animo iurandi prolata, turpitudinem, & indecentiam obiectiuam, ratione cuius tenetur homo ea non velle, neque in se, neque in causa, atque adeo debet tollere, si possit causam, & consuetudinem postquam nouit indecentiam illorum verborum. Non ergo excusatur ab ea consuetudine tollenda ille, qui postea profert verba absque attentione, & aduertentia ad iusiurandum, quod continent, & per consequens debet confiteri illam consuetudinem voluntariè permissam, quia licèt iuramenta subsecuta non fuerint peccata in se; imò nec iuramenta, ipsa tamen consuetudo volita, & permissa fuit peccatum propter rationem assignatam. Qualis autem diligentia adhiberi debeat ad tollendam illam consuetudinem, videri potest latè apud Thomam Sanchez loco citato.

Vnde iam constat responsio ad exemplum, quod afferebatur de contumeliis in ebrietate prolatis; quæ quidem nec sunt peccata in se, nec in causa. Discrimen enim est clarum: quia verba illa contumelioſa prolata ab ebrio nullam retinent turpitudinem obiectiuam; cùm non recipiantur ab audientibus, tanquam veræ contumeliæ, sed sicut si proferrentur à psittaco: at verò in casu nostro verba blasphemiæ, vel periurij sonant blasphemiam, & periurium, & in eo sensu accipiuntur ab audientibus, & idcirco vitari omnino debent in se, & in sua causa.

§. 7. *De circumstantia Virginitatis.*

212. REstat hæc circumstantia, quæ etiam pertinet ad personam pœnitentis; obiter tamen declarabitur an debeat explicari, quando se tenet ex parte cõplicis, vel personæ concupitæ. Quæstio ergo est, an in peccatis contra castitatem debeat pœnitens explicare, se esse, vel non esse virginem.

Quarum sententiarum

In hoc pluees sunt sententiæ. Prima docet eam circumstantiam non esse explicandam in actu interno, debet tamen explicari in opere externo. Hæc tribuitur Soto *in* 4. *dist.* 18. *quæstione* 2. *art.* 4. quem pro ea sententia citant Nauarrus *in summa cap.* 6 *num.* 8. Suarez *in præsenti disp.* 22. *sect.* 4. *num.* 4. Nauarra *lib.* 2. *de restit. capite* 3. *numero* 433. Metina, & alij plures. Quos tamen alij reprehendunt, quasi hoc absque fundamento Soto impoſuerint. Ita Sanchez *lib.* 7. *de matrimon. disputat.* 14. *numero* 14. Vasquez *de restit. cap.* 3. §. 1. *dub.* 1. *num.* 5. *& in* 1. 2. *disp.* 112. *cap.* 1. Diana 1. *tom. tract.* 2. *tract.* 13. *disputatione* 6. *num.* 59. & alij Recentiores. Sed re vera Sotus ibi differentiam aliquam agnouit inter peccata interna, & externa: postquam enim dixit, non esse interrogandas puellas, an

an sint virgines, vel corruptæ, quando se accusant de consensu in peccatum turpe: addit hæc verba: *Quando verò confitetur perpetratum opus, tunc bonum est quærere an fuerat virgo, & etiam à masculo: nam sive mutet speciem, sive non, est graue detrimentum: quia irrecuperabiliter illi perditur aureola virginitatis; & puella grandem fecit iacturam honoris, & periculum sibi creauit, si postea à marito non reperiatur integra.* Quibus verbis licèt fortasse non intendat imponere omnimodam obligationem illud interrogandi etiam in opere externo; rationes tamen, quas adducit, eodem modo procedunt de actu interno, ac de externo; cùm totum illud malum, & iacturam aureolæ, ac honoris, periculum, *&c.* velit, & amplectatur, qui actu interno consentit in opus turpe, quod ea omnia mala affert, & ideò non absque aliquo fundamento impugnatur ab aliis propter differentiam, quam voluit in hoc inuenire inter peccatum internum, & externum, cùm eadem omninò sit ratio de vtroque.

214. Secunda sententia in vniuersum docet, esse explicandam eam circumstantiam, tam in viro, quàm in fœmina: quia in vtroque affert damnum irreparabile, iacturam scilicet virginitatis, & aureolæ. Ita Nunnus *in addit. ad 3. part. quæst. 9. art. 2. dub. 3. conclus. 5.* & quidem alij Thomistæ: quia semper affert notabile detrimentum irreparabile circa aureolam virginitatis.

Tertia sententia docet, esse explicandam eam circumstantiam, quando se tenet ex parte fœminæ, secus quando se tenet ex parte viri, quia ex parte fœminæ addit speciem stupri, quod est vitium contrarium non castitati secundum se, sed virginitati, quæ est diuersa virtus: ex parte verò viri non datur stuprum, nec sequuntur ea damna, quæ sequuntur in fœmina. Hanc latè probat Caiet. *2. 2. quæst. 154. art. 6.* quem sequuntur alij plures, quos afferunt Vasquez loco citato, & Diana *1. tom. dicta resolutione 11.*

215. Quarta sententia limitat præcedentem, vt solùm sit explicanda ea circumstantia in peccatis, quæ tendunt ad ruptionem claustri virginalis. Vndè si fœmina virgo se voluntariè polluat, vel tactus impudicos habeat, non debet explicare virginitatem: secùs si consentiat etiam actu merè interno in copulam, qua rumpendum sit claustrum, per quam solam ruptionem perditur virginitas corporis, & à qua prouenit specifica malitia stupri. Hanc tenent multi Recentiores.

Dico primò: circumstantia virginitatis non est necessariò explicanda in viro in vllo peccato contra castitatem, neque etiam in fœmina, quando non agitur de fractione claustri virginalis. In hoc conuenio cum quarta sententia, & probatur breuiter, quia tunc non habetur species stupri, nec opponitur virginitati communiter acceptæ, licèt opponatur virginitati, cui annexa est aureola. Hæc tamen aureolæ iactura non est tanti ponderis, vt transferat peccatum ad aliam speciem, vel debeat explicari: nam sine peccato potest aliquis eam aureolam perdere, nempè per matrimonium. Et quidem maius bonum est aliquod magnum augmentum gloriæ essentialis, quam aureola, & tamen non est peccatum mortale incurrere iacturam illius augmenti gloriæ, quod potuisset facilè comparari per aliqua bona opera.

217. Denique si illa iactura aureolæ afferret malitiam specialiter explicandam, sequeretur, quod virgo, quæ simul perdidit integritatem claustri virginei, & aureolam, eo quod primum peccatum contra castitatem fuerit copula illicita, non satisfaceret in confessione dicendo, se commisisse stuprum & amisisse claustra pudoris: sed deberet dicere, se amisisse simul aureolam, quia nunquam priùs peccauerat mortaliter contra castitatem. Consequens autem nemo concedet: ergo iactura sola aureolæ non affert circunstantiam necessariò explicandam. Vndè aliqui ex iis, qui tenent circunstantiam stupri esse necessariò dicendam, fatentur, non debere explicari, quando vir, & fœmina virgo vellent habere copulam absque fractione claustri virginalis, si re vera nullum esset periculum fractionis, aut conceptionis ex illa seminatione.

Dico secundò: probabile esse, quod non debeat explicari ea circunstantia etiam ex parte fœminæ consentientis absque raptu, vi, aut dolo, etiamsi interueniat fractio claustri virginalis. Hanc tenent Soto loco citato, Suarez *dicta sect. 4.* Vasquez *de restit. dicto dub. 1.* Lessius *lib. 2. de iustit. cap. 10. dub. 1.* Sanchez loco citato, Coninch, Nauarra, Megala, Tannerus, Molfesius, quos congerit, & sequitur Diana *1. tomo, dicta resolutio. 11. & 2. tomo tractatu 4. de Sacramentis, resolutione 67.* 218.

Probatur primò ad hominem, quia ipsimet Auctores contrariæ sententiæ fatentur, in praxi difficile esse, obligare aut interrogare puellam, aut fœminam nobilem, quæ confitetur aliquod peccatum internum contra castitatem, vt explicet, an sit virgo, vel corrupta: vndè plures vias excogitarunt ad excusandum confessarium, ne id tenetur interrogare. Henriquez *lib. 2. de pœnit. cap. 8. §. 2.* dicit, circunstantiam illam mutare quidem speciem, sed non esse interrogandam eam, quæ ex habitu, & statu suo virgo reputatur, quia, dum id non negat tacitè fatetur se esse virginem: ipse tamen Henriquez *in margine littera 1*, dicit experientia constare, quod fœmina prudens, dum tacet, eo ipso significat, se non esse virginem, quia virgines solent statim id explicare. Vides, quàm difficilè sit iudicare de illa circunstantia, dum Confessarius non interrogat, cùm alij dicant ex silentio præsumi virginem, alij præsumi corruptam. Alij aliter excusant confessarium: sed inconsequenter ad suam sententiam, vt probat Sanchez *loco citato numero 15.* 219.

Secundò, & à priori probatur, quia illa circunstantia neque addit malitiam specie diuersam contra virtutem temperantiæ, neque etiam contra iustitiam. Nam in primis non habet oppositionem specie diuersam contra temperantiam prima transgressio, sicut nec contra iustitiam primum furtum, aut contra fidem prima hæresis, licet addant fortasse aliquam grauitatem. 220.

Dicunt aliqui, specialem turpitudinem prouenire ex iactura signaculi, quod natura dedit fœminæ, vt placeret viro suo. Sed contra primò, quia non tenetur fœmina conseruare ea omnia quibus magis placere possit postea viro suo futuro: non enim minus, sed magis fortasse dedit natura fœminæ pulchritudinem, vt placeret viro, & conciliaret eius amorem: & tamen potest licitè virgo eam pulchritudinem sibi tollere, licèt hoc modo minùs apta reddatur ad matrimonium, & ad placendum viro futuro. Secundò, quia natura ipsa prouidit remedia naturalia, quibus signaculi ruptio non percipiatur à viro. Deniquè quia illud non est medium necessarium ad eum finem, cùm etiam vidua absque integritate possit secundo viro placere: ergo ex hoc capite non arguitur specialis turpitudo contra castitatem.

Dices, illa ruptio opponitur speciali virtuti, nempè virginitati; ergo pertinet ad speciale vitium; quia quidquid opponitur speciali virtuti affert specialem deformitatem. Respondetur, esto, 221.

quod virginitas sit specialis virtus diuersa à castitate; non tamen est virtus obligans sub præcepto, sed pertinens ad consilium: cui virtuti non minùs opponitur copula cum coniuge, quàm cùm alieno: nego itaque esse speciale peccatum, quidquid opponitur speciali virtuti, sed id solum, quod opponitur speciali virtuti obliganti sub præcepto: vbi enim non est præceptum, non est peccatum defectus in tali virtute.

222. Ideò alij dicunt, hanc specialem deformitatem prouenire ex abscissione signaculi, quæ licitè non potest fieri, nisi in casu à natura intento, sicut nec potest licitè permitti abscisio alicuius membri, nisi propter bonum aliquod ab ipsa natura intentum, nec magis videtur domina fœmina illius signaculi, quàm aliorum membrorum.

Sed contra primò, quia hoc non esset contra castitatem, aut temperantiam, sed contra obligationem conseruandi vitam; & membra integra, quæ est diuersa virtus. Secundò, quia neque contra hanc virtutem esset peccatum graue, nam petitissimi medici negant, fieri ruptionem alicuius membranæ, sed meram dilationem partium orificij, quæ priùs complicatæ erant, vt ex medicorum doctrina probant Sanchez *dicta disput. 14. numero 1.* Tertiò, quia licèt esset ruptio alicuius tenerrimæ membranæ, esset materia adeò leuis, vt non posset habere malitiam grauem contra obligationem conseruandi proprium corpus: sicut neque est peccatum graue aliquam exiguam carnis particulam sibi abscindere.

223. Restat probanda illa altera pars, quod scilicet circunstantia illa non addat malitiam specificam contra iustitiam: aliqui enim volunt, propter hoc esse declarandam, quia continet iniuriam contra parentes, in quorum potestate est puella, qui & magnam infamiam subeunt, & graue etiam onus augendi dotem, vel innuptam retinendi filiam. Igitur, quod nequè ex hoc capite circunstantia virginitatis declaranda sit, probatur primò, quia etiamsi demus, fieri parentibus iniuriam; id tamen per accidens se habet ad circunstantiam virginitatis: non enim minus Iuris habet pater in filiam iam semel corruptam, quàm in virginem: nec minùs patietur ignominiam ex secunda turpitudine filiæ, quàm ex prima, præsertim si prima mansit occulta, secunda verò publicetur. Augmentum item dotis, vel ineptitudo ad nuptias parum refert, quia potuit filia velle vnquam nubere, ergo potuit vitare illud onus in patre.

224. Secundò probatur, quia si ex saltu, vel alia leui causa puella pateretur apertionem sigilli, nemo dicit, eam peccare peccato iniustitiæ contra parentes, licèt ij tunc etiam cogantur, vel dotem augere, vel retinere innuptam. Tertiò, quia virgo habet Ius supra suum corpus, quo quamuis non possit licitè vti extra vsum matrimonij: non tamen facit contra Ius Patris, quia sicut potest absque Patris iniuria non nubere; ita potest absque iniuria eiusdem malè nubere, aut turpiter operari. Nec refert quod ex hoc consequatur ignominia patris; non enim teneor ego ex iustitia impedire ignominiam, quæ aliis indirectè, & consequenter ex meo dedecore proueniet, v. g. quia amici mei sunt cognati, socij, *&c.*

225. Maior difficultas est, an contineat malitiam grauem contra obedientiam patri debitam, vel contra charitatem propter malum graue parentum, quod potuit, & debuit filia impedire, atque adeò ex hoc saltem capite debeat illa circunstantia explicari. Et quidem quod sit culpa grauis contra obedientiam patri debitam, probari videtur ex communi sententia, quam affert Thom. Sanchez *lib. 4. de matrimonio disput. 23.* docente, filium peccare grauiter contrahendo matrimonium inuitis parentibus: magis enim videntur inuiti esse parentes in casu nostro, quando filia defloratur extra matrimonium, quàm si matrimonium contraheret. Rursus, quod sit contra charitatem, & pietatem parentibus debitam, probatur, quia negari non potest, quod iis afferat grauissimam & iustissimam mœstitiæ causam, ignominiam, necessitatem augendæ dotis, & alia maxima detrimenta, quæ filia impedire poterat; ergo tenebatur. Vndè Pater Salas *dicta sect. 6. numero 59.* fatetur communiter habere malitiam grauem contra charitatem: quod etiam sentire videtur Lessius *dicto dub. 1. numero 5.* & alij.

226. Ego in primis existimo hanc malitiam non prouenire ex circunstantia virginitatis, neque ad hanc malitiam intelligendam debere interrogari puellam, an esset virgo, quia vt notauit benè idem Lessius, ferè eadem mœstitia, & ignominia prouenire potest ex turpitudine filiæ priùs defloratæ, maximè si eius defloratio occulta manserat. Deindè nec ad hoc necesse erit interrogare, an esset sub cura parentum; quia etiamsi non sit sub eorum cura, possunt grauissimam iacturam pati. Solùm ergo attendi debet, an prouenerint, vel prouenire potuerint ea detrimenta. Quod quidem, in iis præsertim, quæ sub parentum cura sunt, frequenter euenient, atque adeò aderit malitia grauis contra pietatem, & amorem parentibus debitum; sient & religiosus etiam, qui sua turpitudine dedecus, & infamiam affert suo ordini, videtur etiam ex hoc capite grauiter peccare contra pietatem, & amorem, quem suo ordini debebat. Aliquando tamen vtique excusantur ab ea malitia contrahenda, eo quod bona fide putant, peccatum non forè manifestandum, atque ideò cessare periculum illius detrimenti, & offensionis. Quod verò attinet ad malitiam inobedientiæ contra parentes, non reperitur, quando expresso præcepto non prohibent: sicut nec religiosus peccans contra castitatem intelligitur peccare contra obedientiam, (licèt id inuito certè Prælato faciat,) quandiù præceptum in ea materia Prælatus non interposuerat. Vndè exemplum de matrimonio, quod inuitis parentibus illicitè contrahitur, nihil probat: tum quia alij multi, quos sequitur Sanchez *dicta libro 4. disputatione illa 23.* dicunt non teneri filiam per se loquendo, obedire patri præcipienti, aut prohibenti aliquas nuptias, nisi in raro casu propter maxima incommoda, quæ patri ex aliquo filiæ matrimonio prouenirent: tum etiam, quia materia illa magis spectat ad patris gubernationem circa filium. Vndè iidem Sanchez, & alij, qui negant virginem peccare contra parentes, quando permittit se defloraui, adhuc dicunt peccare filium, si non solùm inuitis, sed etiam inconsultis parentibus matrimonium ineat, quod latè probat idem Sanchez *dicta disputatione 23.* ex eo, quod in iis, quæ pertinent ad statum eligendum adeò periculosum, debet filius audire consilium patris per se loquendo, licèt non obligetur ad illud acceptandum.

227. Ex dictis colligitur, stuprum speciem distinctam *Quid sit stuprum.* à fornicatione simplici tunc interuenire, quando interuenit violentia, aut raptus, vel quando per dolum, aut fraudem, aut alio iniustitiæ genere virgo defloretur; ita vt stuprum addat supra raptum circunstantiam virginitatis: raptus enim potest esse respectu illius etiam, quæ non sit virgo: addit ergo stuprum supra raptum specialem malitiam iniustæ defforationis, vt explicuit Sanchez *dicto lib. 7. disputatione 14. numero 7.*

Restat

228. Femina an debeat explicare quod sui copia.

Restat breue dubium circa hoc, an quando virgo rapta est, & præ timore consensit suæ defloratiori, debeat ipsa explicare circunstantiam virginitatis, quando confitetur suum peccatum. Ad hoc respondet Sanchez *dicta disputatione* 14. *numero* 13. negatiuè: quia stupri malitia consistit in violenta ablatione virginitatis, vt dicimus: fœmina autem non aufert violenter, sed patitur auferri sibi violenter virginitatem: ergo non contrahit malitiam stupri.

229. Sed contra hoc est, quia ad minus virgo tunc cooperatur stupro viri; ergo ratione saltem cooperationis contrahit malitiam specialem illius peccati, cui cooperatur. Quamuis enim non possit aliquis iniuriam propriam à seipso pati? Ego tamen possum contrahere malitiam specialem ex cooperatione illicita ad peccatum alterius, qui iniuriam in me committit, verbi gratia, si absque rationabili causa petam mutuum sub vsuris ab vsurario, & inducam illum ad peccatum vsuræ committendum; ex hac inductione contraho specialem malitiam per ordinem ad peccatum iniustæ vsuræ, quod illi persuadeo.

230. Respondet idem Sanchez cooperatorem non contrahere illam malitiam, quando circunstantia illa pendet tota à voluntate cooperantis, provt contingit in præsenti: nam in potestate virginis est per spontaneum consensum auferre ab illa actione circunstantiam stupri: ergo ipsa non potest contrahere malitiam ab illa circunstantia. Vndè ostendit differentiam inter hunc casum, & illum, quo violenter rapta ab aliquo coniugato, præ timore consentiret: hæc enim deberet explicare malitiam adulterij, cui cooperatur: quia illa circunstantia non pendet ab eius voluntate; nec ipsa potest eam malitiam auferre: in nostro autem casu potest malitiam violentiæ, & stupri auferre per spontaneum consensum, ideò non contrahit malitiam à cooperatione ad stuprum.

231. Hæc tamen regula, quod cooperator non contrahat malitiam cooperationis ex circunstantia, quæ dependet ab eius voluntate, nullo modo videtur vera, vt constat ex illato exemplo vsuræ, cuius malitia dependet à mea voluntate, qua possum non esse inuitus, & tollere malitiam iniustitiæ, si gratis, ac sponte velim donare lucrum; & tamen si absque causa inducam vsurarium ad mutuandum cum vsuris, pecco peccato scandali, & contraho aliquam malitiam ex illa circunstantia; vt fatetur cum communi idem Sanchez *lib.* 3. *in decalog. cap.* 8. *à numero* 11. Item, si aliquis ex industria offerat filiis, vel famulis occasiones furandi, peccat peccato scandali, saltem si id ex graui causa, & ob remedium ipsorum non faciat, vt fatetur idem Sanchez *lib.* 10. *de matrimonio*, *disputatione* 12. *numero* 52. & 53. & tamen circunstantia illa furti pendet ab eius voluntate, qui si non sit inuitus in ea actione, illa non erit contra iustitiam.

232. Idem constat in materia obedientiæ: nam si superior det absque causa subdito occasionem transgrediendi præcepta, peccat peccato scandali, licèt circunstantia illa obedientiæ pendeat à superioris voluntate, qui potest auferre obligationem, & præceptum, itavt actio illa non sit inobedientia. Denique si Prælatus det subdito religioso occasionem transgrediendi aliquod votum, quod habet, v. g. ieiunandi; peccat etiam peccato scandali, licèt circunstantia illa pendeat à voluntate Prælati, qui potest irritare votum subditi, & facere, quod illa comestio non sit contra votum: ergo quod cooperator possit sua voluntate auferre malitiam illius circunstantiæ, non excusat à peccato scandali in cooperatione ad tale peccatum.

Ratio autem à priori est, quia posse voluntate sua auferre circunstantiam vndè prouenit malitia, dum tamen de facto eam non aufert, non facit, quod re ipsa non maneat tota malitia obiectiua: dum enim non donat, aut cedit Iure suo ille, qui famulis dat ex industria occasionem furandi, semper manet oblatio inuito domino, quia licèt posset non esse inuitus; de facto tamen manet inuitus; ergo verè cooperatur ad ablationem rei inuito domino; & per consequens est causa furti, perindè ac si ea circunstantia non potuisset sua voluntate auferri. Similiter ergo in casu nostro, licèt virgo posset non esse inuita, sed spontaneè consentire, interim tamen dum non sponte, sed metu coacta consentit; manet tota malitia stupri, seu defloratiorum violentæ, & per consequens virgo cooperatur illi actui, qui habet talem malitiam obiectiuam.

233. Aliundè tamen videtur difficile, quod ex violentia, quam patitur virgo, contrahit malitiam, quam non contraheret, si sponte, & non per vim aut metum consentiret. Ex hoc enim fieret, vt arguit Sanchez ibidem, quòd grauiùs peccaret, quando propter metum, & vim consentit, quàm cum sponte, & absque violentia; quia contrahit specialem malitiam per ordinem ad violentiam, cui cooperatur. Confirmatur item ab eodem Auctore: quia si virgo tunc peccaret propter cooperationem ad violentiam viri, peccaret etiam ex simili cooperatione, qui coactus, ne occidatur, offert manum, vt abscindatur, quia hic etiam cooperatur violentæ abscissioni: ergo sicut hic non participat malitiam ex violentia abscindentis; sic nec virgo, quæ simili metu consentit, participabit malitiam stupri.

234. Hoc tamen ipsum exemplum retorqueri potest, ad ostendendum, non debere excusari illam malitiam cooperationis in virgine metus causa consentiente, propter rationem supra adductam, sed propter aliam: quia ille, qui ne occidatur, offert manum abscindendam, non excusatur à culpa cooperationis ex eo, quod ipse propria voluntate possit auferre malitiam illius actionis: nullo enim modo potest ipse reddere licitam illam abscissionem, cùm non sit dominus suæ manus; & tamen nullam malitiam contrahit ex cooperatione: ergo id, quod excusat cooperantem, non est, quod potuisset reddere licitam actionem illam, cui cooperatur, sed aliundè petenda est excusatio.

235. Concedo igitur, virginem eo casu non contrahere malitiam specialem stupri, aut per ordinem ad stuprum, nec debere ex hoc capite explicare in confessione circunstantiam virginitatis, vt explicet speciem peccati, cui cooperata est. Ratio autem petenda est ex eodem exemplo offerentis manum abscindendam, ne occidatur. Hic enim non cooperatur formaliter peccato abscissionis. Sed habet se sicut qui parato ad maius peccatum, consulit minus: hic enim non cooperatur peccato alterius, cùm solùm intendat impedire peccatum grauius: quare in rigore non consulit absolutè peccatum, sed conditionatè: nempè, si peccandum tibi est, consulo, vt fureris v. g. & non occidas. In quo casu non solùm consilium, sed cooperatio etiam licita est, vt docet idem Sanchez *lib.* 7. *de matrim. disp.* 11. *num.* 18. Sic ille, qui offert manum abscindendam, licitè id facit, nec cooperatur ad peccatum, sed ad minus malum, cùm minus peccatum sit mutilatio, quàm homicidium: & ideò non contrahit malitiam aliquam ex peccato, ad quod videtur cooperari. Similiter ergo in casu nostro virgo excusatur à malitia cooperationis;

cooperationis; quia volenti eam occidere, vel violare, offert violationem, ne occidat, quod est cooperari ad minus malum. Est quidem differentia in hoc, quod offerens manum abscindendam, nullam prorsus contrahit malitiam; quia illa abscissio respectu abscindentis est minus peccatum, & respectu ipsius patientis nullum est peccatum. At verò virgo consentiens violationi, ne occidatur, peccat quidem; quia ille consensus in copulam illicitam est intrinsecè malus, & respectu ipsius virginis non est minus malum, sed maius, quàm mors tolerata ob defensionem pudicitiæ, atque ideò respectu sui non excusatur, sed contrahit totam malitiam fornicationis. Cæterum considerando illam actionem, provt est cooperatio ad peccatum alterius, nullam habet malitiam, quia provt sic, est cooperatio ad minus malum alterius, cui non absolutè, sed conditionatè exhibet se violandam; quasi dicat, si vis vel occidere, vel violare, me viola potiùs, quàm occidas: quod quidem neque in ratione consilij, neque in ratione cooperationis contrahit malitiam à peccato illius, cui cooperari videtur. Et hæc sufficiunt de hac prima circunstantia.

SECTIO V.

De secunda circunstantia, Quid, *& præsertim provt se tenet ex parte rei volitæ.*

236. MVlta sunt, quæ sub hac circunstantia comprehenduntur, quæ ad tria capita reduci possunt. Primum de iis, quæ se tenent ex parte rei volitæ. Secundum de iis, quæ se tenent ex parte personæ, ad quam terminatur peccatum, quæ circunstantia solet appellari, *circa quid*. Tertium de effectu sequuto ex peccato, quod etiam est aliquo modo obiectum volitum de quibus figill. im dicemus, & prius in hac sectione de iis quæ pertinent ad primum caput; sub quo continentur multa dubia in ordine ad praxim confessionis. Et in primis pertinere videtur ad hanc circunstantiam quantitas obiecti, vt si furatus es mille. De hoc tamen dictum est supra *sect.* 3. dum diceremus de circunstantiis aggrauantibus intra eandem speciem. Rursus ad eandem circunstantiam reduci posset quantitas ipsius peccati secundùm durationem successiuam: de hoc tamen commodiùs dicemus infrà *sect.* 14. agentes de numero peccatorum explicando: nam si duratio explicanda est; ad hoc potissimùm explicari debet, vt constet aliquo modo multiplicatio peccatorum, quæ in illo tempore fieri debuerunt. Veniamus ergo ad alia dubia magis propria huius loci.

§. 1. *An copula consummata debeat explicari, & nonnulla alia circa eandem materiam.*

237. PRimum dubium esse potest, an in peccatis carnis debeat necessariò explicari circunstantia copulæ consummatæ: an verò sufficiat dicere, commisi peccatum graue contra castitatem cum soluta. Non defuerunt Recentiores aliqui, qui dicerent, hoc sufficere, vt testatur Turrian. *de pœnit. quæst. 9. art. 2. disput. 29. dub. 2. ad 5. argum.* Ratio autem esse potest, quia non apparet differentia specifica inter tactus impudicos, & copulam, cùm sint contra eandem virtutem; & tactus ipsi pertineant ad simplicem fornicationem, sicut tactus impudici cum coniugata pertinent ad adulterium, & cum consanguinea ad incestum. Et confirmari potest; quia si tactus differrent specie à copula, non satisfaceret pœnitens confitendo copulam, sed deberet explicare etiam tactus antecedentes, & consequentes; alioquin non explicasset totam speciem illius peccati.

Hæc tamen sententia opponitur communi Doctorum sensui, qui omnes, copulam explicandam esse dicunt. Ratio autem est, quia licèt tactus etiam & oscula habeant suam malitiam in ordine ad copulam ad quam ordinantur: diuerso tamen modo opponuntur virtuti castitatis: nam copula opponitur, tanquam actus consummatus; per quem cum effectu infertur nocumentum proli; at verò tactus libidinosi opponuntur solùm vt dispositiones propter periculum, quod afferunt, & quia ex se ordinantur, & disponunt ad copulam: quod non sufficit ad participandam eandem specie malitiam: vt constat manifestè in delectatione morosa; quæ quidem accipit suam malitiam per ordinem ad pollutionem, vel actum consummatum, ad quem ex se disponit voluptas illa delectationis: & tamen nemo dicet, non differre specie à pollutione consummata, & intenta, nec id vllus concessit. Adde, eiusmodi tactus non solùm prohiberi propter dispositionem ad copulam, sed etiam propter delectationem turpem, quam in se habent: quia omnem eiusmodi delectationem natura voluit prohibitam esse extra matrimonium, quia alioquin homines minùs de matrimonio curarent.

Vndè constat solutio ad rationem contrariam. Ad id verò, quod pro eius confirmatione dicebamus, negamus sequelam argumenti: quod quidem ab aduersariis etiam soluendum est. Ipsi enim negare non possunt, copulam cum persona habente votum, differre specie à tactibus cum persona non habente votum. Pone ergo, fœminam habere votum, non quidem castitatis, sed expressum solius virginitatis, provt excludit primam solam copulam quod violat per copulam, post eam verò immediatè continuantur tactus libidinosi, & oscula, quæ quidem non habent malitiam contra votum, cùm hoc cessauerit per copulam, per quam amissa fuit virginitas: & tamen in confessione non oportet explicare tactus illos immediatè consequutos post copulam, quia faciunt vnum peccatum cum ipsa copula, vt docet Henriquez *lib. 5. de pœnit. capite 5. num. 5.* & alij multi, quos ibi affert, & quos congerit Diana *tom. 1. tract. de circunstant. aggrauant. resolut. 42. & tom. 2. tractat. 4. resolut. 67.* & dicemus infrà *sect.* 14.

Quod idem argumentum fieri potest in sententia communi ponente differentiam specificam inter copulam cum virgine, & cum corrupta: nam copula cum virgine habuit illam speciem stupri, tactus verò immediatè consequuti iam habebant aliam speciem, cùm iam non essent cum virgine, sed cum corrupta, & tamen neque illi debent explicari, sed sufficit confiteri copulam cum virgine. Quod si volueris contendere cum aliis Doctoribus, tactus consequentes ad copulam debere explicari in confessione, nihil refert: nam idem argumentum fieri potest de tactibus antecedentibus; pone enim fœminam voto adstrictam vitandi primum solum peccatum graue contra castitatem: hanc aliquis libidinosè tangit, ipsam consentire, ter, aut quater eodem impetu, & absque interruptione: ecce primus tactus habuit malitiam sacrilegij contra votum, quam malitiam posteriores non habuerunt: & tamen in confessione sufficit explicare tactum lasciuum fœminæ habentis votum, absque eo, quod explicentur tactus posteriores carentes illa malitia.

Ratio

241. Ratio horum est, quod tactus priores, & posteriores faciunt vnum, & idem peccatum numero: in quo licèt quoad aliquam sui partem non sit illa malitia sacrilegij, vel stupri, sufficit, quod sit quoad aliam partem; iam enim illud peccatum, quod est vnum solùm, participat verè illam speciem sacrilegij, vel stupri. Nec obstat, quod alia pars eiusdem peccati videatur participare illam aliam speciem fornicationis simplicis condistinctæ à sacrilegio; respondetur enim non posse esse distinctionem specificam, vbi non est distinctio numerica: nihil enim potest differre specie à seipso. Cùm ergo illæ partes posteriores faciant vnum, & idem numero peccatum cum prioribus propter vnitatem moralem: non potest dici, quod participent speciem fornicationis simplicis; hæc enim in rigore sumpta significat peccatum, quod nullam aliam habeat malitiam: illud autem peccatum habet verè aliam malitiam sacrilegij: ergo non habet malitiam fornicationis simplicis, nisi quatenus fornicatio sumitur præcisiuè, provt est species subalternata præscindens à simplici, & à mixta cum alia malitia: hanc enim malitiam fornicationis verè habet illud peccatum; sed hæc non est species atoma, nec repugnat cum sacrilegio.

242. Eodem ergo modo in casu nostro dicendum est tactus, qui præcedunt copulam, & ordinantur ad ipsam, facere vnum peccatum moraliter cum ipsa copula: in quo peccato non est sola malitia tactus, sed etiam malitia copulæ consummatæ, qua explicata, iam explicatur sufficienter tota malitia specifica illius peccati. Dices; non explicatur malitia specifica tactus, quæ per nos est diuersa à malitia specifica copulæ. Respondetur malitiam tactus posse dupliciter considerari. Primò provt est delectatio ex contrectatione illicita, & turpi alicuius personæ. Secundò provt est delectatio sistens in illo tactu, & non progrediendo ad copulam carnalem. Prior malitia reperitur quidem in illis tactibus, & explicatur satis, explicata copula, quia copula etiam habet illam malitiam. Posterior verò, quæ est quasi species negatiua ex eo, quod non habeat malitiam copulæ, non explicatur explicata copula, sed nec reperitur in illis tactibus: quia eùm ij in casu posito faciant vnum peccatum cum ipsa copula: non potest dici, quod in illo peccato sit malitia tactus puri, & sistentis in mero tactu absque copula: nulla ergo species malitiæ restat in illo peccato, quæ non explicetur, licèt fornicatio addat malitiam specificam necessariò explicandam supra malitiam simplicis tactus libidinosi.

243. Circa hoc peccatorum genus potest esse secundum dubium, an in peccato Sodomiæ debeat pœnitens explicare, fuerítne agens, vel patiens. Negat Alfonsus de Leone *in tract. de offic. & potest. Confessarij par. 1. recollect. 9. numero 216. & 218.* quia vtriusque peccatum pertinet ad eandem speciem peccati contra naturam. Quam sententiam videtur etiam approbare Diana *tom. 2. tract. 4. de Sacram. resol. 156.*

Ego tamen explicandum puto: quia ex parte agentis interuenit pollutio propria, quæ non interuenit ex parte patientis: diuersum autem peccatum specie est voluntariè pollui, vel solùm cooperari pollutioni alterius; aliud enim est cohibere delectationem propriam illicitam; aliud non procurare alienam. Et quamuis ipse etiam patiens habeat aliquo modo tactum impudicum, & delectationem turpem, (quod tamen non videtur quoad delectationem vniuersaliter verum, negari tamen non potest, pollutionem ipsam diuersam malitiam explicandam afferre supra simplicem tactum impudicum: qui enim sine intentione, aut periculo pollutionis tangeret propter turpem solam delectationem tactus, non contrahit malitiam, quam contrahit, qui ex intentione pollutionis id facit: vndè iste debet explicare peccatum pollutionis, quam procurauit, & habuit: ergo de primo ad vltimum in peccato sodomitico agens debet explicare circunstantiam illam propter malitiam specie diuersam, quam affert.

§. 2. *An diuersitas præceptorum, quæ violantur, sit explicanda.*

244. TErtiò dubitatur de eo, qui suo peccato violauit diuersa præcepta, v. g. qui violauit ieiunium debitum propter quadragesimam, & simul propter vigiliam alicuius Apostoli; vel omisit Missam die Dominica, in qua erat festum sancti Ioannis, &c. an debeat hoc explicare in confessione, vel sufficiat dicere, violaui ieiunij præceptum; non audiui Missam die festo, &c.

Certum est, si præcepta diuersa sint solùm ratione temporis, quatenus idem superior sæpius eandem rem præcepit; vel eius successores, eandem rem præceperunt, non esse id explicandum in confessione: sicut si aliquis violet votum, quod pluries emisit, & renouauit, non ideò contrahit circunstantiam explicandam ob repetitionem voti. Difficultas est primò, quando superiores sunt diuersi materialiter, & formaliter, hoc est, ipsa dignitas, & potestas dt diuersa, vt si Rex, Episcopus, & Papa idem præcipiant, an contrahantur diuersæ malitiæ ex multiplicatione præcepti, quod violatur. Secundò, quando præcepta sunt de eâdem re materialiter, sed ratio præcipiendi est diuersa, vt quando præcipitur ieiunium; tum quia est quadragesima; tunc ob honorem alicuius sancti, cuius vigilia est, an tunc contrahatur duplex malitia specialiter explicanda.

245. Circa primum aliqui, quos refert Vasquez *1. tom. in 1. 2. disput. 98. cap. 1.* docent, quando idem, quod lege naturali prohibetur, rursus prohibetur lege humana, peccatum habere duplicem speciem malitiæ, v. g. contra iustitiam, cui furtum opponitur, & contra obedientiam Principi debitam, qui furtum prohibet. Contraria, & verior sententia communis est apud Theologos, quos referunt, & sequuntur Vasquez *loco citato.* Salas *2. tom. in 1. 2. tract. 13. disput. 3. sect. 2.* Thom Sanchez *lib. 9. de matrimon. disput. 15. num. 6.* & alij Recentiores communiter: qui dicunt, diuersitatem solam præcipientis non variare præceptum in specie, si ex eodem motiuo proximo omnes præcipiant; quia semper remanet res præcepta in eadem specie honestatis; v. g. in exemplo posito motiuum proximum prohibendi furtum semper est eadem honestas iustitiæ; vndè violatio vtriusque præcepti semper erit in specie iniustitiæ.

246. *An obedientia debita Deo & homini sint eiusdem speciei.* Contra hanc communem doctrinam aliquæ sunt difficultates. Prima est, quia licèt obedientia Deo debita, & superiori humano vtraque sit obedientia, & vtriusque violatio sit inobedientia: non tamen videtur vtraque pertinere ad eandem speciem. Nam reuerentia etiam debita Deo, & reuerentia debita homini, vtraque est reuerentia, & vtrique opponitur peccatum irreuerentiæ; & adhuc irreuerentia in Deum differt specie ab irreuerentia in hominem propter diuersum titulum excellentiæ, quo vtrique reuerentia debetur. Cùm ergo titulus superioritatis, propter quem Deo obedientia debetur, sit adeò diuersus à titulo superioritatis, propter quem debetur obedientia superiori humano; consequens

sequens est, vt inobedientia etiam contra Deum differat specie ab inobedientia contra hominem, atque adeò vtriusque malitia debeat in confessione explicari.

247. Nec satisfacit solutio eorum, qui dicunt, speciem inobedientiæ non contrahi, nisi quando ex contemptu violatur præceptum superioris: hoc enim licèt verum sit de specialissima specie inobedientiæ; falsum tamen est, si intelligatur de omni prorsus malitia inobedientiæ: nam sicut in aliis materiis sufficit indirectè, aut materialiter tendere in obiectum prohibitum ad contrahendam malitiam, licèt non feratur voluntas formaliter in ipsam prohibitionem; sic in materia obedientiæ, vt aliquis peccet contra virtutem obedientiæ, non est necesse quod intendat formaliter ipsam inobedientiam, sed sufficit præuidere prohibitionem, seu præceptum superioris, & velle operari contra illud: & quidem negari non potest, quod idem furtum graue commissum cum aduertentia ad præceptum diuinum de non furando, habeat malitiam aliquam inobedientiæ contra Deum, ratione cuius differat plusquam specie ab alio furto simili, quod committeretur cum sola scientia prohibitionis humanæ, & cum ignorantia inuincibili totali prohibitionis, offensionis diuinæ: ex illo enim capite diuinæ inobedientiæ, & offensionis prouenit malitia propria peccati mortalis, Theologicè loquendo, vt latiùs dixi *disputatione quinta de Incarnatione, sectione quinta.* Ergo absque inobedientia formalissima, quæ fiat ex contemptu, potest contrahi malitia essentialis inobedientiæ, sicut potest peccari contra reuerentiam debitam, licèt aliquis non operetur ex desiderio irreuerentiæ, sed ex alio fine faciat id, quod re vera cedit in Dei, vel alterius irreuerentiam.

248. Adhuc tamen non videtur recedendum ab illa doctrina, nec concedenda diuersitas specifica ex diuersitate quacunque superioris: durum enim esset, & contra praxim communem obligare pœnitentem, vt quoties se accusat de furto, vel de fornicatione, explicet an illa peccata prohibita sint in illa prouincia aliqua lege positiua humana. Aliundè ergo petenda videtur solutio huius difficultatis: pro qua aduerto, aliud esse quærere an peccatum habens malitiam inobedientiæ contra Deum & hominem, differat specie à peccato habente solùm malitiam inobedientiæ contra hominem: aliud verò quærere, an peccatum habens malitiam inobedientiæ contra Deum, & hominem differat specie à peccato habente malitiam inobedientiæ contra solum Deum. Primum enim potest concedi propter argumentum proximè adductum, licèt secundum negetur. Nam in peccato, quod est inobedientia contra Deum, inuenitur oppositio contra obedientiam debitam Deo, quæ ratione supremæ excellentiæ, & dignitatis diuinæ transfert illud peccatum ad aliam speciem longè superiorem: at verò, quod inobedientiæ diuinæ adueniat inobedientia contra hominem, parum addit; quia parum plus aduersatur regulæ rationis violare præceptum latum à Deo simul, & homine, quàm violare præceptum latum à solo Deo: sicut & potestas ipsa præcipiendi, quæ est in Deo, & homine parum addit supra potestatem, quæ est in solo Deo: non ergo differt specie morali malitia violationis præcepti Dei, & hominis à violatione præcepti solius Dei, quare licèt violatio præcepti diuini deberet explicari, nisi aliundè nota esset confessario, violatio tamen præcepti humani non debet ex necessitate explicari, cùm iam explicetur violatio præcepti diuini.

Dices: peccatum, in quo esset inobedientia solùm contra præceptum humanum, haberet quidem aliquam speciem inobedientiæ per ordinem ad superiorem creatum, quam speciem non habet peccatum, quod est inobedientia contra præceptum diuinum solum: alioquin illa duo peccata essent eiusdem speciei moralis contra id, quod diximus: ergo peccatum, quod est contra obedientiam Dei, & hominis, differt specie à peccato, quod est contra obedientiam solius Dei: habet enim illam malitiam etiam, quam haberet inobedientia contra solum hominem, quam non habet inobedientia contra solum Deum: ergo debet explicari circunstantia præcepti humani: alioquin non explicatur tota malitia specifica. 249. Inobedientia contra Deum vel hominem an differant specie. 253

Respondetur, concesso antecedenti, negando consequentiam; & ad probationem, nego peccatum, quod est contra obedientiam Dei, & hominis, habere illam malitiam specificam, quam haberet inobedientia contra solum hominem: nam malitia illa specifica non consistit in hoc, quod sit inobedientia contra hominem, sed quod sit inobedientia contra solum hominem, per quod differt specie ab inobedientia contra Deum simul, & hominem, quæ non habet talem malitiam, sed aliam, scilicet opponi præcepto diuino, & humano, quæ malitia non differt specie ab hoc, quod est opponi præcepto diuino: nam in genere moris, vt dixi, idem ferè est opponi præcepto diuino, ac opponi præcepto diuino, & humano, quia auctoritas, cui opponitur, eadem ferè est in vtroque casu. 250. 254

Sed contra hoc vrgeri adhuc potest exemplum suprà adductum: quando enim fit irreuerentia contra Deum, & hominem simul, differt specie ab irreuerentia, quæ fieret contra solum Deum, & debet explicari illa malitia in ordine etiam ad hominem: quia violatur ius non solum Dei ortum ab excellentia sua infinita, sed etiam ius hominis prouenies ab eius excellentia finita: licèt excellentia finita hominis ferè nihil addat supra solam infinitam excellentiam Dei: ergo sicut irreuerentia contra excellentiam Dei, & hominis differt specie ab irreuerentia contra excellentiam solius Dei; sic inobedientia contra potestatem Dei, & hominis differt specie ab inobedientia contra potestatem solius Dei. 251.

Respondetur negando consequentiam: vt autem explicetur à priori discrimen obedientiæ à cultu, & aliis virtutibus propter quod in aliis peccatis, quæ sunt contra Deum, & hominem, debeat explicari vtrumque, non verò in violatione præcepti diuini simul, & humani: aduertenda est alia differentia, quæ est inter obedientiam, & alias virtutes, quæ sunt ad alium: nam illæ virtutes ita sunt ad alium, vt intendant formaliter bonum illius, ad quem sunt: Sic iniustitia intendit bonum proximi, & quod non spolietur re ipsa, & ideò prohibet furtum: obseruantia item intendit reuerentiam debitam proximo ob sui excellentiam: gratitudo remunerationem; & sic de aliis virtutibus, quæ ad hoc tendunt, vt proximum tueantur, & conseruent in bonis suis, vel etiam augeant eius bonum. Obedientia verò ita est ad alium, scilicet ad superiorem, vt tamen magis intendat vltimò bonum subditi, quàm ipsius præcipientis. Sicut enim præceptum ipsum debet ordinari ad bonum subditorum; ita & obedientia: datur enim, vt homo iuxta superioris præscriptum benè, & vtiliter dirigatur, & se dirigi sinat: cùm ergo finis principaliter, & formaliter intentus non sit superior, aut eius bonum, sed bonum subditi, hinc est, quod ad diuersitatem specificam præceptorum parum interfit diuersitas præcipientium. 252. 255.

tium. Ad quod facit, quod in Philosophia dici solet, actiones non tam specificari ab agente, quàm à termino; quia actio non respicit agens, nisi propter terminum, & in bonum termini: ipsum verò terminum respicit propter ipsum. Sic ergo obedientia respicit superiorem propter bonum subditi, & ideò ex bono subditi, non ex diuersitate superioris specificari debet, licèt aliæ virtutes, quæ sunt ad alium, specificentur ex diuersitate illius, ad quem referuntur.

253. Instabis, ex hac ratione sequi, neque etiam peccatum inobedientiæ contra Deum differre specie à peccato illo, quod esset solum inobedientia contra hominem: quia in vtraque obedientia debet respici solum bonum subditi. Ergo quod præcipiens sit Deus, vel homo, non facit, quod illa duo peccata specie differant, contra id, quod supra dictum est. Respondetur negãdo sequelam: quia ex infinita illa excellentia Dei præcipientis resultat diuersitas etiam ex parte ipsius termini: est enim multò magis conueniens naturæ rationali sinere se dirigi, & gubernari à Deo infinitè sapiente, sancto, potente, &c. quàm à superiore creato; quare attendendo ad bonũ ipsius subditi, inuenitur magna diuersitas, quando resistit præcepto Dei, aut præcepto solius hominis. Inter ipsos verò superiores humanos non inuenitur hæc diuersitas, quæ sufficiat ad differentiam specificam obedientiæ, atque adeò sistendo intra

254. terminos obedientiæ, non oportet explicare illam diuersitatem præcipientium. Dixi, *intra terminos obedientiæ*, quia aliquando inobedientia affert secum irreuerentiam contra superiorem, & tunc si irreuerentia sit grauis, debet explicari in confessione circunstantia præcepti humani vltra præceptum diuinum, vt explicetur irreuerentia grauis in hominem: hæc tamen irreuerentia grauis non semper, nec frequenter reperitur; præsertim quando violatur lex

255. aliqua generalis, ignorante superiore, & non ex contemptu ipsius. Aliquando verò reperitur, vt si præcipiente tibi, & vrgente superiore, tu ei impudenter resistas, & coram ipso præceptum violes: imò aliquando contingere posset, vt licèt præceptum in vi præcepti non obliget grauiter sub mortali, quia superior non vult sub mortali obligare: ipsa tamen irreuerentia subditi in violatione præcepti, vel ordinationis habeat malitiam grauem: vt

256. si Prælato non præcipienti in virtute obedientiæ, & sub mortali, sed tamen imponenti, vt aliquid facias, & vrgenti pro exequutione, tu impudenter respondeas, *nolo facere*; poterit sæpè esse peccatum mortale propter irreuerentiam grauem, quam verbum illud continet contra superiorem: de hoc tamen dicemus *infrà disputat.* 20. *sect.* 4. agentes de casibus reseruatis.

Secunda difficultas contra conclusionem oritur ex materia de voto: quia ille, qui habet vorum ieiunandi hodie, & simul præceptum Ecclesiæ de eadem re; debet vtramque obligationem explicare: ergo qui habet obligationem ieiunandi ex duplici præcepto diuerso, debet id etiam explicare. Respondetur negando consequentiam: quia circunstantia voti ponit ieiunium in alia specie, scilicet religionis, cui opponitur violatio voti. Secundum autem præceptum non transfert ad aliam speciem. Vndè obiter nota differentiam aliam in ordine ad confessionem, quod scilicet in violatione præcepti debet explicari materia præcepti, an esset verbi gratia, ieiunium, auditio Missæ, vel aliquid aliud, quod non requiritur explicari in violatione voti, sed sufficit dicere, Violaui votum in re graui. Ratio est, quia præceptum, cùm tendat in bonum subditi, vt diximus, intendit formaliter honestatem virtutis, quam

præcipit; tendit enim ad hunc finem reddendi subditum bonum, & ideo constituit rem præceptam in specie illius virtutis, quam præcipit. At votum tendit formaliter ad cultum Dei, tanquam ad finem, ad quem assumit, vt medium id, quod promittitur: vndè omnia constituit in specie religionis, cui soli opponitur fractio voti.

Tertia difficultas est, quia aliquando ob violationem præcepti humani imponitur excommunicatio, quæ non incurritur propter violationem solius præcepti diuini; requiritur enim contumacia, & inobedientia contra Ecclesiam: ergo oportet explicare circunstantiam illam præcepti humani, ex qua adeò diuersus effectus oritur.

An debeat explicari circumstantia excommunicationis.

Cordoua in summa *quæst.* 11. dicit simpliciter loquendo non teneri pœnitentem ad explicandam circunstantiam excommunicationis impositæ, sed sufficere explicare peccatum: quia non videtur specialiter prohibitus incursus excommunicationis, nisi quando fortè excommunicatio impediret excommunicatum ab aliquo faciendo, quod facere tenebatur, verbi gratia, à ministrandis Sacramentis, à celebrando, ab exercendo iudicio, &c. Tunc enim erat obligatio peculiaris vitandi illud impedimentum. Cæterùm in ordine ad praxim rarò contingeret, quòd pœnitens posset tacere circunstantiam excommunicationis impositæ: quia nisi per ignorantiam excusetur, debet manifestare excommunicationem, vt ab illa absoluatur: debet item procurare absolutionem ab excommunicatione, antequam absoluatur à peccatis: ergo debet manifestare peccatum, ob quod contraxit excommunicationem, & per consequens prohibitionem humanam: debet enim dicere in particulari inobedientiam, ob quam fuit excommunicatus. Solùm posset deseruire illa doctrina, casu, quo aliquis extra Sacramentum absolutus iam fuisset ab excommunicatione lata ob furtum, verbi gratia, postea verò quando confitetur, non oportebit explicare excommunicationem contractam, à qua iam est legitimè absolutus, sed sufficiet confiteri furtum, & dilationem culpabilem restitutionis.

257. Ex doctrina tradita infertur primò violantem ieiunium, quod duplici titulo debetur, scilicet propter vigiliam alicuius Sancti, & propter quatuor tempora, non debere explicare illos duos titulos, sed dicere, Violaui ieiunium præceptum. Item qui omittit Missam die Dominica, quia occurrit festum alicuius Apostoli, non tenetur explicare illum duplicem titulum obligationis; vt cum communi Doctorum, quos refert, docet Sanchez *dicta disputat.* 15. *numero* 6. Ratio autem est, quia vtrumque præceptum tendit ad eamdem honestatem formalem, scilicet ad honestatem religionis in obseruatione festi, & ad honestatem temperantiæ in ieiunio. Nam licèt illo præcepto intendat etiam Ecclesia cultum, & honorem illius Sancti; id tamen remotum est: quod enim præceptum immediatè intendit, est, quod subditi exerceant actum temperantiæ, vel religionis; hoc autem ipsum ordinat Ecclesia, vt illas piis operibus subditi aptiores sint ad colendum Sanctum, qui tamen non est finis ipsius præcepti, sed præcipientis, & extrinsecus, atque ideò non dat speciem violationi præcepti.

258. Infero secundò, quid dicendum de coniugato peccante cum coniugata, vel de religioso peccante cum religiosa, de quibus aliqui dicunt sufficere explicare speciem adulterij, vel copulæ sacrilegæ, absque eo, quod explicetur id prouenire ex parte vtriusque. Communiter tamen in vtroque casu negant Doctores sufficere, sed dicunt debere

In adulterio an debeat explicari coniugium vtriusque.

explicari ſtatum vtriuſque : cuius rationem Sanchez, Vaſquez, & Salas *locis citatis*, cum aliis deducunt ex eo, quod fiat duplex iniuria in adulterio duabus perſonis, ſcilicet coniugibus vtriuſque : & rurſus quod fiat duplex iniuria Deo in copula vtrinque ſacrilega violando duas perſonas Deo ſacras. Quæ quidem ratio non poteſt ſubſiſtere in ſententia eorum, qui ex ſola pluralitate numerica obiectorum non agnoſcunt plures malitias in eodem actu. Melior ergo ratio reddi poteſt dicendo illas duas malitias non differre ſolùm numero, ſed ſpecie, & ideò debere vtramque explicari : quia diuerſa ſpecie obligatio eſt, qua ego debeo obſeruare votum meum, verbi gratia ab ea, qua debeo non procurare, quod alter violet votum ſuum, ſicut diuerſa ſpecie obligatio eſt, qua debeo eſſe caſtus ab ea, qua debeo non eſſe cauſa alteri, quod peccet contra caſtitatem, vt dixi ſuprà *ſect. præcedent. numero* 151. Debet ergo religioſus explicare votum ſuum, & votum complicis, vt explicet, ſe violaſſe votum ſuum, & fuiſſe cauſam, quod alter violaret etiam ſuum votum. Similiter adulter debet explicare ſe peccaſſe cum coniugata : quia diuerſa obligatio in ſpecie eſt, qua ipſe debet non violare ſuum matrimonium, & qua debet non procurare, quod alter violet ſuum, quam duplicem malitiam non poteſt explicare, niſi explicet ſtatum ſuum, & ſtatum fœminæ, cum qua peccauit.

§. 3. *Explicantur aliæ differentiæ obiectiuæ, an ſint ſpecificæ, & exprimendæ, an ſolùm materiales.*

259. *De odij.* EX doctrina tradita deſcendemus nunc breuiter ad alia exempla particularia, de quibus, in praxi ſolet dubitari, an illæ circunſtantiæ obiectiuæ ſint declarandæ. Quartò ergo dubitari ſolet de peccato odij, an in eo ſit declarandum malum proximo deſideratum ; an ſufficiat dicere, ex odio deſideraui ei malum graue, non declarando, an mortem, infamiam, vel paupertatem, &c. Non eſt autem ſermo, quando deſideraui inferre illud malum : tunc enim certum eſt voluntatem auferendi famam differre ſpecie à voluntate occidendi : ſed ſermo eſt, quando odium ſiſtit in mero deſiderio, quo vellem illi ea mala aliundè euenire, quia mala eius ſunt.

Affirmant multi declarandum eſſe malum quod ex odio deſideratur. Suarez *diſp. 6. de Charit. ſect. 2.* Syluius *ibi quæſt. 34. quæſito 2.* P. Coninx *ibidem diſput. 29. dub. 3. num. 61.* & alij ; quia ſicut voluntas occidendi differt ſpecie à voluntate diffamandi ; ſic dicendum videtur de deſiderio mortis, & deſiderio infamiæ.

260. Alij tamen negant debere declarari illud malum, quod deſideratur. Valentia 3. *tom. diſput. 3. quæſt. 11. punct. 2. tract. 3. cap. 6. concluſ. 8.* Luiſius Turrianus 22. *diſp. 91. de Charit. dub. 1. in fine.* Petrus Lorca *ibi quæſt. 34. art. 3.* Bonacina *in primo præcepto decalog. diſp. 3. quæſt. 5. punct. vltimo. §. 1. num. 10.* Homobonus de bonis *in examin. Eccleſ. part. 1. tract. 6. cap. 25. quæſt. 112.* Diana 1. *tomo tract. de circunſtant. aggrauant. reſol. 30.* & alij ; quorum ſententia probabilis eſt.

Ratione probari ſolet ; quia omnia illa tendunt ad eundem finem, & in malum illius, quem odio proſequimur. Vndè ſicut amor non eſt diuerſus ſpecie propter diuerſa bona, quæ amico volumus ; ſic neque odium propter diuerſa mala, quæ volumus inimico. Hæc tamen ratio difficilis eſt. Primò, quia illa mala in rigore non tendunt in finem, quia non aſſumuntur, vt media ad alium finem ; ſed potius ipſa ſunt quaſi finis ; deſideras enim inimico mortem, quia malum eius eſt, ſiſtendo ibi, nec referendo ad alium finem. Vndè retorquetur exemplum amoris : quando enim deſidero amico honorem, quia bonum eius eſt, honor non refertur in alium finem diſtinctum ab ipſo honore, ſed amatur, vt finis, *qui* ; amicus verò, vt finis *cui* : quare vterque amatur vt obiectum formale, & per conſequens vterque ſpecificat actum : ergo odium etiam non ſolùm ſpecificatur à perſona, cui malum volumus, quæ eſt quaſi finis *cui*, ſed etiam à malo, quod deſideramus, quod eſt quaſi finis *qui*, illius odij. Secundò, quia ſi illa ratio probaret, probaret etiam de affectu, quo non ſolùm deſideramus, ſed volumus inferre malum proximo, non differre ſpecie, pro varietate mali, quod volumus inferre : quia omnia illa mala tendunt ad eundem finem nocendi inimico : ergo ſicut affectus iuuandi amicum, quia amicus eſt, non differunt inter ſe ſpecie pro diuerſitate boni, quod amico volumus afferre : ſic nec affectus, quibus volumus nocere. Conſequens autem eſt manifeſtè falſum : nam voluntas occidendi inimicum differt ſpecie à voluntate diffamandi illum, vel lædendi in bonis fortunæ.

Aliundè poteſt reddi ratio, vel eadem aliter explicari : & in primis fateor illos affectus, quibus deſideratur proximo infamia, vel mors, quatenus talia mala ſunt, differre ſpecie phyſica inter ſe propter diuerſitatem obiecti formalis partialis, nempè mali voliti, vt probat argumentum modò factum ; cum hoc tamen ſtare poteſt, quod de facto affectus odij, quibus deſiderantur ea mala, non differant ſpecie morali ; quia licèt mala illa ſint valdè diuerſa, & ſufficerent ad ſpecificandas diuerſas virtutes, & vitia ſi deſiderarentur, vt talia ſunt : in noſtro tamen caſu non ſufficiunt, quia non deſiderantur, nec attenduntur, quatenus talia ſunt, ſed quatenus ſunt malum proximi, cui deſideratur paupertas ex odio, quia malum eius eſt, ſub qua etiam ratione deſideratur infamia, ægritudo, mors, &c. Cùm ergo differentia talis mali materialiter ſe habeat in ordine ad odium, non mirum, quod in ratione peccati non ſpecificetur à differentia ſpecifica talis mali, ſed à ratione communi mali, quam formaliter intendit. 261.

Vrgebis, quia voluntas nocendi proximo in pecuniis differt ſpecie morali à voluntate nocendi in fama, vel corpore, licèt terminentur ad mala illa, quia mala ſunt, & non quatenus talia mala ; ergo & deſideria eorum malorum poſſunt ſpecie differre, licèt non terminentur ad illa, quatenus talia mala ſunt. Reſpondetur negando conſequentiam. Ratio verò deſumitur ex differentia inter affectum efficacem, & inefficacem : nam voluntas efficax accipit malitiam ſpecificam ex obiecto, etiam materialiter volito ; quia ratione illius opponitur ſufficienter virtuti ſpeciali præcipienti vel prohibenti talem actum, verbi gratia, iuſtitia prohibet lædere ius proximi in fama : huic virtuti aduerſatur, qui vult lædere famam, licèt id ſolùm materialiter velit : non autem aduerſatur, qui deſiderat famam lædi, ſed ipſe non vult illam lædere : peccat tamen contra charitatem, quæ prohibet velle malum proximo. 262. 263.

Ratio autem, cur non detur ſpecialis virtus prohibens deſiderium infamiæ alienæ, ſed ſolùm in genere prohibens deſiderium mali alieni, illa reddi poteſt, quod ex parte proximi eſt ſpecialis indigentia ſuæ famæ, & ſpeciale ius ad il-

lam,

lam, & ex parte nostra est specialis difficultas conseruandi, & non lædendi famam alienam; ideò oportuit specialem virtutem constitui, cui adueršatur, qui famam lædit: sic etiam est specialis virtus præcipiens eleemosynam temporalem in extrema, vel graui necessitate proximi, quia ex parte illius est specialis necessitas, cui debebat subuenire specialis virtus, & ex parte nostra est specialis difficultas, quam debet etiam specialis virtus superare. At verò, vt non desideremus infamiam, vel paupertatem proximi, non est in ipso specialis necessitas, nec in nobis specialis difficultas, sed oritur ex titulo generali coniunctionis, quam proximus habet nobiscum, ex quo nascitur obligatio generalis non desiderandi illi malum: cui obligationi aduersatur desiderium siue famæ, siue paupertatis alienæ, licèt voluntas lædendi in fama non opponatur obligationi solùm communi non lædendi, sed speciali etiam non lædendi in fama. Sed hæc pertinent ad materiam de charitate.

264. Quintò dubitari similiter solet de contumeliis, an debeant explicari in particulari, verbi gratia, quod appellasti eum furem, vel hæreticum, aut patriæ proditorem. Multi dicunt, debere qualitatem contumeliæ explicari: pro qua sententia P. Diana 1 *tom. tract. de circumst. aggrauant. resolut.* 28. affert Thom. Sanchez 1. *tom. in Decalog. lib.* 1. *cap.* 3. *num.* 39. Sed neque in illo capite est numerus 39. neque dicit ibi aliquid ad hoc propositum. Affert etiam Ioannem Sancium *in selectis disput.* 6. *numero* 1. & 2. quem videre non potui; & de ipso etiam valdè dubito: nam idem Diana *tom.* 2. *tract.* 4. *resol.* 67. affert pro contraria sententia eumdem Sancium *disputat.* 5. *num* 10. Alij tamen eam tenent, quos refert idem Diana in illo duplici loco citato.

Contraria sententia verior mihi videtur: pro qua idem Diana *vbi suprà dicto secundo tomo* affert Filliucium *tomo secundo, tractatu vigesimo primo, capite nono, numero trecentesimo vigesimo secundo.* Sed hic Auctor tenet apertè primam sententiam, nec leuiter indicat secundam. Hanc tamen tenent Caietanus 2. 2. *quæst.* 72. *artic.* 2. Azorius *tom.* 3. *lib.* 13. *cap.* 5. *dub.* 1. Reginald. *lib.* 24. *num.* 102. Sà verbo *Contumelia, numero primo*, & Pater Molina *tom.* 5. *de iustit. tract.* 4. *disp.* 19. *num.* 3. vbi rationem optimam reddit, quia scilicet omnes contumeliæ accipiunt malitiam ex eo, quod lædant honorem, sicut furta lædunt fortunas: ergo sicut furta sunt eiusdem speciei in ratione furti, siue hoc modo fiant, siue illo; sic de ablatione honoris dicendum est. Vndè idem dicendum est de detractione non variari specie pro diuersitate materiæ, in qua aufertur fama; quia fama semper est eiusdem speciei in genere moris, similiter in iudicio temerario non oportet explicare materiam, in qua iudicatur, sed sufficit dicere, toties in materia graui temerè iudicaui de aliquibus: quia bona etiam existimatio, quæ per iudicium temerarium aufertur, eiusdem speciei est in genere moris.

Sextò dubitari solet, vtrùm in peccato iactantiæ, quo aliquis se de peccato aliquo iactauit, & laudauit, debeat explicari species peccati, de quo se laudauit. De hoc latè Thom. Sanchez *lib.* 1. *in decalog. capite* 3. cum quo supponendum est, non esse peccatum mortale, per se loquendo, laudare se, vel alium de dexteritate, viribus, aut arte, quam ostendit in peccato aliquo, si appareat non de opere ipso, sed de illa circunstantia laudari, & absit complacentia in opere, aut scandalum, & ansa faciendi quid simile.

Certum est, si simul cum iactantia, aut etiam sine illa interueniat gaudium, aut complacentia de peccato illo, debere explicari speciem peccati præteriti; quia complacentia & gaudium de adulterio specificatur à malitia adulterij, & sic de aliis: solet autem frequenter eiusmodi complacentia interna reperiri, quando aliquis se laudat de peccato. Dubium est, quando non est complacentia, sed merum peccatum iactantiæ, an debeat etiam tunc explicari species peccati, an sufficiat dicere, laudaui me de peccato mortali. Est duplex sententia. Prima affirmat, explicandam speciem peccati, de quo se laudauit, vel gloriatus est. Hanc tenet Thomas Sanchez *loco citato*, qui affert pro se Emanulem Rodriquez, Alcozer, & Ludouicum Lopez: intelligit autem, debere explicari speciem, si ea species in ea iactantia expressa fuit: nam si quis post adulterium commissum, iactauit se de fornicatione, non exprimendo, quod fuit cum circunstantia adulterij, non debet in confessione iactantiæ explicare circunstantiam adulterij, nisi interuenerit etiam complacentia. 267.

Secunda sententia negat, in mero peccato iactantiæ explicandam circunstantiam specificam, sed dicit, sufficere, si dicat: Gloriatus sum de peccato mortali. Hanc tenent Nauarrus *in summa praludio* 9. *n.* 4. in priori editione, Castro Palao *in opere morali tom.* 1. *tract.* 2. *disp.* 2. *punct.* 11. *num* 5. & Diana 2. *tom. tract.* 4. *resol.* 161. 268.

Vtraque sententia videtur mihi probabilis. Fundamentum prioris est, quod iactantia illa de peccato contra castitatem, v. g. opponitur ipsi etiam virtuti castitatis: nam castitas non solùm prohibet copulam illicitam, sed etiam gloriationem, & iactantiam, qua turpitudo contraria videatur approbari. Potest autem hoc fundamentum explicari; quia sicut virtus in communi non solùm obligat ad eam amplectendam, sed etiam, ne condemnetur, aut irreuerenter tractetur; sic quælibet virtus specialis videtur non solùm obligare ad actum, quem directè præcipit, sed etiam indirectè obligat, ne contemnatur, aut irreuerenter tractetur: videtur autem contemni ipsa virtus castitatis, quando aliquis gloriatur, quod ipsius regulam violauerit: peccæ ergo ille contra ipsam etiam virtutem castitatis in speciali. Confirmatur, quia illa iactantia in tantum habet malitiam mortalem in ratione iactantiæ secundùm omnes, in quantum continet irreuerentiam contra legem Dei, de cuius transgressione aliquis gloriatur, sed non minùs continet irreuerentiam contra legem, & regulam castitatis, v. g. Ergo ex hoc etiam capite habebit specialem malitiam explicandam in confessione.

Fundamentum posterioris sententiæ est, quia tota malitia in peccato iactantiæ videtur consistere in eo, quod peccatum accipiatur, vt medium ad captandam ex ipso gloriam, & laudem apud homines: ad hoc autem per accidens se habet, quod sit hoc, vel illud peccatum, de quo gloriam, & laudem humanam captamus. Sicut ergo peccata, quæ fiunt violando votum, semper sunt eiusdem speciei, quia solùm attenditur ad irreuerentiam contra Deum, quæ irrogatur in violatione voti; sic gloriatio de offensa Dei semper erit eiusdem speciei, quia solùm attenditur ad irreuerentiam, quæ fit contra Deum, quatenus ex eius graui offensa volumus gloriam, & laudem consequi. 269.

Hanc rationem confirmare, & explicare possumus, ita vt obiter soluatur argumentum contrariæ sententiæ, quia nimirum malitia grauis, quæ inuenitur in peccato iactantiæ, videtur potissimùm consistere in irreuerentia, quæ videtur 270.

tur irrogari Deo, dum peccator gloriatur de eius offensa; sicut si subditus gloriaretur de proditione, aut de contumelia Principi illata; quo pacto videretur Principi insultare, & eamdem contumeliam iterum inferre. Eiusmodi autem irreuerentiæ genus committitur quidem contra Deum, aut contra naturam aliam intellectualem, quæ est capax reuerentiæ, & cultus absoluti; non verò fit contra castitatem, aut alias virtutes, quæ nequè sunt veræ personæ, nequè sunt capaces veræ reuerentiæ, aut irreuerentiæ absolutæ: ergo malitia grauis, quæ reperitur in iactantia, vt iactantia est, non desumitur per ordinem ad talem virtutem, sed ad Deum, cui peccator insultare videtur.

271. Confirmatur, quia quod attinet ad virtutem ipsam castitatis verbi gratia, magis directè videtur ipsa virtus intendere negationem copulæ illicitæ, quam directè prohibet, quàm negationem iactantiæ: & tamen diximus superius *sect. 4. num. 161.* virtutem castitatis, licèt obliget me grauiter, vt non procurem in aliis copulam illicitam, non tamen obligare semper grauiter, vt præter intentionem sim aliis occasio peccandi contra castitatem, licèt alioquin peccem tunc grauiter contra charitatem, qua proximi ruinam debebam impedire. Si ergo castitas de se non ita grauiter obligat ad non dandam occasionem proximo præter intentionem peccandi contra castitatem: minùs obligabit ad negationem iactantiæ de peccatis contra ipsam, cùm magis distet ab intento directo castitatis, quàm copula illicita mei proximi.

272. Vndè ad fundamentum primæ sententiæ, & ad eius confirmationem dici potest, virtutes singulas obligare quidem grauiter, ne fiat grauis irreuerentia contra ipsas, quæ tunc datur, quando ex contemptu quis peccat: datur autem contemptus grauis, tunc quando aliquis ideò peccat, quia non vult subiici præcepto; imò oportet, quod nolit subiici præcepto simpliciter, & in vniuersum, nec sufficit nolle subiici in aliqua materia leui in particulari, vt cum aliis latè explicat Thom. Sanchez *dicto lib. 1. in decalog. capite 5. numero 11.* In nostro autem casu non interuenit eiusmodi contemptus præcepti, atque ideò non videtur fieri grauiter contra legem castitatis, vt talis est, licèt peccetur grauiter contra reuerentiam legis diuinæ.

273. Hinc infero primò, aliquando in peccato iactantiæ debere explicari speciem peccati, de quo se iactauit, verbi gratia, quando iactatio afferret secum irreuerentiam grauem; non solùm contra Deum, sed etiam contra aliquam personam creatam: vt si aliquis post contumeliam Principi dictam, aut iniuriam contra eius honorem irrogatam se in publico laudaret, & iactaret; quo facto nouam iniuriam videretur Principis honori irrogare: atque ideò oporteret explicare id, de quo esset iactantia propter circunstantiam illam iactantiæ adiunctam.

274. Infero secundò, in peccato iactantiæ præcisè vt iactantia est, parum referre, quod peccatum illud commiserit, vel non commiserit, de quo se iactat, quia in vtroque casu eadem irreuerentia reperitur contra Deum, cùm aliquis Dei offensam assumat, vt materiam propriæ laudis, & gloriæ; quare in confessione sufficit dicere, se de aliquo peccato graui iactasse, & laudasse, vt notat Sanchez *dicto capite 3. num. 5.*

Infero tertiò, laudantem alium de peccato commisso, vel è contra vituperantem, quia non peccauit, teneri regulariter explicare speciem peccati, circa quod est laus, vel vituperatio. Nam præter peccatum, & malitiam iactantiæ, datur ibi malitia scandali, cùm illæ laudes, & vituperia sint exhortationes directè ad illud peccatum committendum, & ad complacendum de illo, si commissum iam est, vt benè notat idem Sanchez *num. 6. & seqq.* Dixi *regulariter*, quia si in absentia laudares, aut vituperares coram iis solis, ad quos res non pertinet, non videtur scandalum directè tendens ad ruinam illorum, qui audiunt, atque ideò ad summum erit declaranda circunstantia scandali, absque eo quod declaretur species peccati, ad quam poterant audientes moueri iuxta id, quod diximus *suprà section. 4. num. 160.* non debere explicari in scandalo speciem peccati, quando non est scandalum directum, sed indirectum, & præter intentionem. Quando autem laudas, vel vituperas præsentem, illa verba æquiualent consilio, atque ideò debet explicari peccatum, quod laudatur, aut vituperatur, sicut si illud determinatè consuleres. Vndè sicut, qui consuluit, sic etiam qui laude, vel vituperio aliquem excitauit ad peccatum iniustitiæ, tenetur restituere, illo non restituente, vt tradunt communiter Doctores, Sanctus Antoninus, & Nauarra, quos refert, & sequitur Sanchez *dicto capite tertio: numero nono*, quæ tamen obligatio restituendi non nasceretur in priori casu, quando ex laudatione absentis alij præsentes excitarentur ad aliud simile faciendum præter intentionem laudantis.

Hinc potest esse septimum dubium, an in peccato Consilij de opere illicito, debeat explicari species peccati, quod consuluisti; an verò sufficiat dicere: consilium dedi de peccato mortali faciendo. Nam Medina *in prima secundæ, quæstione 14. articulo 6.* refert sententiam aliquorum, qui eodem modo sentiunt in consilio, sicut in iactantia, & dicunt, non esse explicandam materiam consilij praui. Quam sententiam ipse acriter reprobat. & meritò, quia verè consilium specificatur à peccato, quod consulitur, atque adeò habet duplicem malitiam: alteram contra charitatem proximi, quem consulens suo consilio inducit ad peccatum: alteram contra illam virtutem specialem, cui aduersatur peccatum, quod consulitur: quia, vt suprà diximus, singulæ virtutes obligant, non solùm ad opus, quod directè præcipiunt, sed etiam ad non procurandum directè, & ex intentione, quod alij violent præceptum talis virtutis. Consilium autem ex intentione directa consulentis tendit ad procurandum, quod proximus violet præceptum talis virtutis, atque adeò contrahit malitiam specialem contra illam virtutem.

Dices, ergo grauiùs peccat, qui alteri consulit peccatum luxuriæ, aut periurij, verbi gratia, quàm si ipsemet committeret illud peccatum: nam fornicator contrahit vnicam malitiam contra castitatem, qui autem dat consilium, contrahit duas; vnam contra charitatem proximi, & alteram contra castitatem. Respondetur, in aliquibus peccatis, facilè posse concedi, peccare grauiùs consulentem, vt in homicidio, verbi gratia, nam qui imperat, vel consulit homicidium, homicida est, & aliundè committit peccatum scandali grauissimi contra proximum, cuius conscientiam lædit: atque ideò grauiùs peccare, quàm si per se ipsum solum occideret, indicat Salas *2. tom. in 1. 2. tract. 13. disp. 5. sect. 15. n. 158.* In aliis autem peccatis negari potest, vt in materia luxuriæ v. g. quia licèt consilium excedat in malitia scandali, quam addit fornicatio, tamen excedit aliundè, eo quod magis opponatur castitati

castitati, quæ magis obligat singulos ad seruandam castitatem in seipsis, quàm ad procurandam castitatem in aliis, sicut & virtus pœnitentiæ magis obligat ad dolendum de propriis peccatis quàm ad procurandam pœnitentiam aliorum: hic autem excessus videtur compensare, & superare illum alium excessum, quo consilium excedit propter circunstantiam scandali.

277. De blasphemia. Octauò dubitatur de peccato blasphemiæ, an oporteat explicare qualitatem blasphemiæ; an sufficiat accusare se de blasphemia. Caiet. *in summa*, verbo *blasphemia*, dicit omnes blasphemias esse eiusdem speciei: quam sententiam tenent multi, quos refert, & sequitur Diana *1. tom. tract. de circunstant. aggrauant. resol. 50.* scilicet Azor, Lazarius, Gyptius, & Homobonus: refert etiam Valentiam *tom. 3. disp. 13. punct. 1.* vbi §. *Quocumque igitur modo*, dicit omnibus modis ibi enumeratis blasphemiam esse eiusdem speciei, sed revera Valentia ibi nondum loquutus fuerat de blasphemiis in sanctos, sed de diuersis modis blasphemiæ in Deum, qui omnes concludit pertinere ad eamdem speciem.

278. Contraria sententia verior est, blasphemiam scilicet in sanctos differre specie ab illa, quæ est contra Deum: hanc tenent Suarez *tom. 1. de Relig. tract. 3. lib. 1. c. 6. num. 18. & 19.* Turrianus *2. 2. disp. 58, dub. 3.* Reginald. *tom. 2. lib. 18. num. 210.* Sanctarellus *tract. de hæresi, cap. 4. dub. 1. n. 4.* Layman. *lib. 4. tract. 10. c. 6. num. 11.* Thom. Sanchez *lib. 2. in decalog. c. 32. num. 39. post medium*, vbi Suarij sententiam quoad distinctionem specificam approbat Bañes, Ludouic. Lopez, Filliucius, Aragon, quos refert Diana *loco citato*.

275. 279. Et quidem, si sermo sit de blasphemiis hæreticalibus, ratio videtur clara, quod debeant explicari, vt peccata specie diuersa: quia si dicantur cum assensu interno, iam continet malitiam hæresis, si verò desit assensus internus, vt plerumque contingit; adhuc opponuntur præcepto confessionis fidei, cui aduersatur negatio externa fidei, etiamsi desit dissensus internus. Si verò sermo sit de blasphemiis, quæ proferuntur contra sanctos hæ videntur etiam differre specie ab illis, quæ proferuntur contra solum Deum. Nam virtus, quæ inclinat ad colendum sanctum propter excellentiam creatam, & propriam ipsius sancti, appellatur *Dulia*, & differt specie à virtute Religionis propriæ, quæ præcipit cultum Dei propter excellentiam increatam Dei, de quo dixi latè *disp. 35. de incarnat. sect. 1.* vbi etiam aduerti irreuerentiam, quæ fit contra aliquem sanctum, semper habere duplicem malitiam contra illam duplicem virtutem: ex illa enim irreuerentia redundat irreuerentia contra ipsum Deum propter peculiarem coniunctionem, quam habet cum sancto, & licèt non intendatur irreuerentia Dei, sufficit tamen indirecta volitio ad contrahendam malitiam, licèt id non sufficiat ad refundendam bonitatem moralem, vt suppono ex 1. 2. Cùm ergo blasphemia in sanctum opponatur non solùm iuri peculiari, quod habet Deus ad suum cultum, sed etiam iuri peculiari, quod habet ille sanctus ad cultum proprium, quæ duo iura sunt specie, & genere diuersa propter diuersitatem excellentiæ, à qua oriuntur, consequens est, vt blasphemia contra sanctum habeat aliquid, per quod differat specie à blasphemia contra solum Deum.

276. 280. An verò blasphemia contra Beatam Virginem differat specie ab iis, quæ proferuntur contra alios sanctos, pendet ex illa quæstione, an hyperdulia, qua colitur virgo Deipara, differat specie à dulia, qua coluntur alij sancti: de quo dixi dicta *disp. 35. sect. 2.* vbi asserui specie differre propter diuersitatem maximam excellentiæ, in qua fundatur cultus Deiparæ, nempè tituli maternitatis. At vero blasphemiæ in alios sanctos videntur omnes pertinere posse ad eamdem speciem, atque adeò non debere explicari, contra quem Sanctum prolatæ fuerint.

281. *De voto, & Iramento.* Pro contraria sententia argui potest ab exemplo voti, quod quidem non differt specie, siue fiat Deo, siue Beatæ Virgini, siue aliis sanctis: & idem argumentum fieri potest in iuramentis, quæ omnia sunt eiusdem speciei, siue iuretur per Deum, siue per sanctos: & tamen in voto etiam, & in iuramento tribuitur honor peculiaris illi, ad quem votum dirigitur, seu per quem iuratur, & per consequens per voti violationem, aut periurium fit irreuerentia, non solùm Deo, sed sanctis, quibus votum factum est, aut per quos iuratur: ergo sicut violatio voti, aut periurium non variatur specie ex hoc capite, sic nec blasphemiæ debent variari.

282. Omissis aliis solutionibus respondeo, duplici modo posse intrare Virginem Deiparam, vel alios sanctos in votum, vel in iuramentum. Primò, si promittis aliquid Deo in honorem talis sancti, vel etiam ipsum sanctum aduocas in testem promissionis, & voti ad maiorem voti confirmationem. Similiter in iuramento potes iurare per sanctum, non sistendo in ipso, sed sicut iuras per cælum, aut per thronum Dei, quod est iurare per Deum ipsum, qui in tali creatura magis resplendet; sic etiam iurando per sanctos, non adducimus illos in testes rei, quam iuramus, sed Deum, qui in illis sanctis magis resplendet. Secundo modo posset intelligi fieri votum ipsi sancto, ita vt promissio non fiat Deo, sed tali sancto propter eius excellentiam propriam, cui illum cultum tribuere volumus. Similiter possemus velle sanctum aliquem adducere in testem rei, quam affirmamus, non adducendo Deum in testem, sed talem sanctum propter auctoritatem quam habet, non solùm humanam, & politicam, sed etiam sacram, & prouenientem ex ipso statu beatitudinis.

283. Si primo modo votum fiat sancto; tunc est verè, & propriè votum, quia verè promissio fit Deo in honorem sancti, vel coram illo Sancto. atque ideò manet semper intra eamdem speciem, & eius violatio pertinet ad eamdem speciem contra religionem. Si verò votum fiat secundo modo propter talem excellentiam sancti, cui soli deferimus illum cultum, & promittere volumus; tunc pertinet ad diuersam speciem: quia non est actus Latriæ, seu Duliæ, quæ est diuersa virtus, imò strictè loquendo non est votum, sed largius accepto voti vocabulo, provt extendi solet ad omnem promissionem sacram, sed est promissio orta ex obseruantia erga excellentiam creatam. Vndè Valentia *tom. 3. disp. 6. punct. 5. §. Quod si quis fortè*, dixit illum non esse actum religionis, sicut nec est actus religionis promissio illa, qua homo homini sese obstringit, sed esse actum alterius virtutis nempè singularis obseruantiæ: quare cum votum strictè sumptum sit actus religionis, & latriæ, illa promissio non erit votum strictè acceptum, nec eiusdem speciei, sed diuersæ, vt fatetur Suarez *tom. 2. de relig. lib. 1. de voto, c. 10. num. 8. & seqq.* vbi explicat varios modos, quibus potest promissio ad sanctos terminari.

284. Aduerte tamen primò, licèt promissio fieret sancto, cui, & non alteri, vis promittere, & obligari, quem vis colere propter eius excellentiam, & sanctitatem creatam, & à quo velles aliquod beneficium impetrare, adhuc promissionem illam dispensari, vel commutari posse per potestatem

Ecclesiasticam, sicut alia vota propria, quæ fiunt Deo, vt notauit idem Suarez *lib.6.de voto c.15.n.10.* & Thomas Sanchez *lib.4.de voto c.41.n.12.* qui varias afferunt rationes, quas non vacat examinare; nec omnes sunt efficaces.

Ratio potissima ea videtur esse quæ desumitur ex plenitudine potestatis, quàm Christus Ecclesiæ contulit, cui, seu eius capiti dedit claues cœli, hoc est, talem tantamque potestatem, vt quæcumque solueret in terris, essent soluta & in cœlo: quibus verbis non alligauit potestatem ad relaxandas promissiones factas Deo, sed comprehendit eas etiam, quæ toti cælesti curiæ, cuius claues dabat, faciendæ essent, quod ex vsu Ecclesiæ satis constat, quæ semper agnouit in se eiusmodi potestatem.

285. Secundò, & ad rem nostram aduertendum est, quando Doctores communiter dicunt vota omnia esse eiusdem speciei, & votorum transgressiones esse omninò eiusdem speciei infimæ, provt dicit Sanchez *lib.4.de voto cap.11. n.23.* intelligi debere de voto, provt præcisè stat intra terminos voti, seu promissionis factæ Deo: loquuntur autem ita vniuersaliter, quia supponunt, promissiones etiam illas, quibus homines solent aliquid promittere Beatæ Virgini, vel aliis Sanctis, ex intentione voentium, esse promissiones, & vota, quæ fiunt Deo, cui vouent aliquid in honorem talis Sancti. Vndè violato illo voto, se accusant de fide violata ipsi Deo, vt notauit Suarez *dicto lib.1.de voto cap. 16. num.13 & 14.* & Lessius *lib.2.de iust.cap.40.dub.3. num.27.*

286. Similiter cum proportione dicendum de iuramento: num proprium, & verum iuramentum semper debet fieri per Deum adducendo eum in testem propter infinitam eius veracitatem, & sapientiam, quam in ipso iuramento agnoscimus, & veneramur: atque ideò iuramentum est cultus latriæ, qui nullo modo potest exhiberi creaturæ sistendo in ipsa, sed transeundo ad Deum: vndè non mirum, quod iuramenta sint eiusdem speciei, etiam quando iuratur per Sanctos, quia, vt notauit Suarez *eodem tom. 1.de relig. lib. 1. de iuram.cap.5.num. 10.* & Lessius *vbi suprà cap.42.dub.1. num.6.* semper intentio iurantis, eo ipso quod iurare vult, est adducere ipsum Deum in testem, alioquin non vult iurare.

287. Quod si animus expressus esset adducere in testem ipsum Sanctum propter eius sapientiam, & veracitatem, quam ex statu beatitudinis participat, provt posse adduci diximus, illud non esset iuramentum, sed cultus duliæ, quem Sancto tribuimus, vt notauit Suarez *illo cap.5.num.12.* & Lessius *loco citato*; atque adeò differret specie à vero iuramento. Credo tamen, quod adhuc contineret peccatum mortale, si fieret cum mendacio: imò quod haberet malitiam contra propriam Religionem, & cultum Dei; quia sicut supra dicebamus, blasphemiam in Sanctum continere etiam malitiam contra Religionem, quia ex inhonoratione Sancti redundat in honoratio ipsius Dei, cum quo Sanctus habet adeò specialem coniunctionem; licèt cultus Sancti non semper participet honestatem latriæ, & cultus diuini, quia ad contrahendam malitiam non requiritur intendere illam sicut ad honestatem: sic dicendum videtur, quod licèt illa attestatio alicuius Sancti non semper esset cultus Dei, nec latriæ, quando solum intenditur cultus ipsius Sancti propter suam excellentiam: peccatum tamen, quod in illa falsa attestatione Sancti committeretur, semper haberet vtramque malitiam, scilicet, & contra Deum, in quem redundat illa dehonoratio Sancti, & in ipsum Sanctum, quem volumus facere testem mendacij; quare ex hoc saltem capite differret specie ab aliis periuriis, quæ non habent hanc specialem malitiam contra auctoritatem ipsius Sancti, sed contra auctoritatem solius Dei.

Nonò dubitari potest de peccato hæresis, an in illo necesse sit explicare qualitates hæresis, an sufficiat confiteri hæresim, non explicando articulum negatum, nec an fuerit Caluiniana, vel Arriana, &c. de quo aliquid dici solet *2.2.q.10.art.5.* vbi S. Thomas tres species diuersas infidelitatis assignauit, scilicet, Paganismum, Iudaismum, & hæresim: quam diuisionem in toto rigore defendentes dicunt, illa esse peccata specie diuersa, pro qua sententia Pater Diana *tom.1.tract.de circunst. resolut.54.* affert Suarium *disp.16.de fide sect.5.in fine*, qui tamen ibi id non dicit, sed solùm differre Apostasiam specie ab infidelitate, quando Apostasia committitur post Baptismum susceptum, & infidelitas ante Baptismum; secùs verò si vtraque sit ante, vel post Baptismum: vndè paulò ante *sect. 4. in fine* expresè dicit, illa tria peccata non distingui specie propria, & essentiali. Citat etiam Petrum Lorca *2. 2.quæst. 12. diff. 50.num.3.* Sed neque hic Auctor id dicit, sed docet ibi, Apostasiam esse quid commune ad illas tres species infidelitatis, & ideò differre ab hæresi, vt superius ab inferiori. Cæterum ibidem, & superiùs *dicta quæst. 10. art. 5. num. 8.* expresè dixit, illas tres non esse propriè species diuersas essentialiter inter se: illam tamen sententiam, quod tria illa peccata specie propria differant, tenent plures Thomistæ, quos sequitur Malderus *2.2. quæst.10.art.5.* Bonacina *in 1. decal.præcepto disp.3.quæst.2. punct. 6. num. 2.* & alij, quos refert Suarez *dict.sect.4.n.7.* Alij verò plures dicunt non differre specie propria, ita Suarez ibi, Turrianus *de fide disp. 5. dub. 4.* Coninch *de fide disp.18. dub. 6. n.64.* Castro Palao *tom.1. tract. 4. disp. 2. punct. 1.* & alij Recentiores communiter. 288. De peccato hæresis.

289. Comparando verò diuersas hæreses inter se, dicunt communiter, illas non differre specie inter se. Ita Reginald. *in Praxi tom.1.lib.6.cap.4. num.114.* & idem supponit à fortiori Lorca *vbi suprà n.8.* & illi omnes, qui tenent Paganismum, Iudaismum, & hæresim non differre specie inter se, & denique post alios Diana, *vbi suprà resol.46.* qui affert pro illa Sotum *in 4. dist. 18. q. 2.artic. 4. concluf. 6.* Sed Sotus ibi eam non tenet: solùm dixit, diuinationem per aquam non differre specie à diuinatione per astra, vel per terram: de hæresi autem non loquitur Turrianus, tamen *dict.disp.50.dub.4.in principio* dicit, communiter recipi apud Thomistas, quod differentiæ secundùm malos errores non constituunt differentiam essentialem infidelitatis. Alij tamen dicunt, differre specie sectam à secta pro diuersitate articulorum, quos negat. Ita Castro Palao *loco suprà citato num. 6.*

290. Denique in ordine ad confessionem, an sit obligatio explicandi has differentias: multi dicunt, esse obligationem explicandi illas tres species, Paganismi, Iudaismi, & hæresis, siue sint propriæ species, siue impropriæ. Valentia *3. tom. disput. 1. quæst. 10. punct. 3.* dicit hoc extra controuersiam esse. Idem videtur docere Thomas Sanchez *lib. 2. in decalog. cap.7.num.17.* Petrus Lorca *dict. art. 5. num. 9.* Sanchez *dicta sect. 4. num.14.* & alij plures apud Sanchez. Quorum aliqui dicunt, explicandam etiam esse sectam hæreticorum, quam quis amplectitur. Ita Valentia, Sanchez, & Castro Palao locis citatis: Suarez verò magis vniuersaliter dicit, declarandos esse errores, in quo peccator incidit, quam etiam vniuersaliter videntur amplecti Valentia, & Sanchez suprà adducti. Eos tamen errores 290. De Paganismo, Iudaismo, Hæresi.

rores diuersos non esse in confessione declarandos, docet Reginaldus *loco citato*, quem sequitur Diana *dicta resol.* 46. qui dicunt, non esse explicandum Caluinismum, aut Lutheranismum, in quem incidit, sed sufficere dicere: toties lapsus sum in hæresim.

291. Ego, retentâ nostrâ sententiâ de circumstantiis aggrauantibus intra eandem speciem non necessariò declarandis, adhuc existimo, declarandum esse Paganismum, Iudaismum, & hæresim: imò idem iudico de secta hæreticorum, quam in particulari aliquis amplexus est: quia existimo, eiusmodi peccata specie differre.

Probant aliqui hanc conclusionem: quia quælibet fidei negatio continet blasphemiam aduersùs Deum, & eius fidem: sed negari non potest esse blasphemiam specie diuersam in plurium articulorum negationibus: negare namque Spiritus sancti diuinitatem, grauius est, & magis iniuriosum Deo, quam negare esse in Ecclesia Sacramentum Confirmationis, ergo saltem pro diuersitate harum blasphemiarum, manifestandus erit paganismus, verbi gratia, aut Iudaismus in speciali, quia plures blasphemias, & diuersas continet vnus ab alio, & vterque ab hæresi. Ita arguit Castro Palao *illo.n.6.* Hæc tamen ratio non est efficax: vidimus enim supra blasphemias ipsas non esse diuersas specie intra se, cùm omnes tendant ad tollendum honorem diuinum: solúmque differre specie blasphemias hæreticales à non hæreticalibus, & blasphemias in Sanctos à blasphemiis in ipsum Deum: ergo ex varietate blasphemiarum contra ipsum Deum non possunt illæ sectæ, aut infidelitates accipere diuersitatem specificam.

292. Meliùs probatur hoc ipsum alia ratione, qua vtitur etiam prædictus Auctor, quia scilicet, quamuis illæ diuersæ sectæ non differant specie, quatenus præcisè opponuntur contra fidem, & negant diuinam auctoritatem, & Dei testimonium: differunt tamen, quatenus opponuntur religioni, cùm singulæ sectæ includant aliquas cæremonias, vel ritus continentes malitiam specie diuersam, verbi gratia, Iudaismus continet circumcisionem, quæ habet malitiam superstitionis: Paganismus includit idololatriam, quæ habet malitiam specie diuersam: Caluinismus habet vsum Sacramenti inualidi in Eucharistia, & sic de aliis: cùm ergo ille, qui amplectitur aliquam sectam, amplectatur eius ritus & mores, eo ipso habet voluntatem, & propositum faciendi illa peccata specie diuersa, quæ in exercitio illius sectæ includuntur: vnde licèt lapsus in alias sectas non differant specie inter se ex parte termini *à quo*, quia per omnes receditur ab eâdem fide, differunt tamen ex parte termini, *ad quem*: quatenus per singulas acceditur ad peccata specie diuersa, vt si in aliqua secta sit error circa matrimonium, ratione cuius matrimonia sint inualida; iam eo ipso illa secta includit peccata fornicationis, quæ ex defectu matrimonij validi fiunt à quolibet coniuge viuente secundum ritum illius sectæ: debet ergo explicari, qualis sit illa secta, vt explicetur species peccati, quod committitur, illam sectam cum suis ritibus, & moribus amplectendo.

293. Hinc infero primò non oportere explicare errores speculatiuos contra fidem, aut eorum diuersitatem, vt si quis nullam sectam amplectens, erraret culpabiliter circa Trinitatem, vel circa Incarnationem, sufficeret dicere, erraui culpabiliter, & aduertenter circa mysteria nostræ fidei: quia omnia illa peccata, seclusis aliis extrinsecis, quæ dicebamus, sunt eiusdem speciei, cùm omnia opponantur eidem obligationi credendi, seu non negandi doctrinam diuinam sufficienter propositam. Hoc est contra Valentiam supra adductum dicentem, explicandam esse qualitatem erroris, in quem inciditur: quia multum refert, an quis Trinitatem negauerit, an Paulum fuisse Hierosolymæ: cuius doctrinam approbarunt Sanchez, & Suarez supra adducti. Cæterùm cum illa vniuersalitate non videtur vera: quia licèt hæresis externa continens blasphemiam debeat explicari, non solùm vt hæresis, sed vt blasphemia, non tamen omnes hæreses etiam externæ, & verbo prolatæ continent blasphemiam, vt obseruauit post alios Lorca 1. 2. *quæst.* 13. *articul.* 2. *num.* 6. Cuius exemplum affert in eo, qui dicit, Sacramenta Ecclesiæ non esse septem. Ratio autem est; quia blasphemia debet continere conuitium, aut contumeliam in Deum: quod non reperitur in omni propositione contra fidem, vt constat ex adducto exemplo de eo, qui negaret Sanctum Paulum Hierosolymæ fuisse: illa ergo doctrina de necessitate explicandi errores, locum habet, quando error ille exteriùs prolatus contineret blasphemiam: quando verò eam non continet, non video, ad quid sit necessariò explicandus.

Infero secundò, quid dicendum sit de peccato Apostasiæ, an sit circumstantia necessariò explicanda in peccato infidelitatis? Suppono autem *Apostasiæ* nomine significari infidelitatem, qua quis relinquit in totum, vel saltem in parte fidem quam semel suscepit. Quæritur ergo, an sufficiat pœnitenti dicere, amplexus sum sectam Caluini, vel Iudaismum: an verò oporteat dicere, reliqui Catholicam, quam profitebar, & transij ad Caluinismum. 294. *De circumstantia Apostasiæ.*

Multi dicunt, esse explicandam circumstantiam illam, quos refert, & sequitur Sanchez *dicto cap. 7. num.* 17. quia est circumstantia notabiliter aggrauans. Alij addunt, esse explicandam, quia addit malitiam specie diuersam. Ita Suarez *dicta sect. 5. num.* 10. saltem quando deseritur fides in Baptismo suscepta, & probabile esse de omni Apostasia, docet Castro Palao 1. *tom. tract. 4. disputatione 2. puncto 1. numero* 10. cum aliis, quos refert Diana *dicto tractatu de circumst. resolutione* 54.

Probat Suarez illam differentiam specificam, quia Apostasia post fidem susceptam in Baptismo vltra malitiam infidelitatis, continet malitiam contra promissionem, quæ fit in Baptismo, seu contra pactum cum Ecclesia initum, & obedientiam illi præstitam. Vnde licèt Apostasia non sit species diuersa infidelitatis, erit tamen species contra religionem, aut iustitiam, quibus videtur peculiariter opponi propter illam promissionem. 295.

Hæc ratio non est efficax; quia verior sententia docet in Baptismo nullum fieri votum, aut promissionem, vt cum aliis docet Thomas Sanchez *lib. 4. de voto, cap. 1. num. vlt.* Adde paruulos nullo modo facere tale votum, aut promissionem, atque ideo non peccare contra illam. Quod verò addit de malitia Apostasiæ contra obedientiam præstitam Ecclesiæ in Baptismo, posset magis apparenter ostendere aliquam specialem malitiam, quia siue sit paruulus, siue adultus, contrahit per Baptismum specialem subiectionem ad Ecclesiam à qua dum se per Apostasiam subtrahit, & transit ad aliam sectam, videtur peccare contra illud ius, & iurisdictionem, quam Ecclesia acquisiuit in ipsum. Cæterum quidquid sit, an hæc sit circumstantia addens malitiam specificam; hæc

tamen non est propriè Apostasiæ : quia hæreticus etiam qui numquam susceperit fidem Catholicam, sed baptizatus est in hæresi, adhuc per baptismum contraxit illam subiectionem, & debitum obedientiæ respectu Ecclesiæ, contra quod debitum peccat subtrahendo se per hæresim à subiectione debita Ecclesiæ, & tamen ille, dum perseverat in hæresi, non est Apostata. Deinde tota illa malitia, quæcumque illa sit, non est necesse, quod explicetur : nam eo ipso quod pœnitens accusat se, quod inciderit in Caluinismum, aut Iudidaismum, verbi gratia, explicat, quod peccauerit contra debitum obedientiæ, & subiectionis respectu Ecclesiæ. Cùm enim peccatum infidelitatis non possit esse materia Sacramenti Pœnitentiæ, nisi sit commissum post baptismum eo ipso, quod in hoc Sacramento se accusat de illo peccato, explicat, id factum fuisse post baptismum, atque adeò violasse obligationem, quam ex baptismo habebat non subtrahendi se ab obedientia, & iurisdictione Ecclesiæ.

296. Aliter probat Castro Palao illam diuersitatem specificam ex Apostasia prouenientem : fatetur enim non esse malitiam specificam infidelitatis, sed dicit esse contra religionem propter irreuerentiam, & iniuriam specialem; quæ videtur irrogari fidei per baptismum susceptæ, eam deserendo. Sed neque hoc probat esse explicandam eam circumstantiam : quia vel illa irreuerentia specialis consistit in hoc, quod fides semel susceptа vt vera, postea reiiciatur, per quam repulsam videtur dehonorari, & cõtemni plusquam, si nunquam fuisset recepta. Et hoc quidem fateor addere aliquam grauitatem in illo peccato, sed non diuersitatem specificam. Sicut neque in aliis virtutibus : non enim differt specie intemperantia illius, qui setiò virtutem temperantiæ amplexus fuerat, ab intemperantia alterius, qui semper fuit intemperans, & sic de aliis. Vel consistit illa specialis irreuerentia in eo quod baptismus ipse afferat peculiarem titulum colendi fidem illam, cuius professio implicita est in baptismo : vt neque ex hoc capite videtur explicanda, quia si revera datur talis specialis obligatio, sufficienter explicatur tota illa malitia, vt dicebamus eo ipso quod homo baptizatus se accusat de peccato contra fidem, seu de fide negata : nam eo ipso supponit peccatum illud fuisse commissum post baptismum, & post totam obligationem ex baptismo prouenientem. Restat ergo, vt si semel explicetur infidelitas, & qualitas sectæ, quam amplexus est propter peccata specialia, quæ singulæ sectæ continent, vt suprà dixi, non sit necessariò explicanda circumstantia Apostasiæ iuxta sententiam negantem obligationem explicandi circumstantias aggrauantes intra eamdem speciem.

SECTIO VI.

De eadem circumstantia Quid : *prout se tenet ex parte personæ, ad quam terminatur peccatum.*

297. SVb hoc etiam titulo multa dubia practica continentur, quæ breuiter attingemus, & quidem regula generalis est, tunc circumstantiam personæ, cum qua peccatur, vel ad quam peccatum terminatur, explicandam esse, quando refundit malitiam specie diuersam, vt si percussio sit personæ sacræ, explicanda est ea circunstantia, quia affert nouam, & diuersam speciem sactilegij. Nunc dicemus de aliquibus personarum conditionibus de quibus magis potest dubitari, an afferant malitiam specie diuersam.

§. 1. *An coniunctio personæ sit declaranda in odio, vel iniuria?*

COmmuniter Doctores dicunt odium parentum habere malitiam specialem necessariò explicandam in confessione. Nauarrus *in Manual. c.* 14. *n.* 11. Sà, verbo *confessio, n.* 23. Azor *tom.* 2. *lib.* 2. *cap.* 2. *quæst.* 2. qui alios plures refert. Aliqui vniuersaliter hoc extendunt ad iniuriam in parentem. Ita Bonacina *de pœnit. disp.* 5. *quæst.* 5. *sect.* 2. *punct.* 2. §. 3. *diffic.* 3. *num.* 15. & in peccato detractationis id expresè tenet Sotus *in* 4. *dist.* 18. *quæst.* 2. *art.* 5. *column. antepenult.* Quidam etiam id extendunt ad peccatum contra Principem, vel superiorem. Ita Bonacina *loco citato* : vbi cum aliis id extendit ad iniuriam, quæ fit Sacerdoti propter peculiarem reuerentiam quæ illi debetur : secus tamen si illata sit viro nobili, vel cognato, vel benefactori : hæc enim non videntur afferre malitiam specie diuersam. Alij tamen id etiam dicunt habere locum, quando iniuria fit contra insignem benefactorem. Ita Caiet. apud Sà *loco citat.* quod ipse non reprobat. Alij dicunt, non omnem iniuriam, detractionem, vel odium in parentes habere circumstantiam grauem necessariò explicandam, licèt sit peccatum mortale. Ita Cordubа *in summa quæst.* 14. Hæc sparsim apud Auctores habentur de hac circunstantia. 298.

Ego puto non posse in hoc puncto dari vnam regulam vniuersalem : aliquando enim circumstantia personæ coniunctæ, contra quam peccatur, explicanda erit, aliquando non erit : quod quidem pendet ex qualitate offensæ, & ex gradu coniunctionis. Vnde si parentes à filio percutiantur, si occidantur, si afficiantur contumeliis, si infamentur; peccata illa habent procul dubio circumstantiam specialem contra pietatem, amorem, & reuerentiam parentibus debitam, quæ grauiter læduntur per hiusmodi peccata. Ex hoc tamen non fit, quod omnis iniuria grauis quæ fit contra patrem, habeat illam aliam malitiam specificam contra pietatem, & debeat in confessione explicari. Nam si filius furatur patri id, quod sufficit ad peccatum mortale furti contra iustitiam, non semper peccat grauiter contra pietatem, aut tenetur eam circumstantiam explicare, sed sufficit, quod se accuset de furto graui, obseruauit Molina 1. *tom. de iustit. disp.* 7. *circa finem*; quia licèt furtum illud opponatur grauiter contra iustitiam, & contra id, quod iustitia intendit, nempe quod vnusquisque habeat, quod suum est : non tamen opponitur grauiter contra id, quod pietas & reuerentia contra patrem exigit. Rationem autem à priori huius differentiæ explicui latè *in tractatu de iustitia* & *iure*, ad quem locum spectat fusior explicatio huius doctrinæ. Quia scilicet illud solùm est grauiter contra pietatem, quod secundùm se grauiter lædit bonum, quod filius procurare, & desiderare debet parentibus; quale est bonum vitæ, salutis, incolumitatis, honoris, existimationis : non est autem tale malum, quod patitur pater ex ablatione alicuius pecuniæ : nam licèt illud grauiter prohibeatur à iustitia, id tamen non est præcisè propter illud malum in se consideratum, sed propter damnum, quod pateretur pater, si singuli possent illi auferre illam summam pecuniæ, ad hoc enim vitandũ oportuit illicitam reddi ablationem talis summæ. Hoc autem damnum graue non sequitur ex eo, quod filius illicitè auferat illam summam; ex hoc enim non sequitur, quod multi similem quantitatem possint auferre; cùm nec filius ipse licitè, & sine peccato accipiat, sed contra iustitiam, & cum obligatione restituendi. Non ergo opponitur grauiter 299. 300.

ter amori debito illud damnum non impedire, adhuc enim stat amor filij erga patrem, cui illud damnum infert, quia videt patrem non pati graue damnum ex acceptatione illicita.

298. 301. *De detractione.* Hinc infero primò aliud esse dicendum in peccato detractionis grauis: per illam enim non solùm arguitiuè, & consequenter, sed absolutè, & immediatè læditur grauiter pater in bona existimatione, atque ideò non stat amor debitus filij erga patrem cuius existimationem bonam non solùm non procurat, sed positiuè destruit: quare in eiusmodi peccato semper videtur explicanda ea circumstantia, provt dicebat Sotus *loco citato.*

De furto filij. Infero secundò aliquod posse esse furtum filij, per quod non solùm arguitiuè, sed etiam immediatè inferatur adeo graue damnum patri, vt opponatur grauiter, non solùm contra iustitiam, sed etiam contra pietatem, & cum quo non possit stare amor debitus filij erga patrem; atque ideo tunc explicanda etiam esset circumstantia illa contra pietatem, licèt in aliis furtis minoribus non esset explicanda.

302. Dices, cur non poterit hoc ipsum reperiri in peccato detractionis, vt per aliquam detractionem auferatur fama patris grauiter solùm contra iustitiam, quatenus illa læsio famæ prohibetur præcepto iustitiæ, non propter malum graue, quod affert in se immediatè, sed propter damnum graue, quod afferret, si non prohiberetur grauiter talis læsio famæ, & omnes possent tantam læsionem ponere absque graui peccato, sicut diximus de læsione in pecunia? Respondetur rationem desumi ex diuersa conditione vtriusque boni: nam multiplicatio damni, quæ sequeretur in pecunia, ex eo, quod esset licita acceptio vnius aurei, v. g. facilè perueniret ad graue admodum detrimentum in fortunis; quia illæ læsiones vniuntur facilè ad conflandam summam talem, cuius iactura afferret maximam damnum: at verò læsiones in fama, quarum singulæ in seipsis non afferrent graue detrimentum absolutum, & immediatum, non facile vniuntur, vt conflent vnam infamiam notabilem, vt experientia constat, quod idem est in læsione honoris, sicut & in læsionibus contra corporis, & sanitatis bona: ideo in iis generibus bonorum, illa solùm censetur læsio grauis contra iustitiam, quæ de se, & immediatè affert absolutum, & graue detrimentum: vnde quoties in iis peccatur grauiter contra iustitiam, peccatur etiam grauiter contra pietatem, & oportet eam circumstantiam explicare.

299. Infero tertiò in peccatis odij à fortiori explicandam esse eam circumstantiam, quod sint contra parentes: hæc enim sunt magis directè contra amorem parentibus debitum, nec possunt vllo modo stare cum eiusmodi affectu amoris. Imò licèt filius non desideret malum patris ex proprio affectu odij quia malum patris est, sed vt ipse filius, v. g. habere possit maiorem libertatem, & facultatem peccandi: adhuc explicanda esset circunstantia illa: quia adhuc opponitur affectui amoris, quem patri debebat filius.

300. 304. Infero quartò idem ferè dicendum esse in peccatis parentum contra filios: nam licèt maius sit debitum filij erga patrem, quàm patris erga filium, adhuc tanta est coniunctio, & obligatio, quam pater habet procurandi bonum filij, vt negari non possit specialis turpitudo in eiusmodi peccatis. Est tamen discrimen in hoc, quod faciliùs peccat mortaliter filius in patrem, quàm pater in filium; quia percussio, vel contumelia quæ in filio esset grauis contra patrem, eadem in patre contra filium, vel non est peccatum, vel leue propter auctoritatem paternam, & potestatem corrigendi, ac reprehendendi: hæc tamen est differentia materialis; formaliter enim fere eiusdem conditionis sunt in hoc, quod offensa grauis vnius in alterum afferat vouam malitiam specificam propter peculiarem illam coniunctionem.

305. *De auis & pronauis.* Infero quintò eamdem ferè esse rationem de auo, proauo, & quolibet ascendente respectu nepotis, pronepotis, & cuiuslibet descendentis, & è contra: nam hi omnes considerantur, quasi patres, & filij, vnde parricidij pœna non solùm filium, qui patrem, & patrem, qui filium occidit, sed eiusmodi ascendentes, & descendentes omnes comprehendit *in l. vnica, Cod. de his, qui parentes, vel liberos occiderunt, & in §. Alia deinde lex. Instit. de public. indic.* sicut propter eamdem coniunctionem iure ipso naturæ reperitur impedimentum irritans matrimonium inter eiusmodi personas.

306. *De viro & vxore.* Infero sextò propter similem ferè coniunctionem debere eamdem rationem esse de peccatis vxoris contra virum, aut viri contra vxorem; nam licèt in dilectione præferendus sit pater vxori, vxor tamen præferenda est filiis, vt cum aliis probat P. Coninch. *disput. 25. de charitate. dub. 9. num. 149.* Vnde pœna parricidij extensa fuit ad occidentem vxorem propriam, aut proprium virum *in l. prima. ff. ad leg. Pomp. de parric.* & ita in praxi obseruari testatur Molina *tom. 4. de iust. tract. 3. disp. 26. num. 5.*

307. *De fratribus.* Infero septimò, quid dicendum sit de peccatis fratris contra fratrem, aut contra sororem carnalem inter eos enim videtur quidem esse magna quædam coniunctio, sed non quanta inter parentes, & filios, vel inter coniuges: atque ideo videntur habere statum medium inter parentes, & extraneos: vnde necessitas illa patris, quæ obligat filium, ne ingrediatur religionem, non sufficit respectu fratris, sed requitur maior, vt docet Sanchez *lib. 4. in 4. decalog. cap. 20. num. 29. & seqq.* cum aliis, quos affert Bonacina *disp. 6. de præceptis decalogi quæst. vnic. punct. 5. n. 4.* contra aliquos, qui dicunt, etiam in graui necessitate fratrum, vel sororum non posse religionem ingredi. Hinc ergo consequenter dicendum videtur, in peccatis contra fratris non sufficere omne illud malum, quod sufficeret ad dandam speciem contra patrem, sed exigi malum multò grauius, vt det peculiarem speciem contra amorem fratri debitum, quale procul dubio esset fratricidium, aut mutilatio, vel vulneratio grauis, infamatio notabilis, depauperatio, *&c.* odium etiam, quo eiusmodi mala desiderarentur; non tamen videtur talis percussio, qua in rixa pugno percuteres fratrem, (modo non sequeretur grauissima dehonoratio) etiamsi esset mortalis, & sufficiens ad incurrendam excommunicationem Canonis: neque etiam detractio quælibet in re graui, nisi maxima infamia sequeretur, & alia similia. Videatur Coninch *dicta disput. 25. de charitate numero 157. & seqq.* vbi probat obligationem peculiarem subueniendi fratribus, & affert etiam Lorcam dicentem, posse aliquando benefactores præponi fratribus.

308. *De cognatis.* Infero octauò, in peccatis contra alios cognatos, aut consanguineos magis remotos, licèt aggrauet, & augeat malitiam eiusmodi circumstantia, non tamen afferre speciem diuersam in confessione necessariò explicandam. Ita videtur sentire Bonacina *dicta disp. 5. de pœnit. quæst. 5. sect. 2. punct. 2. §. 3. difficult. 3. num. 15.* vbi dicit, iniuriam illatam cognato non afferre circunstantiam necessariò explicandam: quia nimirum coniunctio illa est magis remota, ita vt propter necessitatem talium personarum non teneatur, nec possit differre

ingressum

ingr
c' essum religionis voto promissum, vt tradit San-
.nez *dicto capite* 20. *num.* 31.

309. *De digr offinf* itate

Infero nonò, minus esse obligationem explicandi circunstantiam nobilitatis personæ, in quam peccatur, vt notauit etiam Bonacina *loco proximè citato de pœnitentia:* quod intellige, nisi ratione dignitatis esset Princeps, vel superior, in quem ratione superioritatis potest aliquando committi peccatum specie diuersum. Certum enim videtur, quod occisio Principis, aut Prælati habeat malitiam specie diuersam in subdito; ideo enim crimina læsæ Maiestatis habent pœnas grauissimas; imò vt bene aduertit Molina *tom.* 3. *de iust. disput.* 658. licèt persona Ecclesiastica exempta sit à iurisdictione Principis sæcularis, qui eam punire non potest; si tamen occideret ipsum Principem sæcularem, licèt à potestate sæculari non posset puniri, adhuc diceretur reus læsæ Maiestatis, & deberet vt talis iudicari à suo superiore Ecclesiastico, quia in ordine ad contrahendam malitiam intelligitur sufficienter subditus, dum est pars illius communicatis, & reipublicæ, quæ est sub tali Principe. Cæterùm non ideo omnia peccata contra quemlibet superiorem dicenda sunt habere specialem malitiam necessariò explicandam, sed aliqua, plura, vel pauciora, iuxta maiorem, vel minorem dignitatem superioritatis: nam si ego reuelem aliquod secretum, quod mihi superior, vt persona priuata, & vt amicus mihi credidit, non pertinens ad superiorem, vt superior est, hæc iniuria contra iustitiam commutatiuam, non videtur habere malitiam specie diuersam ex eo, quod ille superior sit, quia illa circumstantia materialiter se habet ad tale peccatum, nec dignitas superioris affert ius diuersum ad exigendum secretum in iis, quæ non pertinent ad superiorem, vt superior est, nec vllo modo redundat in detrimentum eorum, quæ superiori competunt, quod idem de similibus peccatis dicendum videtur.

310. *De peccatis contra Sacerdotem.*

Infero decimò, neque etiam omnia peccata, quæ fiunt contra Sacerdotem, aut personam Ecclesiasticam, afferre secum malitiam specie diuersam. Hoc videtur esse contra Bonacinam supra citatum vniuersaliter loquentem de iniuria illata Sacerdoti: & probari potest; quia licèt detractio in aliqua materia graui de Sacerdote sit grauior cæteris paribus quàm de Laïco; non videtur tamen differentia talis, quæ semper necessariò sit explicanda, nec vsus id habet in confessione, licèt aliquando soleat explicari propter illam maiorem grauitatem. Item percussio Clerici minorum ordinum, secluso præcepto, & prohibitione humana, non differret specie à percussione meri Laïci. Alioquin magis differret specie percussio hominis Christiani, & baptizati à percussione hominis infidelis non baptizati; nam multo magis excedit dignitate homo fidelis baptizatus infidelem non baptizatum, quàm Clericus ille excedat Laïcum. Cùm ergo non sit talis prohibitio humana in ordine ad detractionem; non debet inter eiusmodi detractiones constitui semper differentia specifica.

311. *De offensa benefactoris.*

Infero vltimò, licèt non semper circunstantia benefactoris refundat differentiam specificam necessariò declarandam in iniuria, posse tamen aliquando id contingere, vt de insigni benefactore dixit Caiet. supra citatus, & probari potest ex supradictis. Nam diximus, aliquando iniuriam differre specie morali ex eo, quod fiat in fratrem, vel sororem carnalem: potest autem contingere: quod magis debeamus diligere benefactorem aliquem insignem, quàm fratrem carnalem, vt cum Bannez docet Turrianus *disp.* 80. *de charit. dub.* 2. & Conink *ibidem disp.* 25. *num.* 156. Haberet ergo illud peccatum circunstantiam grauem ingratitudinis; neque enim negari potest specialissimam odibilitatem esse in eo, qui iniustè occideret illum, qui cum periculo vitæ propriæ ipsum à morte liberasset, vel qui magnis sumptibus eum à grauissima seruitute, & captiuitate redemerit.

§. 2. *An in copula inter habentes impedimentum ad matrimonium debeat explicari ea circumstantia?*

DE gradibus consanguinitatis, & affinitatis, qui afferunt impedimentum matrimonij, certum est, debere illud impedimentum declarari, cùm afferat malitiam incestus specie diuersam; an verò debeat explicari gradus ipse consanguinitatis, vel affinitatis in particulari, vt diximus *sect.* 3. *in fine.* debere quidem explicari, quando peccatur cum ascendente, aut descendente, cum fratre item, aut sorore; quæ peccata videntur habere ab ipsa natura specialem turpitudinem; in aliis verò gradibus, non esse differentiam talis gradus necessariò declarandam. Circa hanc tamen doctrinam, quæ ibi in genere tradita est, restant aliqua magis in particulari decernenda. 312.

Primò ergo dubitari potest: an affinitas & consanguinitas sint circunstantiæ specie diuersæ. Respondetur negatiuè: ratio enim prohibitionis eadem est in vtraque, & materialiter se habet, quod coniunctio oriatur ex sanguine, vel ex matrimonio. Vnde consequenter dicendum est, non differre etiam specie ex eo, quod affinitas oriatur ex matrimonio, vel ex copula illicita, dum tamen sit ex copula, quæ talem prohibitionem inducit; nam copula illicita post Concilium Tridentinum non inducit affinitatem, aut impedimentum vltra secundum gradum, atque ideo illa non erit iam circumstantia afferens malitiam incestus, vt cum aliis tradit Sanchez *lib.* 7. *de matrimonio disputatione* 67. *num.* 7. & 8. 313. *An differat specie consanguinitas ab affinitate incestus?*

Secundò dubitari potest, an sit declarandum in copula, fuisse cum matre, vel cum filia; an verò sufficiat dicere, fuisse cum consanguinea in primo gradu rectæ lineæ. Respondetur declarandum: quia malitia diuersa est in filio, quatenus peccat contra reuerentiam matri debitam, quæ malitia non est in patre, sed alia diuersa, quando peccat cum filia. Vnde à fortiori non sufficiet dicere, peccaui cum consanguinea in primo gradu? quia in fratre, & sorore non apparet eadem turpitudo, quæ est inter patrem & filiam. 314. *An prouata tradita linea recta debeat explicari.* 315.

Tertiò dubitari potest, an differat specie peccasse cum patre, vel cum auo? Respondetur negatiuè, quia quidquid sit, an iure ipso naturæ sit irritum matrimonium inter auum, & neptem; de quo latè Sanchez *lib.* 7. *de matrimon. disput.* 51. *à num.* 15. vbi *num.* 20. fatetur ad minus esse iure naturæ illicitum: accedente tamen Ecclesiæ prohibitione, quæ fundatur in reuerentia auo debita, sicut, & parenti, iam videtur pertinere ad eandem speciem, cùm prohibitio fundetur in eadem ratione, & motiuo reuerentiæ. Vnde à fortiori non erit differentia specifica inter copulam cum auo, & cum proauo, propter eandem rationem. 316. *Quid de auo?*

Quartò dubitari potest, an differat specie peccare cum matre, aut cum nouerca: item peccare cum filia, aut cum filiastra. Multi dicunt, id esse explicandum in confessione, Soto *in* 4. *disput.* 18. *quæst.* 2. *art.* 4. Cordoua *casu* 2. & alij. Respondetur grauius quidem esse peccatum cum matre, quàm cum 317. *Quid de nouerca?*

cum nouerca, & in vniuersum in eodem gradu grauius esse cum consanguinea, quàm cum affine. Cæterùm illa maior grauitas non videtur addere differentiam specificam, quia licèt demus matrimonium cum affine (quæcunque sit) non esse iure naturæ irritum, sed solùm præcepto humano: hoc non obstat, quominus accedente ipso præcepto humano, possit iam eius violatio pertinere ad eandem peccati speciem, ad quam pertinebat copula cum 317. consanguinea. Exemplum habes in peccato simoniæ, in qua aliquæ sunt simoniæ de iure naturæ, aliæ verò solum de iure humano, & Ecclesiastico: & tamen istæ pertinent ad eandem speciem cum illis, vt cum aliis fateretur Suarez *tomo primo de relig. lib. 4. de simonia cap. 7. n. 13.* quia diuersitas præceptorum quoad efficientes causas non variat speciem peccati, quando in materia eiusdem rationis versantur, & eandem virtutis honestatem respiciunt: quia species tam præcepti, quàm virtutis ex obiecto, & motiuo sumitur, & consequenter species vitij sumenda est per recessum ab his, seu per carentiam honestatis debitæ, quæ eadem est, etiamsi ex diuersis præceptis debeatur. Hæc Suarez ibi cum communi: ex quibus constat, idem dicendum esse in nostro casu, quia sicut iure naturæ prohibetur venditio Sacramenti propter intrinsecam turpitudinem, quam habet venditio rei sacræ: sic iure naturæ prohibetur copula, seu matrimonium cum propria matre propter turpitudinem specialem contra reuerentiam matri debitam: item sicut iure naturæ non est prohibita venditio beneficij Ecclesiastici; sed tamen honestum est illud non vendere propter connexionem, quam habet cum re spirituali, & sacra; ita dato, quod iure naturæ non sit prohibitum matrimonium cum nouerca; est tamen honestum, quod non fiat, propter reuerentiam etiam, quæ debetur nouercæ, sicut matri: ergo sicut Ecclesia prohibens venditionem beneficij Ecclesiastici propter illud motiuum, ponit illud peccatum in eadem specie cum venditione Sacramenti; sic prohibens matrimonium cum nouerca propter illud motiuum, & propter similitudinem, quam habet cum matre, 318. ponet illud peccatum in eadem specie, in qua est coitus cum vera matre. Quæ ratio probat cum proportione de aliis gradibus affinitatis, in quibus prohibetur copula propter similitudinem, quam habent cum gradibus consanguinitatis eiusdem rationis. Vnde sicut diximus, copulam cum parentibus differre specie à copula cum fratre, aut sorore: item copulam intra lineam transuersam cum consanguineis vltra fratres, semper esse eiusdem speciei: denique copulam patris cum filia differre specie à copula filiæ cum patre: sic dicendum est de affinibus, copulam cum nouerca, aut vitrico differre specie à copula cum cognata, aut aliis affinibus in linea transuersa. Item copulam vitrici cum filiastra differre specie à copula filiastræ cum priuigno: copulam etiam cum affine in linea transuersa semper esse eiusdem specici, saltem quando 319. est vltra primum gradum. An verò, quando est in primo gradu, verbi gratiâ, cum sorore propriæ vxoris, aut fratre proprij viri differat specie à copula cum affine in secundo, vel tertio gradu: videtur consequenter affirmandum, quia videtur pertinere ad eandem speciem, ad quam pertinet copula cum fratre aut sorore, quam diximus esse specie diuersam à copula cum aliis consanguineis. Cæterum probabilius mihi videtur, non differre specie, atque adeo in hoc esse exceptionem à regula, vt non pertineat ad eandem speciem, ad quam copula cum consanguinea eiusdem gradus. Ratio autem est, quia motiuum speciale, quo de iure naturæ prohibetur copula inter fratrem, & sororem, est coniunctio illa specialis, quâ ab infantia conuiuunt, & in omnibus sociantur: quæ cohabitatio & societas fraterna incenderet nimium luxuriæ faces, nisi natura ipsa specialis prohibitionis fræno coërceret: hæc autem ratio non procedit inter affines etiam in primo gradu transuerso; hi enim non conuiuunt, nec educantur simul, aut habent diuersam, aut maiorem ferè coniunctionem inter se, quàm affines in secundo, vel tertio gradu: non est ergo ratio, ac motiuum speciale prohibitionis inter illos, sed commune, & generale ad alios affines, atque adeo ea prohibitio non ponit actum in diuersa specie. In affinitate verò in linea recta ponitur actus in diuersa specie, quia debitum reuerentiæ, quod est motiuum speciale prohibendi copulam cum patre, vel filia, est etiam motiuum prohibendi inter nouercam, v. g. & priuignum, propter reuerentiam similiter debitam.

Hinc infero primò ad eandem speciem pertinere 320. peccatum cum nouerca, ac cum matre nouercæ; item cum priuigno, vel cum filio priuigni, sicut diximus pertinere ad eandem speciem peccare cum patre, aut cum auo; item eiusdem speciei esse cum filio, aut cum nepote: hoc est, filio filij: quia motiuum speciale prohibitionis idem est, scilicet reuerentia. Infero secundò, ad eandem speciem pertinere peccare cum nouerca, aut cum socero: item ad eandem speciem pertinere peccare cum priuigno, aut cum nuru, aut genere: quia sicut vitricus, & nouerca, sic etiam socer, & socrus reputantur pro parentibus; & sicut priuignus, & filiastra; sic gener, & nurus reputantur pro filiis. Vnde quamuis aliqui dicant, multò grauius esse peccare cum nouercâ, vel vitrico, quam cum socru, vel socero: id tamen totum non videtur facere differentiam specificam, cùm vtique tam socer, & socrus, quàm vitricus, & nouerca sint aliquo modo parentes quatenus vel sunt parentes tui coniugis, vel coniuges tui parentis, atque ideo malitia oriatur ex irreuerentia parentibus debita.

Magis posset quintò dubitari, an differant spe- 321. cie peccare cum tua nouerca viuente eius marito patre tuo, & peccare cum ipsa mortuo iam patre tuo. Et quidem certum est, in primo casu explicandam esse ad minus circunstantiam adulterij: hoc tamen est per accidens ad rationem incestus. Nam si tua nouerca nupsisset mortuo tuo patre, alteri viro, esset pariter circunstantia adulterij explicanda. Dubium ergo est, an in ratione incestus sit circunstantia specialis ex irreuerentia, quæ sit patri tuo viuenti. Secundò certum videtur circunstantiam illam augere, & quidem notabiliter grauitatem peccati propter irreuerentiam maiorem, quam continet in patrem. An verò addat malitiam specie diuersam: videri posset addere; quia quod attinet ad irreuerentiam contra patrem, licèt hæc sit maior contra patrem viuum, quàm contra mortuum: adhuc tamen mortuo sit irreuerentia, accipiendo eius vxorem: nam idcirco Isboseth graniter tulit, quod Abner ingressus esset ad Respham concubinam olim Regis Saulis defuncti, quia videlicet esse videbatur irreuerentia in mortuum Regem, quod priuatus homo vteretur concubina ipsius. Cùm ergo in vtroque casu maneat irreuerentia contra patrem, licèt hæc sit maior contra patrem viuum, non videtur esse differentia specifica, sed gravior intra eandem speciem. *Quid de nouerca adhuc superstite patre?*

Verius tamen existimo esse differentiam specifi- 322. cam: quia licèt mortuo etiam patre, fiat irreuerentia contra ipsum, vino tamen non solùm irrogatur irreuerentiæ malum, sed etiam adulterij: quare in illo

illo peccato non solùm est malitia incestus, & irreuerentiæ contra patrem, & adulterij, sed etiam impietatis specialis lædendo patrem in re tanti momenti. Vnde sicut qui vulnerauit patrem, non satisfacit dicendo, intuli graue damnum patri, sed debet explicare genus mali, quod intulit, quod scilicet vulnerauit: sic qui aufert patri vxorem per copulam illicitam, debet explicare se læsisse patrem in tali bonorum genere, quæ iniuria, & læsio contra pietatem non reperitur, mortuo iam parente, cùm iam hæc non sit vxor.

323. *Quid de patris concubina?*

Sextò dubitabis, an differat specie peccare cum vxore patris, aut cum patris concubina, & in vniuersum, an affinitas ex matrimonio, & affinitas ex copula illicita in æquali gradu prohibito refundant malitiam specie diuersam explicandam. Multi affirmant explicandam eam circumstantiam, atque ideo eum, qui peccauit cum sorore suæ vxoris, non satisfacere dicendo, peccaui cum affine in primo gradu lineæ obliquæ: quia totum hoc verificatur in eo, qui peccauit cum sorore illius, quam extra matrimonium cognouerat.

324. Consequenter tamen ad supradicta, existimo, regulariter eam non esse differentiam specificam: quia licèt affinitas orta ex copula fornicaria, sit affinitas imperfecta, atque ideo absque magna difficultate dispensetur etiam in primo gradu lineæ rectæ, quod in affinitate orta ex matrimonio, nunquam fit: adhuc prohibitio, & lex videtur illam malitiam posuisse in eadem specie, cùm habuerit idem motiuum prohibendi matrimonium inter eiusdem affines. Dixit tamen, *regulariter*; quia in aliquo casu concederem differentiam specificam; nempe peccare cum vxore patris viuentis, videri differre specie à copula cum concubina eiusdem patris viuentis. Diximus enim in illo primo peccato vltra malitiam incestus esse iniuriam patri; illatam in tali bonorum genere, vsurpando eius vxorem, quæ iniuria continet specialem malitiam contra pietatem. Hæc autem malitia non est in secundo peccato: nam qui cognoscit concubinam patris viuentis, licet inferat aliquam irreuerentiam patri; non tamen iniuriam, cùm non vsurpet aliquid patris, quippe qui ad concubinam nullum ius habeat: non habet ergo illud secundum peccatum totam malitiam specificam, quam habet primum.

325. *De sorore ex vtroque parente.*

Septimò dubitabis, an in peccato cum sorore explicari debeat esse sororem ex vtroque parente. Aliqui affirmant, quia tunc est duplex impedimentum, cùm sit quasi duplex fraternitas, & singulæ afferant impedimentum suum. Cæterùm quidquid sit in ordine ad impetrandam dispensationem; in ordine ad confessionem non credo esse obligationem id explicandi: quia cùm omnia illa impedimenta sint eiusdem rationis; licèt eorum multiplicatio aggrauet malitiam, non tamen transfert peccatum ad aliam speciem. Vnde non erit obligatio explicandi consanguinitatem, aut affinitatem prouenientem ex duplici capite; si tamen omnes essent gradus eiusdem speciei: item si simul esset consanguinitatis, & affinitas, dum neutra esset in gradu speciei diuerso; mera multiplicatio titulorum, non videtur addere circunstantiam necessariò explicandam in confessione. An verò in petitione dispensationis necesse sit ad eius valorem explicare vtrumque titulum coniunctionis, videatur Thomas Sanchez *lib.* 8. *de matrimon. disp.* 24. *num.* 4.

326. *De nepte.*

Octauò dubitabis, an qui peccauit cum propria filia, & rursus cum nepte sua filia eiusdem filiæ, debet id explicare, an verò satis sit dicere; peccaui bis cum descendenti in linea recta. Aliqui dicunt explicandam filiam, & neptem distinctè. Sed consequenter ad supradicta neganda videtur ea obligatio cùm dixerimus non differre specie peccatum cum filio à peccato cum nepote. Dices: in hoc tamen casu explicandum, quia post copulam patris cum filia iam contraxerat cum nepte affinitatem, quasi cum filia suæ concubinæ, & sua filiastra: peccat ergo iam propter duo impedimenta diuersa, quæ violat peccando cum illa, quæ est eius neptis secundùm consanguinitatem, & eius filiastra per affinitatem, atque ideo debet explicare illam circunstantiam. Respondetur tamen ex dictis, illos duos titulos in nepte non esse specie diuersos, quia filia quoad hoc non differt specie à nepte: & aliunde filiastra non differt specie à filia, consequens est, quod nec circumstantia noua filiastræ addat aliquid specie diuersum supra neptem: ergo sicut neptis non erat priùs explicanda, ita nec postea.

327. *De cogitat. legali.*

Nonò dubitatur de aliis impedimentis, & in primis de cogitatione legali, an debeat explicari in copula illicita. Est autem cognatio legalis, quæ oritur ex adoptione alicuius in filium; & est triplex. Prima inter adoptantem, & adoptatum, & eius descendentes, saltem qui erant in eius potestate quando adoptatus est. Secunda est transuersalis inter adoptatum, & filios naturales legitimos adoptantis, qui sunt in eius potestate. Tertia est quædam legalis affinitas inter vxorem adoptati, & ipsum adoptantem, & inter vxorem adoptantis, & adoptatum. Hæc triplex cognatio impedit, & irritat matrimonium: cum hoc tamen discrimine, quod prima, & tertia inducunt impedimentum perpetuum, etiam dissoluta postea adoptione. Secunda verò impedimentum temporale, quandiu filij naturales, & adoptatus sunt sub eiusdem patris potestate: vnde si pater moriatur, vel filius naturalis per emancipationem, aut alio modo egrediatur è potestate patris, vel adoptio dissoluatur, vt adoptiuus emancipetur; cessat impedimentum inter illos: de quibus videri potest, late Thom. Sanch. *lib.* 7. *de matrimon. disp.* 63. *per totam.* 330. *De publica honestate.*

328. Hoc supposito, certum est, copulam illicitam inter eiusmodi personas, quandiu cognatio illa, & impedimentum durat, afferre circunstantiam necessariò explicandam in confessione. Dubium esse potest primò, an sit malitia specie diuersa ab incestu inter consanguineos, vel affines naturales. Nam Paludanus *in* 4. *dist.* 42. *quæst.* 1. *art.* 3. *concl.* 7. dicit, hunc non esse propriè incestum, quia Papa, vel Imperator iura sanguinis mutare non potest. Cæterùm ibi consequenter concedit, nullum esse incestum, nisi in gradu prohibito lege naturæ, quæ sola est consanguinitas, vel affinitas vera: imò consequenter indicat, non posse esse aliquam actionem simoniacam, quia prohibita sit ab Ecclesia; quæ omnia sunt manifestè absurda: quare fatendum est, illum esse propriè incestum; vnde non est, cur dicamus, differre specie ab incestu inter consanguineos, & affines naturales: cùm Ecclesia propter idem motiuum coniunctionis specialis, quæ est inter eiusmodi personas, & propter reuerentiam debitam adoptanti prohibuerit eiusmodi coniugia. Sic videtur sentire Thom. Sanch. *dicto lib.* 7. *disp.* 5. *n.* 10. dicens illud peccatum reduci ad incestum, vbi affert Martinum de Magistris *tr. de temperantia q.* 9. *concl.* 7. idem insinuat Petrus de Soto *lect.* 11. *de matr.* dicens ibi intercedere quandam affinitatem, & consanguinitatem. Vnde consequenter ad principia posita, licèt in iis peccatis oporteat explicare circunstantiam incestus; non tamen necesse erit explicare differentiam cognationis legalis à naturali. 329.

Sed circa hoc ipsum rursus dubitari potest, an incestus ex cognatione legali sit semper eiusdem speciei.

speciei. Respondetur breuiter consequenter ad doctrinam positam, non esse semper eiusdem speciei: diximus enim, hanc cognationem legalem esse consanguinitatem, & affinitatem legalem, & similitudinariam: debet ergo subire easdem conditiones, & diuersitates: quare sicut in vera consanguinitate naturali diximus, differre specie peccatum patris cum filia à peccato eiusdem filiæ cum patre, & vtrumque à peccato fratris cum sorore: sic dicendum est, differre specie peccatum adoptantis cum adoptata à peccato eiusdem adoptatæ cum adoptante, & vtrumque à peccato filij naturalis legitimi cum sorore adoptata à suo patre. Rursus diximus, non differre specie peccatum filij cum matre à peccato filij cum nouerca: sic ergo dicendum est, non differre specie peccatum filij adoptati cum vxore adoptantis à peccato filiæ adoptatæ cum patre adoptante.

330. Quod dictum est de circumstantia cognationis legalis, dicendum est eodem modo de circumstantia orta ex impedimento publicæ honestatis. Est autem impedimentum, quod oritur ex sponsalitio valido contracto de futuro, ex quo oritur impedimentum inter sponsum, & consanguineas sponsæ in primo gradu, & inter sponsam, & consanguineos sponsi in primo gradu, quod est impedimentum dirimes, de quo latè idem Sanchez *dicto lib. 7. disp. 68. & seqq.* Quod idem impedimentum oritur ex matrimonio rato non consummato: cum hoc tamen discrimine, quod ex matrimonio rato oritur impedimentum cum consanguineis coniugis, non solùm in primo gradu, sed vsque ad quartum; nec obstat, matrimonium fuisse irritum, nisi inualiditas proueniat ex defectu consensus, cùm tamen ex sponsalibus irritis non oriatur impedimentum post Tridentinum, nec ex validis vltra primum gradum consanguinitatis, vtrumque tamen est impedimentum perpetuum.

331. Hoc ergo supposito, dicimus, copulam illicitam cum consanguinea sponsæ, vel coniugis in matrimonio rato, habere similem circumstantiam incestus explicandam: quæ quidem est diuersa in specie, si copula sit cum matre sponsæ, & diuersa, si sit cum filia sponsæ, & diuersa si sit cum sorore. Quia per sponsalia, quæ sunt inchoatio matrimonij, sponsus incipit fieri filius matris sponsæ, & pater filiorum sponsæ, & frater sororum sponsæ. Quare sicut illa peccata essent speciei diuersa cum matre, cum filia, cum sorore propria; sic erunt cum his legalibus, seu similitudinariis. Rursus, sicut supra diximus, copulam cum affine esse eiusdem speciei cum copula cum consanguinea in eodem gradu; sic dicendum videtur de copula cum impedimento publicæ honestatis; quod quidem est quædam affinitas imperfecta, seu inchoatiua orta ex inchoatione matrimonij, & ita accedente prohibitione Ecclesiæ ex eodem honestatis motiuo, reducitur ad eamdem speciem.

332. Vnde cùm dixerimus supra *num.* 319. copulam cum affine in primo gradu transuerso, v.g. cum sorore propriæ vxoris, non differre specie à copula cum affine in secundo gradu lineæ trausuersæ, licèt copula cum sorore differat specie à copula cum consanguinea in secundo, vel tertio gradu: idem dicendum est in præsenti, copulam cum sorore coniugis post matrimonium ratum, non differre specie à copula cum consanguinea transuersa eiusdem coniugis in secundo, vel tertio gradu, quia in speciebus malitiæ, quæ oriuntur ex hoc impedimento publicæ honestatis, debemus magis obseruare regulas affinitatis, quàm consanguinitatis, vt dictum est.

P. Ioan. de Lugo de Pœnitentia.

Decimò dubitatur de impedimento cognationis spiritualis, an, & quomodo debeat explicari. Est autem cognatio hæc impedimentum quoddam irritans matrimonium, quod oritur in Baptismo, & Confirmatione inter baptizantem, & baptizatum, & in patrino, & matrina respectu ipsius baptizati, & rursus in parentibus baptizati respectu baptizantis, & patrini, ac matrinæ, quod idem respectiuè dicendum est in confirmatione. Hoc supposito, certum est, hanc circumstantiam declarandam esse in copula illicita. Dubitari potest primò, an sit species diuersa ab incestu supra explicato in cognatione carnali, vel legali. Respondetur affirmatiuè: quia licèt contineat quidem malitiam aliquam incestus, quatenus est copula inter personas adeo coniunctas, cuius coniunctionis intuitu Ecclesia prohibuit inter illas matrimonia: addit tamen vltra hoc malitiam sacrilegij; eo quod prohibitio ista oriatur etiam ex reuerentia debita Sacramento, quæ reuerentia violatur in eiusmodi copula, atque adeo ex hoc capite pertinet ad sacrilegium, vt cum aliis docet Thomas Sanchez *lib. 7. dicta disp. 5. n. 9.* debet ergo explicari cognatio spiritualis in specie, vt constet de vtraque malitia specifica. 333. *De cognatione spirituali.*

Rursus quæri potest, an hæc sit species infima, an verò generica continens sub se alias species contra cognationem spiritualem? Respondetur ex supradictis, esse genericam. Nam peccatum baptizantis, seu patrini, cum puella baptizata differt specie à peccato baptizantis cum matrina, vel patrini cum matre baptizati. Quia licèt vtrumque peccatum sit contra reuerentiam Sacramenti; non tamen participat eodem modo malitiam incestus: peccatum enim batizantis, vel patrini cum baptizata habet se, sicut peccatum patris cum filia: & è contra peccatum baptizatæ cum baptizante, vel cum patrino, habet se sicut peccatum filiæ cum patre: denique peccatum baptizantis cum matrina, vel patrini cum matre baptizati, aut matrinæ cum patre baptizati habet se, sicut peccatum soceri cum matre sui generi; inter quos non datur titulus reuerentiæ, aut subiectionis, sicut inter parentes, & filios, sed coniunctio specialis in ordine ad eumdem filium, quatenus vterque est parens, vel per consanguinitatem, vel per affinitatem eiusdem filij. Sic baptizatus, vel patrini, & parentes baptizati habent inter se similem coniunctionem; quatenus ij omnes sunt patres, vel per naturam, vel per Sacramentum eiusdem filij. Et licèt perfectori modo participet hanc paternitatem qui baptizat, quàm patrinus; id non facit differentiam specificam: quia etiam pater naturalis est perfectiori modo pater, quàm vitricus, & tamen diximus, esse eiusdem speciei copulam cum filio, aut cum priuigno. 334.

An verò diuersitas Sacramenti refundat differentiam specificam, ita vt debeat explicari, an impedimentum ortum esset ex Baptismo, an ex confirmatione: existimo ex hoc capite non argui differentiam specificam, quia neque in ratione incestus, cùm per vtrumque Sacramentum patrini, vel baptizans, aut confirmans contrahant paternitatem respectu baptizati, aut confirmati, & compaternitatem inter se, & cum parentibus baptizati, vel confirmati, neque etiam est differentia specifica in ratione sacrilegij, cùm vtrumque peccatum sit contra reuerentiam Sacramentis debitam, & eodem genere irreuerentiæ: sicvt qui conferret Baptismum, vel Confirmationem in statu peccati, non videtur committere peccata specie diuersa, nec debere explicare quale Sacramentum contulerit in statu peccati, 335. *An debeat explicari ratio cognationis spiritualis.*

cùm ad illam irreuerentiam materialiter se habeat quod sit Baptismus, vel Confirmatio.

336. *De impedimento disparis cultus.* Vndecimò dubitatur, an in copula fidelis cum infideli, hoc est, baptizati cum non baptizata, sit necessariò explicanda illa circumstantia. Supponimus, illam disparitatem cultus esse impedimentum irritans matrimonium; sed dubium est, an copula extra matrimonium habeat etiam malitiam specie diuersam. Aliqui dicunt, non addere malitiam specie diuersam à fornicatione. Azor. 3. *tom. lib.* 3. *c.* 29. *quæst.* 3. & alij, quos refert Diana 2. *tom. tract.* 4. *de Sacramentis resolut.* 138. sed verius est, differre specie, atque adeo esse explicandum, vt cum aliis tradit Thomas Sanchez *dicta disputat.* 5. *num.* 2. quia Ecclesia prohibens coniugium fidelis cum infideli, id facit ex motiuo turpitudinis, quæ apparet in coniunctione cum infideli, quam coniunctionem vult vitare. Hæc autem turpitudo æquè versatur in copula extra matrimonium, in qua est idem periculum malæ educationis in prole, & nimiæ familiaritatis cum infideli. Quare sicut prohibito matrimonio inter consanguineos, censetur prohibita etiam specialiter copula inter illos, quia manent eadem inconuenientia, quod scilicet fiat vna caro ex illis, qui erant iam adeo coniuncti: sic prohibito coniugio cum infideli, censetur prohibita etiam copula cum illo, cùm maneat idem motiuum. Illud autem peccatum non pertinet ad incestum, sed ad irreligiositatem, quatenus per illam fieri videtur contra reuerentiam nostræ religionis, in cuius honorem prohibita est illa coniunctio cum infideli, vt benè obseruat Sanch. *loc. cit.*

337. *De raptu & crimine.* Duodecimò dubitatur: vtrum impedimentum raptus, vel criminis, scilicet, adulterij cum promissione matrimonij, vel contractu de præsenti, vel nece coniugis, afferant circumstantiam explicandam in copula habita inter eiusmodi impedimentis ligatos. Henriquez *lib.* 5. *de pœnit. cap.* 6. *num.* 3. *littera, M, in Glossa*, loquens de impedimento vxoricidij, supponit, esse necessariò explicandum in confessione copulæ illicitæ. Alij tamen probabiliùs id negant, Thomas Sanchez *dicta disp.* 5. *num.* 17. & 18. & alij, quos affert, & sequitur Diana *dicto tract.* 4 *resol.* 140. Ratio autem est, quia in iis casibus matrimonium non prohibetur propter motiuum honestatis specialis, sed in pœnam delicti commissi, & vt consulatur libertati matrimonij, cui obstat raptus, & indemnitati coniugis, cuius vita periclitaretur, si cum spe futuri matrimonij fierent adulteria, & promissiones, aut machinationes de occidendo coniuge: quando ergo matrimonium prohibetur in pœnam, non prohibetur specialiter copula inter tales personas, quia id parum refert ad intentionem illius legis. Quando autem dicimus, raptum non afferre specialem malitiam copulæ, intelligi debet de raptu; quatenus præcisè impedit matrimonium. Aliunde tamen certum est, quod si copula vi extorqueatur, habeat specialem malitiam raptus necessariò explicandam: hoc tamen non prouenit ex eo, quod impediat matrimonium; nam etiam stante illo impedimento, & durante, eo quod nondum fœmina ad locum tutum restituta sit, si tamen fœmina consentiat in copulam, non habebit circumstantiam raptus: & è contra, licèt fœmina non extrahatur de domo, quo casu non contrahitur impedimentum; adhuc si vi extorqueatur copula, habebit circumstantiam raptus explicandam, vt benè notauit Sanchez *loco citato.*

338. *De impotentia.* Decimo tertiò dubitatur de impedimento impotentiæ, vt si frigidus, Eunuchus, vel impotens, coëat, an hæc sit circumstantia explicanda. Dubitat de hoc Pilliucius *tom.* 1. *tract.* 10. *part.* 2. *c.* 1. *n.* 23. vbi addit, communiter non reputari illam specialem malitiam; sed nescio, quo fundamento; nam Doctores communiter supponunt, esse malitiam specialem necessariò declarandam. Henriquez *loco supra citato*, Lessius *lib.* 4. *c.* 3. *dub.* 6. *num.* 45. Sanchez *dicta disp.* 5. *num.* 14. vbi meritò addit, illam copulam reduci ad peccatum contra naturam, quia frustratur fine, ad quem à natura destinatur. Vnde obiter aduerto, in eiusmodi personis, etiamsi confiteantur peccata interna, debere in iis explicari talem circumstantiam, nisi fortè fuerint desideria, quæ ab illa malitia præscinderent; vt si Eunuchus, aut naturaliter impotens ex amore alicuius fœminæ desideraret potentiam, quæ illi deest, vt posset naturaliter cum illa peccare; nam hic actus internus non haberet pro obiecto copulam contra naturam, sed naturalem, atque adeo careret malitia speciali proueniente ex tali circumstantia.

Decimo quartò dubitari potest de impedimento conditionis seruilis, an quando verè impedit matrimonium, eo quod ignoretur ab altero libero contrahere volente; tunc, inquam, stante illa ignorantia, quæ irritat matrimonium, copula interim habita contrahat specialem malitiam explicandam in confessione ratione impedimenti ad matrimonium contrahendum. Et quidem certum videtur, si copula habeatur sub specie, & prætextu matrimonij, dari specialem malitiam in seruo, vel ancilla fingente libertatem, & decipiente grauiter coniugem, ac inducentem sub opinione veri matrimonij ad copulam illicitam: interuenit enim præter peccatum scandali, fraus, & dolus in re grauissima. Dubium tamen esse potest, quando non sub opinione matrimonij, sed aliter ancilla coit cum libero ignaro seruitutis, an tunc copula saltem ex parte ancillæ habeat malitiam specialem propter impedimentum, quod tunc interuenit ad matrimonium ex ignorantia seruitutis.

De hoc nihil inuenio apud Auctores: & quidem pro vtraque parte possunt esse rationes: quod enim copula illa ex impedimento stante accipiat malitiam specialem; probari potest ex doctrina supra indicata; quia prohibitio, & irritatio matrimonij in hoc casu non fuit præcisè in pœnam: alioquin quando absque vlla serui, vel ancillæ culpa fuit ignorantia in coniuge libero, non esset irritum matrimonium, cùm non sit pœna absque culpa: motiuum ergo illius impedimenti non est punire seruum, sed subuenire personæ liberæ, ne patiatur grauissima inconuenientia, quæ ex tali matrimonio pati cogeretur, quæ congerit Sanchez *lib.* 7. *de matrim. disp.* 19. *n.* 2. inter quæ vnum est damnum prolis, quam pater seruus non poterit alere, nec rectè educare. Hoc autem incommodum pati etiam cogitur, qui cum ignorantia seruitutis coit cum persona serua, nam si pater sit liber, cogetur habere filium seruum propter seruilem conditionem matris: si verò mater sit libera, habebit prolem, quam pater, nec alere, nec educare poterit: ergo stante hac ex parte eodem motiuo, censebitur prohibita specialiter copula, eo ipso quod Ecclesia prohibuit, & irritauit tale matrimonium cum ea ignorantia.

Verius tamen videtur, illam copulam præcisè ratione impedimenti, non habere malitiam specialem. Potest quidem illam aliunde habere ex fraude, vel dolo, quo persona libera cogitur tale malum in prole sua sustinere: hanc tamen malitiam eodem modo haberet, licèt Ecclesia non apposuisset tale impedimentum irritans; quia eodem modo sequerentur illa mala, atque ideo etiam

etiam tunc peccaret specialiter contra iustitiam ancillæ v.g. sua fraude causans illud damnum, vel aliquando contra charitatem non impediens illud. Cæterùm ex vi præcisa impedimenti appositi ab Ecclesia non videtur aduenire malitia specifica, quia vt ait Sanch. *dicta disp. 19. n. 23.* ratio potissima, quæ induxit Ecclesiam ad hoc impedimentum statuendum, fuit, vt resarciret iniuriam, vel damnum irreparabiliter illatum libero ignoranti conditionem seruilem alterius, & ob grauem contractus inæqualitatem. Et quidem inæqualitas contractus non inducebat ad prohibendam copulam illicitam, in qua non sit vllus contractus. Sed neque illa ratio subueniendi ignoranti pertinebat ad prohibendam copulam: nam illa ratio magis tendit ad remedium adhibendum, quando cessat ignorantia: ne maneat irreparabile illud damnum, quàm ad impediendum illud ab initio, dum ignorantia perseuerat: durante enim ignorantia, verè patitur illud damnum, & generatur proles caritura libertate, vel bona educatione: voluit tamen Ecclesia irritate matrimonium ab initio, vt postea ablata ignoratia, possit persona libera sibi consulere. Hoc autem non procedit in copula illicita, in qua in primis persona libera non est digna Ecclesiastica compassione, & prouidentia, cùm sua culpa incurrerit illud damnum. Deinde non oportuit præuenire remedium cùm postea, vbi primùm cessauerit ignorantia, possit deceptus recedere, & sibi consulere, quod non potuisset post matrimonium, si non fuisset ab initio irritum.

341. Decimoquintò dubitari potest, an copula in habente impedimentum aliquod non ex dirimentibus, sed ex solùm impedientibus, habeat specialem malitiam in confessione explicandam. Et quidem ex iis multa iam abrogata sunt, de quibus non oportet amplius quæstionem mouere. Alia sunt impertinentia ad hoc propositum, v. g. excommunicatio maior, vel minor, cum qua non potest licitè suscipi Sacramentum matrimonij: non addit circumstantiam explicandam in peccato fornicationis, vt constat. De aliis certum est, quod addunt talem circumstantiam, verbi gratia, votum simplex castitatis, quod quidem impedit matrimonium, ne licitè fiat, & similiter addit circumstantiam specificam in peccato fornicationis. Idem est de interdicto, vel prohibitione, qua aliquis ab Ecclesiæ Prælato prohibitus est, ne contrahat matrimonium cum tali fœmina, quia dubium est, an inter eos sit aliquod impedimentum, donec id liquidò cognoscatur. Hic ergo, si tunc peccaret cum illa fœmina, contraheret malitiam specialem propter periculum, cui se exponit committendi incestum, vel aliud peccatum, quod oritur ex tali impedimento, si sit verum: nisi fortè ipse sciat certò, non dari tale impedimentum, quod indagatur, vel nisi illud impedimentum tale sit, vt etiamsi certò constaret, non refunderet malitiam in copulam fornicariam, sed in solum matrimonium, prout de aliquibus impedimentis supra concessimus. De impedimento sponsalium, an sponsus, vel sponsa de futuro peccans cum alio contrahat specialem malitiam, diximus *suprà sect. 4. n. 176.*

343. Difficultas esse potest de impedimento disparis cultus inter catholicum, & hæreticum, quod non est irritans, sed solùm impediens, an catholicus peccans cum hæretica, vel è contra debeat explicare illam circumstantiam propter impedimentum, quod erat ad matrimonium contrahendum. Hoc dubium tetigit P. Sanchez *dicto lib. 7. disp. 5. n. 13.* vbi dicit, contrahi quidem specialem malitiam necessariò explicandam, quia motiuum prohibitionis idem est respectu matrimonij, & respectu copulæ fornicariæ: quare sicut de impedimento irritanti disparitatis cultus dictum est, refundere etiam specialem malitiam in fornicationem, idem dicendum est de hæresi, propter eandem rationem; atque adeo malitia illa pertinebit etiam ad eandem speciem contra Religionem, cuius dedecus est coire cum hæretica, & afferre proli periculum manifestum peruersionis. Vnde regula generalis statui potest pro his etiam impedimentis non irritantibus, quoties ratio, & motiuum prohibitionis æquè militat in ordine ad copulam, ac in ordine ad matrimonium, prohibitam intelligi copulam, & ideo explicandam necessariò illam circumstantiam in confessione.

344. *An in Sodomia detur incestus.* Vltimò dubitari potest circa impedimenta cognationis, & affinitatis, an ea circumstantia in peccato Sodomiæ sit explicanda P. Azorius *3. tom. lib. 3. cap. 18.* dicit addere speciem distinctam necessariò explicandam, quando est cum consanguinea, vel affine in primo, vel secundo gradu, secùs in aliis vlterioribus (qui non sint in linea recta,) sicut nec inter cognatos cognatione legali, vel spirituali. Quam sententiam sequitur Bonacina *de matrimonio, quæst. 4. punct. 11. num. 7.* & alij, quos affert Diana *2. tom. tract. 4. de Sacram. resol. 101.* qui immeritò citat ibi Azorium dicentem, Sodomiam inter cognatos intra tertium, & quartum gradum consanguinitatis habere specialem deformitatem, & malitiam præter Sodomiticam: cùm tamen Azor contrarium expressè dicat *illo cap. 18. quæst. 5.* Rationem autem differentiæ desumunt ex eo, quod in primo, & secundo gradu sit contra ius naturale prohibens coitum inter illas personas: in aliis verò gradibus non sit contra ius naturale, sed solùm contra ius humanum, quod quidem solùm prohibuit coitus ordinarios, qui fiunt seruato sexu, non concubitus extraordinarios: idem docet idem Azor *capite vigesimo secundo* de peccato contra naturam masculi cum fœmina in vase præpostero, variari specie ratione consanguinitatis, vel affinitatis in primo, & secundo gradu, non in vlterioribus, neque inter cognatos cognatione spirituali, vel legali.

345. In hac sententia displicet in primis, quod dicit cum cognato in secundo gradu contrahi specialem malitiam vltra Sodomiam, non in tertio, aut quarto: quia secundus iure naturæ prohibetur, tertius, & quartus solo iure humano. Hoc, inquam, displicet, cùm supponat iure naturæ prohiberi copulam inter cognatos, vel affines in secundo gradu, cuius contrarium de secundo gradu affinitatis transuersæ certissimum est, & de secundo consanguinitatis etiam transuersæ ab omnibus recipitur: ergo si in aliis gradibus non affert malitiam specificam nouam, eo quod non sint iure naturæ prohibiti; idem de secundo gradu lineæ transuersæ dici deberet.

346. Secundò, quia si in gradibus iure naturæ prohibitis Sodomia habet specialem malitiam, idem dicendum videtur in gradibus iure humano prohibitis propter eandem omnino rationem. Probatur sequela. Nam ideo prohibito matrimonio de iure naturæ inter fratres, aut patrem, & filium, verbi gratia, censetur prohibita etiam specialiter copula illicita, & peccatum contra naturam; quia ratio primæ prohibitionis magna ex parte militat in iis, nempe reuerentia debita coniunctioni sanguinis, & quia propter coniunctionem faciliùs irritaretur in eis ardor concupiscentiæ, & amoris mutui, nisi speciali fæno maioris prohibitionis cohiberentur: sed in gradibus etiam prohibitis iure humano ratio, & motiuũ prohibẽdi matrimonium militat magna ex parte ad

prohibenda omnia alia illicita inter illos : ratio quippe prohibitionis fuit obseruantia specialis, quam cognati ad inuicem sibi exhibere debent: item quia cum sese inuicem sæpiùs inuisant, & frequentiùs colloquantur, matrimonio non interdicto, maxima esset occasio, & incentiuum peccandi: denique quia accedente amore concupiscentiæ ad coniunctionis vinculum, nimium inflammarentur libidinis faces, & exardescerent affectus, quas rationes ponderat Thom. Sanchez *dicto libro 7. disputatione 53. num. 3.* & quidem constat has rationes non solùm mouere ad prohibendum matrimonium, sed etiam omnia, quæ ex turpi amore procedunt : ergo sicut identitas motiui fecit, quod prohibitio iuris naturalis circa matrimonium in aliquo gradu extenderetur iure etiam naturæ ad alia omnia turpia ; sic prohibitio matrimonij de iure humano extendi debuit propter identitatem motiui ad alia omnia turpia inter illos.

347. Dices oportuisse quidem, quod Ecclesia prohiberet matrimonia inter eiusmodi personas, quæ aliunde non supponebantur prohibita : circa copulam verò Sodomiticam, quæ iam aliunde à natura ipsa grauissimè prohibebatur, non oportuit addere specialem Ecclesiæ prohibitionem. Sed contra : quia Ecclesia per te non solùm prohibuit matrimonia inter cognatos, sed etiam prohibuit specialiter copulam fornicariam inter illos, licèt hæc iam esset aliunde à natura prohibita. Item ius naturæ inter fratres non solùm prohibuit matrimonium, sed etiam prohibuit per te speciali prohibitione coitum Sodomiticum, licèt hic aliunde prohibitus esset vniuersali prohibitione ; ergo non obstante eadem prohibitione vniuersali, oportuit, quod Ecclesia prohibendo matrimonium inter cognatos, prohiberet consequenter propter eadem rationes concubitum Sodomiticum.

348. Tertiò probari potest hanc fuisse de facto Ecclesiæ mentem, quia de facto Ecclesia inducit cognationem spiritualem inter Sacerdotem baptizantem, & patrem baptizati, vt ex Tridentino *sessione 24. decreto de reformatione matrimonij, capite secundo*. Non potest autem intelligi qualem effectum possit tunc habere cognatio illa spiritualis inter Sacerdotem baptizantem, & patrem baptizati, nisi specialem prohibitionem turpitudinis inter illos intuitu propinquitatis contractæ ex Sacramento. Quod idem argumentum fieri potest de cognatione, quæ resultat inter Sacerdotem baptizantem, & masculum baptizatum. Nam licèt olim deseruire posset, vt baptizatus mediante illa cognatione cum baptizante, contraheret etiam cognationem cum filiis baptizantis, si quos haberet, quasi cum fratribus; hodie tamen illa cognatio cum filiis baptizantis, vel patrinorum sublata est ; & tamen perseuerat cognatio cum baptizante : quæ quidem, nisi specialiter prohibeat omnia turpia inter illos, ad nihil omnino deseruiret, & videretur res quasi de solo titulo ; nec facilè explicabatur, quid addat de facto : nam coniunctio ratione Sacramenti collati, & susceptiiam erat ante omnem Ecclesiæ legem : illa ergo lex adueniens aliquid debet operari, nempe facere illos moraliter cognatos; hoc est, specialiter impeditos, non quidem ad matrimonium (quod inter duos masculos non posset intelligi,) sed ad omnia, ad quæ carnaliter consanguinei specialiter sunt impediti. Dum enim tota illa cognatio spiritualis, sicut & legalis non sit verè, & strictè cognatio, sed æquiualens, & moralis inducta per Ecclesiam, debet æquiualere cognationi veræ in ordine ad aliquid. Alioquin non benè intelligitur, quando Ecclesia induxerit de nouo aliquid morale, quod antea non erat, aut quod ablata illa lege, auferat aliquid morale, aut æquiualens, si coniunctio illa ad nihil prorsus æquiualeat, posita lege, ad quod non æquiualeat non posita, vel omnino sublata illa lege.

Quartò arguere possumus: quia si aliquis consanguineam in tertio, vel quarto gradu turpiter tangat, debet explicare in confessione circumstantiam personæ propter malitiam, quam ille tactus participat specificam diuersam ab illa circumstantia consanguinitatis, vt cum communi tradit Sanchez *libro 9. de matrimonio, disp. 46. n. 18.* Ergo à fortiori, si vir cum consanguinea in tertio, vel quarto gradu habeat concubitum Sodomiticum, debet explicare circumstantiam cognationis propter malitiam specie diuersam. Mirabile enim esset, quod tangere manum consanguineæ addat malitiam diuersam specie ; tactus verò adeo obscœnus, & turpis qui in peccato Sodomiæ reperitur, non habeat malitiam specie diuersam ex circumstantia cognationis. Vnde habemus ad minus contra alios Auctores, debere illam circumstantiam explicari in coitu Sodomitico masculi cum consanguinea in tertio, vel quarto gradu. Ex hoc autem rursus probari videtur explicandam etiam esse in eodem peccato inter masculos duos consanguineos in eodem gradu : tum quia inter eosdem alij tactus turpes videntur habere malitiam specialem declarandam, vt colligitur ex illa doctrina generali, qua Theologi citati communiter dicunt in tactu turpi declarandam esse personam, si sit consanguinea: tum etiam, quia si Sodomia cum consanguinea habet specialem malitiam ratione sanguinis, cur non habebit specialem etiam malitiam inter duos consanguineos, cùm sit eadem coniunctio sanguinis, & debitum obseruantiæ inter illos ? Propter hæc ergo verius videtur illam circumstantiam explicandam omnino esse in hoc peccato, siue sit cum consanguineo, siue cum affine, aut cognato spirituali, vel legali ; de omnibus enim procedit eadem ratio. Quam sententiam docuit etiam Graffius *de arbitrariis Confessar. lib. 2. c. 34. num. 3.* & pro eadem Diana *dicta resolut. 101.* citat Franciscum Sylujum *in 2. 2. Sancti Thomæ, q. 154. art. 12.*

350.

351.

§. 3. *De circumstantia peccati cum pœnitente.*

351. DVbitari etiam solet, an sit circumstantia necessario declaranda, si aliquis peccauit cum filio, vel filia confessoris. Non est autem quæstio, quando vsus est ipsa confessione tanquam medio, vt si in confessione sollicitauit pœnitentem, vel cum proxime accederet, aut proximè post confessionem : tunc enim interuenit grauissima malitia sacrilegij, quam meritò grauissimis pœnis punit Ecclesia. Dubium ergo est de Confessario, qui omnino extra actum confessionis peccauit cum pœnitente.

352. Duæ sunt sententiæ. Prima, & satis communis affirmat esse circumstantiam necessariò explicandam in confessione. Hanc tenet Sotus, Palud. Viguerius, Turrecremata, supplementum Gabrielis, Nauarrus, Gallego, Alexander de Neuo, Tabiena, Armilla, Viualdus, Ludouicus Lopez, & alij, quos refert: & sequitur Thomas Sanchez *lib. de matrimonio, disp. 55.* Nunnus *in præsenti, q. 9. a. 2. dub. 3.* Coninch *disp. 32. n. 23.* Fagundez, & alij multi : quos congerit Diana *1. t. tract. de circumst. aggrauant. resol. 32.* Horum autem aliqui dicunt circumstantiam illam addere malitiam incestus : alij non esse incestum, sed sacrilegium. Rursus aliqui volunt, secluso omni præcepto humano, interuenire talem malitiam propter

353. irreue

irreuerentiam Sacramenti : alij totum id reducunt ad prohibitionem specialem Ecclesiæ , quæ sicut in Baptismo,& Confirmatione;sic etiam in Sacramento Pœnitentiæ induxisse videtur quoddam speciale vinculum inter Confessarium, & pœnitentem, ratione cuius luxuria inter illos habeat specialem deformitatem,quam grauissimis pœnis vnit. Vt constat ex Symmacho Papa *in c. Omnes 30.q.1.* Vbi sic ait : *Omnes,quos in pœnitentia suscipimus , ita nostri sunt spirituales filij,vt & ipsi,quos vel nobis suscipientibus,vel trinæ mersionis vocabulo mergentibus,vnda sacri baptismatis regenerauit.Syluester quoque docens admonet vnumquemque Sacerdotem , vt nullus causa fornicationis ad suã pœnitentialem accedat,quia scriptum est:omnes,quos in pœnitentia accipimus , ita filij nostri sunt,vt in baptismate suscepti. Quapropter hoc scelus,si quis perpetrauerit , non solùm dignitatis honorem amittat,verum etiam vsque ad exitum vitæ suæ iugi pœnitentia se subdat.* Eodem modo loquitur Cælestinus Papa *in cap. non debet* , eadem causa *30. quæst.1. Non debet* (inquit) *Episcopus , aut Presbyter commiscri cum mulieribus,quæ ei sua fuerint confessa peccata,si fortè (quod absit) hoc contigerit ; sic pœniteat, quomodo de filia spirituali: Episcopus quindecim annos , Presbyter duodecim , & deponatur , si tamen in conscientiam populi deuenerit.* Ex quibus colligi videtur malitia specialis saltem ex prohibitione Ecclesiæ prouenies.

353. Secunda sententia negat esse ibi specialem malitiam specie diuersam. Pro hac Diana *vbi suprà*, Bonacina *loco citato* afferunt Patrem Azorium *tertia parte , libro tertio,cap.9.quæstione 5* .sed hic Auctor ibi contrariam sententiam tenet : nam licèt dicat illum non esse incestum , addit tamen , quod contrahit grauitatem intra speciem Sacrilegij propter rationem , quam statim affert. Si ergo supra fornicationem addit speciem sacrilegij , iam debet ex hoc capite explicari illa circumstantia. Dices non debere explicari : quia iam in illo peccato explicatur aliunde species sacrilegij , cum explicetur, vt peccatum personæ sacræ, & contra votum castitatis : non ergo oportet explicare illud alterum caput , ex quo contrahit rursus malitiam sacrilegij. Sed contra , quia malitia sacrilegij , quæ sumitur ex violatione voti , est multum diuersa à specie sacrilegij , quæ sumitur ex irreuerentia Sacramenti; alioquin , qui violauit votum , vel qui sacrilegè ministrauit Sacramentum , satisfaceret , accusando se de peccato graui contra religionem , quod nemo concedet : si ergo Azor concedit, quod accipit speciem sacrilegij, propter irreuerentiam sacramenti , eo ipso docet esse necessariò explicandam illam circumstantiam,nec debuit pro contraria sententia afferri.

354. Alij tamen tenent hanc secundam sententiam. Petrus de Ledesma *de matrim.q.56.art.2.dub.vlt.& in summa de Sacrament.c.19. de Sacram. pœnit.* dicit vtramque esse probabilem.Affertur etiam Emanuel Sà verbo *Confessio, n. 26.* & hic quidem in prima editione dixerat explicandam illam circumstantiam , in posteriori verò Romana , & correcta per Mag. sacri Palatij dictum est non debere explicari. Eamdem sententiam docet Basilius Pontius *de impediment.matrim.caus.30.c,24.§.2.*Bonacina *q.4.de matrim.punct.16.n.7.& disp.5.de Sacram.q.5. sect. 2.punct.2.§.3.n.9.*Ioann.Sanctius *in selectis.disp.11. n.5.*& alij,quos affert,& sequitur Diana *d. resol.12. & tract. 3. Miscel. resol. 11.* Quibus consentire videtur etiam Vasquez *in præsenti q.91. artic.1. dub. secundo,num.20.*

355. In hoc puncto distinguendum videtur : nam vel sermo est de malitia , quam illud peccatum habeat peculiarem ex ipso iure naturæ, vel de malitia proueniente ex præcepto, & prohibitione humana , loquendo de illa priori malitia , negari non potest, quin aliquando reperiatur , & sit necessariò explicanda. Potest autem hoc prouenire in primis ex peculiari irreuerentia, quæ fit contra Sactamentum;& hoc non solùm,quando in ipsa confessione,vel proximè sollicitatur pœnitens ad turpia ; sed etiam quoties Sacramentum ipsum sumitur , vt medium ad peccatum,quod ego etiam intelligerem , quando occasione,& prætextu,quod habeas curam eam gubernandi,vt pœnitentem tuam , frequenter eam inuisas,& pecces, aut si occasione confessionis præteritæ eam postea alloquaris : nam hæc omnia reddunt odiosum Sacramentum Pœnitentiæ , & suspectum apud maritos,& cognatos , timentes , ne suis vxoribus,vel filiabus à Confessariis quid mali proueniat. Quotiescunque ergo ex peccato redundat irreuerentia , aut detrimentum in Sacramentum ipsum,iam inuenitur iure ipso naturali circumstantia grauis specie diuersa explicanda in eo peccato, quæ quidem non est malitia incestus, sed sacrilegij, & irreuerentiæ specialis contra Sacramentum.

356. Aliquando hæc malitia specialis prouenire potest etiam iure naturæ,ex eo quod Confessarius peccat non solùm peccato scandali communi , sed specialiter propter peculiarem obligationem,quam habebat ex officio speciali ad procurãdum bonum spirituale illius subditi. Nam Episcopus v.g.vel Parochus ex proprio munere sunt pastores , & medici suorum subditorum, atque adeo specialiter tenentur ad impedienda eorum peccata , & ad procurandam eorum salutem : peccant ergo contra debitum sui officij, si positiuè maculare conentur animas illas,pro quibus specialiter debebant inuigilare:quod peccatum non solùm pertinet ad speciem scandali, sed etiam est specialiter contra debitum satisfaciendi proprio officio Episcopi,vel Pastoris, &c.

357. Hæc tamen malitia nec Confessarij est propria, nec etiam communis omnibus Confessariis. Nam in primis Episcopus , licèt nunquam audiat confessionem sui subditi,peccat tamen specialiter contra debitum pastoris,si ouem suam , quam deberet defendere,sollicitet ad turpia:quod idem cum proportione de quocumque Prælato,& de Parocho etiam dici potest,è contra verò non reperitur illa malitia in quolibet Confessario,nã licèt in ipso actu Confessionis sit pastor,& medicus,& habeat peculiarem obligationem gubernandi,& curandi pœnitentem: postea tamen , qui ex officio non habet illud munus , non retinet peculiarem aliquam obligationem,eo solùm , quod semel audierit confessionem illius fœminæ. Nam sicut Parochus relicta Parochia,& Episcopus relicto Episcopatu , aut Prælatus finito tempore suæ Prælaturæ,non retinent obligationem erga subditos præteritos , nec eorum peccata cum illis haberent specialem illam malitiam explicandam , quam habuissent priùs ; sic Confessarius , qui ex officio id non facit , non retinet postea peculiarem obligationem pastoris , vel medici , quæ afferat diuersam specie malitiam , si peccet cum eo.cuius olim confessionem audiuit ; quia reuera iam non est pastor,nec medicus, sed fuit , & functus fuit officio suo,faciliùs id posset concedi in 358. eo , qui licèt non sit Parochus , vel Prælatus, est tamen specialiter ab ipso pœnitente electus,& assumptus in patrem spiritualem,à quo gubernetur, quod munus habitualiter acceptauit , & retinet , & atque ideo ex ipso habituali munere obligari videtur ad mediocrem saltem diligentiam circa salutem sui clientis, & multò magis ad non afferendum illi positiuè periculum adeo graue damnationis æternæ.

In quo sensu recipi potest, quod dixit, Filliucius *tom. 1. tract. 10. cap. 5. num. 187.* eum, qui actu est confessarius illius, cum qua peccat, debere explicare eam circumstantiam, non verò eum, qui iam non est actu ipsius Confessarius. Sed, vt dixi, non solùm in Confessario, sed etiam in duce, ac patre spirituali, Prælato, & Pastore eadem distinctio locum habere potest.

359. Si verò sermo sit de malitia speciali proueniente ex mera prohibitione humana, placet omnino secunda sententia. Pro qua est textus *in capit. fin. in fine de cognatione spirituali in 6.* vbi Bonifacius Octauus expressè decernit ex aliis Sacramentis præter Baptismum, & Confirmationem, cognationem spiritualem nequaquam oriri. Et quidem, quod ex Sacramento pœnitentiæ nunquam fuerit orta cognatio spiritualis sicut in baptismo, & confirmatione; probari potest, quia cùm olim cognatio ex iis Sacramentis esset inter filios baptizantis, & baptizatum; si cognatio similis oriretur ex Sacramento pœnitentiæ, sequeretur, quod filius Parochi (qui ex præcedenti matrimonio esse posset legitimus, vel ex concubina illegitimus,) nullam posset fœminam ducere in vxorem in toto oppido, quia cùm essent pœnitentes sui patris, cum omnibus contraxisset cognationem spiritualem. Porrò neque aliam dissimilem cognationem ex hoc Sacramento oriri, probari potest, quia sine sufficienti fundamento id asseritur: nam ad textus illos suprà adductos si semel concedis illam particulam, *sicut*, non significare ibi omnimodam similitudinem cum aliis Sacramentis in causanda cognatione, vt probatum est; facilè dici potest, nec significare similitudinem in hoc, quod est parere cognationem, sed solùm in refundenda quadam maiori grauitate in illo peccato, quod non negamus, quam voluerunt grauioribus pœnitentiis punire, vel certè loquuntur de iis, qui ex officio audiebant confessiones, vt Episcopus, & proprius Sacerdos, extra quos nullus fortè tunc confessiones excipiebat, & in iis iam diximus esse circumstantiam specialem necessariò explicandam. Denique si tunc fuit cognatio, vel vinculum speciale, id totum sublatum iam est, vt constat ex illa decretali Bonifacij octaui supra citata, vt notauit benè Pontius *loco suprà adducto.*

360. Hinc obiter infero primò, quod dictum est de peccato confessarij cum fœmina pœnitente, locum etiam habere in peccato eiusdem cum pœnitente masculo. Nam licèt contrarium insinuet Diana cum aliis *dicto tract. de circumst. aggrauant. resol. 56.* Id tamen intelligitur de malitia speciali, quæ resultaret ex sola lege Ecclesiastica, quæ lex solùm videtur loqui de pœnitente fœmina: cùm autem diximus totam malitiam specialem; si quæ est in casu nostræ quæstionis, oriri ex ipso iure naturæ; idem, & multò magis locum habet in confessario masculi propter maiorem peccati grauitatem, ex qua redundat maior irreuerentia in Sacramentum, & ipse confessarius ratione officij magis tenebatur ad procurandum bonum subdito in ordine ad vitandum illud grauius peccatum. Dixi tamen, *in casu nostræ quæstionis*, quia quando peccatum illud fieret intra confessionem, aut proximè, vel in loco confessionis, &c. constat specialem malitiam redundare ex speciali prohibitione humana contenta in Bulla Gregorij decimi quinti, in qua prohibitio explicitè extensa est ad confessarium etiam masculi.

361. Infero secundò non solùm copulam, sed tactus etiam turpes, aut pollutiones inter pœnitentis fœmora participare illam malitiam specialem in iis casibus, in quibus diximus explicandam necessariò in peccato cum pœnitente. Hoc etiam est contra Dianam in eodem loco, qui negat in eiusmodi peccatis declarandam circumstantiam, licèt declaranda esset in copula. Sed hæc sententia nullo modo placet, siue sermo sit de malitia, quæ oritur ex iure naturæ, siue de malitia, quæ oritetur ex prohibitione Ecclesiastica. Nam sicut prohibita copula inter cognatos cognatione spirituali orta ex Baptismo, tactus etiam, & alia peccata turpia inter illos contrahunt specialem malitiam necessariò declarandam: sic posita prohibitione speciali Ecclesiæ de copula confessarij cum pœnitente propter speciale vinculum ab eadem Ecclesia inter illos constitutum, consequenter tactus, & reliqua turpia peccata contraherent specialem malitiam necessariò declarandam. Loquendo autem de speciali malitia, quæ oritur ex iure naturæ, constat clarè inueniri etiam in tactibus, & aliis peccatis turpibus: ex quibus magna etiam irreuerentia redundat contra Sacramentum: & grauiter violat Pastor, vel Prælatus in iis debitum, quod ex officio, & munere habet procurandi specialiter salutem spiritualem illius subditi. 364.

Infero tertiò, quid dicendum sit de confessione illius peccati cum proprio confessario commissi, an possit, vel expediat illud apud eumdem confessarium expiari: de quo S. Thomas *in Addit. quæst. 20. art. 2. ad 1.* vbi dicit, quod tunc nec Sacerdos debet audire confessionem mulieris; sed ad alium eam remittere, nec illa debet ei confiteri, sed debet petere licentiam ad alium eundi, vel recurrere ad superiorem, si ille licentiam negaret, tum propter periculum; tum quia est minor verecundia: si tamen absolueret, absolutio valeret. Quæ doctrina verissima est: & quidem quando peccatum iam omnino transiit, & vterque ex corde pœnitet, & dolet, nec periculum est reincidentiæ, faciliùs posset permitti, quod apud eundem confiteatur: quando verò perseuerat effectus ad personam, & periculum est, non debet permitti; quod confessione etiminis renouetur memoria in confessario, & ex ipsa confessione sacramentali cognoscat iterum affectum pœnitentis erga ipsum, de quo latè Basilius Pontius *loco suprà citato.* 362.

§. 4. *Vtrum in delectatione interna debeant explicari circumstantiæ personæ, quæ peccanti obiicitur.*

363. QVæstio est vulgaris, an qui delectatur turpiter de copula cogitata, verbi gratia, cum nupta, debeat in confessione explicare circumstantiam matrimonij: quod est quærere, an delectatio ipsa accipiat malitiam adulterij, ex eo quod versetur circa nuptam.

Celebris est sententia P. Vasquez *in 1. 2. disp. 111. & 112.* qui docet delectationem non sumere speciem ex obiecto, sed in hoc differre à desiderio, & consensu: quia desiderium est actus efficax, & consummatur exteriùs, verbi gratia, in opere ipso fornicationis, vel homicidij; delectatio verò est actus inefficax, & consummatur interiùs. Rursus actum, qui consummatur interiùs, diuidit in eum, qui habet pro obiecto rem, & non operationem, vt odium Dei versatur circa Deum ipsum, & circa actionem: delectatio verò de fornicatione consummatur interiùs, & habet pro obiecto operationem externam. Quo supposito, dicit actum, qui consummatur interiùs, & habet pro obiecto rem, & non actionem, sumere malitiam suam ab ipso obiecto, si tamen consummetur interiùs, & habeat pro obiecto operationem externam 366.

externam non accipit malitiam ab obiecto, sed ex oppositione, quam ipse actus habet cum virtute, v.g. delectatio de fornicatione cum virtute temperantiæ. Hinc deducit ad nostrum propositum, delectationem morosam de copula cum nupta, cum moniali, cum rapta, &c, non variari specie propter illas diuersas personæ circumstantias, nisi circa ipsam circumstantiam formaliter delectatio versaretur, verbi gratia, circa coniugatam, quia coniugata est. Hanc sententiam amplectuntur alij, non pauci. Reginaldus, Sayrus, & alij, quos refert, & sequitur Diana *1.tom.tract.de circumst.aggrauant. resol.* 48. *& tractatu* 3. *Miscell.resolutione* 34. *& 2.tom.tractat.*4. *de Sacram.resol.*68. & probabilem dicunt Azor, Salas Filliucius, Bonacina, & Lessius apud eumdem Dianam, & eamdem sequitur Castrus Palao 1. *tom.tractat.*2. *disput.*2. *puncto* 10. § 4.

364. Hæc sententia difficilis est fortasse magis in modo explicandi, quam in re ipsa. Primò, quia non videtur posse negari, quod malitia delectationis veneræ desumi possit ex obiecto, licèt hoc sit actio externa: ergo ex illo fundamento non benè negatur differentia specifica inter illas delectationes. Antecedens probatur in primis ex modo communi loquendi omnium Theologorum, qui vniuersaliter docent, actus sumere suam speciem ex obiecto cum S.Thoma. 1.2. *quæst.*18. *art* 2. *& quæst.*19. *art.*1. *&* 2. *& quæst.*24. *art.*4 *& quæst.*72. *art* 1. *&* 2. *& quæst.*74. *art.*8. & alibi passim. Deinde à priori, quia malitia illa vel oritur actui ex eo, quod delectatio sit, vel quia versatur circa tale obiectum. Non primum, alioquin omnis delectatio esset mala: ergo præcisè ex eo, quod est delectatio de tali obiecto; neque enim inueniri potest in eo actu aliud prædicatum præter hæc duo, quæ sunt genus, & differentia adæquata illius: ergo negari non potest, quod ex obiecto proueniat malitia. Denique, quia quod delectatio tendat formaliter in circumstantiam malam, vel solùm tendat indirectè, non videtur sufficere ad ponendam, vel tollendam omnino malitiam: sicut neque in actu efficaci id sufficit: nam voluntas adulterij, licèt tendat solùm indirectè ad circumstantiam adulterij, & directè ad libidinem, id sufficit, vt contrahat malitiam adulterij: ergo qui delectatur de copula adultera, licèt non formaliter propter adulterium; adhuc contrahet malitiam adulterij, in quam directè fertur.

Secundò difficilis est illa sententia; quia regula, quam tradit ad cognoscendam malitiam delectationis, manet æquè obscura, & difficilis, nisi recurramus ad malitiam obiecti. Dicit enim, delectationem esse malam, quando secundum se opponitur alicui virtuti. Peto ergo, quando delectatio opponitur virtuti aut cur, nisi propter obiectum malum, quod habet? vel certè si ex alio capite potest opponi, debet illud explicari, vt possimus decernere, quando delectatio sit, vel non sit peccatum graue.

Tertiò, quod actus efficax sit causa operis, & delectatio non sit causa, non videtur sufficere, vt delectatio non contrahat totam malitiam operis: nam si hodie gaudeas de adulterio heri à te perpetrato, gaudium illud certè non influit, nec est causa adulterij, & tamen nemo negat contrahere malitiam adulterij: non est ergo quoad hoc differentia inter actum influentem, & non influentem.

366. Quartò, sicut aliquis non delectatur formaliter de adulterio, aut de violentia, sed de libidine, & ideo per te non contrahit malitiam adulterij, sed fornicationis: sic non delectatur de malitia fornicationis, sed de voluptate, quæ quidem secundum se præscindit à licita, & illicita: nam sicut fœmina illa poterat non esse coniugata; & ideo libido, de qua delectaris, secundùm se præscindit ab adulterio: sic poterat esse vxor tua, & ideò voluptas, de qua delectaris, secundùm se præscindit à fornicatione, vel copula licita: ergo sicut propter priorem præcisionem delectatio non contrahit malitiam adulterij, sic propter posteriorem non contrahet malitiam fornicationis.

Ex hoc autem vltimo argumento possimus facilè rejicere, & dissoluere aliqua exempla, quæ P. Vasquez affert *disputat.* 111. *cap.* 2. *num.* 9. *&* 10. vt probet, delectationem non accipere malitiam ex obiecto, sicut eam accipit voluntas efficax; quia potest aliquis delectationem accipere ex duello, & ex bello iniusto, licèt non possit ea velle: sicut etiam religiosus potest delectari in sumptibus propria auctoritate faciendis absque peccato mortali; licèt non possit absque mortali id velle. Item potest aliquis delectari, quod pollutio sequatur in somno, licèt non possit velle, quod fiat. Denique potest gaudere de furto alicui facto; quia ablata fuit ei occasio peccandi, licèt non posset propter illum finem velle, vel suadere, quod fieret illud furtum. 367.

Ad hæc exempla respondent facilè aduersarij. Ad illud de duello, & bello iniusto, posse quidem aliquem delectari de eorum visione ex suppositione, quod fiant; non tamen gaudere, quod facta sint, quia non licèt gaudere de iis, quæ non licet desiderare, cùm gaudium & desiderium differant solùm penes tempus præteritum & futurum, quod connotant in obiecto: & quidem neque etiam desiderium est voluntas efficax, aut causatiua, quia multa possumus desiderare, quæ non possumus facere: & tamen non licet desiderare duellum, aut bellum iniustum. 368.

Ad secundum de Religioso; sicut non potest velle facere illos sumptus sine licentia, ita non potest delectari in illis factis sine licentia: potest quidem velle aut desiderare illos absque malitia proprietatis & eodem modo poterit de illis delectari. Ad illud de pollutione, sicut potest quis gaudere de illa in somno habita, non propter voluptatem, sed propter sanitatem: sic posset propter eumdem finem eam desiderare, non tamen procurare. Ratio est: quia pollutio secundùm se non est mala etiam obiectiua, sed vt procurata; quia quod pollutio absque procuratione sequatur, non affert magnum damnum prolì: quod verò posset procurari, & intendi, hoc afferret maximum damnum generationi prolis: & ideo procurare pollutionem est obiectiuè malum. Vnde pollutionem illicitè procuratam, sicut non potest quis velle, aut desiderare, sic nec potest de illa delectari. Denique ad illud de furto dicendum est, posse quidem nos gaudere de effectu sequuto, non verò de causa, nec quod effectus positus fuerit per talem causam. Sicut potest pater amare filium illegitimum, non tamen potest gaudere de causa, aut quòd tali modo genitus fuerit. 369.

Addo, contra hæc omnia exempla posse, vt dixi, retorqueri argumentum, quod attuli ex ipsa fornicatione. Nam si possumus delectari de bello iniusto, de duello, de sumptibus absque facultate, de pollutione, de furto absque eo quod delectatio accipiat malitiam ex obiectis: cur non posset etiam haberi delectatio de copula adultera, absque eo quod contrahatur malitia, non solùm adulterij, sed nec fornicationis? non enim est magis intrinsecè connexa copula illa cum malitia fornicationis, quàm pugna cum iniustitia, aut sumptus cum vitio proprietatis, &c. 370.

371. Propter hæc ergo alij dicunt vniuersaliter, delectationem accipere totam suam malitiam ex obiecto malo: sed contra hoc est, posse esse obiectum bonum, & delectationem illicitam: vt si religiosus cogitans se in statu sæculari, haberet nunc delectationem de copula, quam tunc cum vxore haberet: obiectum quidem esset bonum, scilicet copula cum vxore, & tamen delectatio esset illicita. Fatendum itaque est, posse nos aliqua desiderare, de quibus non possumus quamlibet delectationem accipere. Nam solutus desiderat aliquam in vxorem, vt possit ei copulari, & tamen non potest tunc delectationem habere de copula cum ea habenda.

372. Alij ergo dicunt, delectationem in re venerea non tam accipere malitiam ex obiecto, quàm ex effectu: quia, scilicet, affert secum præsentem commotionem corporis, & excitationem vehementem spirituum deseruientium ad generationem, atque ideò videtur esse principium copulæ præsentis: ideò quantumcumque obiectum sit licitum, nempè copula habita, vel habenda tunc, quando licita erat, vel erit, semper est illicita solutis. Ita Sanchez *lib. 9. de matrimon. disput. vlt. num.* 4. Bonacina *quæst. 4. de matrimon. punct. 8. num. 15.* Castrus Palao *loco supra citato, punct. 10. §. 2. num. 7.* & alij. In quo etiam sensu explicari potest doctrina prima relata ex Vasquio, quod delectatio hæc non ex obiecto, sed secundùm se opponitur castitati: quia, scilicet, sumere talem delectationem, quæ afferat secum talem commotionem corporis, prohibitum est iis, quibus delectatio venerea prohibita est, quales sunt omnes non coniugati. Quod de delectatione in aliis materiis non procedit, quia non affert secum similem effectum præsentem, qui prohibitus sit pro eo statu.

373. Hæc doctrina aliquid veri continet, sed nisi limitetur, vel extendatur, adhuc manet difficilis; primò, quia si malitia illius delectationis non prouenit vllo modo ex obiecto malo, sed ex effectu prohibito non coniugatis; consequens videtur in primis, omnes eiusmodi delectationes esse eiusdem speciei, cùm effectus, quem de præsenti causant in corpore, sit eiusdem rationis, atque adeò siue cogitetur de nupta, siue de sanguinea, &c. delectatio ex hoc capite non habebit malitiam specie diuersam. Consequens autem contra ipsum Sanchez *lib. 1. in Decalog. cap. 2.* & ipsum etiam Bonacinam *loco citato num.* 18.

374. Secundò ponamus, quod aliquis delectetur de pollutione cogitata apposita conditione explicita, si esset licita, quo casu malitia delectationis non sumeretur ex obiecto, sed solùm ex effectu, quem de præsenti causat, tunc, inquam, malitia non deberet esse diuersa specie à malitia delectationis de fornicatione; quia effectus, quem vtraque delectatio causat in corpore, est idem. Consequens tamen esse videtur contra ipsum Vasquez, qui illa *disput. 112. num.* 4. expressè fatetur, delectationem de obiecto turpi contra naturam accipere speciem peculiarem explicandam in confessione, quod idem docet Salas *in 2.2. tomo tractat. 13. disput. 6. sect. 6. num. 60.* qui tamen *numero 55.* dum refert sententiam Patris Vasquez malè illi tribuit, quod nequè etiam differentiam agnoscat inter delectationes de coitu naturali, vel de coitu contra naturam; hoc enim expressè negauit Vasquez, & eius sententiam amplectens, idem negauit Castrus Palao *dicto puncto 10. §. 4. num.* 41.

375. Aduersùs illos tamen vrgeri potest hoc idem argumentum, etiam casu, quo aliquis non excluderet malitiam, seu prohibitionem pollutionis, sed delectaretur cogitando de pollutione: quia si delectatio illa non accipit malitiam ex obiecto, sed ex dissonantia, & oppositione, quam secundùm se habet cum castitate, & hæc oppositio sumitur ex effectu, & commotione corporis, quam delectatio secum affert; eadem videtur esse malitia, siue delectatio sit circa pollutionem, siue circa copulam naturalem; nam eumdem effectum causat de præsenti in corpore vtraque delectatio; ergo vel fatendum est, malitiam specialem desumi ex obiecto, vel debet assignari alia ratio, cur delectatio simplex in materia venerea sit illicita, & non in aliis materiis, cùm malitia per te nec sumatur ab obiecto malo, nec ab effectu, quem causat; quæ tamen ratio oppositionis specialis difficile potest inueniri.

Pro resolutione igitur huius puncti aduerto, ad nos pro nunc non pertinere tractare ex professo, an 376.
delectatio de obiecto sit illicita, sed vtrùm delectationes malæ & illicitæ distinguantur specie necessariò explicanda pro diuersitate malitiæ, quæ apparet in ipso obiecto. Cæterùm ad hoc ipsum declarandum, necesse erit breuiter supponere nostram sententiam circa radicem malitiæ delectationis.

Dico itaque breuiter, delectationem, sicut & desiderium malitiam accipere ex malitia sui obiecti, 380.
non tamen ita vt non possit aliundè etiam malitiam habere; vndè circa obiectum, quod secundùm se non proponatur, vt malum, poterit etiam contingere delectatio mala.

Primam partem huius assertionis probat mihi 377.
exemplum desumptum ex actu desiderij, loquor autem de desiderio, non quidem quod sit voluntas efficax & causatiua, sed merum desiderium, quasi speculatiuum: possum enim ego desiderare mortem Petri, vel quod occidatur iniustè ab inimicis, licèt nullo modo velim eum occidere, aut cooperari ad eius necem. Tunc autem non videtur dubium, quod desiderium de nece Petri, aut de adulterio Ioannis sit malum propter malitiam rei desideratæ, cùm scriptum sit de peccatoribus: *Abominabiles facti sunt sicut ea, quæ desiderauerunt.* Idem ergo debemus dicere de gaudio: nam gaudium & desiderium circa idem obiectum non differunt, vt dixi, nisi secundùm diuersa tempora quæ respiciunt, quia vterque actus approbat, & amplectitur idem obiectum, alter pro tempore futuro, alter pro tempore præterito. Sicut ergo desiderium homicidij est malum ab obiecto, ita gaudium, seu delectatio de illo malum erit. 381.

Ratio à priori desumitur ex natura gaudij & de- 378.
lectationis, quæ quidem quando absolutè, & nulla conditione posita, fertur in obiectum, approbat, & amplectitur illud per affectum: cùm autem obiectum secundùm se appareat malum, non potest voluntas licitè affici ad illud, nisi saltem excludat conditiones, aut circunstantias, quæ illud reddunt obiectiuè malum & turpè, ac indignum affectu, & amore naturæ rationalis. Exemplis hoc ipsum declarari potest, quibus in aliis etiam materiis experitur vnusquisque apud se malitiam talis delectationis, verbi gratia, si aliquis prædicens periculum 382.
salutis, quod honores & dignitates sæculi secum afferunt, adhuc eas desideret, & imaginando eas sibi deferri, delectetur, cogitando se in illis dominari, & eminere aliis: certè si subtiliter examinet hanc delectationem, remorsum conscientiæ experitur, & dolet, ita se parum sollicitum esse de propria salute, vt dignitates amet cum tanto salutis periculo, & non magis timeat; nam affectus ille ostendit, se præferre honorem sæculi sæcuritati salutis æternæ. Cæterùm si in eiusmodi cogitatione secludat expressè illud periculum, & imaginetur se ad dignitates 379.
assumi,

assumi, cum securitate; tamen ex Dei reuelatione promissa, quod non ideò suberit salutis periculum: tunc in delectatione de eiusmodi dignitate sic cogitata, licèt videatur sibi non satis affectus ad humilitatem, & ex hoc capite remorsum habeat conscientiæ; non tamen videtur sibi peccasse contra desiderium assecurandæ salutis, cùm hoc periculum expressè excluserit in eiusmodi delectatione. Hoc ipsum ad alias omnes materias applicari potest: nam si desideres nauigationem periculosam patris, vt interim maiori libertate fruaris, & de hac nauigatione cogitata delecteris; argueris certè minus diligere patrem, cuius periculum non times, sed amas, si autem cogitatione excludas omne periculum à nauigatione: tunc delectatio illa, licèt arguat affectum ad libertatem, non tamen arguit minorem affectum erga parentis salutem. Vides itaque delectationem, quæ non excludit ab obiecto malitiam, quam habet, accipere ab ipsa malitiam, eo quod sit affectus voluntatis nostræ ad illud bonum vestitum omnibus illis circunstantiis, licèt nec causet obiectum, nec circunstantias ipsas.

Secunda verò pars assertionis, quod scilicet aliquando delectatio possit esse mala, licèt ex parte obiecti non appareat, vel excludatur expressè circunstantia mala; probatur in delectatione de materia venerea. Nam licèt copula viri cum vxore licita sit, & ex parte obiecti nullam afferat circunstantiam malam: religiosus tamen, vel solutus non potest licitè delectari in cognitione eiusmodi copulæ, licèt expressè ex parte obiecti ponat circunstantiam matrimonij, quæ reddit copulam omninò licitam. Radix autem malitiæ in eiusmodi delectatione, cùm non possit desumi ex malitia obiecti, nec ex affectu voluntatis ad obiectum malum, debet omninò reduci ad peculiarem illam oppositionem talis delectationis cum aliqua virtute, prout in delectatione de copula licita, videmus opponi in homine soluto cum virtute castitatis propter commotionem illam, & vehementem carnis ardorem, quem secum affert talis delectatio, quod in eo statu illicitum est. In aliis verò materiis non facilè inuenies delectationem illicitam, cuius obiectum secundum se sit bonum. Multa exempla congerit. P. Vasquez *dicta disputat. III. cap. 4.* sed in in iis ferè semper inuenitur malitia ex parte obiecti. Primum est delectationis ex superbia in propria excellentia, sed tunc ex parte obiecti inuenitur, vel obiectum non dignum tanto amore, vel gradus supra merita, in cuius possessione aliquis delectetur; vel honor aliquis afferens periculum spirituale, quæ omnia ex se habent malitiam: vel certè si solùm delectetur homo de vera excellentia, quam habet, delectatio vel non erit mala, vel ideò erit mala, quia affert secum periculum superbiæ, vel alterius peccati, quare habebit se in eo casu, sicut delectatio de copula licita, quæ adhuc est mala propter malum præsens, quod affert.

Secundum exemplum est, delectationis de quocumque peccato, prout est contra Deum. Tertium, delectationis de peccato, prout est contra legem superioris. Quartum, delectationis de malo proximi, quatenus malum eius est. Quintum inuidiæ, quæ delectatur de malo proximi, cuius bonum diminuebat nostrum. Sextum crudelitatis & sæuitiæ, quæ delectatur in tormentis, vel vulneribus alienis, in quibus omnibus facilè apparet ex parte obiecti aliquod malum, quod vel nullo modo, vel certè propter seipsum amari non possit: nam malum in præsenti appellamus non solùm id, quod in se prohibitum est, & turpe, sed illud etiam, quod relatiuè, seu in ordine ad nostrum amorem sit malum, eo quod habeat tam exiguam perfectionem, & bonitatem in se. Eiusmodi est gloria vna apud homines; mala item aliena, quæ non sunt amabilia propter seipsa, nec digna nostro affectu. At verò copula licita non est talis, quia potest benè amari, & desiderari à solutis; non tamen possunt de illa delectari propter malum, quod ipsa formalis delectatio affert. Vndè constat, idem dicendum esse ad alia exempla, quæ *num.* 20. affert de actu displicentiæ, qui ex se, & non ex obiecto habeat malitiam, verbi gratia, quando quis tristatur de bono Dei, vel proximi; item cùm ex inuidia displicet bonum proximi. Denique quando alicui ex contemptu displicet obedientia propria, vel aliorum erga superiorem. Sed in iis, & similibus, constat reperiri ex parte obiecti, non quidem malum, sed bonum tale, quod possit refundere malitiam in affectum tristitiæ, nam sicut malitia obiecti refunditur in eius amorem, aut delectationem de illo, sic bonitas obiecti refundit malitiam in displicentiam, aut tristitiam de tali obiecto.

383. *Varia resolutiones circa malitiam delectationum.*

Ex hac doctrina breuiter proposita colligere iam possumus resolutionem præsentis dubij, & obiter aliorum, quæ circa delectationis malitiam solent proponi. Primò ergo infertur delectationes de obiecto malo, quando non excludunt malitiam ab obiecto, participare ab obiecto malitiam specie diuersam, atque adeò, qui delectatur de copula cum nupta, non referendo illam copulam ad tempus, quo non esset nupta, habet malitiam specie diuersam propter obiectiuam circunstantiam adulterij. Similiter haberet malitiam specie diuersam, si delectaretur de copula cum consanguinea, non excludendo circunstantiam consanginitatis, & sic de aliis: quod ex supradictis apertè colligitur.

384. Infero secundò, si mente præscindatur obiectum à tali circunstantia, delectatio habebit ex obiecto illam solam malitiam, quæ desumi potest à malitia, quæ non præscinditur, verbi gratia, si delectaris de copula cum moniali, casu quo non esset monialis: tunc delectatio non habebit malitiam ex sacrilegio, sed esset sicut delectatio de copula cum soluta; quia illam solam malitiam relinquis ex parte obiecti.

Infero tertiò, si delectaris de copula cum soluta, vel cum nupta, &c. sub conditione, seu casu, quo esset vxor tua præscindendo ab obiecto omnem malitiam, tunc delectationem non habere malitiam ab obiecto, sed illam solum communem, quam habent omnes eiusmodi delectationes in non coniugatis, quæ prouenit ex commotione corporis supradicta, quam secum affert. Poterit tamen illa delectatio habere malitiam specialem ex parte subiecti, vt si sis religiosus, vel coniugatus, de quo postea. Vndè aduerte, in hac materia non esse eamdem rationem de desiderio, & delectatione; quia licèt quoad malitiam, quæ desumitur ab obiecto: sit eadem ratio de vtroque actu, non tamen quoad malitiam, quæ desumitur ex ipso actu propter effectum, quem delectatio causat in corpore, quem non causat desiderium.

385. Infero quartò, licèt malitia, quæ desumitur ab obiecto, competat omni delectationi, quæ circa illud versatur; sicut & omni desiderio; malitiam tamen, quæ non sumitur ab obiecto non competere omni delectationi in materia venerea, sed illi, quæ affert, vel apta est afferre secum illam corporis commotionem suprà explicatam. Potest enim dari alia delectatio, vel gaudium tale de copula licita, vel aliena, vel propria, præterita, vel futura, quæ sit mera approbatio obiecti, quasi speculatiua, vt cùm vidua gaudet se reddidisse viro debitum, vel se

expertam

expertam fuisse delectationem coiugalem; vel sponsus gaudet, quod poterit frui sponsa; quæ delectatio in modo tendendi non differt ferè à desiderio, nec affert secum illam corporis commotionem, sicut affert illa alia, quæ versatur circa obiectum, sicut si esset præsens: quam differentiam vnusquisque facilè experitur, & aliqui Auctores explicant dicendo delectationes, quæ sunt in sola voluntate, esse licitas; non verò quæ sunt in appetitu sensitiuo. Ita loquitur Thom. Sanchez cum aliis *dicto lib. 1. in Decalog. cap. 2. num. 32. & seqq.* Quam distinctionem impugnat Castrus Palao cum aliis *dicto puncto 10. §. 2. num. 5.* Ipse autem aliis nominibus distinguit illam duplicem delectationem: alteram vocat meram approbationem obiecti, quam dicit non afferre secum illam commotionem: alteram appellat simpliciter delectationem. Sed quoad hæc quæstio erit de vocabulis. Certum autem videtur dari in nobis duplex illud genus delectationis valdè diuersum, & licèt vtrumque detur in voluntate, altera tamen ex illis facit suos effectus sentiri in parte sensitiua, & ideò Sanchez, & alij dixerunt illa esse in appetitu sensitiuo.

386. Infero quintò delectationem de copula aliena licita, si sit prioris generis licitam esse, quia obiectum est bonum: si verò sit posterioris generis, esse licitam propter effectum, quem causat. Idem dicendum est de delectatione, quam habet sponsus de futuro, aut vidua de copula licita futura, vel præterita, quæ delectatio sub eadem distinctione erit, vel licita, vel illicita.

Infero sextò, quid dicendum sit de religioso, vel coniugato habente delectationem circa copulam cum aliena, casu, quo ipse non esset religiosus, sed coniux illius. Nam si illam conditionem non apponat, sed delectetur de copula etiam vestita cum illis circunstantiis licèt non delectetur de circunstantia: fatendum est omninò iuxta nostra principia, accipere speciem à circunstantiis illis. Quando verò obiectum præscinderetur mente ab illis circunstantiis: de Religioso concedunt omnes habere in illo adhuc peculiarem malitiam ratione status: quia per votum castitatis peculiariter interdixit sibi omnem delectationem veneream: quare illa delectatio præsens habebit specialem malitiam sacrilegij propter violationem voti; non tamen habebit malitiam adulterij, vel incestus, licèt delectetur de copula cum consanguinea, vel coniugata, quia eas circunstantias per mentem separare potest: imò licèt cogitaret de copula cum moniali; delectatio illa haberet quidem malitiam sacrilegij ex parte subiecti, nempè illius, qui delectatur, non tamen ex parte obiecti, si illam circunstantiam separaret per mentem.

Petes, cur non possit etiam per mentem separare illam circumstantiam, quatenus se tenet ex parte subiecti, si apprehendat se in statu sæculari, & sine voto? Respondetur, licèt eam circumstantiam mente præscindat; & ita tollat ex ea parte malitiam obiectiuam, adhuc peccare contra votum, quo se obligauit ad non habendas eiusmodi delectationes venereas illicitas: supponimus enim ex supradictis adhuc illam delectationem manere illicitam in non coniugato propter commotionem corporis, quam secum affert.

387. De coniugato autem maius dubium est, an si mente præscindat circunstantiam coniugij, adhuc contrahat specialem malitiam, si delectatur de copula cum alia fœmina præter propriam vxorem. Nam P. Vasquez *disput. 112. num. 10.* dubitat, quia matrimonium contractum non videtur obligare quem, vt nec interùs cogitet de alia fœmina; & magis dubitat Castrus Palao *dicto puncto 10. §. 4. num. 4.* quia cum hæ delectationes sint actus interni, & per se incogniti alteri coniugi, non videntur sese mutuò obligare ad illis carendum. Adhuc tamen ij Auctores non audent id absolutè docere: & meritò, quia communis sententia affirmat circumstantiam coniugij esse explicandam, quam affert Bonacina *dicta quæst. 4. de matrimon. punct. 8. num. 19.* & fidelium praxis ita habet. Ratio autem ex supradictis desumi potest; quia siue coniuges sese mutuò obligent ad actus internos, siue non: hic tamen actus non est merè internus; cum dixerimus eius malitiam sumi ex effectu, quem in corpore causat: sicut ergo coniux peccat contra fidem matrimonij polluendo se, quia interdixit sibi vsum corporis sui, nisi ad finem matrimonij; ita peccat contra eandem fidem delectatione tali, quæ secum afferat turpem corporis commotionem, & excitationem vehementem spirituum, &c. Quare sicut desideria alterius fœminæ, licèt sint actus interni, sunt contra fidem coniugij, quia habent pro obiecto actum internum; sic delectatio illa erit contra eamdem fidem, licèt sit actus internus; quia affert secum effectum externum sibi prohibitum, nisi ad finem eiusdem matrimonij.

Infero septimò, posse etiam esse delectationem 388.
licitam circa obiectum, non solùm iure positiuo, sed etiam iure naturali prohibitum, si præscindi possit ab omni malitia obiectiua, & aliundè delectatio secundùm se non afferret oppositionem cum virtute. Sic potest aliquis etiam in die Veneris delectari de esu carnis, ponendo vel die Dominica, vel etiam die Veneris ablata prohibitione. Sic etiam delectari potest de acceptione rei alienæ, accedente licentia Domini, vel dispensatione Dei. De neutris autem obiectis delectari potest non excluſa malitia: differentia tamen esse potest, quod in prohibitis iure positiuo faciliùs potest excludi malitia, quàm in prohibitis iuræ naturæ. Horum enim aliqua non poterunt excludi à malitia, quale est agere contra conscientiam: nam quantumcunque dicas: *Si liceret agere contra conscientiam, ego operarer contra illam*, semper videtur retineri malitia ex parte obiecti, sicut si diceres, *Si liceret peccare, vel operari malum; ego illud facerem.* Simile etiam videtur, si dicas: *Si liceret, & possem destruere Deum, illum destruerem*, nam hic actus semper retinere videtur malitiam ex parte obiecti, cùm adhuc maneat Deus infinitè amabilis. Cæterùm quidquid de hoc sit, nunc solùm dicimus, quando obiectum potest perfectè præscindi ab omni malitia, posse nos de illo delectari, licèt sit de iure naturali prohibitum. Vndè peccat etiam, qui ex odio dicit, *si non esset peccatum, ego occiderem hunc hominem, vt malum illi inferrem:* quia semper relinquit ex parte obiecti malitiam, cùm relinqaat malum proximi, quod nullo modo est amabile propter se, sed odibile.

Infero octauò de obiectis etiam iure naturæ pro- 389.
hibitis, à quibus per inaduertentiam secluditur malitia, posse nos aliquando gaudere, quando sine aduertentia posita sunt, si possumus gaudere de inaduertentia posita sunt, si possumus gaudere de mendacio absque aduertentia prolato. Item de pollutione in somno habita propter finem sanitatis. Ratio est: quia mendacium absque aduertentia prolatum non affert secum intrinsecam odibilitatem, & malitiam, sicut mendacium scienter prolatum quod si liceret, tolleretur fides in humano commercio. 391.
Vndè de mendacio sine aduertentia prolato possum gaudere, quia illud non affert magnum malum. Ita possum gaudere de mendacio prolato cum aduertentia quidem ad falsitatem, sed sine aduertentia ad culpam, & malitiam: quia neque illud semel prolatum

tum affert magnum malum, neque propter illud malum prohibetur, sed propter malum, quod afferret, si liceret, quia tunc passim præferretur. Idem est de pollutione; potes enim ad finem sanitatis gaudere de illa in somno habita, imò & de illa procurata absque culpa propter ignorantiam inuincibilem, quia nequè sic posita affert magnum damnum proli, nec propter illud prohibetur, sed propter damnum, quod afferret, si licita esset, quia tunc passim poneretur. Non tamen licet delectari de pollutione in somno habita propter voluptatem, quam attulit, quia iam tunc ipsamet delectatio secundùm se opponeretur castitati propter malum, quod secum affert, vt supra explicuimus.

390. Infero nonò, in delectatione de copula Sodomitica, aut peccatis contra naturam, explicandam esse circumstantiam specificam ipsius obiecti, provt etiam ipse Vasquez, & eius asseclæ id fatentur, vt vidimus: quia ibi malitia non ita secluditur, vt non maneat semper obiectum turpe, & refundens malitiam in actum approbationis, & delectationis.

Dices: posset etiam aliquis cogitatione separare malitiam ab eiusmodi obiectis, si delectetur in illis, casu quo Deus, vt supremus Dominus permutationem materiæ redderet ea alicui licita, provt reddidit Oseæ licitum accessum ad non suum; tunc ergo delectatio de obiecto sub ea præcisione non haberet malitiam specialem ex obiecto declarandam in confessione. Respondetur, ea copula sodomitica, aut peccato contra naturam cogitato cum dispensatione, aut facultate Dei, delectationem retinere adhuc malitiam ex parte obiecti, quia turpitudo illa habet fœditatem adeò intrinsecam, vt si maneat cum suis intrinsecis, non possit reddi licita, nec Deus possit eam præcipere, aut ad eam dare facultatem, sicut neque ad odium, inuidiam, aut similia. De quo videri potest Salas *disputat. 5. de legibus, sect. 9. num. 51.* vbi dicit Deum non posse dare alicui licentiam, vt accedat ad non suam ex affectu libidinis, & *num. 62.* dicit, non posse Deum dare alicui licentiam generalem accedendi ad quamlibet non suam: quia non posset esse iusta causa concedendi talem licentiam: & idcirco ex eiusmodi peccatis præceptis, vel permissis probatam benè, & euidenter fuisse falsitatem Deorum, qui apud Gentiles hæc permittebant, vel consulebant. Quantò ergo minùs suberit causa iusta permittendi, verbi gratia, copulam sodomiticam, cuius turpitudinem tam grauiter Diuina puritas detestatur? Delectatio itaque in eiusmodi turpitudine, licèt apponeret illam conditionem, adhuc retineret ex parte obiecti malitiam sufficientem ad refundendam illam in affectum. Quod si ignorantiam inuincibilem putaret homo, tunc non manere vllam malitiam ex parte obiecti; illud esset per accidens propter ignorantiam; nos autem loquimur de malitia specifica, quæ per se competit illi delectationi: quæ tamen semper reineret malitiam aliam, quæ competit ratione sui, & non ab obiecto, nisi circa hanc ipsam malitiam intercederet etiam ignorantia inuincibilis.

SECTIO VII.

Vtrùm pœnitens possit & debeat explicare in confessione complicem sui peccati?

391. NOtandum primò, non esse nunc quæstionem, quando ex manifestatione complicis timetur prudenter aliquod eius malum extrinsecum, vt quod Confessarius eius delictum reuelabit, vel aliquod malum ei inferet: de hoc enim infrà agendum erit *sect. 13.* Sed præsens casus est, quando nullum aliud damnum sequitur complici, præter illam simplicem notitiam, quæ Confessario datur, & infamiam, quam apud illum incurrit.

Notandum secundò, conuenire omnes in hoc quod pœnitens absque aliqua necessitare, vel causa, non potest complicem manifestare cum infamia gratui: quare debet vel peccatum ita confiteri, vt in suspicionem personæ complicis non veniat Confessarius: vel si id fieri non potest, debet alium Confessarium adire, cui complex non sit cognitus, vel mutato habitu, & voce seipsum apud Confessarium occultare: quia quandiu hæc commodè fieri possunt, absque causa infamatur complex. *Non potest sine necessitate manifestari.*

392. Vndè audiendus non est in hoc puncto P. Fagundez *l. 5. de 2. præcepto Ecclesiæ, cap. 1. num. 3.* vbi dicit, non esse præceptum, sed consilium, quod pœnitens tunc alium Confessarium quærat; pro quo affert P. Suarium, & alios plures. Sed Suarez expressè affirmat, esse obligationem præcepti: nam *in præsenti disput. 34. sect. 2. num. 1.* sic ait: *Si pœnitens possit vel ei confiteri, qui non cognoscat personam complicis, vel ita confiteri, vt ipse non cognoscatur, vel denique aliâ diligentiam adhibere, vt sine notitia personæ in particulari totum peccatum cum omnibus circunstantiis dicatur, tenetur id facere: & in hoc omnes conueniunt* Idem repetit *num. 13.* eodem modo loquitur P. Vasquez *in præsenti quæst. 91. art. 2. dub. 3. num. 1.* vbi reprehendit Gersonem & Medinam, quod contra omnes alios dixerint, id solùm esse materiam consilij. Vndè P. Coninch. *in præsenti disputat. 7. dub. 9. num. 88.* dicit, omnes fatentur, teneri pœnitentiam alteri confiteri integrè, cui ignotus est, si commodè possit. Falsò itaque citantur Doctores pro illa sententia, cùm ipsi, vel limitationem illam expressè apponant, vel loquantur absolutè, dicentes posse circunstantiam complicis manifestari Confessario, cui notus est; quod intelligi debet, quando alius commodè haberi non potest, quia status ipse quæstionis hoc supponit, cùm quæstio sit, an possit manifestari complex, quando id necessarium est ad declarandum integrè totum peccatum: quando autem adest alius Confessarius, non est necessarium declarare personam complicis ad confitendum integrè peccatum. Suar.

393. His suppositis, prima sententia docet, in prædicto casu tacendam esse circunstantiam illam, vndè persona complicis cognoscetur. Hanc tenent Marsilius, Armilla, Nauarrus, Viguerius, & alij, quos citat Suarez *vbi suprà num. 1.* eamdem tenent Valentia, Villalobos, Ludouicus Lopez, Ioann. de la Cruz, Medina, Bannez, Faber, & alij, quos refert & sequitur Diana *1. tom. tract. at. de circumstant. aggrauant. resol. 49. & tom. 2. tract. at. 4. de Sacram. resolut. 54.*

Aliqui ex Auctoribus huius sententiæ limitant illam, vt non procedat in mortis articulo; tunc enim debet illa circunstantia exprimi, licet complex manifestetur. Ita Canus *relect. de pœnitent. 5. part. fol. 113. § sed enim*, & seqq. cui fauent Victoria, Petrus Soto, & Ledesma apud Dianam *dicta resolutione 49.* Hanc tamen limitationem latè impugnat Vasquez loco citato, & alij communiter, & meritò: quia si extra mortis articulum confessio habet integritatem formalem absque illa circunstantia explicata; eadem integritas formalis sufficiet in mortis articulo, in quo certè non magis licebit proximum infamare, quàm in vita. Vndè sicut qui ex confessione alicuius peccati timet prudenter sibi, vel alteri graue damnum extrinsecum, potest illud in mortis etiam articulo tacere; sic poterit, ne infamet proximum, si illam infamiam tenetur etiam in vita impedire.

Secunda

394. Secunda sententia communior docet, posse, & debere pœnitentem eo casu integrè confiteri peccatum, non obstante infamia complicis apud Confessarium: hanc tenent S. Thom. *opusc. 12. quæst. 6. & in 4. dist. 16. quæst. 3. art. 2. quæstiunc. 5.* Bonau. Alensis, Antonin. Adrian. Dur. Palud. Richard. Maior, Gabriel, Almainus, Carthus. Gerson, Medina, Syluester, & alij, quos referunt & sequuntur Suarez, & Vasquez locis citatis: eámque amplectuntur Recentiores communiter, Coninch loco citato, Henriquez *lib. 2. c. 9. n. 3. & 5.* Reginaldus, Sà, Toletus, Rebellus, Bonacina, Nunnus, Basilius Pontius, Layman, Malderus, Lessius, Coriolanus, Ioannes Sanctius, & alij, quos congerit Diana locis suprà citatis. Est etiam expressa S. Bernardi in formula honestæ vitæ, vbi sic ait: *De nullo prorsus sinistrè oquaris, quantumcumque sit verum, vel manifestum, nisi in confessione, & hoc vbi non potes aliter manifestare peccatum tuum.*

395. Hæc secunda sententia, sicut communior, sic verior mihi videtur. Pro cuius explicatione duo probanda sunt. Primum, licere manifestare complicem eo casu. Secundum, debere id ita ex obligatione fieri. Vt primum probetur, plures rationes afferri solent, quæ difficilè id probant. Prima, quod non sit graue damnum infamari apud vnum Confessarium, qui sub sigillo illud sibi seruabit. Hoc tamen supponit aliam sententiam falsam, quam impugnaui *in tractat. de iust. & iure*, quod scilicet non sit peccatum graue dicere absque causa rationabili crimen secretum proximi vni, qui illud secretò seruabit. Et quidem in præsenti materia id constat esse falsum: quia si ego scirem Confessarium meum, vel mei complicis peccatum reuelatiuum vni alteri, procul dubio excusaret à meo peccato integrè. Imò si scirem meum Confessarium id dicturum suo soli Confessario sub sigilllo confessionis, hoc sufficeret ad me excusandum à confitendo illi tali peccato: ergo infamia illa apud vnum solum non parui facienda est, cùm sufficiat ad excusandum ab integra confessione.

396. Confirmatur primò, quia si non possum aliter confiteri meum peccatum, nisi per interpretem, qui tamen maneat obligatus ad sigillum, adhuc non teneor illud detrimentum subire, & possum nutibus alia peccata confiteri, licèt confessio non fiat integra: ergo notitia delicti apud vnum non est detrimentum leue. Confirmatur secundò, quia si leue esset, non peccaret grauiter pœnitens, licet posset commodè alteri confiteri, cui complex esset ignotus; & id non faceret: quia leuiter tantùm proximi famam læderet; & tamen Auctores nostræ sententiæ fatentur, illud forè peccatum graue contra iustitiam, & charitatem.

397. Alij ergo probant secundò, quia pœnitens vtitur iure suo confitendo suum peccatum: & complex se exposuit eo manifestationis periculo, cùm sciret obligationem, quam vnusquisque habet confitendi integrè suum peccatum. Sed hæc omnia, & similia continent petitionem principij, & supponunt probandum. Nam de hoc ipso est quæstio, an pœnitens habeat ius ad infamandum complicem; & per consequens, an id faciens, vtatur iure suo. Vndè falsò supponitur, quod complex se exposuit huic damno: nam si pœnitens non habet ius, vel id aliundè non probatur; non se exposuit vlli tali periculo complex. Adde, posse contingere, quod complex inuincibiliter ignorauerit tale periculum: vel quia audierat solùm sententiam contrariam negantem tale ius in pœnitente, vel quia credebat hunc non esse baptizatum; atque ideò non habere obligationem confitendi sua peccata, & explicandi complices; vel quia ipse complex infidelis erat, & nihil audierat de nostro ritu confitendi: in quibus tamen casibus pœnitens non minùs poterit explicare personam complicis, si id necessarium sit ad confessionem sui peccati.

His ergo, & aliis leuioribus rationibus omissis, potissima ratio conclusionis desumenda videtur ex institutione huius Sacramenti, in quo Christus voluit fideles integrè deferre sua peccata ad Sacerdotes, tanquam ad iudices, nihil prorsus reticendo, quod ad speciem, vel numerum peccatorum mortalium pertineret: & hoc non obstante infamia, quæ ex confessione oritur. Certum enim erat non posse obligari hominem ad manifestanda crimina occulta, quin eo ipso obligetur ad subeundam propriam infamiã apud Confessarium: vult autem Christus quod hoc malum permitteretur propter bonum magnũ, quod Sacramentum hoc, & integra, & perfecta peccatorum omnium manifestatio secum afferebat. Sicut ergo propter hoc maximum bonum obligauit Christus pœnitentem ad manifestanda sua crimina, etiam cum infamia propria, sic propter idem bonum obligauit ad permittendam infamiam complicis. Nam ex natura rei plus requiritur ad obligandum aliquem, vt seipsum infamet quàm ad permittendum, vel obligandum, vt alienum crimen manifestet: constat enim; aliquando posse me manifestare crimen alienum ad vitandum aliquod malum meum, vel propter aliquod bonum meum; licèt illud idem bonum non me obliget ad manifestandum crimen meum. Cùm ergo bonum confessionis integræ tale, ac tantum sit, vt propter illud Christus obliget pœnitentem ad manifestãda sua crimina, & subeundam infamiam: consequens est, vt propter illud idem bonum permiserit necessariam manifestationem criminis alieni, quæ certè tunc non erit mala, cùm non fiat absque rationabili causa. Supposito enim ex materia de detractione, posse sæpius absque vitio detractionis manifestari defectum alienum, quando id fit ob causam iustam, & propter bonum aliquod, v. g. ob consilium petendum, vel quid simile. Quæ autem melior causa, aut quale bonum magis sufficiens, quàm illud, quod sufficit ad obligandum hominem, vt semetipsum infamet, ad quod, vt diximus, requiritur grauior causa?

Confirmatur primò, quia ex præcepto, & verbis Christi non magis colligi poterat obligatio pœnitentis ad seipsum infamandum, quàm ad manifestandum complicem: nam præceptum fuit confitendi integrè omnia peccata, ex quo fit, confitenda esse cum infamia propria, quando id necesse fuerit. Ergo iisdem verbis sequitur, confitenda esse cum infamia etiam complicis, quando id fuerit necesse, sicut enim ex vniuersalitate verborum vnum colligitur, sic & alterum debet colligi.

Dices, esse discrimen: magis enim per se connectitur cum confessione infamia ipsius pœnitẽtis, quàm alterius, quæ per accidens solùm videtur aliquando reperiri. Sed contra, quia neutra connectitur vniuersaliter: nam sicut non omnia peccata habent complicem; ita nec omnia afferunt infamiam pœnitentis. Primò, quia aliqua non afferunt vllam infamiam: nam de milite dicere, quod occidit aduersarium in duello, non lædit eius famam, vt dicitur, in materia de restitutione. Secundò, quia plura etiam peccata sunt publica, quorum confessio non infamat, vt constat. Tertiò; quia sicut potest pœnitens ad consulendum famæ proximi complicis, quærere Confessarium, cui complex non sit notus, ita poterit ad consulendum famæ propriæ, quærere Confessarium, cui ipsemet sit etiam ignotus, quo casu nullam subit infamiã, cùm non magis eum cognoscat Cõfessarius, quàm

quàm eius sororem peccati complicem. Potest ergo confessio sæpiùs esse absque propria infamia: & tamen ex vniuersalitate præcepti Christi colligimus, debere explicari peccatum, etiam quando id fieri non potest absque propria infamia: ergo ex eadem præcepti vniuersalitate colligere debemus, quod debeat fieri confessio, etiam cum infamia complicis, quando id accessorium fuerit. Nam si tu semel limitaueris præceptum, & dixeris, intelligi de peccatis, quæ absque aliena infamia dici possunt: alius rursus limitabit ad illa peccata, quæ hîc & nunc absque graui infamia propria dici possunt, quia, vt vidimus, faciliùs excusatur aliquis à se, quàm ab alio infamando, & peccata propria maiori ex parte, imò ferè omnia dici possunt absque graui infamia pœnitentis, præsertim in sæculari, quare exceptio illa paucissima peccata excluderet.

401. Confirmatur secundò, quia hoc Sacramentum per se loquendo, & ex sua institutione vtramque infamiam videtur æquè afferre: nam per se loquendo, vnusquisque debet confiteri proprio Pastori, per accidens autem est, quod pastor concedat facultatem confitendi alteri; posset enim id non facere, sed ipsemet audire confessiones suarum ouium Pastori autem, per se loquendo, oues notæ sunt, & eorum parentes, fratres, & sorores, agnoscere enim debet Pastor vultum pecoris sui, & oues suas cognoscere: ergo per se loquendo, & ex vi institutionis, confessio integrè facienda proprio pastori, non minùs affert secum infamiam complicis, quàm pœnitentis, & per accidens est, quod non afferat: & tamen vniuersaliter præcipitur confessio proprio Pastori: ergo præcipitur non obstante vtriusque infamia.

402. Confirmatur tertiò, quia bona illa, propter quæ Concilium Tridentinum *sess. 14. c. 5.* dixit, præceptam esse confessionem integram omnium peccatorum, scilicet vt Sacerdos possit prudenter iudicare, punire, curare, &c. Hæc omnia non minùs probant declaranda esse peccata cum notitia complicis: nam si ea de causa taceantur, cessant illa omnia bona. Adde, quod pœnitens obligabitur ad confitendum bis idem peccatum, quod graue quidem onus est semel, scilicet, nunc absque circumstantia manifestatiua complicis; & iterum postea, quando sine illo periculo possit: hoc autem onus, licèt aliquando per accidens possit contingere; per se tamen non videtur concedendum, prout deberet concedi, si non posset totum peccatum integrè confiteri cum manifestatione complicis.

403. Dices; hæc omnia probarent, posse etiam explicari complicem, quando pœnitens prudenter præuidet complicem ipsum aliquid detrimenti ea de causa passurum à Confessario, qui vel reuelabit eius crimen, vel vtetur ea notitia ad eius malum: nam tunc etiam vrget bonum integritatis, confessionis, & alia suprà enumerata. Respondetur negando sequelam, aliud enim est de iis, quæ per se affert præceptum confessionis integræ: aliud de iis, quæ aliundè & præter, imò contra intentionem præcepti consequuntur. Affert quidem per se hoc præceptum, manifestationem totius peccati, cuius integram notitiam voluit Christus ad Sacerdotem deferri, ac per consequens voluit præferri hoc bonum confessionis integræ bono famæ apud Confessarium. Affert autem per accidens abusum, quo Confessarius vtitur notitia illa ad malum pœnitentis, vel alterius: quod quidem sequitur contra intentionem Christi, qui voluit, Confessarium attendere solùm ad bonum pœnitentis, & ad eius curationem. Quando ergo præuidentur hæc damna extrinseca, quæ Christus noluit postponi bono confessionis integræ, cessat obligatio integritatis, & redit obligatio non lædendi proximum sine rationabili causa.

404. Dices iterum: bonum illud integritatis præceptæ probabit saltem, quod etiamsi commodè possim habere alium Confessarium, cui non sit complex cognitus, non teneat ad illum adeundum, sed possim apud Ordinarium confiteri. Nam qui habet ius accusandi aliquem, potest quidem id facere apud iudicem ordinarium, licèt ea occasione manifestandus sit complex occultus: cùm ergo pœnitens habeat ius, imò & obligationem accusandi seipsum in hoc iudicio, poterit id facere apud ordinarium iudicem, licèt ea occasione manifestandus sit complex. Respondetur negando sequelam. Ratio autem differentiæ est, quod hoc iudicium totum, & accusatio, & reliqua omnia, quæ ad ipsum pertinent, ordinantur ad bonum solius pœnitentis, atque ideò manifestatio complicis, & alia omnia, vsurpari possunt, quatenus ad bonum pœnitentis, vel ad reuerentiam Sacramenti necessaria sunt: quando ergo ad hunc finem non est necessaria complicis manifestatio, quia æquè bene confiteri poteris alteri Confessario qui complicem non nouit, immeritò assumitur illud medium. At verò in foro externo non attenditur solùm ad bonum accusati, sed etiam ad bonum Reipublicæ, vt purgetur delictis: ideò non sine causa accusatio fit præuisa manifestatione complicis. Cæterùm si aliquem paternè denunciares Prælato, solùm intendendo bonum denunciati, & præuideres manifestandum complicem occultum, cuius remedium non pertinet ad hunc Prælatum, nec potest ei vllo modo prodesse; deberes quidem, si posses, non denunciare fratrem huic Prælato, sed alteri, qui æquè bene prodesse ei posset; sic enim obtineres finem proprium denunciationis paternæ, scilicet, bonum fratris, & vitares infamiam complicis, quæ ad eum finem necessaria non esset.

405. His itaque circa primum punctum dictis, restat nunc secundum probare, scilicet, non solùm licere, sed ex obligatione debere pœnitentem explicare circumstantiam in casu posito, quando aliud malum non timetur, nisi quod complicis peccatum Confessario innotescet. Et quidem Pater Vasquez *loco suprà citato numero* 4. statuit, vt regulam omninò certam, & firmam in hac materia, quotiescumque licet nobis explicare circumstantiam aliquam, consequenter dicendum esse, quod tenemur illam explicare: quia si illæso alio, verè id possumus, tenemur iure ipsius confessionis eam integram efficere. Contra verò, si non tenemur aliquam circumstantiam explicare in aliquo casu; ideò est, quia non possumus, & consequenter absque illa, confessionem facimus formaliter integram. Hæc tamen doctrina cum ea vniuersalitate prolata non videtur vndequaque vera, quia frequenter potest contingere, quod non teneamur hîc, & nunc aliquam circumstantiam explicare; possimus tamen illam dicere. Primò, quando ego prudenter mihi timeo damnum graue à Confessario, si aliquam circumstantiam, vel aliquod peccatum ei aperiam? possum quidem illam circumstantiam tacere iuxta communem Theologorum sententiam: & tamen possum, si velim, subire illud periculum, & confessionem materialiter etiam integram facere. Secundò, quando non facilè, sed cum incommodo, & magno labore possum inuenire alium Confessarium, cui possim integrè confiteri; non teneor, possum tamen, si velim, integram confessionem

Non solùm potest, sed debet manifestari complex.

Non obligor ad explicandum, quoties licet.

facere, adhibendo illum laborem, & subeundo illam difficultatem.

406. Dices, regulam illam vniuersalem intelligi debere iuxta subiectam materiam, scilicet, quoties ius complicis ad suam famam non me impedit, non excusari me ob eius damnum ab integritate confessionis, neque esse mihi liberum explicare, vel non explicare integrè peccatum propter famam complicis, sed obligari omninò præcepto confessionis integræ. Sed contrà, quia si proprium damnum, vel incommodum potest me aliquando excusare, & relinquere liberum, vt explicem, vel non explicem aliquam circumstantiam; non apparet, cur non possit idem aliquando etiam contingere propter damnum, vel detrimentum proximi. Imò videtur id aliquando concedendum. Primò, quia potest contingere, vt propter damnum aliquod extrinsecum, quod complici imminet à Confessario ex illius peccati manifestatione, ergo excuset hîc, & nunc ab ea circumstantia explicanda: & tamen tunc, si mea multum interesset petere consilium ab hoc Confessario circa illam materiam, possem propter hanc meam vtilitatem explicare illam circumstantiam, non obstante detrimento, quod complici imminet, non tamen tenerer, sed possem cedere iuri meo, & tacere illam circumstantiam, ne complex tale periculum subiret. Ecce iam tunc damnum complicis non me obligaret simpliciter, & absolutè ad tacendam illam circumstantiam; & tamen propter illud damnum proximi possem eam tacere, & excusarer ab obligatione faciendi confessionem integram.

407. Secundò si ab hoc Confessario timeo mihi graue damnum ex confessione talis peccati, & possum sine meo incommodo alium Confessarium adire, sed non possum sine incommodo alicuius proximi, cui ægrotanti assisto: tunc licèt charitas non me obliget grauiter ad illi assistendum; possum tamen propter illud damnum proximi non quærere alium Confessarium, sed facere confessionem non integram apud istum. Ecce tunc damnum non meum, sed solius proximi, licèt non me obliget ad tacendam circumstantiam, & faciendam confessionem non integram; dat tamen ius, vt possim id facere: ergo non repugnat ex terminis, quod propter damnum proximi possim tacere aliquam circumstantiam, etiam quando ad id non obligor: cur ergo non posset idem prouenire ex infamia, quæ de complice generatur apud Confessarium?

408. Tertiò, quia in aliis præceptis positiuis aliquando quidem excusor ab eorum obligatione propter obligationem naturalem subueniendi, aut consulendi proximo: aliquando tamen excusor ab eis propter bonum proximi, licèt ad illud proximi bonum procurandum non obliger. Neque enim necesse est semper ad hoc, vt excuseris ab obligatione audiendi Missam, quod tenearis sub peccato mortali ad assistendum ægroto. Satis erit, si absque graui eius incommodo non possis abesse, etiamsi ex mera charitate liberè ei ministres, & sic cum proportione in aliis præceptis. Cur ergo præceptum confessionis integræ non potest hoc idem habere, vt aliquando quidem non obliget propter obligationem naturalem, & grauem erga proximum; aliquando verò propter bonum graue ipsius proximi, licèt ad illud procurandū non teneat absolutè ex præcepto?

409. Adhuc tamen in casu nostræ quæstionis dicendum est, pœnitentem non solùm posse, sed debere explicare circumstantiam illam etiam cum manifestatione complicis: cuius ratio non debet esse, quod præceptum integritatis semper obliget, quoties ab eo non excusat nos obligatio alterius præcepti erga proximum; hoc enim vniuersaliter loquendo non est verum, vt vidimus; sed ratio peti debet ex suprà dictis, quia scilicet, quando aliud malum proximi non imminet, nisi quod Confessarius præcisè eius defectum sciat, totum illud malum non est tale, vt possit me excusare ab obligatione confessionis integræ: quia sicut totum illud malum, quantuncunque sit, infamiæ meæ apud Confessarium, nunquam me excusat ab obligatione explicandi integrè peccatum meum; ita nec infamia complicis apud Confessarium præcisè sumpta me poterit excusare. Ratio autem est, quia, vt diximus, Christus præcipiens vniuersaliter confessionem integram, eo ipso voluit, quod hoc malum præcisum infamiæ apud Confessarium postponeretur bono integritatis Confessionis, nec potest esse ratio aliqua, cur illud malum præcisè in proximo excusaret me ab hoc præcepto, & non multò magis excusaret idem malum in me ipso; cùm maius, & fortius ius habeam ego ad consulendum famæ propriæ, quàm famæ proximi.

Pro maiori explicatione huius sententiæ communi, restant aliqua dubia. Primò dubitari potest, an quod dictum est, posse pœnitentem explicare complicem, si necesse sit ad explicandum integrè suum peccatum, intelligi debeat, quando id requiritur ad explicandum aliquod peccatum mortale; an verò quando requiritur etiam ad explicandum aliquod peccatum veniale, quod dat pro materia illius confessionis. Potest enim contingere, quod peccatum veniale, & leue pœnitentis non possit explicari sine peccato grauissimo complicis, verbi gratia, si fœmina se accuset de negligentia veniali, qua restitit fratri, vel parenti ipsam ad turpia sollicitanti. Ratio dubitandi est, quia licèt Christus non obligauerit ad confitenda venialia, instituit tamen hoc iudicium sacramentale etiam pro illis: dedit ergo ius pœnitenti, deferendi illa ad hoc tribunal, & accusandi se de illis; ergo & explicandi illa secundùm totam suam malitiam, cùm secundùm illam totam possit esse materia huius Sacramenti.

De hoc dubio nihil inuenio apud Auctores: consequenter tamen ad eorum principia, & ad id, quod diximus, videtur mihi regulariter id non licere, nisi fortè, quando ex confessione talis peccati aliquod aliud magnum bonum pœnitenti obueniret, vel obtinendum consilium, aut quid simile. Ratio est, quia omnes communiter docent, vt vidimus, debere pœnitentem, quantum commodè possit, consulere famæ complicis, vel quærendo alium confessarium, vel occultando seipsum apud confessarium ordinarium, vel differendo aliquantisper confessionem, donec possit alteri confiteri; ergo multò magis tenebitur tacere illud peccatum veniale, vel circumstantiam illam, cùm magis commodè possit in hoc casu consulere famæ sui complicis. Neque enim hîc obligat integritas confessionis, aut Christi præceptum, nec ideo tenebitur confiteri bis idem peccatum, cùm nulla sit obligatio illud confitendi: non est ergo, cur possit denigrare complicis famam: ita grauiter apud confessarium quam tam facilè poterat conseruare. Hoc autem intelligi debet de peccato purè, & clarè veniali: nam si esset dubium, an fuisset mortale; iam ratione illius dubij esset materia necessaria confessionis, & dicendum esset de illo, sicut de peccato mortali.

Hinc patet ad rationem dubitandi; fatemur enim omnia venialia secundùm totam suam malitiam posse esse materiam huius Sacramenti, & pœnitentem habere ius, vt de illis se accuset: quare de hoc ipso peccato poterit integrè se accusare apud confessarium, qui complicem non agnoscat. Aliquando tamen potest contingere, quod non possit licitè de aliquo veniali aut etiam mortali

se accusare: quando damnum graue extrinsecum complicis imminet ex tali manifestatione. Sic ergo dicimus, neque in casu nostro posse licitè illud integrè explicare propter graue damnum, quod proximo absque vlla prorsus necessitate aut rationabili causa infert.

413. Hinc obiter infero, quod dictum est de peccato veniali, dicendum videri de peccato mortali iam iterum ritè, & plenè confesso, non posse iterum apud alium Confessarium explicari cum nouo detrimento graui bonæ existimationis complicis. Nam hoc etiam peccatum non est iam materia necessaria, nec pertinet ad integritatem in confessione præceptam: quare sine causa infamaretur proximus de nouo: & quidem iniquum videtur, quod pœnitens traduceret hac accusatione complicem per omnes Confessarios: nam licèt omnes sub sigillo confessionis illud crimen accepissent, re tamen vera omnes, & singuli illud scirent: & hoc absque necessitate, aut causa rationabili. Secùs enim esset, si propter dubium aliquod de priori confessione repeteret illud peccatum; quo etiam casu, si commodè posset, deberet confessionem repetere apud eumdem Confessarium, vt hoc modo melius consuleret complicis existimationi.

414. Secundo dubitari potest, an existimandus sit pœnitens commodè posse consulere famæ complicis, quando potest differre confessionem per aliquod tempus, vt habeat alium Confessarium, cui complex sit ignotus. Pater Suarez *dicta sect. 2. n. 13.* dicit pœnitentem non debere differre ob eam causam confessionem quoties vrget præceptum confessionis, vel etiam suscipiendi Eucharistiam, imò licèt non vrgeat præceptum, non obligari ad differendam confessionem multo tempore, & quod fortasse interim perduret in statu peccati, sed prudenti arbitrio hoc iudicandum iuxta regulas charitatis, quia iustitia hîc non obligat, cùm supponamus, hîc non esse detractionem formalem. Quare si vno die, vel altero differendo confessionem, speraretur Confessarius, cui sine notitia complicis posset fieri integra confessio, charitas obligauit ad expectandum illum: tamen si necessaria esset dilatio longi temporis, aut nimia intermissio vtilis frequentiæ consuetæ, non obligandus est pœnitens, vt cum tanto incommodo spirituali præueniat, & vitet illud incommodum proximi de sola infamia non admodum graui.

In hac doctrina illud in primis displicet, quod supponit, pœnitentem, qui absque causa rationabili detegit complicem, peccare solùm contra charitatem, & non contra iustitiam, eo quod non sit hæc detractio formalis. Hoc inquam, placere non potest, cùm ipsemet Suarez *num. 5.* cum S. Thoma, & communi sententia statuerit, tunc esse detractionem formalem, & non solùm materialem, quando peccatum proximi detegitur, vel ex praua intentione, vel absque rationabili causa, quod idem supponit Vasquez *loco citato*? & alij omnes: ergo pœnitens in casu præsenti non solum materialem, sed formalem detractionem committit, cùm manifestet proximi defectum grauem absque rationabili causa: si enim causam haberet rationabilem, non peccaret graui-ter contra charitatem: si autem contra charitatem peccat grauiter; ergo iam erit absque causa rationabili, & per consequens detractio formalis, & contra iustitiam.

416. Displicet etiam, quòd P. Suarez assumit duos terminos ad declarandam hanc obligationem nimium distantes inter se, scilicet, dilationem per diem, aut biduum, ad quam obligat charitas, & dilationem per longum tempus, ad quam non obligat: inter biduum autem, & longum tempus datur magna distantia, de qua desideratur aliqua regula magis particularis. Alij ergo dicunt, neque obligari ob hanc causam pœnitentem ad differendam confessionem, si ideò priuatur Iubilæo, aut indulgentia quæ instat. Ita Fagundez *vbi suprà num. 2.* Ego distinguendum puto, nam vel post illud peccatum non est confessus pœnitens, vel confessus est postea bene, & debito modo, & propter obliuionem, vel aliam causam iustam reliquit illud peccatum: si primo modo res se habeat, puto minùs obligari ad differendam confessionem: quia grauis res est per triduum esse in statu peccati, quod meritò timere potest, cum sit difficile habere verum actum contritionis, quare non parum faciet, si propter famam proximi per biduum differat confessionem. Si verò res se habeat secundo modo, & iam per confessionem procurauerat statum gratiæ, faciliùs poterit obligari ad expectandum, nisi id cum nota aliqua fiat, quæ ex omissione Missæ, vel communionis consuetæ posset oriri, vel nisi interruptio ipsa grauis sit provt Sacerdoti solito quotidie celebrare, graue certè esset per triduum à sacrificio abstinere. Ex quo proportio sumi potest ad iudicandum de aliis qui talem frequentiam non habent: neque enim obligandus etiam erit Laicus ad omittendum, vel interrumpendum suam solitam frequentiam Sacramentorum, quando omissio, vel interruptio esset illi ita grauis, vt Sacerdoti solito quotidie celebrare, grauis esse solet communiter interruptio per triduum. Semper tamen circumstantiæ particulares considerandæ erunt ad prudenter iudicandum de hac obligatione.

Ex iis tamen, quæ proximè diximus, oriri potest tertium dubium: diximus enim, pœnitentem, qui absque rationabili causa manifestat complicem, peccare non solùm contra charitatem, sed etiam contra iustitiam: ex hoc ergo oritur dubium, an, & quomodo teneatur ad restituendam, & reparandam famam complicis: quod dubium in omni sententia locum habet; nam quando peccatum integrè explicari potest absque manifestatione complicis, tunc procul dubio iniustè manifestatur complex, cùm integritas Sacramenti ad illam manifestationem nullum tribueret Ius. Et quidem videtur impossibilis restitutio, & reparatio famæ in iis casibus: nam si neges, illum fuisse complicem, mentiris intra confessionem in re graui, & ad minus negas peccatum, quod verè fecisti, quia dicis, te non peccasse cum Titia, sed cum alia, cùm re vera cum sola Titia peccaueris; quare confiteris peccatum quoddam falsum, quod non fecisti loco illius veri, quod fecisti: quod totum videtur esse grauiter contra reuerentiam Sacramenti. 417. *An sit obligatio restituendi.*

Cæterùm consequenter ad doctrinam communem de restitutione famæ, negari non debet in casu præsenti, per se loquendo, obligatio restituendi, si restitutio possibilis sit. Et quidem in alio casu simili nemo eam obligationem negabit: quando, scilicet, pœnitens iniustè manifestauit complicem, præuidens grauissimum damnum extrinsecum in fortunis, vel in vita complici ea de causa imminere: tunc enim procul dubio si fieri potest, debet restitui fama, quod idem in casu etiam nostro dicendum erit, cùm præcesserit detractio contra iustitiam, vt vidimus. Erit autem aptior modus restituendi, si non in eâdem confessione retractetur propter inconuenientia supra adducta; sed postea extra confessionem dicatur Confessario sub eodem sigillo, Errauí, dum tibi vnum complicem pro alio dixi, quem errorem, si potuerit Confessario, apparentibus rationibus persuadere, non 418.

mentitur, cùm re vera errauerit illum complicem, quem non debebat, manifestando. Dixi tamen, *per se loquendo*, dari eam obligationem, quia sæpè excusabitur eo quod impossibilis, vel inutilis omninò futura sit: semper tamen tenebitur pœnitens impedire, vel resarcire omnia damna extrinseca, quæ ex tali manifestatione iniusta complex patietur.

419. *An possit manifestari non complex.* Quartò dubitari potest, an quæ dicta sunt de facultate, & obligatione manifestandi complicem, locum etiam habeant in manifestatione peccati, vel defectus naturalis alterius, qui non sit complex, quando id necessarium est ad explicandum integrè totum meum peccatum, verbi gratia, si per vim defloraſti sororem tuam, an debeas illud vitium occultum sororis tuæ confessario aperire, quæ peccati complex verè non fuit. Item si vulneraſti Religiosum fugitiuum, qui apud omnes pro sæculari habetur, an debeas explicare statum religiosum vulnerati ad explicandum speciem tui peccati, sciebas enim, illum esse religiosum. P. Suarez *illa sect. 2. n.* 14. dicit in hoc casu tacendam omninò esse circumstantiam, & supradictam doctrinam solùm intelligendam de vero complice, ad cuius solùm manifestationem iudex habet ius, quem sequitur Fagundez *dicto lib. 5. cap. 2. num.* 12.

420. Alii tamen magis consequenter dicunt, ad hunc etiam casum supradictam doctrinam extendi debere. Ita Soto *in 4. dist.* 18. *quæst 2. art.* 5. Gabriel *quæst. 1. art. 3. dub. 1.* Maironius *dist. 21.* Richardus *dist. 16. art. 1 quæst. 1.* Franciſc. Alcozer *in summa cap. 11. in fine*. Et quidem rationes supra adductæ in hoc etiam casu videntur procedere. Nam si ratio desumatur ex natura iudicij, & accusationis: in his certè, qui ius habet accusandi, vel iudicandi, poterit obiter manifestare, vel interrogare de peccato, aut defectu alieno, quantum necesse est ad manifestandum, vel cognoscendum delictum huius, v. g. si aliquis accusetur de violentia illata Moniali, vel etiam vxori alienæ de raptu puellæ, aut similibus.

421. Si verò ratio desumatur, provt desumpsimus, ex integritate confessionis, quam Christus vniuersaliter præcepit; hæc integritas non minùs exigit manifestationem non complicis, quàm complicis: nam sine vtraque notitia peccatum æquè remanet incompletè solùm explicatum. Vnde applicari potest ratio supra adducta; quia non est facilius obligare me ad detegendos defectus meos, quàm alienos: si ergo propter integritatem confessionis debeo non curare de infamia mea, & aperire mea crimina occulta, potero etiam, & debebo propter idem bonum integritatis confessionis manifestare vitia aliena. Nec refert, quod ille non fuerit complex: nam ad petendum consilium, verbi gratia, possum ego aliquando etiam aperire defectus, & vitia illius, qui non fuit meus complex in delicto, vt constat: ergo si hoc ipsum fiat propter bonum integritatis Sacramenti, non fit absque rationabili causa, & per consequens non erit detractio formalis. Militant etiam in hoc casu æquè omnino rationes illæ, quas Tridentinum adduxit pro necessitate integritatis: cùm æquè sit necessaria hæc integritas notitiæ, vt possit pœnitentiam imponere, vt possit medicinam, & remedium applicare.

422. Denique ratio à priori videtur esse, quod potestas, aut debitum manifestandi defectum in confessione non oritur ex eo, quod defectus ille sit culpabilis, vel inculpabilis, sed ex eo, quod eius manifestatio necessaria sit ad manifestandum integrè peccatum. Vnde pœnitens non solùm debet manifestare suos defectus culpabiles, sed etiam inculpabiles, si necesse sit ad explicandum suum peccatum, verbi gratia, si is, qui occultè est illegitimus, absque dispensatione obtinuit beneficium, vel ordines, & debet in confessione illum suum defectum, quantumuis inculpabilem, aperire, quantum fuerit necesse ad explicandum integrè peccatum subsequens, quod habet ordinem ad talem defectum. Sicut ergo propter integritatem confessionis obligauit me Christus ad manifestandum defectum meum inculpabilem, si obligauit propter eumdem finem ad manifestandum defectum alienum, ad quem dicit ordinem meum peccatum.

Addo tamen, in prædicto casu, quando peccatum ipsum, quod explicandum est, continet iniustitiam aliquam pœnitentis erga illum non complicem, cuius defectus manifestandus est, multò arctiùs obligari pœnitentem ad procurandum etiam cum proprio incommodo alium confessarium, cui possit, sine proximi infamia, suum peccatum confiteri: quia tota illa infamia, quæcumque est, oritur ex sua iniusta actione, quare tenetur illam impedire, imò & resarcire damna, si quæ ex ea manifestatione ille alius patietur. Hæc tamen obligatio maior non prouenit formaliter ex eo, quod ille alius non fuerit complex peccati: potest enim eadem obligatio inueniri, etiam si ille alius fuerit complex: v. g. si metu mortis incusso coëgisti sororem tuam ad consentiendum tibi in sua defloratione; illa fuit peccati complex, sed tamen quia consensus fuit per iniuriam extortus, teneris ad damna omnia sequuta, atque ideò ad procurandum etiam cum incommodo tuo alium confessarium, qui eam non agnoscat: imò teneris differre confessionem etiam cum aliqua nota, & infamia propria, nisi hæc esset sine proportione grauior, quàm illa, quæ ex manifestatione sui peccati in confessione aduenire posset tuæ sorori, iuxta regulas communes, quæ dantur in materia de restitutione ad excusandum iniustum damnificatorem ab obligatione restituendi, quando id non potest facere sine damno suo tali, quod non sit proportionatum damno, quod reparari debet in creditore. Non ergo tollitur hæc maior obligatio consulendi famæ alienæ ex eo, quod ille fuerit complex cùm possit etiam inueniri respectu complicis, quando fundatur in iniuria aliqua ei illata.

An verò confessarius debet sub eodem Sacramenti sigillo seruare, quæ ad complicem spectant, & defectus naturales, aut inculpabiles alienos, qui ea occasione manifestantur: dicemus inferiùs agentes de sigillo confessionis.

SECTIO VIII.

Vtrùm aliquando possit Confessarius obligare pœnitentem ad declarandum complicem quando id necessarium non est ad declarandum integrè totum suum peccatum.

424. Sententia affirmatiua Ferdinandi Guerrero. DE hoc puncto superiore sæculo acriter fuit controuersum, quibusdam contendentibus, id vtile, & necessarium esse; aliis esse inutile, & omninò illicitum. Priorem partem potissimè promouit D. Ferdinandus Guerrerus Archiepiscopus Granatensis, pietate non minùs, quàm doctrinâ illustris, quia contendit, confessarium debere in aliquibus casibus pœnitentem obligare, vt ei complicem manifestet, quod si renuat, negare absolutionem. Primò, si sciret, aliquem occultè dogmatizare, & seminare errores contra fidem, quem ipse pœnitens denuntiare non posset, deberet enim id confessario dicere, vt ipse denuntiet. Secundò, si sciat, Sacerdotem aliquem abuti Sacramento confessionis, reuelando confessionis notitiam, sollicitando pœnitentes ad turpia, &c. Tertiò si

si sciret, aliquem Sacerdotem fictum ministrare publicè Sacramenta. Quartò, si esset medicus, aut Pharmacopola, qui medicinis mortiferis intendit occidere infirmos. Quintò, si fœmina sollicitata ab amico mariti sit in proximo periculo consentiendi, quia est in eadem domo, nec potest marito reuelari, quia occidet illum, & est spes emendationis, si confessarius alloquatur adulterum. In his, & similibus casibus confessarius poterit pœnitentem obligare, vt complicem reuelet; & alioquin absolutionem negare, vtpotè non satis benè ad illam dispositio.

425. Pro hac sententia afferri possunt plures ex antiquioribus: Gandauēsis *quod lib. 3. quæst. 23.* Alensis 4. *part. quæst. 18. membr. 4. art. 2. §. 4.* Richard. *in 4. dist. 21. art. 5. quæst. 2.* Bonauent. *ibi part. 2. art. 1. quæst. 3.* Antonin. 3. *part. titul. 14. cap. 19. cond. 10. §. 11.* & magis fauet Syluester *Confessio*, primò, *quæst. 24.* licèt re vera hi, & alij multi non dicant expressè, quod tenetur, sed quod potest pœnitens in aliquibus casibus complicem manifestare, & quod confessarius potest de illo interrogare ad correptionem, vel remedium adhibendum. Quod autem pœnitens teneatur aliquando, docet Sotus *in 4. dist. 18. quæst. 4. art. 5.* Suarez *disput. 34. sect. 4. num. 18.* Fagundez *dicto lib. 5. de secundo præcepto Ecclesiæ cap. 2. num. 11.* & alij recentiores.

426. Sententia negans. Posteriorem, & contrariam partem acriter defendam susceperunt aliqui Theologi, præsertim M. Bannez 2. 2. *quæst. 33. in fine*, vbi primò latè ostendit, non esse medium conueniens ad correctionem alterius notitiam, quæ habetur in confessione. Secundò affert multa inconuenientia, quæ ex vsu contrariæ sententiæ sequi possunt. Tertiò probat, vsum illius sententiæ esse iniuriosum Sacramento Pœnitentiæ. Cæterùm si distinctè, & seorsim casus examinetur, vix potest manere controuersia de re, & alicuius ponderis quoad praxim.

427. Supponendum itaque breuiter est, tripliciter posse Confessario dari notitiam criminis complicis. Primò, vt Confessario quidem, & sub sigillo confessionis. Secundò, vt confessario quidem, sed cum facultate, vt possit vti illa notitia cum tali, vel tali persona, & in ordine ad talem vel talem effectum solum. Tertiò non formaliter vt Confessario, sed vt talis persona est, quod siue fiat flexis genibus, siue finita confessione, parum refert si pœnitens dicat se nolle dare illam notitiam sub sigillo sacramentali. Secundò suppono, diuersam esse quæstionē, an liceat pœnitenti dare Confessario notitiam complicis, quâ Confessarius vti possit, & an hoc ipsum liceat confessario, quam quæstionem latè tractat Suarez contra Bañes *illa sect. 4.* Aliam verò esse quæstionem nostram, scilicet, an possit Confessarius obligare pœnitentem, vt eiusmodi notitiam liberam ipsi det, & tenuenti negare absolutionem.

428. His suppositis, dicendum est primò, numquam confessarium posse obligare Pœnitentem, vt si necesse non sit ad explicandum proprium peccatum, dicat illi complicem cum notitia primi generis. Ratio est clara, quia notitia illa non potest vti Confessarius extra confessionem ad vllum effectum: ergo inutiliter, ac sine vlla causa obligaretur pœnitens ad infamandum complicem; nec de hoc potest esse difficultas.

Dicendum secundò: nec etiam potest Confessarius obligare pœnitentem ad manifestandum complicem intra confessionem formaliter, seu cum notitia secundo loco assignata. Probatur, quia si necesse fuerit dare confessario notitiam complicis in aliquo casu, quâ vti possit extra Confessionem; poterit pœnitens hanc notitiam dare extra Confessionem, & erit aptior, ac vtilior Confessario, quàm si sit præcisè notitia sacramentalis, qua non nisi cum maiori alligatione vti poterit: ergo non habet Confessarius ius obligandi pœnitentem ad hoc, vt in Confessione detegat illi complicem.

429. Dicendum tertiò, licitum esse ipsi pœnitenti dare Cōfessario eiusmodi notitiam complicis, siue extra Confessionem, siue intra Confessionem cum facultate, vt possit illa vti ad talem effectum modo suprà explicato. Hoc latè probat Suarez *dicta sect. 4.* & constat clarè, quia pœnitens, si non confitetur, posset illam notitiam dare Sacerdoti siue ad petendū consilium, siue ad remedium suum, vel complicis: ergo etiamsi confessus fuerit, poterit finita confessione illam notitiam dare; quid enim impedit confessio præcedens? Vndè similiter poterit intra confessionem dare talem notitiam cum facultate, vt possit Confessarius illa vti ad talem, vel talem effectum. Imò hoc pacto magis consulit famæ complicis, cum maneat Confessarius magis strictè obligatus arctiori vinculo sigilli secramentalis ad non manifestandum illud complicis crimen. Aliundè autem certum mihi est, sigillum confessionis, licèt comprehendat etiam peccata complicis, non tamen respicere ipsum complicem, sed pœnitentem, cuius solius licentia sufficit ad vtendum illa notitia. Denique non est contra reuerentiam Sacramenti, quod assumatur secundariò vt medium ad alios effectus extrinsecos præter iustificationem pœnitentis: ex quibus diluuntur facilè omnia quæ contra hanc conclusionem aliqui congerunt, quæ sigillatim dissoluit optimè Suarez *illa sect. 4.*

430. Confirmatique potest, quia non est dubium, quod possit Confessarius ex licentia pœnitentis vti notitia illa ad aliquod damnum temporale complicis impediendum, vt si vxor adultera sciens, virum suum velle interficere adulterum, moneat illum per confessarium, vt sibi consulat: item si aliquis in mortis articulo restituat damnum, quod simul cum alio socio intulit, poterit Confessarius ex licentia pœnitentis admonere illum complicem de restitutione facta, & quomodo socius moriens condonauit ei suam partem. Nec hæc sunt contra reuerentiam Sacramenti, vt constat. Cur ergo repugnabit? quod ex licentia eiusdem pœnitentis vtatur Confessarius eâdem notitia ad bonum spirituale complicis, vel ad impediendum damnum commune?

431. Dicendū quartò, non nisi rarò contingere potest, vt Confessarius obligare possit pœnitētem ad declarandum sibi nomen complicis. Nam ea omnia, quæ Cōfessarius potest cum tali notitia facere, poterit ipse pœnitens immediatè per seipsum, vel certè per alium; de cuius prudentia nō minùs, sed fortasse magis fidat, quàm de Confessario: non est ergo cur debeat pœnitentem adstringere, vt sibi nomen dicat cōplicis, vel renuenti absolutionem neget. Si enim pœnitens dicit, se agnoscere bene obligationem, quam habet & velle per se, vel per alium idoneum omninò satisfacere, Confessarius debet in illo foro ei credere.

432. Dicendum quintò: non tamen repugnat, dari casum, in quo possit Confessarius pœnitentem obligare ad manifestandum sibi complicis nomen: non quidem quasi Confessarius eam obligationem imponat; sed quia reuera pœnitens eam habebat, & Confessarius, qui ex eius confessione hoc agnoscit admonet illum de sua obligatione, cui si non vult satisfacere; iam meritò ei absolutionem negat, quem non inuenit ad absolutionem dispositum. Porrò posse illum casum contingere, constat apertè; quia potest Confessarius videre, ex occultatione complicis grauissima damna imminere, ad quæ impedienda pœnitens omninò tenetur; rursus

Obligationem manifestandi à complicem ex se potest habere pœnitens in aliquo casu.

sus videt pœnitentem seipso immediatè id non posse exequi, nec habere alium, per quem id possit, præter ipsum confessarium: quo casu certum est, teneri pœnitentem ad illud medium vnicum eligendum: quod si eligere nolit, iam non est aptus ad absolutionem recipiendam.

433. Hic casus facilius potest occurrere Prælato regulari, qui si ex confessione subditi sciret, latère in domo, vel conuentu religiosum notabiliter pernicioſum, qui suis pessimis moribus corrumpit alios, & inficere potest breui tempore magnam partem cum maximo damno communitatis, & aliundè videt, perditum illum hominem corrigendum non esse secreta correctione ipsius pœnitentis, vel aliorum, nec posse impediri commune damnum, nisi auferendo de medio per mutationem, vel expulsionem illum incorrigibilem; potest quidem pœnitentem admonere de obligatione quam habet, si absque grauissimo suo detrimento potest: quod si pœnitens nolit, non debet Prælatus assumere Prælati personam, & censuris, vel præcepto obedientiæ eum obligare, quia notitiam illam non accepit, vt Prælatus, sed vt confessarius, & in foro illo sacramentali, in quo solùm debet negare absolutionem ob defectum dispositionis debitæ. Quare quoad hoc idem potest, & debet cum proportione facere alius confessarius, cui religiosus ille confiteatur: nam debet illum similiter obligare, vt per se, vel per alium adeat Prælatum, & det illi notitiam complicis, quantum sufficit ad impediendum commune damnum. Quando verò, & quomodo excusetur pœnitens à manifestando complice propter infamiam, aut damnum proprium, quod sibi timet: ex particularibus circumstantiis iudicandum erit: tam graue enim esse potest communitatis damnum, vt pœnitens teneatur illud impedire etiam cum aliquo graui suo detrimento.

434. Addo, posse contingere, vt licèt pœnitens dicat se velle per seipsum immediatè, vel per alium dare notitiam complicis ad impedienda mala iuxta suam obligationem, adhuc confessarius possit differre illi absolutionem, donec de facto suæ obligationi satisfecerit. Nam sicut debitori, qui sæpè proposuit restituere, & non restituit, prudenter differtur postea absolutio, donec priùs cum effectu restituat, quia prudenter timemus, quod post confessionem non restituet. Sic in nostro casu quàdo Confessarius prudenter timeret pœnitentẽ non satisfacturum postea suæ obligationi, prudenter faceret differendo absolutionem, donec priùs rem exequatur: imò addunt aliqui, quod debet cogere pœnitentem, vt afferat sibi testimonium denuntiationis, vel manifestationis factæ. Ita Bartholomæus Medina 2. *summæ cap.* 4. §. 1. Hoc tamen videtur nimium: nam in illo foro debemus, & possumus credere pœnitenti circa præterita, tam pro se, quam contra se: & quidem debitorem, & furem absque alio testimonio absoluimus, quando dicit, se iam restituisse.

435. Dicendum sextò: cautissimè debet Confessarius procedere, quando petit sibi notitiam complicis, quâ possit extra confessionem vti, debet enim prouidere, ne scandalum sequatur ex vsu notitiæ habitæ in confessione: ad quod aliqui putant forè vtile, si faceret sibi licentiam dari à pœnitente in scriptis, ne fortè ipse pœnitens id postea negaret: facilius tamen esset petere, vt sibi extra confessionem dicatur, & facilius hoc faciet pœnitens, quàm dare in scripto. Debet etiam præmonere pœnitentem, an speret, quod per ipsum Confessarium obtinebitur fructus, qui intenditur: item an sit peculiare aliquod inconueniens, si confessarius agnoscat complicem: posset enim contingere, quod esset frater, vel consanguineus ipsius Confessarij, qui prudenter non deberet ipsi manifestari. Si verò Confessarius sit Prælatus, debet cautissimè se gerere, & non facilè credere, quæ sibi à pœnitente dicuntur de aliis, nec etiam ex licentia pœnitentis vti eiusmodi notitia ad aliquid circa aliorum gubernationem decernendum: potest enim contingere, quod duo, vel tres malitiosè conueniant de manifestando Prælato in confessione defectus alicuius, dando licentiam Prælato, vt possit illa notitia vti ad gubernationem, nil tamen dicendo eidem subdito: debet itaque Prælatus illam notitiam accipere solùm ad inuigilandum, & inuestigandum, an talem defectum in eo subdito inueniat: non tamen disponendum de illo propter talem notitiam. Quando verò non datur licentia expressa ad vtendum eiusmodi notitia extra confessionem; constat non posse vllo modo Prælatum illa vti in ordine ad gubernandum propter peculiare decretum Clementis Octaui, vt dicemus inferiùs agentes de sigillo.

Dicendum vltimò. Sicut diximus, raro obligari pœnitentem ad manifestandum nomen complicis Confessario: ita rariùs obligabitur Confessarius ad acceptandum illud munus, & imponendum sibi illud onus corrigendi complicem, vel denunciandi illum. Aliquando tamen poterunt concurrere tales circunstantiæ, in quibus ipse etiam Confessarius obligetur ad exquirendum complicem, & assumendum sibi illud munus, de quibus consulendus est Suarez *dicta sect.* 4. *numero* 20. 436.

SECTIO IX.

An debeat explicari effectus subsequutus, an verò sufficiat contineri causam? Vbi etiam de actu externo.

HOc solùm restat explicandum, ex iis, quæ supra *sect.* 5. *num.* 236. diximus pertinere posse ad hanc circumstantiam *Quid.* Nam ipse effectus sequutus pertinet ad obiectum peccati: pro cuius explicatione, supponendum est in peccato, v. g. quo alium veneno occidisti, interuenire actum in primis voluntatis internum, quo voluisti dare illi venenum, deindè actionem externam, qua venenum præparasti, & dedisti: deindè effectum sequutum, scilicet mortem illius: dubium est, an sit in confessione dicere te lethale venenum dedisse, vt moreretur, an verò necesse sit addere, quod interfecisti eum veneno. Pro vtraque parte sunt rationes, quæ non parùm vrgent. Quod enim vtrumque debeat explicari, probari videtur, quia licèt ille effectus externus non sit in se formaliter, & intrinsecè liber, & malus: est tamen liber, & malus extrinsecè, & denominatiuè à libertate, & malitia voluntatis, à qua procedit: quod sufficit, vt debeat explicari; nam actus etiam externus dandi venenum non est formaliter, & intrinsecè liber, sed tantùm extrinsecè, & denominatiuè à voluntate interna: & tamen omnes fatentur, illum debere explicari, alioquin soli actus interni præcisè essent confitendi, in quibus solis residet immediatè, & formaliter malitia, ergo propter eamdem rationem debet explicari occisio completa: non enim sufficit dicere, proieci sagittam, aut explosi sclopetum, vt occiderem? sed debet dici, occidi de facto: quod autem parum, vel multùm temporis intercedat inter voluntatem internam, & effectum, videtur esse solùm differentia secundùm magis, & minus, cùm non ideò desinat esse voluntarius effectus, qui post diem, 437.

diem, vel biduum consequetur ex voluntate hodierna.

438. Ex alia verò parte videtur difficile, quod sit obligatio semper explicandi effectum consequutum: quia in confessione solùm debent ex necessitate explicari peccata: ille autem effectus licèt sit effectus peccati; non est tamen propriè peccatum: nam tunc homo non peccat, quando post annum ille alius moritur, nec etiam toto illo anno continuè peccat actu, dum ille ægrotat ex veneno, vel vulnere, licèt propter peccatum præcedens totum illud imputetur ipsi: alioquin peccaret actu tunc, quando actu dormit. Imò peccaret quando iam per contritionem, aut confessionem iustificatus est à priori peccato, quod durum, & omnino falsum videtur: ergo ille effectus non est peccatum actuale, & per consequens non est necessariò in confessione exprimendus.

439. Prima sententia explicandum esse effectum externum.

Propter hæc variæ sunt sententiæ. Prima, & satis communis affirmat esse explicandum effectum externum. Hanc tenent Soto *in 4. distinct. 12. quæst. 1. artic. 7.* vers. *Hinc fit*, Ludouicus Lopez *1. parte instruct. cap. 31. §. Præterea quia omnibus*, & *2. part. à cap. 76. de Eucharistia, §. Sequitur etiam secundo*, Thomas Sanchez *lib. 9. de matrim. disp. 45. num. 30.* Castro Palao *1. tom. operis moralis, tract. 2. disput. 1. punct. 3. num. 7.* qui alios referunt. Eandem sententiam meo iudicio tenere debent aliqui docti Recentiores, qui nouo modo defendunt actum externum addere nouam malitiam, ac bonitatem, maiúsque meritum, aut demeritum supra actum internum. Quam sententiam latè probat, & defendit Pater Ioannes Martinez Ripalda in erudito opere *de ente supernaturali, tom. 1. disput. 68. sect. 5.* vbi inter alias rationes id probat ex obligatione confitendi actus externos: & licèt solùm videatur loqui de actu externo: rationes tamen, quas affert, & exempla comprehendere videntur effectum externum consequutum. Nam *numero 32.* adducit exemplum martyrij, in quo effectus mortis consequitur diu post acceptationem mortis, & *numero 31.* probat exemplo satisfactionis pro pœna temporali, in qua etiam passio externa auget satisfactionem supra voluntatem internam, & *numero 32.* probat hoc ipsum ex eo, quod Ecclesia, & Respublica humana puniunt peculiaribus pœnis actum externum: & *numero 30.* dicit rationem à priori esse, quod Deus plus accipit ab homine, quando accipit actum etiam externum bonum, & magis obligatus manet ad retributionem, quod idem cum proportione procedit in actu malo. Hæc autem omnia procedunt etiam in effectu sequuto: nam qui dicunt, magis satisfieri per actum externum quàm per internum solùm, idem dicunt de passione externa consequuta etiam quando homo iam non attendit, vt nos etiam dicemus inferiùs agentes de satisfactione *disput. 24. sect. 4.* & idem olim docui in eâdem materiâ. Ecclesia etiam, & Respublica humana peculiariter puniunt pro effectu consequuto magis, quàm si effectus non sequeretur. Deus etiam plus accipit; sicut & amicus plus accepit ab eo, qui dedit ei cum effectu salutem, honorem, aut diuitias, quàm ei, qui voluit, & tentauit, sed sine effectu. Quare hic Auctor meo iudicio, consequenter tenet, effectum sequutum quando iam non adest actualis libertas interna, adhuc addere aliquid plus meriti, aut demeriti, ac per consequens debere in confessione explicari.

440. Contraria sententia proponitur.

Contrariam sententiam defendit latè Pater Vasquez *in 1. 2. tom. 1. disput. 94. cap. 3.* Granado & alij, quos refert, & sequitur Bonacina *de legib. disput. 2. quæst. 4. punct. 4. numero 8.* & Diana *tom. tract. de circumst. aggrauant. resol. 64. & tom. 2. c. Sacram. resol. 67.* Curiel *in 1. 2. quæst. 71. art. 5. dub. 3. §. 3. ad secundum argumentum.* Ioann. Sanctius *1. disput. select. disput. 20. num. 5.* Suarez *tom. 2. de Religione lib. 3. cap. 8. num. 5.* & probablem reputat Thom. Sanchez *lib. 1. in Decalog. cap. 16. num. 46. circa finem*, & alij, quæ sententia verior semper mihi visa est.

Probarique potest à priori, argumento suprà indicato, quia ille effectus quando consequitur, iam non est actu peccatum, sed effectus peccati; tunc enim homo non peccat, nec peccare potest, cùm actu dormiat, vel distractus sit: non ergo est obligatio illum effectum explicandi in confessione, cùm nec sit malitia formalis, nec subiectum, quod ab illa possit recipere denominationem peccati.

441. Non desunt, qui negent antecedens, & dicant, tunc hominem actu peccare: imò tunc in somno, quando effectus pollutionis, vel occisionis præuisæ subsequitur, amittere gratiam, & incipere esse in peccato. Ita Marsilius *in 2. quæst. 21. artic. 2. suppos. it. 2. concluf. 4.* & Palatius *ibi distinct. 35. disp. vlt. in fine.* Hoc tamen ab omnibus meritò rejicitur: quomodo enim potest incipere esse turpis, & fœdus, qui priùs erat rectus, absque noua libertate? Deinde, quid fieret de illo homine, si in somno mortuus esset, antequam effectus sequeretur? Procul dubio saluus esset, cùm retinuisset adhuc gratiam sanctificantem. Alij ergo dicunt, peccasse quidem priùs, sed ab illa eâdem malitia iam posita, denominari de nouo peccatorem propter nouum peccatum, quod postea ponitur, quatenus denominatur de nouo homicida à voluntate libera præterita, & ab effectu nunc sequuto.

442. Contra hoc tamen vrget id, quod supra opposuimus, posse, scilicet, contingere quod iam tunc homo iustificatus sit per contritionem, aut confessionem, quando ponitur de nouo effectus prioris voluntatis malæ: non sufficit ergo effectus ille ad dandam nouam denominationem peccatoris. Adde, si ideo effectus ille debet in confessione explicari, quia est effectus peccati præteriti, sequitur, quod si hic homo priùs confessus fuerat venenum lethale datum, & die sequenti moriatur, qui venenum accepit, debeat iterum confiteri illum effectum sequutum, quia per te est materia necessaria confessionis, & non fuerat priùs sufficienter explicata in se, sed solùm in causa, quod per te non sufficit: debet ergo ante communionem confiteri hunc nouum effectum. Vnde si Sacerdos proiecit Breuiarium in mare præuidens omissionem culpabilem recitandi per totum annum, & postea confiteatur hoc peccatum, debet adhuc singulis diebus ante Missam confiteri de nouo effectum nouum subsequutum, scilicet omissionem recitationis pro illo die: quæ omnia manifestè absurda sunt.

443. Respondetur communiter, effectum postea subsequutum non semper esse peccatum, sed tunc solùm, quando per pœnitentiam non est retractata voluntas præterita: tunc enim adhuc moraliter perseuerat præsens, & potens denominare voluntarium & liberum id, quod sequitur: quando verò retractata est per pœnitentiam, iam non censetur manere; atque ideo interrupto influxu, non est amplius voluntarium, aut peccatum id, quod postea sequitur, & per consequens non erit obligatio illud in confessione explicandi.

Hæc tamen responsio multipliciter impugnari potest. Primò, quia iuxta hanc doctrinam, si ille,

qui venenum hodie dedit, statim haberet attritionem, & propositum confitendi; tunc licèt post horam objisset, qui venenum accepit, non teneretur pœnitens cras in confessione dicere, se hominem occidisse, sed solum dedisse venenum: quia mors sequuta fuit post retractatam voluntatem. Consequens autem (ni fallor) non concedent Auctores contrariæ sententiæ; dicunt enim in vniuersum, explicandum esse in confessione effectum mortis sequutum absque vlla distinctione. Vnde vlteriùs vrgere possumus, quia in prædicto casu, non solùm non deberet, sed nec posset pœnitens, se accusare, quod occidisset hominem veneno; quia ea dicendi formula significaret, ipsam etiam occisionem completam, fuisse peccatum, cum reuera non fuisset, sed sola porrectio veneni, quare vel solùm deberet dicere, se dedisse venenum, vel certè deberet explicare mortem fuisse subsequutam post retractatam voluntatem; alioquin enim accusaret se de quodam peccato graui, quod reuera non fecisset.

444. Hinc secundò vlteriùs argui potest: quia si effectus secutus post retractatam voluntatem non censetur ampliùs voluntarius, neque peccatum; consequens est, vt licèt retractata fuisset voluntas, non per attritionem, sed per voluntatem naturalem, aut venialiter malam, propter aliquod scilicet motiuum temporale, & venialiter malum, id sufficeret ad hoc, vt effectus sequutus non esset iam peccatum; quia tam desineret esse voluntarius per vnam retractationem, quàm per alteram; atque adeo neque in hoc casu deberet, aut posset in confessione explicari.

Nec satisfacies, si dixeris, debere retractari voluntatem præteritam per contritionem veram, aut attritionem cum Sacramento. Hoc enim in primis omnino gratis dicetur, cùm habitus gratiæ, aut charitatis non faciat vllo modo effectum hunc minùs dependere à voluntate præterita, aut magis displicere voluntati. Deinde quia hoc modo remaneret maior perplexitas in ordine ad confessionem: nam si post retractationem voluntatis sequitur effectus, oporteret in confessione explicare, an illa retractatio præcedens fuisset contritio, vel sola attritio: si enim fuisset contritio, effectus subsequens non fuit iam peccaminosus, nec debet proponi Confessario vt peccatum; sicut deberet proponi, si voluntas præterita non fuisset retractata, aut fuisset quidem retractata per solam attritionem: quæ omnia longè sunt à sensu & mente pœnitentium, & confessariorum, vt constat.

445. Tertiò arguere possumus contra illam doctrinam, quia quantumcunque de facto retractetur voluntas præterita; adhuc si postea subsequitur effectus mortis; non minùs incurret irregularitatem, aut excommunicationem qui dederat venenum iuxta communem ferè omnium sententiam, quàm si non fuisset retractata voluntas, quia nimirum per illam retractationem non tollitur, quod effectus sequutus sit voluntarius, vtpote procedens à voluntate, & ab intrinseco cum cognitione, vnde absolutè denominat homicidam; alioquin non redderet irregularem: ergo retractatio non impedit rationem voluntarij, & per consequens neque rationem peccati; quia si peccatum est, hoc habet, quatenus est voluntarium: est autem voluntarium præcisè in ordine ad voluntatem præteritam, & ideo dat denominationem homicidæ, & affert irregularitatem, etiam post retractationem.

446. Vnde possumus quartò arguere à priori, quia effectus ille in tantum est voluntarius, & liber denominatiuè, in quantum ortum habuit à voluntate præterita libera; non in quantum pendet nunc à voluntate non retractata. Et ratio est clara, quia negatio retractationis non facit voluntatem magis nunc influere in effectum, nec retractatio facit, 449.
voluntatem minùs influere: totus enim influxus ex parte voluntatis est posuisse causam, quam iam nunc tollere non potest: cùm ergo retractatio non minuat positionem causæ, nec earentia retractationis addat vires causæ iam positæ; consequens est, vt voluntas eodem modo influat in effectum sequentem, siue retractet, siue non retractet; quia non influit vllo modo secundùm statum præsentem, sed solum secundùm statum præteritum, vt præteritus est. Cùm ergo effectus in tantum sit voluntarius in quantum procedit à voluntate, & eodem modo procedat, siue retractetur, siue non retractetur voluntas præterita: consequens est, vt retractatio non minuat nec auferat rationem voluntarij: ergo nec rationem peccati, si potest peccatum appellari. Probatur hæc vltima consequentia: quia effectus hic non denominatur malus nec peccatum à voluntate præsenti, sed solùm à voluntate præterita: ab illa enim solùm voluntate accipit malitiam, à qua dependet, & omnis alia voluntas, habet se merè concomitanter, & per consequens non potest influere suam malitiam in illum: cum ergo solùm dependeat in suo esse à voluntate præterita, consequens est, vt ab ea sola accipiat denominationem mali, & peccaminosi: esse enim malum est procedere à voluntate mala, & peccaminosa: ergo status præsens voluntatis, qui non influit in hunc effectum, non potest illi communicare, vel auferre denominationem mali & peccati.

Restat nunc respondere ad rationem dubitandi 447. *Cur debeat explicari actus externus.* 450.
initio propositam, cur, scilicet magis debeat explicari in confessione actus externus, quàm effectus peccati: vterque enim habet malitiam denominatiuè ab actu interno, à quo procedit: neuter habet malitiam formaliter, & immediatè. Suppono autem cum sententia communi, actum externum nullam addere bonitatem, vel malitiam moralem formalem supra internum: quod quidem probare non est huius loci, sed spectat ad primam secundæ. Sicut ergo sufficit confiteri causam malam præteritam, in qua sola residet tota malitia, & non est necesse declarare effectum, qui postea denominatur malus ab illa malitia, quæ iam est explicata: sic videtur dicendum de actu externo, quod sufficiat confiteri voluntatem efficacem internam, in qua sola residet tota malitia formalis, à qua postea actus externus denominatur malus, quia procedit à voluntate mala.

Aliqui dicunt, actum externum esse confitendum, quia tota malitia peccati, quod exterius consummatur, præcipuè est in actu externo. Contra hoc tamen arguit Suarez *in præsenti disput. 22. sectione 3. numero 2.* quia licèt malitia obiectiua sit in actu externo, tanquam in obiecto: malitia tamen moralis actus humani, vt sic tota est formaliter in actu externo, à quo externus extrinsecè determinatur malus, vel bonus, sicut, & liber, & actus humanus: malitia autem obiectiua actus externi satis explicatur actu interno, vt terminato ad tale obiectum, licèt non explicetur actus externus, vt in re positus. Addere possumus, si de malitia obiectiua sermo sit, non minùs reperiri malitiam obiectiuam in effectu peccati, quàm in actu externo: ideo enim est malum velle dare venenum, aut projicere sagittam, quia mors hominis, seu eius interfectio est mala obiectiuè: si ergo malitia obiectiua 451.
declaranda

declaranda est, deberet etiam occisio consummata explicari, ex qua potissimè desumitur malitia obiectiua.

449. Ratio magis communis huius differentiæ est, quod actus externus, qui denominatur liber à libertate actuali actus interni, est verè, & propriè peccatum: effectus verò postea consequutus, in somno verbi gratia, non est propriè peccatum, vt diximus, sed effectus peccati: in confessione autem explicari debent omnia, & sola peccata: ideo debet explicari actus externus, quando est actu liber: non verò effectus postea sequutus. Porrò actum externum esse verè, & propriè peccatum, constat ex definitione peccati, quam ex Augustino tradunt communiter Theologi, nempe, *peccatum est factum, dictum, vel concupitum contra legem Dei*: quæ definitio non solùm comprehendit actum internum, sed externos, vt constat. Et quidem, licèt actus externus non addat malitiam nouam supra actum internum: adhuc per illum dicimur propriè peccatores, & mereri pœnam: sicut etiam dicimur mereri præmium per eleemosynas, & alia opera bona externa: qui sicut hi actus denominantur boni, aut mali, ita denominantur merita, & demerita, atque adeo propriè dicimur mereri, & demereri per eos actus: ergo, & peccare: debent ergo explicari in confessione, cum sint verè peccata, quia licèt non afferant malitiam distinctam ab actu interno: ab eâdem tamen malitia possunt duo subiecta diuersa accipere denominationem peccati, & mali. In effectu autem postea sequuto non datur talis denominatio, quia non potest esse peccatum actuale in eo, qui actu non peccat; nec potest actu peccare, qui actu non agit, ille autem, qui dormit, dum eius inimicus veneno moritur, nihil tunc agit; ergo tunc non peccat.

450. Objicies primò, quando ille alius moritur, tunc qui venenum dedit, incipit denominari homicida; ergo tunc occidit: nam homicida non est, nisi qui aliquando occidit hominem: sed antea nondum occiderat, ergo tunc occidit. Confirmatur, quia qui tunc moritur, nunc occiditur, ergo ab aliquo occiditur, vt à causa principali operante per venenum, vt per instrumentum: non ab alio, nisi ab eo, qui venenum dedit; ergo ab illo nunc occiditur.

Respondetur denominationem homicidæ includere duo, scilicet, actionem ex parte homicidæ, & passionem ex parte passi, seu positionem termini vltimi, qui est mors. Quamuis ergo antea non denominaretur homicida, qui iam dederat venenum; hoc non erat ex defectu actionis; nam ex parte sua iam erat posita tota actio necessaria; sed erat ex defectu termini vltimi, qui postea ponitur, sine noua actione ex parte homicidæ: quare non est verum, quod tunc occidat, sed quod tunc ponitur terminus, ratione cuius est verum iam quod antea occidit, in eo sensu, quo Augustinus *in Psalm.* 63. dixit, Iudæos tunc occidisse, percussisse Christum, quando clamarunt, *crucifige, crucifige.*

451. Ad confirmarionem dico, eum qui moritur, nunc occidi à veneno, à cuius actione denominatur etiam aliquo modo agere, qui venenum dedit: sicut pater dicitur generare, quando à semine fœtus animatur in vtero: illa tamen est denominatio quædam agentis valdè impropria, & quæ competere potest causæ iam non existenti, vt constat, cùm possit iam esse mortuus antea, qui venenum dedit: & tamen diceretur nunc agere per venenum quod dedit: non verò diceretur nunc actu peccare: quia denominatio peccantis est personalis, nec potest fieri per alium: quare licèt aliquo modo dicatur causa præterita agere nunc per alium, non tamen dicetur peccare nunc: quia peccare est fundare in se vituperabilitatem; sicut honestè agere est fundare in se laudabilitatem: repugnat autem fundare propriam laudabilitatem, aut vituperabilitatem nunc propter id, quod alius facit; nam tota laudabilitas, & vituperabilitas fundata iam est in mea actione præterita.

452. Vrgebis, quia homicidium essentialiter est peccatum actuale: sed nunc, quando ille alius moritur, incipis esse, & denominari homicida; ergo nunc incipis denominari peccator. Respondetur, homicidium includere quidem essentialiter peccatum, sed non solum: homicida enim est ille; ex cuius actione iniusta aliquis homo moritur; includit ergo peccatum, vel præsens, vel præteritum, & addit effectum mortis sequutum, ex cuius defectu non dicebaris antea homicida; dicebaris tamen iam peccator ex actione iam posita.

453. Objiciunt secundò, quia nunc incurritur censura, quando ponitur effectus, & non antea: hæc autem non incurritur, nisi propter peccatum: ergo nunc ponitur etiam peccatum. Respondetur negando consequentiam: nam censura incurritur nunc propter peccatum præteritum, quod tamen Ecclesia non vult punire, nisi posita tali conditione effectus sequuti. Vnde contingere etiam potest, quod incurratur censura ab eo, qui iam per contritionem, vel per attritionem cum Sacramento est iustificatus à peccato præterito: quia censura est pœna, qua adhuc Ecclesia iustè punire potest hominem propter peccatum præteritum. Et sicut excommunicatus, licèt per contritionem iustificetur, adhuc maneat excommunicatus donec absoluatur: ita potest, quando iam est contritus, incurrere de nouo excommunicationem propter peccatum præteritum. Et quidem propter censuram, aut reseruationem, quæ incurritur aliquando, non aliter, nisi sequuto effectu, oportebit in confessione explicare etiam effectum sequutum.

454. Adhuc tamen restat scrupulus contra rationem illam communem, propter quam obligatur pœnitens ad confitendum actum externum, eo quod ille etiam actus, quando actu durat libertas, est subiectum malitiæ, & verum peccatum. Contra hoc, inquam, potest esse difficultas non leuis, quia in confessione alicuius peccati non est obligatio explicandi omnia, & singula subiecta malitiæ: sufficit explicare malitiam, & aliquod subiectum illius, v. g. qui semel tria vulnera inflixit, sufficit, si dicat, *vulnerauit*: item qui oscula, amplexus, & copulam habuit cum fœmina, sufficit, si dicat, se habuisse copulam: ergo similiter qui habuit voluntatem internam, & actum externum, sufficit, si dicat voluntatem internam efficacem: hæc enim, & actus externus faciunt vnum peccatum numero: in quo quidem non est necesse explicare singulas eius partes, vt illud peccatum verè dici possit manifestatum, sicut nec qui furatus est centum, oportet, quod illa centum manifestet.

455. Dicunt aliqui, non satis explicari voluntatem internam, non explicato actu externo: quia per actum externum cognoscitur perseuerantia voluntatis internæ. Sed contra, quia circa ipsam perseuerantiam redit eadem difficultas: nam ad explicandum hoc peccatum, non oportet explicare totam eius perseuerantiam, cùm inceptio, & perseuerantia faciant vnum, & idem peccatum, cuius non est necesse omnes, & singulas partes explicare.

Dices

Dices, ipsamet voluntas exequutiua differt specie à voluntate non exequutiua propter diuersum valdè modum tendendi, quem habet in suum obiectum: ad explicandam ergo differentiam voluntatis internæ oportet explicare actum externum qui necessariò consequitur talem voluntatem exequutiuam. Ita ferè indicare videtur Suarez *illo n.* 2.

456. Sed hæc responsio non potest plenè satisfacere: quia illa voluntas exequutiua, quæcunque illa sit tota præcedit, prioritate saltem naturæ, actionem externam, quam causat: posset ergo tota secundùm se explicari, non explicato opere externo. Probatur consequentia, quia in rigore loquendo, non repugnat, quod aliquis credens, se posse facere aliquam actionem externam, velit eam facere, & habeat vltimam voluntatem exequutiuam: & tamen, quia ab aliquo alio tenetur, vel quia ligatus est, aut humore impeditus, non ponat actionem externam: ergo dicere, se habuisse vltimam voluntatem exequutiuam, non est dicere, positam esse actionem externam. Vnde posset aliquis explicare totam malitiam voluntatis internæ, non dicendo aliquid de externa actione, sed potiùs positiuè protestando, se nihil velle explicare de illa, an sit vel non sit posita.

457. Aliter ergo, & fortasse faciliùs responderi posset ad difficultatem propsitam, concedendo, actionem externam simul cum voluntate interna integrare vnum, & idem peccatum, in quo, licet non sit necesse explicare distinctè omnia, & singula subiecta malitiæ oportet tamen explicare subiecta, quæ differunt specie in modo participandi illam malitiam. Sicut ergo in vno peccato constante ex duabus malitiis partialibus specie diuersis, oportet vtramque explicare: sic quando vnum peccatum constat ex duobus subiectis partialibus, quæ in modo participandi malitiam differunt specie, oportet vtrumque subiectum explicare: alioquin non explicatur species illius peccati tota, quæ non sumitur solùm ex malitia, sed etiam ex subiecti tali modo eam participantibus. Porrò negari non potest, diuersum esse specie modum, quo actus externus participat malitiam ab eo, quo reperitur in actu interno, in quo reperitur immediatè, & formaliter; in externo autem solùm mediatè, & denominatiuè. Si ergo solùm explices actum internum; nondum explicasti peccatum illud, quatenus participat malitiam mediatè, & denominatiuè, ex qua parte est peccatum specie partiali diuersum à peccato intetno, componens tamen cum eo vnam speciem integram peccati.

458. Vnde ad exempla in obiectione proposita concedimus, non oportere in peccato explicare distinctè omnia, & singula subiecta malitiæ: nec singulas partes malitiæ, quando inter illa subiecta, aut illas partes non datur differentia specifica partialis, sicut datur in casu nostro. Possumus autem retorquere vltimum exemplum: nam qui habuit oscula, amplexus, & copulam, non satisfaciet confitendo amplexus, & oscula, licèt hæc faciant idem peccatum cum copula; sed debet explicare copulam, quæ est pars consummatiua, & continens implicitè illas alias; & ideo hac sola explicata, fit satis. Similiter ergo, qui habet actum internum, & externum; non satisfacit confitendo internum; sed debet confiteri externum, quæ est pars vltima, & consummans, ac implicitè connotans aliam compartem, quare explicato solo actu externo, fit satis, & explicatur tota malitia.

459. Objicies vltimò, posse adhuc retorqueri contra nos argumentum, quo supra vsi sumus, quod, scilicet, si effectus sequutus post retractatam voluntatem non est peccatum, sequitur, quod frequenter confiteatur, vt peccata, quæ reuera non fuerunt peccata, quia fuerunt post retractatam voluntatem, hoc inquam argumentum potest contra nos fieri; quia actio externa tunc solùm est peccatum, & materia confessionis, quando fit, perseuerante libertate interna: sed frequenter contingit, vt quando exercetur actio externa, non perseueret actu voluntas interna formaliter libera: nam licèt applicuerit se homo liberè ad aliquam actionem, v. g. ad legendum, ad ambulandum, ad loquendum, &c. postea tamen non semper habet aduertentiam sufficientem ad libertatem saltem plenam. Continget ergò sæpè, illam actionem externam non esse peccatum saltem mortale propter defectum libertatis actualis perseuerantis: & tamen tota illa proponitur à pœnitente, vt materia Sacramenti absque vlla distinctione, ergo vel fatendum est, sufficere libertatem præteritam, vt denominetur tota peccatum; vel deberet in confessione distingui, quæ pars fuerit, & quæ non fuerit peccatum.

Respondetur, pœnitentem non habere in nostra sententia obligationem explicandi effectus peccati: sed solùm peccata interna, & externa: cui debito satisfacit, accusando se detractione externa, verbi gratia, per hoc enim non intendit dicere, fuisse peccatum, quoad omnes partes externas, quis enim hoc potest scire? Sed solùm dicit, quod certum est, incepisse, scilicet, cum libertate actuali, vel aliquandiu eam habuisse: per quod explicatur, quantum sufficit illud peccatum, siue plures, siue pauciores partes habuerit actu liberas, & peccaminosas, omnes enim faciunt moraliter vnum peccatum, quod sufficit sub illa generalitate explicare.

Aduerto vltimò cum Patre Vasquez, regulariter expedire, quod effectus consequuti dicantur, atque ideo non esse pœnitentes impediendos, sed relinquendos in hoc vsu: quia hoc modo explicatur melius malitia actus præcedentis, & intelligitur melius status pœnitentis, & an habeat obligationem aliquam restituendi, vel incurrerit censuram, aut casum reseruatum: & quæ remedia ei oporteat applicare.

Restabat dicere, an sicut non est necesse dicere effectum consequutum; sic etiam non sit obligatio dicendi causam, sed sufficiat dicere peccatum: verbi gratia, satis sit dicere omissionem Missæ, non dicendo causam, quæ ad hoc mouit, ludum, verbi gratia, vel studium. De hoc tamen dicemus infrà *sect.* 12. agendo de circunstantia, *Cur.*

SECTIO X.

De circunstantia, Vbi?

Reliquas circunstantias, quæ supersunt, breuiùs percurremus, quia faciliores sunt. Tertia ergo est *Vbi*, seu locus. Et quidem aliquando hæc non est circunstantia, sed ipsa tota substantia, & prima species peccati, quando extrahitur aliquis per iudicem ab Ecclesia contra loci religionem; quando iudex in Ecclesia actus iudiciales exercet, &c. Quæ peccata non habent aliam malitiam, nisi quatenus sunt contra loci reuerentiam, quæ violatur. Aliquando verò locus dat circunstantiam necessariò confitendam diuersam à specie peccati, quæ supponitur, vt quando in Ecclesia effunditur iniustè sanguis humanus, vel sit pollutio, aut copula illicita. Circa quam circunstantiam aliqua breuiter notanda sunt.

Primò ergo interuenit malitia ex hac circunstantia per voluntariam seminis effusionem, per quam, quando notoria est, pollnitur Ecclesia, & indiget reconciliatione, de quo diximus *disp.* 20. *de Eucha-*

de Eucharistia sect. 2. Dubium est autem primò, an quando Ecclesia non polluitur, quia peccatum est occultum, contrahatur nihilominus malitia Sacrilegij in confessione explicanda, siue sit peccatum pollutionis, siue copulæ illicitæ. Negant aliqui quorum sententiam probabilem dicit P. Vasquez *tom.* 1. *in primam* 2. *disputat.* 98. *cap.* 3. *num.* 6. & Basilius Pontius *de matrimon. lib.* 10. *cap.* 10. *n.* 15. Communis tamen & verior sententia affirmat, quam cum aliis tenent Suarez *tom.* 1. *de Religione lib.* 3. *c.* 7. *num.* 4. Raphaël de la Torre *tom.* 2. *de Religione quæst.* 99. *art.* 1. *disput.* 7. Thom. Sanch. *tom.* 3. *de matrim. lib.* 9. *disput.* 15. *num.* 11. Bonacina *de matrimon. quæst.* 4. *punct. vltim. num.* 7. qui alios referunt. Et probatur à posteriori, quia si ille actus postea fiat publicus, Ecclesia pollueretur; ergo à principio fuit sacrilegus, & contra Ecclesiæ prohibitionem: non enim incipit esse contra Ecclesiæ prohibitionem, quando publicatur.

463. Secundò dubitatur de coitu coniugali, an, & quando habeat malitiam ratione loci: aliquando enim eam non contrahit, quando ex humana necessitate fit propter diuturnam mansionem coniugis in Ecclesia: de quo videri potest idem Sanchez *ibidem num.* 12 Lessius *lib.* 4. *cap.* 3. *dub.* 12. *num.* 86. Suarez 3. *tom. in* 3. *part. disput.* 81. *sect.* 4. Hic enim casus non pertinet ad præsens propositum; quia ad illud peccatum, vt dixi, locus non concurrit, vt circunstantia, cùm non supponat actum aliunde illicitum, sed dat primam, & substantialem speciem malitiæ.

464. Tertiò dubitatur, an tactus etiam, & aspectus, ac verba turpia ratione loci sacri, habeant specialem malitiam explicandam in confessione. Tres sunt sententiæ. Prima dicit, eos omnes actus impudicos contrahere malitiam grauem Sacrilegij. Secunda negat in vniuersum de omnibus. Tertia concedit de aliquibus tactibus magis impudicis, & turpibus, v. g. inter pudenda: negat de alijs leuioribus tactibus. Auctores videri possunt apud Dianam *tom.* 11. *tract. de circumst. aggrauant. resolut.* 25. & apud Fagundez *lib.* 4. *de secundo præcepto Ecclesiæ cap.* 4. qui non videtur sibi satis constans. Nam *num.* 29. *in fine*, reprehendit eos, qui dicunt, tactus etiam per partes pudendas, non contrahere malitiam Sacrilegij: quam tamen sententiam ipse postea *num.* 31. *in fine*, fatetur tandem esse probabiliorem: quam tenet cum aliis Sanchez *dicta disput.* 15 *num.* 21. Et ego etiam cum quadam limitatione veriorem existimo: quia, vt bene obseruat Vasquez supra citatus, hæc accipiunt malitiam grauem Sacrilegij ex prohibitione Ecclesiæ, quæ cùm non sit de tactibus, sed de copula, aut pollutione, per quas Ecclesia violatur; non est, vnde habeant illam speciem Sacrilegij grauis: debet tamen hoc limitari, vt non procedat, quando ij actus fiunt cum periculo pollutionis, aut tactus sunt tales ex se, vt videantur cum pollutione connexi: tunc enim prohibitio pollutionis comprehendere videtur ea, quæ ex se tale periculum mortale afferunt.

Hinc constat ad id, quod quartò solet dubitari, an omnia peccata in Ecclesia commissa contrahant specialem malitiam ratione loci sacri Ioan. Medin. *Cod. de pœnit. tract.* 2. *quæst.* 9. affirmat, in quocumque peccato mortali, siue externo, siue interno eam circumstantiam esse necessariò explicandam. Alij tamen communiter id negant, quia nullum est fundamentum ad id asserendum. Vnde distinguunt bene in eo, qui desiderat turpia intra Ecclesiam; nam si locus se habeat ex parte obiecti, ita vt desideret habere in Ecclesia copulam; tunc contrahit ratione Sacrilegij, & hoc siue ipse, quando id desiderat, sit intra, siue sit extra Ecclesiam. Si verò locus non se habeat ex parte obiecti, sed ex parte subiecti, ita vt, dum est in Ecclesia desideret copulam extra Ecclesiam; tunc non contrahit malitiam Sacrilegij. Quando verò ipse erat intra Ecclesiam, & videns fœminam, illam turpiter concupiuit, & non considerat ex parte obiecti, quod fiat copula intra, vel extra Ecclesiam: adhuc non contrahitur malitia Sacrilegij, vt notauit Azor. 3. *tom. lib.* 3. *cap.* 27. *quæst* 15. & priùs notauerat Nauarrus in cap. *considereret, pe pœnit. distinct.* 5. *in princ. n.* 21. quia non fertur ad circunstantiam loci, quam in mente non habet.

Potest tamen dubitari quintò, an peccata in Ecclesia commissa, licèt non contrahant malitiam grauem Sacrilegij necessariò explicandam in confessione; contrahant tamen aliquam malitiam maiorem ratione loci sacri. Respondetur, per se loquendo, & secluſa ignorantia, vel inaduertentia, videri, quod contrahant ex loco sacro aliquam irreuerentiam specialem: imò eam, licèt leuis sit pertinere ad speciem sacrilegij; non enim apparet, cui virtuti opponatur, nisi religioni propter specialem reuerentiam, quæ debetur loco sacro. Nam sicut de persona sacra dici solet, quod nugæ in ore Sacerdotis aliquid Sacrilegij participare videntur; ita de nugis, aut verbis otiosis in Ecclesia probatis dici potest; & à fortiori de aliis peccatis grauioribus: indecens enim est, vt locus orationi, & cultui diuino deputatus conuertatur in locum peccandi, & offendendi eumdem Deum. 466.

Hinc infero, non esse vniuersaliter veram regulam illam, quod ea sola contrahant malitiam grauem Sacrilegij ratione loci, quæ specialiter prohibentur ab Ecclesia ob eius reuerentiam. Nam potest contingere, aliqua ita grauiter opponi reuerentiæ debitæ loco sacro, vt secluſa etiam Ecclesiæ prohibitione, contraheret malitiam grauem Sacrilegij: vt si aliquis publicè ibi copulam haberet cum meretrice; si equos, & iumenta induceret, vt in stabulum; si in ipso sacro Altari Idolis offerret sacrificia; hæc, & his similia, etiam secluſa Ecclesiæ prohibitione, afferunt grauissimam irreuerentiam in domum sacram. In quo sensu intelligi debent, qui docent, comœdias lasciuas, negotiationes nimis profanas, nundinas, mercatum publicum, & similia non posse absque peccato mortali sacrilegij intra Ecclesiam fieri: de quo videri possunt Henriquez *lib.* 2. *de pœnitent. cap.* 6. *num.* 5. *littera N.* & Molina *tom.* 2. *de iustitia disputat.* 344. qui affert exemplum Christi, qui *Ioann.* 2. funiculo eiecit ex templo ementes, & vendentes quorum fortasse negotiatio nimis profana erat, & tanto Domini zelo, ac feruore profliganda. Aliqui enim contractus priuatim, & quoad pactum, non quoad exequutionem, si in templo fiant, non ideo damnandi sunt, vt culpa mortalis. 467.

Sextò dubitatur de sanguinis effusione, quando contrahat malitiam Sacrilegij grauis ratione loci. Breuiter dicendum est, hominis occisionem in Ecclesia, vel percussionem cum effusione sanguinis contrahere eiusmodi malitiam: hæc enim causant Ecclesiæ violationem, de quo dixi *dicta disputat.* 20. *de Eucharistia sect.* 2. Percussio autem grauis sine occisione, & sanguinis effusione, sicut non violat Ecclesiam, sic nec affert illam speciem grauem Sacrilegij, quod oportet obseruare contra Fagundez *illo c.* 4. *num.* 14. vbi dicit, percussionem grauem, etiam sine effusione sanguinis afferre illam malitiam grauem Sacrilegij explicandam: pro quo citat Nauarrum, Sylvestrum, Henriquez, & alios, qui id minimè dicunt; loquimur enim expresse 468. *De effusione sanguinis.*

presbè de homicidio, aut vulnere cum sanguinis effusione. Et quidem cùm non inueniatur Ecclesiæ prohibitio circa hoc, nisi in illis duobus casibus, absque fundamento extenditur ad illum tertium de percussione absque effusione sanguinis.

469. *De furto in Ecclesia.* Septimò dubitatur de furto, quando accipiat ex loco sacro malitiam specialem necessariò explicandam. Circa quod regula generalis traditur à Ioanne Papa Octauo in cap. *Quisquis inuentus*, 17. *quæst.* 4. quod Sacrilegium committitur auferendo sacrum de sacro, vel non sacrum de sacro, vel sacrum de non sacro. Vnde plures colligunt non solùm esse sacrilegium, quando quis furatur rem profanam, cuiuscumque illa sit, in loco sacro; atque ideo furem, qui intra Ecclesiam furatur crumenam alicuius, debere explicare in confessione circumstantiam illam loci sacri. Ita Suar. *dicto lib.* 3. *de Relig. cap* 5. *num.* 7. Valentia *tom.* 3. *disputat.* 6. *quæst.* 15. *punct.* 1. Vasquez, Nauarrus, Nunnus, quos sequitur, & refert Bonacina *in primo præcepto Decalogi, disput.* 3. *quæst.* 6. *punct. vnic. num.* 17. Layman. *lib.* 4. *tract.* 10. *cap.* 7. *num.* 18. Rebellus, Raphaël de la Torre, Reginaldus, Petrus de Ledesma, Menochius, quos refert Diana 1. *tom. tractat. de circumst. aggrauant. resol.* 27. quia legis verba generalia sunt: ergo generaliter debent intelligi de omni furto facto in loco sacro.

470. Contraria sententia probabilior videtur, quod scilicet fur in Ecclesia furatus crumenam diuitis, non debeat illam loci circumstantiam explicare: quam tenent Henriquez *lib.* 3. *de pœnit. cap.* 6. *num.* 5. Lessius *lib.* 2. *cap.* 45. *num.* 14. Coninch *in præsenti. disp.* 1. *dub.* 4. *num.* 22. Sotus, Ioannes de la Cruz, Fagundez, & alij, quos refert, & sequitur Diana *illa resolut.* 27. & probabilem dicunt Azor. *tom.* 1. *lib.* 9. *cap.* 27. & Raphaël de la Torre *loco citato*. Ratio autem est, quia res illæ nimis materialiter sunt in loco sacro, cùm per accidens ibi inueniatur absque vllo ordine ad talem locum, quare verba Ioannis Papæ dicentis, Sacrilegium posse committi, accipiendo *non sacrum de sacro*, debent intelligi in sensu formali, hoc est, quod res non sacræ accipiantur non solùm in loco sacro, sed etiam *de loco sacro*, illa autem pecunia accipitur quidem materialiter in loco sacro, sed non *de loco sacro*, cùm ad illum locum nullo modo pertineret. Potest verò contingere, vt non sacrum accipiatur de sacro, verbi gratia, quando res aliqua posita est in Ecclesia custodiæ, & securitatis causa, vel commodata sit Ecclesiæ: tunc enim iam aliquo modo pertinet ad Ecclesiam. Vnde non sine fundamento Thomas Zerola *in praxi pœnit. cap.* 12. *quæst.* 17. distinguit inter tapeta, & baldachinum, aut sellam, quæ aliquis nobilis præmisit ad Ecclesiam pro sui commoditate, vel quæ sacrista fecisset sibi commodari pro Ecclesiæ ornatu; & in secundo casu dicit fore sacrilegium eorum furtum, non verò in primo: quia tunc non fit irreuerentia grauis ipsi Ecclesiæ, cui per accidens videtur esse, quod ex illo loco accipiantur. An verò sit Sacrilegium res Ecclesiæ etiam non consecrata furari ex loco non sacro, non pertinet ad nostrum propositum, cùm illa malitia non proueniat tunc ratione loci.

471. Circa hoc tamen dubitari potest octauò, an qui furatur in loco sacro rem sacram, debeat explicare in confessione vtramque circumstantiam, & rei, & loci, an verò sufficiat confiteri furtum sacrilegum, Fagundez *dicto lib.* 4. *cap.* 5. *num.* 21. *in fine*, dicit sufficere, quod in prædicto casu dicat; furatus sum rem sacram: quia vtraque illa circumstantia ad eamdem rationem formalem virtutis religionis spectat. Contra hoc tamen videtur esse communis Theologorum doctrina, qui cum sancto Thoma 2. 2. *quæst.* 99. *artic.* 3. dicunt tres esse species, vel potius tria genera Sacrilegij, nempe circa personas sacras, circa locum sacrum, & circa res sacras: quare peccatum Sacrilegij circa personam differt ad minus specie à Sacrilegio circa locum: & similiter Sacrilegium circa locum sacrum differt ad minus specie à Sacrilegio circa res sacras. Cùm ergo in prædicto casu furtum sit Sacrilegium contra locum sacrum, & contra rem sactam, fatendum est contrahere malitiam specie diuersam ab ea, quæ solùm esset contra rem sacram. Vnde meritò Francis. Alcozer *in summa cap.* 21. dixit in eo casu vtramque malitiam explicandam esse in confessione. 474.

472. Dubitari potest primò: an ratione sanctitatis loci possit aliquando contrahere malitiam grauem Sacrilegij furtum rei non sacræ. Corduba enim *in summ. casu* 13. dicit, quod peccaret mortaliter, qui dum confitetur, furaretur Confessario octauam partem vnius Iulij: Fagundez *dict. lib.* 4. *cap.* 4. *num.* 11. relata hac opinione Cordubæ de furto modicæ pecuniæ, dicit rectè loqui Cordubam, si assumatur confessio tanquam medium ad ipsum furtum, quia tunc fur iniuriam maximam infert Sacramento: secus verò, si ex occasione data huiusmodi furtum crumenæ fiat, vt animaduertit Rebellus 1. *part. lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 11. & Sà verbo *Sacrilegium, num.* 12. sed addit Fagundez, videri sibi circumstantiam notabiliter aggrauantem necessariò confitendam, quia arguit infirmum propositum contritionis, & frequentem vsum, ac reincidentiam in furando. *Dum qui furatur in ipsa confessione.* 475.

473. Hæc tamen duo, quæ hic Actor dicit, difficile sibi cohærent, quod illud non sit Sacrilegium, quando confessio non assumitur, vt medium ad furtum; & quod sit incumstantia notabiliter aggrauans, & necessariò explicanda. Primò, quia si illa circumstantia non transfert furtum rei modicæ, de quo ibi est sermo, ad speciem Sacrilegij: ergo non facit illud esse peccatum mortale, peto enim cuius speciei? Non certa contra iustitiam, quia auferre obulum Sacerdoti diuiti non est graue damnum contra iustitiam. Secundò omnis circumstantia notabiliter aggrauans supponit peccatum ex se in sua specie mortale, alioquin illa non erit circumstantia, sed prima species peccati in ratione mortalis: in hoc autem casu furtum rei modicæ secundum se non supponitur mortale; ergo malitia, quæ prouenit ex Sacramento confessionis, non est malitia circumstantiæ, sed est prima species illius peccati, vt mortale est. Tertiò, si grauitas notabilis illius circumstantiæ prouenit ex eo, quod arguat defectum propositi, & contritionis, vel defectus est talis, vt non detur dispositio sufficiens ad effectum Sacramenti, vel non. Si non est tantus defectus: ergo ex hoc capite circumstantia non addit malitiam mortalem: nam defectus propositi solùm magis feruentis, & intensi non potest esse culpa mortalis. Si verò defectus sit propositi substantialis necessarij ad valorem, vel effectum Sacramenti: hæc certè erit malitia contra Religionem, quia defectus dispositionis necessariæ ad Sacramentum opponitur religioni, & reuerentiæ Sacramenti: ergo iam transfert ad speciem sacrilegij, quod tamen negatum fuerat. Quartò illud, quod addit, malitiam illam desumi ex eo, quod arguat frequentem vsum ac reincidentiam in furando, in rigore non est verum: quia potest aliquis habere firmum propositum nunquam furandi summam grauem: imò 476.

potest

potest nunquam furtum graue commisisse, & tamen assuefactum esse furtis leuibus, in quibus videt non esse peccatum graue contra iustitiam: ergo neque ex hoc capite talis circumstantia est necessariò manifestanda, nisi transferat in speciem Sacrilegij propter reuerentiam Sacramenti. Melius ergo,& consequentius negatur furtum illud rei modicæ accipere malitiam grauem in eo casu quo confessio non assumitur, vt medium ad furandum: quia sicut posset absque peccato mortali illo ipso tempore peccare leuiter iudicando temerè confessarium, aut cum proposito detrahendi famæ illius detractione veniali: & sicut posset eo ipso tempore per famulum, vel amicum furari aliquid leue à Confessatio in alio loco; sic videtur posse absque mortali furari concomitanter per seipsum aliquid leue: parum enim differt furari per se, vel per alium. 474

Restabat dicere, quid intelligatur nomine loci sacri in ordine ad supradictam malitiam Sacrilegij contrahendam. De hoc tamen dixi satis *d. disp. 20. de Eucharist. sect. 2.* Illud sanè videtur ferè certum non comprehendi nomine loci sacri in hac materia, claustra, & habitationem regularium: alioquin ipsi in omni peccato pollutionis deberent explicare circumstantiam loci sacri: quod cum Azorio *3. part. l. 3. c. 27.* & Soto *in 4. dist. 32. q. 1. art. 3.* notauit bene Diana *2. tom. tract. 4. de Sacramen. resol. 166.* vbi addit contra Zerolam, & alios, quod si quis furetur in dictis locis, non debet explicare hanc circumstantiam loci sacri.

SECTIO XI.

De circumstantia, Quibus auxiliis, *& circumstantia,* Cur.

QVarta circumstantia est, *quibus auxiliis*: circa quam ferè nihil notandum occurrit. Ad eam enim spectant instrumenta, quibus peccatum factum est, vt si gladio, vel sclopeto occidisti: quod regulariter non oportet explicare, nisi fortè sit specialis prohibitio talis instrumenti, quæ obligat sub mortali: aut nisi media illa aliunde continerent specialem malitiam contra aliam virtutem, vt si mediis Sacramentis, aut rebus sacris occidisti, aut illud peccatum fecisti; illa enim esset specialis malitia contra religionem: quod in vniuersum de quocumque medio afferente ex se aliam speciem malitiæ dicendum est. 475

Pertinet etiam ad hanc circumstantiam auxilium dæmonis, quod aliquis expressè, vel tacitè quærit, & procurat ad aliquem turpem finem consequendum. Pertinet denique auxilium, & interuentus aliorum hominum, quorum operâ quæsiuit ad finem malum. Oportet enim explicare eam circumstantiam, quia inductio alterius ad peccatum, vel cooperari peccato illius, vt sæpè diximus, est peccatum specie diuersum à peccato, quod fieret in eadem materia à teipso. Debes ergo explicare te vsum fuisse alterius opera ad tale peccatũ exequendum quẽ ad hoc induxisti, atque adeo debes explicare speciem peccati, ad quod illum induxisti. Si autem multorum simul opera vsus es probabile fortasse erit, non esse necesse explicare distinctè numerum personarum, sed sufficere, si dicas te plurium opera vsum esse, quos induxisti ad hoc, & hoc præstandum, iuxta ea quæ diximus in simili suprà *sect. 3. n. 135.* nisi fortè peccata, quæ illi fecerunt, differrent specie inter se, vel propter diuersam personarum conditionem, vel propter diuersitatẽ actionum, quas exercuerũt: vel nisi etiam propter temporis distantiã, aut interruptionem moralẽ inductiones illæ fuissẽt plura numero peccata, iuxta ea, quæ dicemus inferius agentes de peccatorum numero declarando, reliqua, quæ pertinent ad peccatum scandali Vide, quæ diximus *sect 4. n. 155. & seqq.* 476

Quinta circumstantia dicitur *Cur*, in qua propriè loquẽdo, non est sermo de omnibus causis peccati, sed de causa finali, quæ mouet ex parte intellectus, & suggerit rationẽ, & motiuũ, quo respondere possimus interroganti cur hoc fecerimus? Et quidem non est dubium, quod debeat explicari finis, quando ipse de se habet malitiam, & medium nullum habet: vt si studeas propter finem furandi: imò tunc malitia furti non erit circumstantia, cùm non supponat actum aliunde malũ; sed erit totum obiectum tribuens primam malitiam peccati. Quando verò medium aliunde est malum, vt si fureris propter mœchiam, tunc etiam explicanda est malitia finis, cùm sit specie diuersa à malitia furti. Tota difficultas est, an quando finis non est de se malus; medium autem est malum, debeat explicari etiam ipse finis, v. g. omittit Missam propter studium, an debeas explicare finem, nempe studium, an solam omissionem Missæ: idem est, quando sit peccatum commissionis, vt si furatus est propter studium, an sufficiat confiteri furtum, non explicato fine studendi. 477

478. *An sit explicanda causa omissionis.*

Est sententia aliquorum, qui dicunt non sufficere explicare omissionem, sed explicandam causam omissionis, & idem de causa peccati commissionis. Hæc tamen sententia bipartita est: aliqui enim dicunt, studium, v. g. propter quod omitto sacrum, esse peccatum, non verò studium consequens: vt si, v. g. decerno non audire Missam, & postea, ne sim otiosus, volo studere; hoc studium non est peccatum. Alij verò etiam, in hoc casu dicunt studium esse peccatum, & in vniuersum omnem actionem ex se incompossibilem cum actu præcepto, esse peccaminosam, si fiat tunc, quando præceptum debebat impleri.

479. Hoc ex professo pertinet ad materiam de peccatis: dico tamen breuiter. Primò licèt studiũ, propter quod omitto Missam, seu voluntas illa studendi sit mala, non tamen habet malitiam specie diuersam à malitia omissionis Missæ; atq; ideo non oportet illam voluntatem explicare, sed sufficit dicere omissionem voluntariam Missæ. Hæc est communis, quam tenet Suar. *in præs. disp. 22. s. 4. n. 11.* Valent. Med. Azor. Vasq. Tan. Salas, Henr. quos affert Diana *tom. 1. de circumst. aggrau. resol. 23. & resol. 62.* & alij passim.

Probatur primò, qua tota malitia studij prouenit à malitij omissionis sacri: ergo sufficit explicare omissionem sacri. Dicunt esse ibi duplicem malitiam: alteram omissionis sacri contra virtutem Religionis, & præceptum audiendi Missam, alteram propriam ipsius studij contra virtutẽ studiositatis, quæ inclinat ad studium indebito modo susceptum, quale est illud, quod impedit auditionem Missæ debitam. Quod explicari potest exemplo liberalitatis, quæ inclinat ad debitos sumptus; quare indebiti sumptus, & excessus in illis aduersantur liberalitati, & habent malitiam contra illam. Similiter virtus temperantiæ inclinat ad sumendum alimentum debitum: excessus autem in cibo opponitur temperantiæ. Ergo similiter excessus in studio, quo relinquitur sacrum, opponitur virtuti studiositatis, quæ inclinat ad studium debito modo.

480. Sed contra hoc arguitur secundò, quia si in eo casu esset duplex illa malitia, sequitur, peccare grauiùs eum, qui omittit sacrum propter studium, vel vt inseruiat infirmo ministerio non necessariò, quàm illum, qui directè ex mera negligentia omittit sacrum: consequens videtur apertè falsum, cùm ille finis studij vel ministrandi infirmo, magis excusset aliquantulum, quàm accusset. Sequela verò probatur, quia ille alius peccaret solùm cõtra præceptũ audiendi Missam: hic verò peccat contra illud præceptum, & rursus cõtra studiositatem, vel misericordiã, & quidem peccato graui necessario explicando; ergo grauius peccaret hic, quàm ille.

481. Vnde argui potest tertiò quia si aliquis omittit sacrum debitum propter finem venialiter malum, v. g. propter ludum venialẽ, non contrahit duplicem malitiã grauem specie diuersam: est autem absurdũ dicere, quod grauiùs peccet, omittens sacrũ propter studium, quàm propter ludum: ergo non contrahit duplicẽ malitiam grauẽ, qui omittit sacrum propter studium atq; adeo sufficit explicare malitiam contra religionem.

Confirmatur, quia qui omittit sacrum, vt possit furari, contrahit duas malitias graues: ille autem, qui omittit sacrũ, vt seruiat infirmo, violat certè pauciora præcepta; ergo non contrahit tot malitias, quot ille primus, ergo contrahit vnam solam contra præceptũ Missæ, quam solam debet in confessione explicare.

482. Vnde ad argumentum contrariæ sententiæ respondetur facilè, illud studiũ non habere malitiam contra virtutẽ studiositatis, quia hæc secundùm se solùm petit studium sufficiens ad sciendum quæ oportet scire, & excludit excessum, quo volumus scire superflua, & noxia. Vnde retorquetur exemplum temperãtiæ, quia si aliquis comedat aliena, peccat quidem contra iustitiam, non tamen cõtra tẽperantiam, si tẽperatè comedatur, quia nimirum temperãtia ex se solùm exigit victum necessarium ad sustentationẽ corporis, & excludit superfluum, & noxium. Similiter qui facit sumptus quidem moderatos, sed cum scandalo proximi, quod tenebatur vitare: peccat quidem contra charitatem; sed non contra liberalitatem, quæ ex se solùm excludit prodigalitatem, & auaritiam, sed nimiam parcitatem.

483. *An sit contra studiositatem studium tempore Missæ.* Dices, liberalitas, v. g. ex se formaliter respicit sumptus honestos, quæ honestas tollitur per superfluitatem, & ideo sumptus superfluus opponitur liberalitati, sed non minùs destruitur honestas sumptuum per scandalum, v. g. contra charitatem: ergo tunc etiam sumptus scandalosus opponetur virtuti liberalitatis: quod idem dicendũ erit de studio impediente sacrum nam eo ipso non erit studium honestum, vt honestum. Pro huius rei explicatione, supponendum est id, quod explicui in materia de bonitate, & malitia humanorũ actuum, honestatem, quã respicit liberalitas, v. g. non esse aliquid simplex, sed complexũ ex duabus regulis rationis, altera præcipiente sumptus necessarios, altera prohibente superfluos. Vnde prodigus non opponitur toti liberalitati, sed solũ inadæquatè quoad posteriorem regulam: auarus verò, seu parcus opponitur soli priori regulæ. Similiter temperantia cõprehendit duas regulas rationis: alteram præcipientem cibum necessarium, cui opponitur nimia abstinentia, alteram prohibentem superfluum, cui opponitur gula. Vnde non est eiusdem speciei malitia gulæ, & malitia nimiæ abstinentiæ, licèt vtraque opponatur tẽperantiæ; quia non opponũtur eidem regulæ rationis, sed diuersis formaliter, & specificè. Ratio ergo, cur excessus sumptuum opponitur formaliter virtuti liberalitatis, non est præcisè, quia destruit honestatem obiecti, hæc enim honestas tollitur etiam per quancumque malitiam aliunde prouenientem; sed ratio est, quia aduersatur vni ex illis duabus regulis, & præceptis, quæ liberalitas comprehendit. Quando ergo sumptus est aliunde malus propter scandalum, non opponitur formaliter liberalitati, quia non opponitur alicui ex illis duabus regulis, cùm nec sit superfluus, nec infra necessariũ, sed opponitur alteri regulæ quã non præscribit liberalitas, sed charitas non scandalizandi nostrum proximum. Hoc ipsum cum proportione dicendum est de studiositate, quæ secundùm regulas rationis, quas in se comprehendit, scilicet de studio necessario, & nõ superfluo, non habet oppositionẽ cum studio impediẽte sacrum, quod quidem solùm opponitur regulæ præcipienti sacrum, quæ non est regula studiositatis, sed religionis, vel obedientiæ, & quamuis hæc oppositio reddat studium inhonestum: non tamen facit, quod opponatur formaliter studiositati, quia non opponitur regulæ illi, cuius adæquationem intendit directè & explicitè studiositas, sed alteri regulæ, cuius adæquationem respicit indirectè solùm studiositas, tanquam remouens prohibens, quatenus tendit ad suum obiectum propter talem bonitatem, quam habet non vitiatam aliunde per oppositionem cum alia regula rationis.

484. Vrgebis ex Patre Granado *in 1.2. contr. 6. de peccatis tr. 2. disp. 3. s. 3. n. 22.* quia ille, qui contra obedientiam Prælati hîc, & nunc comederet, nõ solùm peccaret cõtra obedientiã, sed etiã contra tẽperantiã, quia eo ipso, quod Prælatus iustè prohibeat talem comestionem, tẽperantia inclinat ad illam vitandã. Ergo eodem modo, quando Religio prohibet studiũ, vt audiatur Missa, eo ipso studiositas inclinat ad fugiendũ illud studium.

Respondetur negando consequentiam; est enim discrimen magnum inter obedientiam, & alias virtutes vt insinuauimus *sup. sect. 4.* cùm obediẽtia, & eius præceptũ formaliter intendat rectitudinẽ propriam illius virtutis, quã præcipit, atque ideo præcipiens abstinentiã intendit formaliter rectitudinẽ tẽperantiæ, quare qui comedit tunc, peccat cõtra rectitudinem tẽperantiæ, quæ intẽdebatur à præcipiẽte. At verò religio, v. g. quãdo prohibet studiũ, vt audiatur Missa, nõ intẽdit rectitudinẽ studiositatis, sed cultũ Dei, quare qui tũc studet, nõ deficit à rectitudine studiositatis formaliter, sed à rectitudine religionis, quę sola intẽditur, & à qua desumitur species, & formalitas illius defectus, & peccati.

Obiiciunt tamen secundò, quia in confessione non 485. solum explicãda est malitia, sed etiã subiecta malitiæ, quę sunt peccata, sed nõ sola omissio sacri est mala, sed etiam voluntas studendi illo tẽpore est mala propter malitiã omissionis; ergo illa voluntas est confitenda. Respondetur, non esse cõfitenda distinctè, & explicitè subiecta malitiæ secũdùm totũ suum esse indiuiduale sed secundùm esse specificum. Illa autem voluntas studendi iam dicitur, cùm pœnitens dicat, se voluisse relinquere sacrum: non est autem opus explicare finem illius voluntatis, quia ille finis nõ spectat ad rationem specificam, sed ad rationem indiuiduale & materialem illius peccati. Quod quidem verum est, etiamsi pœnitens non dicat, *volui omittere*, sed dicat, *nisi sacrum:* tum quia in mea sententia nõ potuit esse pura omissio libera, & per consequens significat, se habuisse voluntatem directam, vel indirectã omissionis: tum quia licet possibilis esset pura omissio, non oporteret cõfiteri omnia subiecta illius malitiæ, sed aliquod, quod cum aliis faciat idem peccatum moraliter, & iam tunc explicatur omissio, quæ est subiectũ etiam extremũ malitiæ, & quæ facit vnum peccatũ moraliter cũ studio.

Sed contra arguunt tertiò, quia peccatũ cõmissionis, 486. & omissionis differũt specie, sed omissio sacri est peccatum omissionis, & voluntas studendi est peccatum commissionis, ergo ea duo differunt specie, atque adeo vtrunq; explicandum est. Respondetur negando minorem: nam licèt voluntas studendi in genere physico sit aliquid positiuũ, sed tamẽ in ratione peccati magis est peccatum omissionis, cùm opponatur solùm præcepto affirmatiuo audiendi sacrũ, atque ideo in ratione peccati nõ differt specie ab omissione sacri præsertim in mea sententia, quod non detur pura omissio libera: tunc enim omne peccatũ omissionis cõsistit formaliter in volũtate directa, vel indirecta nõ audiendi Missam.

Tertiò objici potest, quia ille qui propter studiũ relinquit Missam debitã, iã eo ipso videtur magis amare studiũ, quàm Deum, & per consequens videtur constituere sibi studiũ pro fine vltimo; hæc autẽ ipsa videtur esse peculiaris inordinatio in modo amandi creaturam amore excessiuo, quæ deordinatio deberet in confessione explicari. Propter hoc argumentũ P. Suarez loco cit. distinguit de omissione sacri propter studiũ, quãdo enim oritur ex vehemẽti, & inordinato affectu ad studiũ, dicit debere declarari illũ affectũ ad talem finem: secùs quãdo oritur ex libertate, & facilitate quadam. Hæc tamẽ distinctio nimis scrupulosa videtur, quia si sermo sit de cõstitutione studij pro vlt. fine simpliciter, nunquã homines ita peccãt, vt velint omnia ad studiũ ordinare, & fidẽ ipsam, si necesse fuerit, negare propter illud, imò tũc quãdo propter studiũ relinquũt Missam, parati sũt ad relinquẽdũ ipsũ studiũ propter multa alia. Si verò sermo sit, nõ de vlt. fine simpliciter, sed de fine illius operis, aut omissionis; verũ est, studiũ semper esse finem

finem vltimum: sicut etiam quando die non festo relinquis Missam propter studium, hoc erit tunc finis vltimus illius omissionis: in quo nulla est peculiaris malitia præter illã, quæ desumitur ex præcepto, quod violatur, nec opus est hunc studij amorem explicare nam eo ipso, quod dicis, re reliquisse Missam die festo, significas, te id fecisse ex amore, vel tui, vel alicuius creaturæ: non poteras enim omittere Missam, nisi propter aliquod malum, quod in audienda missa repræsentabatur, vel propter aliquod bonũ, quod impediebat. Quoad autem illud fuerit bonum studij, vel aliud, parum refert, nec explicandum est, nisi illud obiectum ex se haberet aliunde malitiam, vt si omisisti sacrum propter mœchiam, vel furtum.

Dico secundò: quando voluntas studendi se habet cõcomitanter, & ideo vis stupere, ne sis otiosus, quia decreuisti iam nõ audire Missam, multò minus videtur explicanda illa voluntas studendi, cùm nec mala quidem sit, sed potius bona. Hanc tenent Medina 1. 2. q. 71. art. 5. dub. 2. Aluarez ibi d. 126. n. 2. Salas tr. 13. disp. 2. s. 6. n. 102. qui alios antiquiores referunt.

Probatur primò, quia illa voluntas studendi non est mala ex obiecto, vt cõstat; neque etiam ex circunstantia, cùm studium non sit tunc causa omittendi sacrum, sed potius sit effectus, nõ enim omittit sacrũ, quia studet, sed potiùs è cõtra; ideo studet, quia omisit sacrũ; ergo non accipit malitiam ab omissione sacri, quam non causat: quod autem ab ea causetur non vt à fine, parum refert, nam pœnitentia etiã causatur occasionaliter à peccato, & non est mala, & alij plures effectus boni fiunt ex suppositione peccati iam positi. Porrò voluntatem studendi non esse causam omissionis sacri constat apertè, quia non potest esse causa id, quod nõ est prius, sed posterius: sed peior est in casu nostro voluntas non audiendi sacrũ, & postea est voluntas studendi ex suppositione, quod nõ auditur sacrũ; ergo voluntas studendi non potest esse causa, sed effectus voluntatis non audiendi sacrum.

Probatur secundò, quia studere ex suppositione, quod nõ audiatur Missa, posset esse materia præcepti, posset enim Deus præcipere audire Missam, & rursus quod si Missa non audiatur, & præceptum primum violetur, homo non sit otiosus, sed studeat: posset itẽ ipse homo voto se obligare ad studendũ, ne sit otiosus, quando domi manet, atque ideo ex suppositione, quod non vult ire ad Missam, haberet ratione voti studere; posset denique esse materia consilij: nam prudenter tibi consulerem, vt si non vis audire Missam, studeas, ne sis otiosus: ergo studiũ ex illa suppositione non est peccatũ, sed honestũ. Ratio est, quia ex suppositione iam posita, melius est studere quã esse otiosum; ergo licèt suppositio illa sit mala, id tamen quod postea eligitur, non est malum, nec peccatum.

Contra hoc sunt aliquæ obiectiones difficiles. Prima est, quia tenẽris relinquere studium, vt eas ad audiendam Missam; ergo studium ipsum est contra obligationem non studendi, ergo est peccatum. Respõdetur, distinguendo antecedens: tenẽris immediatè relinquere studium, hoc est etiam ex suppositione voluntatis non audiendi Missam, nego: tenẽris mediatè, hoc est habere voluntatẽ audiendi Missam, qua posita cesset voluntas cõtraria, ex cuius suppositione nunc consequitur voluntas studendi, concedo; hoc autem non arguit studium ipsum esse peccatum, sed quod supponit peccatũ, cuius auferendi sit obligatio.

Secundò obijcitur difficilius, quia ex nostra sententia sequeretur, Sacerdotem nauigantem, qui decreuit toto nauigationis tẽpore non recitare officium, non peccare, si ex suppositione illius voluntatis proiiciat breuiarium in mare. Item furem qui habet animum non restituendi pecunias ablatas, nõ peccare, si ex illa suppositione eas expendat, & reddat impossibilem restitutionem: item eum, qui emisso castitatis votò decreuit illud non seruare, nõ peccare, si ex suppositione illius decreti, ducat vxorem, quæ omnia sunt absurda: ergo fatendum est, quod ponere aliquid incompossibile ex se cum re præcepta, est peccatũ etiã ex suppositione volendi non obseruare præceptum.

Respondetur, negando sequelam: nam in iis omnibus exemplis ita ponitur aliquid incompossibile, vt non solùm impedire posset obseruationẽ præsentem præcepti, sed reddat impossibilem illam pro tempore sequenti, atque adeo respectu temporis sequentis, nõ se habet concomitanter, sed antecedenter, & vt vera causa. Nã licèt iam sit posita voluntas nõ obseruandi præceptum tempore sequenti: hæc tamen voluntas non affert necessitatem ad tempus sequens, quia cũ possit mutari, semper remanet possibilis obseruatio pro tẽpore sequẽti. Ideo proiectio breuiarij in mare, distributio pecuniæ furtiuæ, contractus matrimonij sũt actiones peccaminosæ, quia etiã ex suppositione voluntatis non obseruãdi præcepta, est malũ reddere impossibilẽ obseruationẽ pro tempore sequẽti, & est obligatio non ponenditalẽ impossibilitatẽ: nos autẽ priùs loquuti sumus, quãdo studiũ nullo modo necessitat omittere sacrũ pro tempore sequẽti, quia si mutatur voluntas relinquendi sacrũ, cessabit etiã studiũ.

492. *De eo, qui se reddit impotentem ad rem præceptam.*

Hæc tamen responsio, & hæc regula vniuersalis aliquibus displicet, quia non omnis, qui se reddit impotentem ad opus præceptum, peccat per illam impotentiam, si id facit ex suppositione voluntatis non obseruandi præceptum. Alioquin qui post peccatum non audiendi Missam, it cubitum, & dormit, peccat de nouo, & debet confiteri omissionem sacri, & somnum, quo se impotentem reddidit. Idem est de eo, qui post tale decretum, iret ad venandum, qua venatione redderet se impotentem redeundi ad Missam. Item, qui decreuit non ieiunare, nec abstinere à carnibus, & ex suppositione huius voluntatis comedit carnes, qua comestione reddit sibi impossibile ieiunium, peccaret de nouo. Non ergo est verum in vniuersum, quod reddens se impotentem ex suppositione voluntatis non seruandi præceptum, peccat de nouo.

493. Cæterùm doctrina tradita vera est, & ratio eius firma, nec exempla adducta aliquid contra illã probant; nam in illis verissimum est illam voluntatem dormiendi, & venandi, illam item comestionem carniũ esse peccaminosam, etiã ex suppositione prioris voluntatis non seruandi præceptum. Aliud autem est quærere, an sit illa secunda actio mala, aliud verò, an debeat explicari in confessione illa impotentia voluntariè suscepta. Nam licèt actio semper sit mala, vt diximus, non tamen semper erit necessariò explicanda in confessione, quia facit vnum peccatum moraliter cum ipsa omissione, vel violatione præcepti quã sufficit explicare. Vnde qui post voluntatem non audiendi sacrum, it ad dormiendum, aut venandum, sufficit, si confiteatur voluntariam omissionem sacri. Similiter qui violauit ieiunium, sufficit, si dicat se violasse ieiunium, nam eo ipso explicat se reddidisse impotentem ad ieiunandum. Aliquando tamen oportebit declarare impotentiam positam. Sic qui proiecit breuiarium in mare, debet id explicare, quia si id

494. non dicat, sed solùm se accuset, quod per totum annum omisit recitationem, non confitetur peccatum quod fecit, sed alia, quæ nõ fecit: nam per illum modum se accusandi significat, quod toties peccauerit, quoties omisit: quod tamen est falsum, quod cum tempore sequenti non posset iam recitare, non peccabat tunc, sed peccauerat semel, quando appofuit causam, & impedimentũ: non debet ergo accusare se de sola omissione, sed de causa omissionis; quia causa fuit peccatũ, non verò omissiones sequutæ. Similiter, qui postvotũ castitatis ducit vxorẽ, nõ satisfacit accu-

sando se violatione voti castitatis, quia fortasse illud reipsa non violauit, si v. g. postea non consummauit matrimonium, nec debet etiam se accusare de centum, vel mille copulis postea habitis, quia illæ ad reddendum debitum positæ non fuerunt iam peccata, sed actus honesti, & necessarij ex suppositione matrimonij facti, sed debet confiteri matrimonium factum, seu quod exposuit se periculo, & necessitati faciendi sæpius contra votum à se emissum: hoc enim modo, & non alio explicat benè peccatum, quod commisit. Denique fur, qui cõsumpsit pecunias furtiuas, non debet illud explicare, sed furtum, & tẽpus, quo potuit restituere, & non restituit: nam illa consumptio pecuniæ, non habet aliam malitiam, nisi malitiam furti continuati, sicut qui furatus tres, aut quatuor gallinas, eas comedit, non debet explicare actum comestionis, cùm non sit, nisi contrectatio quædam rei alienæ inuito domino.

495. Vltimò obijci potest, quia studium, vel quęcumque alia actio, si incompossibilis est cũ auditione Missæ, impedit in genere causæ formalis audire Missam, non possunt enim esse simul illæ duæ actiones: ergo negatio Missæ pendet etiam vt effectus à causa formali ab illo studio, vel ab illa occupatione; ergo studium erit peccatum, cùm sit causa non audiendi Missam. Respondetur negãdo antecedens, si in rigore loquamur: plus enim est impedire Missam, quàm esse incompossibilem cum Missa. Nam impedire dicit causalitatem, & influxum, seu quòd hoc sit ratio absentiæ alterius: studium autem, licèt non possit esse cum Missa; non tamen est ratio, cur non sit Missa, nec influit in Missæ negationem, cùm potiùs negatio Missę sit ratio ponendi studium, ideoque non potest in rigore dici, quod studium impediat ab audienda Missa, quia non habet prioritatem, & imdependentiam necessariam, vt possit influere in negationem Missæ.

496. Posset quæri, an circunstantia finis mali possit explicari seorsim, v. g. an si furatus es propter mœchiã & confessus es furtũ oblitus desiderij mœchãdi, possis in alia cõfessione cõfiteri hoc desideriũ mœchię absque furto. De hoc tamen dicemus infra *sect.* 6.

De peccante ex confidentia

Vltimò dubitari solet, an quando aliquis peccat ex motiuo confidẽtiæ, quam habet de remissione à Deo obtinenda, debeat eam circumstantiam confidentiæ explicare in confessione. Et quidem confidentia hæc multipliciter potest contingere. Primò, si quis speret, quod etiam sine pœnitentia propria Deus illi remittet peccata: & hæc quidem esset præsumptio hæretica, & necessariò confitenda. Secundò, si quis peccaret cum proposito agendi pœnitentiam citò, & cum spe obtinendi veniam: & hæc quidem non videtur circumstantia aggrauans, sed potiùs minuens peccatum, quia arguit voluntatem minùs firmam in malo. Tertiò, si quis peccat cum proposito perseuerandi in peccato, sed cum spe veniæ, & hæc videtur præsumptio aggrauans, de quo Bonau. *in apol.* & S. Th. 2. 2. *q.* 21. *art.* 2. Caiet. ibi & Nau. *in sum. cap.* 6. *n.* 4. sed tamen non videtur esse circunstantia explicanda, quia non mutat speciem peccati.

SECTIO XII.

De circunstantiis, Quomodo, & Quando.

497. *Quæ pertineant ad circunstantiam* Quomodo.

SExta circumstantia est, *Quomodo*, ad quam plura possunt reduci. Primò modus violentiæ, quæ quidem transfert in nouam speciem, & debet explicari, v. g. furtum cum violentia illata est rapina: copula cum fœmina reluctante est raptus, & sic de aliis. Secundò modus, quo aliquis occidit discerpendo postea cadaueris membra, extrahendo iecur, & similia, per quæ contrahitur malitia feritatis specialis.

Tertiò pertinet modus intentionis, qua quis peccat; qui in sententia obligante ad circunstantias notabiliter aggrauantes intra eamdem speciem explicandas, deberet exprimi, & non parum laborant ij Auctores, vt excusent ab intentione explicanda: in nostra tamen sententia non est difficultas, cùm tota ea intentio non afferat malitiam specie diuersam.

Quartò pertinet modus peccandi ex consuetudine, de qua dubitari potest, an debeat necessariò explicari, de hoc tamen diximus *suprà sect.* 4. *à n.* 200.

Quintò pertinet modus peccandi ex ignorantia; an debeat explicari, quod peccatum est ex ignorantia culpabili, de hoc diximus etiam satis *illa sect.* 4. *à n.* 182. Restat tamen simile dubium de peccante ex conscientia erronea; an qui violauit ieiunium, quod putabat esse sub obligatione, cum reuera non esset, debeat explicare se violasse ieiunium cum conscientia erronea, cùm reuera non obligaret, an verò sufficiat dicere se violasse ieiunium, Adrianus *in* 4. *q.* 4. *de confessione*, dixit peccatum contra conscientiam erranté esse speciale peccatũ necessariò explicandum. Quam sententiam reprehendunt Salas, Valentia, & Sayrus, quos refert, & sequitur Sanchez *lib.* 1. *de Decalogo*, 11. *n.* 5. quia si peccatum illud haberet specialem malitiam ex præcepto non agẽdi contra conscientiam, sequeretur peccata alia, quando conscientia non erat, habere duplicem malitiam, alteram contra talem virtutem, alteram, quia sunt contra conscientiam. Dicendum ergo est, etiamsi conscientia erret, peccatum habere idem obiectum in specie: quod haberet, si esset vera obligatio. Vnde puer, qui falsò putat se teneri ad ieiunium & non ieiunat, committit peccatum eiusdem speciei cum eo, quod committit adolescens obligatus ad ieiunandum.

498. Adhuc tamen potest esse difficultas practica, an qui ex conscientia solùm erronea peccauit, debeat explicare illam circumstantiam; an verò sufficiat dicere, *peccaui grauiter peccato detractionis*; si reuera non erat detractio grauis, sed solùm erat peccatũ propter conscientiam erroneam, quia putabat materiam esse grauem, cùm esset leuis. Ratio dubitandi est, quia licèt detractio cum nocumento graui vero, & detractio cum nocumento leui, sed existimato graui non differant specie, imò sunt æquales in malitia; differunt tamẽ numero, & vna nõ est alia: nam detractio leuis existimata grauis, non est detractio grauis, seu in materia graui. Si ergo confessus ex detractione cum nocumento graui, non es confessus illam detractionem, quam commisisti, sed aliam distinctam circa aliam materiam diuersam, quam nunquam commiseras. Similiter si proiecisti in flumen vas plumbeum, aut ligneũ tui proximi, putans esse argenteum; vel vas tuum putans alienum, & confitearis, quod proiecisti vas alienum argenteum, &c. non dixisti peccatum, quod reuera fecisti, sed quod putaras te fecisse, cùm illud nõ feceris, sed aliud, quod non es cõfessus: ergo non confiteris peccatum verum, sed existimatum: atque ideo, vt cõfitearis peccatum verum debes dicere, proieci in flumen vas meum, putas esse argenteum. Propter hæc fortasse P. Salas 1 *t. in.* 1. 2. *tr.* 8. *disp. vnica, sect.* 3. *n.* 28. *in fine*, addidit hæc verba *Cùm verò quis rem licitam egit, putans esse illicitam*, P. Salas 500. *vt si occidat feram, putans esse hominem: debet errorẽ exprimere, alioquin enim nõ intelligetur malitia actus externi, quia occisio feræ mala non est*, & Suarez *in præsenti, disp.* 22. *sect.* 4. *n.* 14. dixit illa duo peccata esse quidem eiusdem speciei. Addit autem: *Quocirca si posset in confessione explicari illud peccatum & malitia eius, non explicando conscientiæ errorem, non multum referret ad confessionem: moraliter autem id explicatur, quia vix potest aliter dici peccatũ, & sæpe est valde expediens, vt confessor possit illiũ conscientiæ* Suarez 503. *errorem*

Conscientia erronea an debeat explicare.

errorem tollere. Addit Fagundez *d.lib.4.cap.5.n.14.* satis esse cõfiteri tunc in hunc modum, *feci furtum, dum rapui id, quod putabã esse alienum: violaui festũ: non interfui sacro, dum putarẽ me ad id teneri,* quo etiã modo loquitur Hentiq. *lib.2.de pœnit.cap.6.n.4.* De hoc tamen non est dubium, quod sufficiat ita confiteri: sed difficultas est, an sufficiat confiteri illã violationem festi ex conscientia erronea simul cum aliis veris, non distinguendo inter illas, sed dicendo, toties violaui festa, vel non interfui sacro diebus festis.

501. Et quidem Pater Suarez verbis adductis magis difficilem reddere videtur rem hanc, dum dicit moraliter id semper explicari, quia vix potest aliter dici peccatum. Nam si sensus sit, pœnitentes communiter explicare illam circumstantiam conscientiæ erroneæ, quia non sciunt ipsi, nec possunt dicere suum peccatum sine illa: hoc, inquam, est contra praxim pœnitentium: vix enim vnum reperias, maximè in rusticis, qui explicet se peccasse ex conscientia erronea: sed illa peccata eodem prorsus modo confitentur, sicut si fuissent contra conscientiam non errantem; si autem sensus illorum verborum sit debere regulariter explicari illam circumstantiam, quia alio modo difficile explicatur illud peccatum, quod factum est propter rationem dubitandi à nobis propositam: tunc videtur aliunde difficilis illa doctrina: & non iuxta mentem illorum Doctorum, qui vniuersaliter dicunt illa duo peccata non differre specie, & ideo non oportere, quod illa circumstantia explicetur in confessione. Sanch. Sic loquitur Sanchez *illo n.5.* his verbis: *sed dicendum est cum his Auctoribus non esse speciale peccatum, & ideo satis esse fateri præcepti violationem, quam conscientia errans dictabat, non declarando fuisse contra conscientiam erroneam.* Valentia. Eodem modo loquitur Valentia *1.2.disp.2.q.14. punct.4. ante qu.3.* his verbis: *Ex dictis sequitur falsò docuisse Adrianum in 4. in materia de confess.q.4. illum qui discordat à conscientia vera, vel erronea, committere eo ipso speciale peccatũ, idq; debere in confessione exprimere.*

502. Præterea difficilis est illa doctrina propter onus, quod imponitur pœnitenti confitendi iterum postea eadem peccata cum illa circumstantia, quam antea non cognouerat. Nam si aliquis v. g. credebat se obligari ad ieiunandum, & habere iam ætatem, & ideo se accusauit sæpiùs de peccatis contra ieiunium factis; postea verò agnouit se nondum habere ætatem, deberet iterum confiteri illa peccata: nam priùs confessus fuerat, se violasse præceptum Ecclesiasticum, quod tamen reuera non violauerat, sed in apprehensione, cùm reuera non esset tale præceptum Ecclesiasticum, quod eum obligaret. Similiter si aliquis se accusauit sæpiùs de violatione voti; postea verò doctior factus agnouit, se non obligari illi votis, quia erant de rebus indifferentibus, atque ideo peccasse solùm ex conscientia erronea; deberet iterum confiteri illa peccata explicando, non fuisse transgressiones veri voti, sed existimati: quæ, & similia, quæ passim occurrunt, graue onus imponerent, & pœnitentibus repetendi confessiones quoad multa peccata, & Confessariis interrogandi pœnitentes, quos passim inueniunt laborasse ignorantiis, & peccasse ex conscientia erronea, atque ideo deberent illos interrogare, an in confessionibus præcedentibus confessi fuissent illa peccata, vt veras transgressiones præceptorum; oporteret enim se iterum de illis peccatis accusare, provt fuerunt, & non provt priùs credebantur.

503. Propter hæc itaque dicendum existimo, regulariter loquendo, non esse obligationem explicandi illam circumstantiam, maximè quoad confessiones præteritas, in quibus non fuit explicata: quoad confessiones verò præsentes, quando pœnitens ipse aduertit, vel dubitat, an peccauerit solùm ex conscientia erronea, tunc optimè faciet accusando se illa formulà suprà dicta; *Feci hoc, vel illud putans me facere contra præceptum, vel contra obligationem grauem:* hoc enim modo explicat verum peccatum, quod fecit, & non se exponit periculo dicendi peccatum, quod non fecit. Quod verò attinet ad Confessarium, quando ipse aduertit pœnitentem in aliqua materia peccasse aliquando solùm ex conscientia erronea, & aliquando ex vera interroget vniuersaliter: *quoties,* v.g. *reliquisti Missam; vel laborasti,* &c. *putans te peccare grauiter contra præceptum?* Hoc enim modo comprehendet omnia illa peccata, & simul poterit illi auferre pro futuro conscientiam erroneam.

504. Dixi tamen, *regulariter,* hoc sufficere: quia aliquando oportebit explicare illam circumstantiam propter censuram, v.g. quę non incurritur, si solùm peccatur ex conscientia erronea, vel propter reseruationẽ, quę communiter tunc non incurritur, vel etiam quando materia ipsa est talis, vt nisi explicetur illa circumstãtia, non intelligitur illud peccatũ, sed aliud, vel nullum, vt si puer se accuset de violatione ieiunij, & nõ dicat conscientiã erroneam, Confessarius non intelliget illud fuisse peccatũ: quare postea agnito errore conscientiæ, oportebit explicare denuò illam circumstantiam, vt confiteatur illa tanquã peccata: quod in aliis similibus materiis cõtingere poterit, vt vel propter tale, vel tale tempus, vel aliquid aliud, Confessarius id intelligit de vero peccato, cũ non fuerit illud, sed aliud existimatũ, seu cõtra conscientiã erroneam.

505. Restat nunc respondere ad rationem dubitandi suprà propositam. Pro cuius solutione aduerto id, quod suprà dixi, non esse obligationem confitendi distinctè effectum peccati, sed solum peccatum, & malitiam formalem illius, à qua, & non ab obiectiua denominatur formaliter malum, & peccatũ. Quando ergo ex conscientia erronea aliquis confessus est, se violasse ieiunium ab Ecclesia præceptum, iam tunc confessus est totam malitiam formalem. quam ille actus comestionis habuit à parte rei; hanc enim totã habet, non à præcepto Ecclesiæ, sed à cognitione præcepti & à voluntate comedendi cum illa cognitione: cùm ergo tunc fuerit volũtas comedendi cum cognitione præcepti, iam fuit tota malitia formalis eadem quæ esset, si præceptum esset verè à parte rei; ergo quod attinet ad malitiam formalem, eadem nõ solùm specie, sed etiam numero dicta est, quam de facto habuit illa comestio. Maior difficultas esse videtur, quomodo explicetur tunc verè illud peccatum ex parte subiecti, & nõ aliud: explicatur enim comestio contra præceptũ Ecclesiæ, cùm reuera non fuerit comestio cõtra præceptũ. Cæterùm adhuc quoad ipsum subiectum explicatur idem, quod à parte rei positum est? nam in comestione contra præceptum possumus duo cõsiderare; nempe comestionẽ ipsam, & prohibitionem Ecclesiæ, cui opponitur: ex quibus prohibitio Ecclesiæ deseruit quidem ad denominandam illam actionem malam malitia obiectiua; nõ tamen deseruit formaliter ad denominandã illã actionem malã malitia formalis: quia esse comestionem malam malitia formali, non est esse prohibitam, sed representari prohibitam; & tamen imperari à voluntate; ergo illud, quod tunc falsò dicitur, nempe prohibitio Ecclesiæ, non est aliquid constituens illud peccatum in ratione talis peccati, neque ex parte formæ, neque ex parte subiecti: quia forma est sola malitia formalis prouenies formaliter à voluntate cum cognitione obligationis; subiectum verò, quod denominatur peccatum, non est prohibitio Ecclesiæ, sed illa actio comestionis secundùm se: non ergo distinguitur illud peccatum etiam numero ex eo,

quod fuerit vera, vel falsa, & apparens prohibitio Ecclesiæ, atque adeo illud idem peccatum sub tota ratione, talis peccati manifestatum fuit, neque oportet illud repetere.

507. *De detractione leui quam quis putat esse grauem.* Hoc idem ferè inuenire possumus in aliis peccatis, si res attentè consideretur, v.g. in detractione leui quam aliquis ex conscientia erronea putat esse grauem, & ideo confessus est detractionem grauem: nam ibi etiam interuenit illa malitia formalis, scilicet voluntas proferendi illa verba cum cognitione malitiæ grauis; quæ malitia formalis est eadem, quæ esset, si conscientia non erraret, est prætérita illa prolatio verborum, quæ denominatur peccatum ab illa malitia formali, non à nocumento, quod re ipsa infert, sed ab apprehensione nocumenti grauis, & hæc etiam verborum prolatio eadem est, quæ esset, si illa verba afferrent re ipsa graue nocumentum proximo: ipsum autem nocumentum, quod solùm deest, non est peccatum, nec intrat ad componendum hoc peccatum in ratione talis, sed esset effectus peccati. Ergo idem non solùm specie, sed idem etiam numero peccatum explicatum est, quod esset, si non fuisset ex conscientia erronea, sed cum verò nocumento graui.

508. *De furto rei tuæ quam credebas alienam.* Idem reperies in peccato furti: si verbi gratia, accepisti rem tuam, quam putabas alienam; nam malitia formalis, quæ prouenit à voluntate cum tali cognitione est eadem, quæ esset, si res fuisset aliena: & actio externa acceptionis est etiam eadem quæ tunc fuisset, solúmque deest, esse alienam, quod nec imponit malitiam formalem, sed obiectiuam, nec imponit subiectum, quod denominatur peccatum, atque ideo totum illud peccatum in ratione talis confessus es, quamuis dixeris, fuisse furtum rei alienæ. Idem est de habente copulam cum ea, quam falsò putabat esse consanguineam, vel habere votum castitatis; nam peccatum idem numero est quoad malitiam formalem, & quoad actionem ipsam, quæ denominatur peccatum, quod fuisset, si reuera fuisset consanguinea, vel haberet votum castitatis.

509. *De eo qui furatur plumbum putans esse aurum.* Difficiliùs fortasse hoc declarari potest in peccato illo, quando per erronem quis furatur plumbum nullius pretij, putans esse aurum: tunc enim actio ipsa furti, quæ denominatur peccatum, & quæ explicatur in confessione, non est eadem, quando accipitur verum aurum, & quando accipitur plumbum: cùm enim actio sit motus ille localis, quo auferetur aurum, vel plumbum de vno loco ad alium, illa autem actio varietur pro diuersitate passi; consequens est, vt non sit eadem saltem numero; atque ideo qui confessus est furtum auri, cùm non esset aurum, non confessus est peccatum, quod fecit, sed aliud, quod non fecit.

Adhuc tamen ad hunc, & similes casus videtur cum proportione posse applicari eadem doctrina; nam in illa acceptione plumbi alieni existimati auri possumus distinguere actionem propriè tuam, qua actiuè moues, & quæ provt à te videtur solùm terminari ad quantitatem illam, circa quam exerces immediatè motum; & rursus actionem, qua quantitas trahit secum substantiam plumbi, vel auri. Ex quibus duabus actionibus illa prior sola videtur esse propriè peccatum; quia peccatum est illud, quo tu operaris, & agis liberè: tu autem solum agis circa quantitatem, quæ actio eadem esset, licèt sub illa quantitate, esset forma auri: actio verò posterior, qua quantitas trahit secum formam auri, vel plumbi, non tam est peccatum, quàm effectus peccati. Si ergo explicas actionem tuam circa illam quantitatem; iam dixisti totum illud peccatum quod fecisti: illud autem, quod deest, nempe, quod forma auri, & non plumbi trahatur à quantitate, quam moues, non pertinet ad malitiam formalem, vt constat, quæ solùm prouenit à voluntate mouendi cum cognitione auri; neque etiam constituit subiectum, quod denominatur malum formaliter, quod est solum illa actio tua: ergo de primo ad vltimum iam explicuisti totum, quod constituit illud peccatum in ratione talis peccati, & ideo non oportet illud iterum confiteri. Aliud fortasse videri posset, si occidisti per errorem Petrum, quem credebas esse Paulum, & confessus es te occidisse Paulum: quia per talem confessionem videris significare, actionem tuam fuisse circa talem quantitatem determinatam Pauli, quam designasti, & circa quam fuisset alia actio distincta. Sed neque in illo casu credo corrigendum communiter errorem, & licèt in illo casu, vel alio simili concedatur, quod debebat corrigi ille error in confessione sequenti, & explicari non fuisse occisionem Pauli, sed alterius hominis: adhuc vera manebit regula suprà posita ad alios casus regulariter occurrentes, in quibus non vis significare talem quantitatem determinatam, sed illam, circa quam operatus es, & error non versatur in ipsa substantia actionis, sed in hoc, quod sub illa esset hæc, vel illa forma, quod extrinsecè videtur se habere ad substantiam talis peccati. Vnde idem dicendum esset, si proiecisti in ignem canem, quem putabas esse aliquem puerum, & confessus es, te proiecisse puerum quemdam obuium in ignem: tunc enim etiam non est error in substantia actionis, quia non significas quantitatem aliquam determinatam, circa quam esset actio, sed illam eamdem, circa quam fuit, & sub qua putabas esse substantiam hominis, cùm non esset. In illo autem alio casu, quando dicis, te occidisse Paulum, loqueris de actione circa talem quantitatem Pauli, quam concipis, & per consequens erras in substantia actionis, quia significas aliam actionem quæ esse posset, & non fuit circa talem quantitatem Pauli. Hæc tamen fortasse nimis metaphysicè excogitata sunt; sed sine illis difficilè explicatur, vt vidimus, quomodo circumstantia illa conscientiæ erroneæ omissa non obliget ad confitendum iterum illud peccatum, quando priùs dictum fuerat cum circumstantia contraria veri præcepti, vel veri furti aut detractionis realis. Nunc transeamus ad alia.

511. *An debeat explicare periculum ponendum?* Sextò dubitari potest circa eamdem circumstantiam, *quomodo*, an debeat explicari in confessione, quando non solùm peccasti, sed exposuisti te priùs periculo incidendi in tale peccatum: ita vt debeas dicere, exposui me periculo, & in ipso periculo fuperatus sum. Respondetur, si inter periculum, & peccatum subsequens non intercedat talis, & tanta mora, quæ sufficiat ad distinguendum vnum peccatum ab alio; non esse necesse, illa seorsum explicare, sed sufficere explicare peccatum principale, cuius se periculo exposuit. Pro hac conclusione adducit Diana 1. *tom. tract. de circumst. aggrauant.* aliquos Auctores, qui id in terminis non dicunt, sed tamen docent quod exponere se periculo pertinet ad eamdem speciem, ad quam peccatum, cuius periculo exponitur. Ex hoc autem colligi potest nostra conclusio, quia si illa duo non differunt specie, & aliunde possunt moraliter coniungi ad faciendum vnum moraliter peccatum non est, vnde debeat explicari in particulari periculum, cui se exposuit pœnitens, quia nihil aliud fuit, quàm quædam voluntas indirecta peccati sequentis, quæ facit vnum cum ipso peccato sequuto.

512. Hinc infero, absque fundamento Fabrum *in 4. dist. 14. quæst. 2. disput. 18. cap. 3. num. 68.* & Ioannem Sancium

Sancium *in selectis, disp. 21. n. 19. & 20.* docuisse eum, qui ob tentationem insurgentem carnis, verbi gratia deberet sub mortali orare ad implorandum diuinum auxilium, & resistendum tentationi, & omittit orationem, & succumbit tentationi, committere duplex peccatum, alterum contra religionem; alterum contra castitatem, & vtrumque debere in confessione explicare. Hoc tamen ex proximè dictis rejicitur: quia obligatio orandi tunc non est alia, nisi qua debet homo vitare peccatum carnis, cùm oratio non obliget tunc per se, sed per accidens: ergo omissio non est peccatum distinctum à peccato illo, quod per orationem vitari debebat, vt in simili bene obseruauit Tannerus 2. 2. *disputat. 2. quæst. 4. dub. 4. num. 83.* Non est ergo obligatio explicandi omissionem orationis, sed sufficit explicari lapsum carnis.

513. *Dum qui gestat reliquias, non peccat.*

Septimò dubitari potest circa modum peccandi; an qui gestando reliquias Sanctorum collo suspensas exercet actum venereum, debet etiam circumstantiam explicare in confessione. Videtur enim affirmare Philiarchus *de officio Sacerdotis, tom. 1. part. 2. lib. 3. cap. 9. ad finem*, cuius sententiam reiicit Sanchez *lib. 2. in Decalog. cap. 40 num. 28.* & Fagundez *in primo præcepto Ecclesiæ, lib. 1. cap. 4. num. 13.* & alij quos sequitur Diana *tom. 3. tractat. de Sacrament. resolut. 67.* Certè negari non potest, esse aliquam irreuerentiam specialem contra Sanctorum reliquias; sed non videtur ita grauis, vt addat malitiam mortalem necessariò explicandam. Posset tamen irreuerentia illa adeò crescere, vt fieret mortalis: quid enim si Sacerdos portans secum sacram Eucharistiam illud peccatum committeret? Ego sanè non excusarem à peccato graui contra Religionem. Non est autem eadem ratio de quolibet alio peccato mortali, v.g. detractione, contumelia, &c. quia non omnia continent æqualem irreuerentiam, & turpitudinem contra præsentiam corporis Christi.

514. *Dum qui recipit vehementissimam inspirationem, non tenetur eam explicare.*

Octauò, aliqui dubitant, an qui peccat resistendo simul vehementissimæ inspirationi diuinæ, debeat eam circumstantiam explicare, sed licèt ex ea parte aggrauetur peccatum, & posset adeò vehemens esse inspiratio, vt notabiliter aggrauaret: in nostra tamen sententia explicari non debet, cùm non transfert actum ad nouam speciem peccati.

Vltimò dubitari potest de modo circa copulam, an & quomodo sit circumstantia explicanda, quando ratione modi impediri potest generatio prolis. De hoc tamen latè, & optimè agit Thom. Sanchez *lib. 9. de matrim. disp. 16.*

515. *Circumstantia. Quando circumstantia dici tur.*

Vltima circumstantia dicitur, *Quando*. Circa quam est communis quæstio, an circumstantia temporis sacri sit necessariò explicanda in peccato. Non pauci, nec ignobiles id affirmant. Alex. Alensis, Lyra, S. Antonin. Maior, Angelus, Adrianus, Catharinus, Nider, quos refert Fagundez *dicto lib. 4. de secundo præcepto Ecclesiæ cap. 5. num. 20.* Eamdem tenent Turrecrem *in c. pronuntiandum, de Consecratione, dist. 3. num. 4.* Petrus de Soto *lect. 9. de confess.* Angelus verbo *Feria*, §. 36. & verbo *Confessio primo*, §. 22. & verbo *interrogationes circa tertium præceptum.* Rossella *Confessio 2. §. 7.* & verbo *Feria*, §. 6. Abulens. *in cap. 20. Exod. quæst. 21. in fine, & quæst. 12.* Medina *Cod. de Confess. q. de hacre, & de orat. quæst. 19.* & acriter Cordoua *lib. 1. quæst. 6.* Videtur etiam huic sententiæ fauere S. Thom. 2. 2. *quæst. 122. art. 4. ad 3.* vbi ait, eum facere contra præceptum obseruandi festum, qui eodem die peccatum mortale committit. Augustinus etiam, qui *lib. de decem chordis* dicit: Melius facerer Iudæus in agro suo aliquid vtile in Sabbato, quàm in Theatro seditiosus existeret; & fœminæ Iudeorum melius lanam facerent, quàm in neomenis impudicè saltarent. Videatur idem August. *epist. 119. ad Ianuarium*, & *in cap. Consideret*, de pœnitent. *dist. 5.* Theophylactus etiam *in cap. 5. Ioannis*, & denique fauere videtur Concil. Colonien se anno *1536. tractat. de exteriori pœnitentia, fol. 180.* dicens, quod bis peccat, qui diem Dominicum scortis, rixis, & pugnis, & aliis obscœnis agit.

516. Contraria sententia communis nunc est apud ferè omnes, quâ tenent Syluester *in Rosa aurea, tract. 3. casu 63. impertinentium*, vbi refert, multos magistros sui ordinis congregatos id definisse. Et in Summa *Confessio 1, quæst. 10.* & verbo *Dominica. quæst. vlt.* & verbo *Circumstatia, quæst. 3. §. 4.* Tabiena verbo *circumstantia, §. 11.* Alcozer *in Summa, c. 17.* Palaicos *dist. 26. quæst. 3.* Armilla verbo *Circumstantia, n. 9.* Caietan. 2. 2. *quæst. 122 art. 4.* & 1. 2. *quæst. 7. art. 1. & tom. 1. Opuscul. 18 q 3.* & in Summa, verbo *Festa.* Dominicus Soto *de iust. lib. 2. quæst. 2. art. 4. & in 4. dist. 18. quæst. 2. art. 4.* Cano *de pœnit. d. st. 5 in princip. à num. 17.* Almainus *in 4. dist. 17. col. 24.* Medina *in Summa lib. 1. cap. 9. §. 2.* & 1. 2. *quæst. 7. art. 3.* Couarr. *cap. Alma mater, part. 1. §. 5. num. 5.* & fauet etiam S. Thom. 2. 2. *dicta quæst. 122. art. 4. in corpore, & in 3. dist. 37. art. 5. q. 2.* Viuald. Suarez, Coninch, Henriquez, quos refert & sequitur Fagundez *vbi suprà*, Ledesma, Vasquez, Nunnus, Bonacina, & alij, quos refert & sequitur Diana *1. tom. tractat. de circumst. aggrauant. resol. 32.*

517. *De peccato enormi commisso in die Paraceues, & in die cõmunionis Eucharistiæ.*

Aliqui tamen hanc sententiam limitant. Primò, si in die Veneris sancti committatur peccatum enorme. Secundò, si eo die, quo accepit Eucharistiam. Ita Bartholomæus Medina *in Summa dicto cap. 9. §. 1. & in 1. 2. dicta quæst. 7. art. 3.* & ponit exemplum, si ea die post communionem committeret fornicationem. Pro eadem sententia Diana vbi suprà affert Pitigliano, Rodriquez, & Llamas. Quibus addi potest Palatius supra citatus, qui ait, quod si aliquis die festo abnegaret fidem, coleret idola, vel etiam Deũ, cultu tamen Iudaïco, vel Mahometano, vel Dæmonem inuocaret, deberet explicare circumstantiã diei festi: quia præceptum colendi Deum specialiter illa die obiter prohibet specialiter contrarium illius.

518. Ego in primis cum secunda sententia puto, non omnia peccata mortalia in die festo contrahere circumstantiam necessariò confitendam. Aduerto tamen primò, hoc punctum nullo modo debere dependere ab illa alia quæstione, an debeant explicari, vel non, circumstantiæ notabiliter aggrauantes: nam si dies festus sit circumstantia notabiliter aggrauans; debet, meo iudicio, in omni sententia explicari in confessione; non potest enim notabiliter aggrauare, quin eo ipso det malitiam grauem alterius speciei: quia grauitas illa maior, quæ prouenit fornicationi, verbi gratia, ex die festo, non est ex motiuo temperantiæ, sed religionis, cui opponitur peccatum illud contra reuerentiam debitam diei sacro: ergo si additur grauitas notabilis ex illo capite: illa sufficiet ad dandam speciem malitiæ grauis contra religionem. Tota ergo difficultas est, an dies sacra refundat grauitatem notabilem in quodlibet peccatum mortale.

519. Aduerto secundò, negari non posse, quod circumstantia illa, per se loquendo, & seclusâ ignorantiâ, vel inaduertentiâ, aggrauet aliquantulum, ac per consequens det malitiam specialem sacrilegij saltem leuem, vt suprà dicebamus de circumstantia loci sacri: quia sicut persona sacra aggrauat quodlibet peccatum mortale, quod committit, quia per quodlibet peccatum graue prophanatur persona Deo sacra: sic etiam quodlibet peccato mortali

profanatur dies sacra, & peculiariter destinata ad Dei cultum.

520. His suppositis probatur, non omne peccatum graue contrahere malitiam grauem contra religionem, necessariò explicandam ex eo, quod fiat in die festo: primò, ex praxi vniuersali omnium pœnitentium & Confessariorum, qui non curant de illa circumstantia explicanda, vel interroganda. Secundò, quia si ibi esset duplex malitia mortalis, multiplicatio festorum magis esset in laqueum: quàm in vtilitatem fidelium, cùm experientia constet, non arceri communiter homines à peccando propter reuerentiam diei festi, & aliundè duplicarentur semper eorum peccata. Tertiò, quia suprà diximus circumstantiam loci sacri non esse necessariò explicandam, nisi in certis peccatis, quæ specialiter prohibentur ob reuerentiam loci sacri; ergo eodem modo dici debet, circumstantiam diei sacri esse explicandã solùm in certis casibus, & peccatis, quæ specialiter prohibentur ab Ecclesia ob reuerẽtiam diei sacri, vt opera seruilia, omissio Missæ, &c. Reliqua enim, licèt aliqualiter opponantur reuerentiæ debitæ tali diei: non tamen videntur continere notabilem irreuerentiam, nisi fortè fieret in contemptum diei sacri, aut ex industria, vt profanetur dies sacra, tunc enim non est dubium, quod esset necessariò explicandum.

521. Dicunt peccatum mortale aduersari notabiliter cultui Dei, qui specialiter intenditur, & præcipitur in die sacra: ergo habet notabilem irreuerentiam contra diem sacram. Respondetur communiter finem præcepti non cadere sub præcepto, & satisfieri ponendo rem præceptam, licèt non ponatur finis. Sed contrà; quia cultus Dei non solùm est finis præcepti in hoc casu, sed est ipsa res præcepta. Respondetur tamen distinguendo: præcipitur enim cultus Dei non omnis, sed talis, scilicet per vacationem ab opere seruili, & auditionem Missæ, cui cultui si peccatum opponatur, contrahet specialem malitiam grauem: cultus autem Dei in genere est quidem finis remotus, sed non est res præcepta: nam Ecclesia præcipit quidem vacationem à seruilibus, vt homo liber, & expeditus possit vacare Deo, & orationi: sed hic finis non præcipitur: ideò peccata, quæ omnia opponuntur huic fini, non contrahunt ex eo specialem malitiam grauem. Sicut etiam præceptum ieiunij habet pro fine carnis macerationem, & tamen si aliquis eo die in prandio se ingurgitaret, & repleret cibo, & potu, ita vt peccatum etiam graue gulæ committeret, aut si alia via moraliter illicita carni suæ blandiretur; non deberet in eo peccato explicare circumstantiam ieiunij præcepti: quia licèt illud peccatum aduersetur fini remoto, quem præceptum ieiunij intendebat, non opponitur rei præceptæ, quæ solùm est talis maceratio carnis per abstinentiam à talibus cibis, & vnicam comestionem.

522. Vndè ad Augustinum suprà adductum dici potest verum esse, quod minus malum esset laborare in die festo, quàm alia peccata grauiora committere; hinc tamen non fit alia peccata habere duplicem malitiam specificam, satis est, si habeant vnam multò grauiorem, quàm esset malitia operis seruilis. Similiter in Concilio Colonienſi non dicitur esse confitendam illam circumstantiam necessario, sed solùm bis peccari, quod nos etiam concedimus; sed dicimus regulariter non esse obligationem explicandi vtramque malitiam, quia altera ex illis non est mortalis: optimum autem consilium erit illam etiam confiteri. Similiter ad Sanctum Thomam *illo art. 4. ad 3.* Respondetur, eum non dicere, quod opponitur graviter præcepto, sed solùm dicit, quod magis est contra præceptum obseruandi festum quodlibet peccatum mortale, quàm opus corporale licitum, quod sanè verissimum est; nam opere corporali licito nullo modo violatur illud præceptum, sicut violatur saltem venialiter per quodlibet peccatum mortale.

Hinc infero, neque etiam in die Iouis, aut Veneris sancti, nec in die, qua accepta est Eucharistia, omnia peccata mortalia contrahere malitiam grauem necessariò explicandam: quia alioquin Sacerdos, qui quotidie celebrat, deberet in singulis peccatis, quæ facit, explicare illam circumstantiam Missæ celebratæ illo die. Ratio autem est, quam attulimus: quia licèt illa circumstantia refundat malitiam aliquem irreuerentiæ specialis, non tamen tantam, vt fiat grauis: sicut neque est locus ita sanctus, in quo omnia, & singula peccata mortalia accipiant specialem malitiam necessario explicandam. 523. *De die Iouis, & Veneris, & Cœnæ Domini.* 527.

Addo tamen posse aliquod peccatum ratione temporis sacri contrahere malitiam grauem nouam necessariò explicandam: sicut id diximus suprà posse etiam contingere ratione loci. Exempla autem in præsenti esse possunt. Primò, si illo die Veneris sancti aliquis vellet ludos publicos, comœdias, & ludicra spectacula exhibere, sicut in diebus Bacchanalium, illa certè videretur grauissima irreuerentia contra sacratissimum diem passionis Christi Domini. Item si aliquis ab ipso Altari in quo celebrauit, iret immediatè ad peccandum cum concubina, videtur etiam grauissima irreuerentia. Nam Ecclesia propter grauissimam irreuerentiam, quæ fieri videtur Sacramento Pœnitentiæ, designauit grauissimas pœnas Sacerdoti, qui immediatè, & proximè post confessionem sollicitat pœnitentem ad turpia, vel colloquia turpia cum ea miscet, facitque illum abiurare de vehementi, vel de leui propter suspicionem, quam grauissimum illud scelus meritò affert. Supponitur ergo intetuenire ibi irreuerentiam grauem contra Sacramentum ratione temporis, quo illud peccatum fit. Cur ergo irreuerentia similis contra Eucharistiæ sacramentum non contingit peccatum graue etiam contra religionem ratione temporis, quo fit immediatè post communionem, Hoc tamen non procedit æqualiter in quocumque peccato, quia non omnia afferunt æqualem irreuerentiam, vt in simili dicebamus de loco sacro. 524. 528.

Posset hîc tractari etiam de circumstantia temporis longioris, quo peccatum durat, an debeat explicari: sed de hoc dicemus infrà agentes de numero peccatorum explicando. Alij agunt etiam in præsenti de circumstantia duplicis præcepti concurrentis, an debeat explicari, v. g. quod erat præceptum audiendi Missam ex duplici titulo propter festum Apostoli occurrentis die Dominica. De hoc tamen diximus suprà *sect. 5.* agentes de circumstantia, *Quid*, ad quam magis videbatur spectare. 525. 529.

SECTIO XIII.

An possit circumstantia aliqua taceri propter detrimentum, quod sibi, vel alteri pœnitens timet.

526. *Conclusio affirmatiua.*

COnclusio certa, & communis apud omnes est affirmatiua, de qua videri potest Suarez *in præsenti, disput. 22. sect. 2.* Henriquez *lib. 5. cap. 12. num. 5.* Coninch *disput. 7. dub. 9. num. 75.* qui alios multos referunt. Circa hanc communem doctrinam aduertendum est primò, non sufficere quodcumque leue detrimentum, quod timetur, nec ex leui

leui fundamento, sed graue, & ex graui fundamento: tale esset si odium, si publicatio peccati, si eius reuelatio extra confessionem timeretur. Quod tamen, vt benè notauit Coninch, intelligi debet de reuelatione, ad quam ipse pœnitens non teneatur: potest enim casus esse talis, vt pœnitens debeat dare licentiam Confessario manifestandi illum extra confessionem, quam licentiam si dare noluerit, Confessarius non possit eum absoluere, quo casu pœnitens certò timet reuelationem illius peccati extra confessionem, si velit suæ obligationi satisfacere; & tamen non ideò excusatur ab eo peccato confitendo: quia illud damnum non est aliud, quàm quod necessariò cõsequitur ex obligatione ipsius pœnitẽtis.

527. Secundò aduertendum est, ita excusari pœnitentem ab integritate confessionis propter eiusmodi damna, vt debeat tamen, quantum commodè potest, quærere alium Confessarium, cui possit integrè confiteri, vel adeundo alium, si potest, vel petendo licentiam à proprio Parocho, vel Prælato per se, vel per alium; quam si obtinere non possit, non ideò potest ipse eligere alium Confessarium, quia ipse non potest dare alteri iurisdictionem, sed hæc debet procedere à voluntate superioris: poterit tamen tunc reputare se tamquam non habentem copiam Confessarij, & confiteri reliqua peccata omisso illo.

528. Tertiò aduerte, non esse facilè fingenda eiusmodi damna, aut pericula, sed cum fundamento ad prudenter formidandum: vt si experientia constet, Confessarium illum solere, vel reuelare, vel certè vti postea notitia confessionis in præiudicium alterius, vel ex qualitate peccati, & conditione personæ sit magnum fundamentum, vt si defloraſti sororem, vel neptem Confessarij; de quo dictum est suprà circa obligationem manifestandi complicem.

Quartò aduerte, in prædictis casibus aliquos dicere, debere explicari illud peccatum, tacendo solùm illam circumstantiam, ex qua imminet tale periculum. Sed ego credo, quod frequenter hoc ipsum periculosum erit; nam si aperias peccatum, Confessarius statim interrogabit conditionem personæ, vel circumstantiam illam ad cognoscendam eius speciem; quam si tu neges, iam videtur proponi aliud peccatum specie diuersum ab eo, quod verè commisisti, atque adeò peccatum falsum: si verò fingas, te non recordari, aut dicas, te non posse, aut non teneri ad id dicendum; iam ipso das Confessario maiorem occasionem suspicandi, quam vitare volebas; poterit tamen id fortasse explicari cum ea cautela, quam indicabo infra *dub.* 1.

529. Quintò aduerte, in Religioso rarissimè posse habere locum hanc excusationem ad tacendum peccatũ reseruatum, quod habet, ne suus Prælatus illud sciat, & noceat sibi: tum quia quod Prælatus præcisè id sciat, & apud ipsum perdas bonam existimationẽ, quam habebas, non est causa tacendi peccatum: quia, vt supra dixi, obligatio Confessionis integræ iam supponit hoc detrimentum quasi intrinsecum, nempè infamiæ subeundæ apud Confessarium: tum quia sæpè continget, vt Prælatus propter illam subditi confidentiam, & recursum magis afficiatur ad subditum, & magis procuret eius bonum: tum denique quia Prælatus regulariter concedet facultatem Confessario ordinario illam petenti, apud quem Confessarium non est periculum detrimenti extrinseci, vel certè eam facultatem dabit aliis confessariis, qui eam petent, si sint viri prudentes, & de quibus possit confidere, quod scient adhibere remedium necessarium: quare communiter ex passione, & verecundia prouenit, quod religiosus fingat sibi causam sufficientem dimidiandi confessionem propter hoc detrimentum, quod timet.

530. Sextò aduerte; si commodè possit differri confessio, donec possit tota integrè fieri, debere differri, quia præceptum de eius integritate ad hoc obligat. Quæ autem, aut qualis necessitas, vel vtilitas sufficiat ad non differendam, sed confitendum non integrè; vide quæ in simili diximus *supra sect.* 7. circa occultationem complicis: nam eadem est ratio in hoc casu, & in illo.

Septimò aduerte, si tunc occurrat necessitas sumendi Eucharistiam, & multò magis si occurrat mortis articulus, non posse omiti omninò confessionem, nec sufficere contritionem, sed debere fieri confessionem aliorum peccatorum; quia in ordine ad illa non deest copia Confessarij potentis absoluere, & aliundè viget præceptum confitendi, quantum commodè potes. Cuius contrarium Bonacina *disp. 5. de pœnit. quæst. 5. sect. 2. punct. 2. §. 4. difficult. 4. num. 14.* tribuit Patri Vasquez *in præsenti quæst. 91. dub. 8 art. 3. num. 4. & dub. 9. num. 22.* Sed Vasquez ibi non loquitur in hoc casu; sed in alio, quando scilicet pœnitens habet peccatum reseruatum, à quo non potest absolui per hunc Confessarium, cuius copiam habet, quo casu dicit, posse, & debere omitti totam confessionem: quia Confessarius ille non habet iurisdictionem super omnia eius peccata, contra quem diximus *disp. 14. de Eucharistia sect. 5.* Aliud autem est in casu nostro, in quo supponimus, Confessarium habere quidem auctoritatem etiam in illud peccatum, quod propter periculum detrimenti tacetur: quo casu Vasquez non dixit, posse omitti confessionem aliorum peccatorum. Imò in casu nostro idem Vasquez *dicta quæstione 91. art. 2. dub. 3. num. 2.* expressè dicit, certum esse, quod sine periculo non potest dicere, non excusatur pœnitens à confessione aliorum peccatorum.

531. Ex hoc tamen oritur dubium primò, an si non haberet aliud peccatum mortale præter illud, esset adhuc obligatio confitendi. Respondetur, si illud posset dicere in genere, aut in specie non completa, tacendo illam solam circumstantiam, & hoc absque periculo, teneretur quidem illud ita confiteri; quia iam tunc se haberet, sicut qui recordatur, se fecisse aliquod peccatum mortale, & fortasse in tali genere, sed non recordatur speciei; qui certè teneretur illud confiteri; quare etiam in nostro casu esset bonus modus confitendi, dicere: Recordor cuiusdam grauis peccati, quod feci; non occurrit mihi pro nunc, quale fuerit: hoc enim verum est intelligendo de notitia, quæ deseruire possit ad confitendum illud hîc, & nunc absque periculo, Si autem, nec hoc modo posset illud confiteri, non tenetur ad confitenda venialia, regulariter loquendo, quia venialia non sunt materia necessaria confessionis.

532. Dixi, *regulariter*, quia in mortis articulo propter periculum damnationis æternæ, quod subit si fortè non habeat veram & perfectam contritionem, deberet prouidere sibi de remedio magis securo, & confiteri venialia, vt per attritionem, & Sacramentum remitteretur indirectè peccatum mortale, vt fatetur etiam Suarez *dicta sect. 2. numero 6.* Quod idem dicerem, quando debet suscipere Eucharistiam, vel aliud Sacramentum, & solùm habet attritionem? tunc enim vt constituat se in statu gratiæ, debet vel habere contritionem, vel confiteri venialia cum attritione vniuersali, vt iustificetur. Imò in articulo mortis credo, quod propter idem periculum circa salutem æternam,

teneretur

teneretur aliquod detrimentum proprium subire, quando cum illo solo posset peccatum suum confiteri ad procurandum sibi remedium Sacramenti magis securum.

533. *An de peccato omisso requiratur contritio?*

Secundò dubitari potest, an qui propter illud periculum, & damnum tacet vnum peccatum, & cõfiterur alia, debeat procurare contritionem perfectam circa illud peccatum, quod tacet; an verò sufficiat habere attritionem de illo, sicut de aliis, quæ confitetur. Ratio dubitandi est, quia circa illud peccatum se debet habere pœnitens, sicut qui non habet copiam Confessarij; & quia cùm illud peccatum non subiiciat clauibus Ecclesiæ, debet quærere pro illo remedium contritionis. Dicendum tamen est, sufficere attritionem: quia illud peccatum in ordine ad eam confessionem habet se, sicut peccata oblita, quæ iuxta Tridentinum *sessione decimaquarta, cap. 5.* comprehensa intelliguntur in ea confessione, hoc est, non in ordine ad tollendam obligationem ea confitendi postea, sed in ordine ad effectum remissionis: quod enim impotentia dicendi illud peccatum oriatur ex oblivione, vel oriatur ex periculo, aut detrimento, quod timetur, materialiter se habet, & in vtroque casu confessio manet formaliter integra, atque idcò virtus Sacramenti se extendit ad illa etiam peccata, quæ non subiiciuntur directè clauibus, & ita videntur omnes supponere absque controuersia.

534. *An omitti possit propter scandalum Confessarij?*

Tertiò dubitari potest, an sit sufficiens causa tacendi peccatum, scandalum, quod timetur in Confessario, etiam quando non ex fragilitate, sed ex malitia Confessarij prouenit, verbi gratia, fœmina scit, Confessarium audito tali peccato eam sollicitaturũ, vel interiùs peccaturum turpi desiderio, an possit, & debeat illud tacere. Nauarrus, & alij apud Suarez *numero 2.* dicunt, quando scandalum est passiuum, hoc est, ex malitia Confessarij non esse curandum. Distinguendum tamen est, nam si fœmina timeat sibi ex illa sollicitatione periculum consentiendi, vel certè importunas preces, aut instantiam Confessarij, quod non leue incommodum fœminæ affert, potest illud tacere: si nihil horum timeat, non est, quod curet de malitia Confessarij. Debet tamen obseruari regula communis, quæ tradi solet in materia scandali, vt si possit commodè vitari damnum proximi, sine damno nostro, vitari debeat ex obligatione charitatis. Quare, sicut ad petendum Sacramentum ab illo, qui est in peccato mortali, requiritur aliqua specialis vtilitas eius, qui petit: sic debet in præsenti interuenire specialis causa excusans ad confitendum huic, & non alteri: videatur Coninch 3. *part. quæst. 64. art. 6. dub. 5.* & Suarez *tom. 3. disp. 18. sect. 2.* Videatur etiam Thomas Sanchez *lib. 1. in Decalog. cap. 6. n. 16. & 17.* vbi quærit, an fœmina sciens, se turpiter amandum ab aliquo, possit se eius conspectui offerre: eadem enim ferè ratio est in casu præsenti.

Vltimò quæri potest, an qui ob illã causam peccatum in confessione annua tacuit, teneatur postea, data occasione ante finem anni illud peccatum confiteri ad satisfaciendum præcepto confessionis annuæ. De hoc diximus supra *disput. 15. sect. 7.*

SECTIO XIV.

§. 1. *De integritate confessionis, quoad numerum peccatorum explicandum.*

535. *Regula generalis.*

Diximus de integritate, quoad speciem peccatorum: nunc de numero dicendum est, de quo regula vniuersalis & certa sit omnia, & singula peccata secundùm numerum manifestanda esse, si id commodè fieri possit. In qua regula omnes conueniunt; quia quoad primam partem colligitur ex Trident. *sess. 14. cap. 5. & cap. 7.* quidquid dubitauerint aliqui Canonistæ, & alij, quos refert Suarez *in præsenti disp. 22. sect. n. 1.* Quoad secundam verò partem constat ex praxi, & quia præceptum confessionis obligat humano modo, & itavt suauiter obseruari possit: quare sicut non obligat ad metaphysicam diligentiam in examine conscientiæ faciendo; sic nec ad metaphysicam enumerationem peccatorum, sed humanam: magis enim obligat ad dolorem efficacem, ac firmum propositum concipiendum, sine quibus effectus Sacramenti non habetur, quàm ad enumerationem singulorum peccatorum, quæ tanti non refert, cùm sine illa detur integritas formalis, quæ sufficit ad confessionem validam, & ad effectum Sacramenti. 538.

Circa hanc regulam vniuersalem quæ sunt potissimæ difficultates. Prima est, vndè sumenda sit vnitas vel distinctio numerica peccatorum, vt sit obligatio confitendi illa, vt duo peccata distincta. Secunda est, quæ sufficiens sit causa ad non enumeranda singula peccata, sed dicendam multitudinem confusam, qua status pœnitentis manifestetur: ex vtriusque enim huius difficultatis explicatione colligenda est tota moralis doctrina circa explicandum numerum peccatorum.

§. 2. *Vndè sumenda sit vnitas, vel distinctio numerica peccatorum, & in primis circa peccata externa.*

Peccata alia sunt externa, alia merè interna: & in vtrisque difficile assignatur regula pluralitatis, vel vnitatis. Incipiemus ab externis, verbi gratia, peccato detractionis, contumeliæ, & similium: quæritur, quando dicatur duplex, quando vnica detractio. Ex duplici autem capite prouenire potest hæc pluralitas. Primò ex pluralitate obiecti, vt si detrahas tribus personis, vel si vno ictu occidas tres homines. Secundò ex distinctione inter ipsas operationes, quarum vna sit post aliam. De distinctione proueniente ex primo capite propter multiplicationem obiecti, diximus *suprà sectione 3.* & aliquid etiã attingemus in hac sectione. Restat præcipua difficultas ex secundo capite, quando scilicet propter successionem actionis vnius post aliam debeant censeri plura peccata. 536. 539.

Aliqui dicunt, vnitatem peccati debere desumi ex voluntate præterita non reuocata, ex qua procedunt omnes illæ actiones, v. g. qui voluit occidere Petrũ, & ex hac voluntate iter facit, quærit arma, comparat necessaria, &c. omnia faciunt vnum peccatum cum occisione, quare sufficiet in confessione dicere, *occidi inimicum*: quod semper intellige, nisi in ipsis mediis esset alia malitia, vt si ea de causa omisit Missam, vel furatus est, aut inducit alios ad cooperandum, hæc enim debent explicari propter malitiã diuersam, quam afferunt. Hanc sententiam tuentur Canus *relect. de pœnit. part. 5.* Caietanus & Nauarrus apud Vasquez *in præsenti, quæst. 91. dub. 5. n. 8.* Quorum tamen sententiam ipse Vasquez vt vera sit, in eo casu intelligendam dicit, vt voluntas præterita propter concatenationem vnius operis cum alio, perseueret, vel formaliter, vel saltem virtualiter, provt perseuerat in eo, qui ex tali voluntate exit domo; nam ipsa ambulatio oritur ex fine, & facit, quod homo, dum ambulat, dicatur actu peccare. Si autem nihil maneat, ratione cuius dicatur actu peccare, iam interrumpitur peccatum actuale præteritum, & postea incipiet aliud nouum: vndè sola non retractio voluntatis præ- 537. 540.

non sufficit ad vnitatem peccati; quia non retractasse illam voluntatem, non facit, quod homo, dum dormit, actu peccet: ergo non continuatur peccatum actuale. Quoties ergo interuenit talis interruptio, siue per somnum, siue per distractionem aut quamcumque aliam causam, interrumpitur peccatum, & fit pluralitas per se explicanda. Fatetur tandem Vasquez *num.* 35. hoc esse nimis onerosum, & molestum, vt cogatur homo eiusmodi omnes interruptiones per somnum, & distractionem confiteri, atque ideò concedit, id sæpissimè non esse possibile; quare propter impossibilitatem excusabitur homo, & sufficiet temporis durationem dicere; vndè colligatur pœnitentis status quantum fieri possit.

538. Hæc tamen nimia, & metaphysica restrictio est, quam nec Caietanus, nec Nauarrus agnouerat. Imò Nauarrus *in cap. considerates, de pœnitentia, dist. 5. num.* 48. expressè dixit idem esse peccatum, etiamsi ille, qui vadit ad occidendum inimicum, dormiat, & iterum repetat voluntatem. Suarez etiam *dicta sect. 5.* vbi satis strictè rem hanc determinat; videtur tamen *num.* 24. sententiam Nauarri, & Caiet. absque limitatione acceptare, & concedere, sufficere illam ordinationem actionum, ad vnum opus consummandum, vt totum illud dicatur vnum peccatum vnitate morali. Salas item *in* 1. 2. *tom.* 2. *tract.* 13. *disp.* 5. *sect.* 8. *num.* 85. *Voluntas*, inquit *efficiendi aliquod opus externum, quandiu opere non completur, nec interrumpitur per contrarium actum, licèt physicè interrumpatur, & postea renouetur, vnicum tantum peccatum est: intellige, nisi inter ipsos actus voluntatis multum tempus intercedat, quia tunc censetur moraliter interruptio.* Eodem modo loquitur Coninch *disp.* 7. *dub.* 7. *num.* 54. vbi dicit distractiones, aut dormitiones in itinere occurrentes non esse in confessione explicandas. Clarius, & in latiori sensu sequitur eamdem sententiam Henriquez *lib.* 5. *cap.* 5. §. 5. vbi etiam de ipsa omissione restitutionis interrupta per somnum sæpiùs, dicit esse vnum peccatum. Denique cum maiori amplitudine idem tenent Ioan de la Cruz *in director. conscientiæ, part.* 2. *de sacram. Pœnit. quæst.* 3. *dub.* 6. Petrus Fay Dominicanus *in Addit. ad* 3. *part. quæst.* 9. *art.* 2. *disp.* 5. *ad* 4. Pitigianus *in* 4. *tom.* 2. *dist.* 17. *quæst. vnic. art.* 5. *circa quartum argumentum.* Homobonus *de exam. Eccles. part.* 1. *tract.* 5. *cap.* 13. *quæst.* 83. & alij.

539. Ego in hoc puncto existimo, in primis non sufficere ad vnitatem peccati externi, quod aliqua proueniant ex vna voluntate interna, si illa plura nullam habeant vnitatem inter se. Nam si quis hodie cogiter de ludendo crastina, & octaua etiam die, qui vterque est dies festus, & videt ea occasione omittendum sacrum, ac vnico actu decernat vtroque die ludere, & omittere sacrum; illæ duæ omissiones, licèt oriantur ex illa vna, & eadem voluntate; adhuc erunt duo peccata confitenda, vt distincta, quia inter se non habent vllam vnitatem.

Secundò existimo nec sufficere ad vnitatem peccati externi vnitatem temporis, quo vtraque actio fit, vt si quis simul velit furati petro Pecuniam, & pati pollutionem voluntariam. Requiritur ergo vnitas aliqua inter ipsas actiones externas, quæ ordinentur à voluntate ad faciendum aliquid vnum, quales sunt plures illæ actiones subordinatæ, quæ concurrunt ad homicidium, procurare arma, exire domo, quærere inimicum, percutere, &c.

540. Tertiò existimo non sufficere ad pluralitatem moralem peccatorum interruptiones illas physicas breues, vt volebat Pater Vasquez. Hæc est iuxta cõmunem omnium sensum, quo loqui solemus de actibus moralibus, tam bonis, quàm malis, imò de quacunque actione humana, quam solemus simpliciter appellare vnam, non obstante interruptione physica frequenter interueniente. Sic vnam eleemosynam dicimus vnum opus bonum, licèt interrumpatur actio physicè, vt resalutem aliquem, qui me salutauit, vel respondeam interroganti aliquid aliud. Sic recitatio officij est vna licèt quandoque somno grauatus inter vnum, & alium versiculum, semel, aut iterum, dicente socio suum versum dormitaueris. Sic Missa dicitur vna, licèt post Euangelium interrumpas, dum fit concio. Cur ergo peccatum non poterit esse vnum moraliter, licèt habeat illa actio interruptiones physicas, quales omnes aliæ actiones humanæ habere solent? Sic enim aliqui Philosophi dicunt motum successiuum physicum esse verè, & simpliciter vnum, licèt semper per imperceptibiles morulas interrumpatur; quantò minus impediet vnitatem moralem operationis humanæ interruptio, non moralis, hoc est, talis, quæ in ordine ad considerationem moralem perindè æstimetur, ac si non fuisset interrupta? Si ergo homines ita loquuntur de vnitate actionis humanæ, neque attendunt ad illas physicas interruptiones: sic etiam intelligendum est præceptum de confitendo peccatorum numero, scilicet numero, qui iuxta communem loquendi modum sit numerus, & excludat vnitatem humanæ operationis. Alioquin præceptum fuisset, non solùm per accidens, sed per se loquendo, de re impossibili: nullum enim est peccatum, maximè externum, & durans in tempore, de quo non possumus dubitare, an interrupta fuerit eius libertas actualis per aliquam inaduertentiam, aut defectum aduertentiæ plenæ requisitæ ad peccatum mortale actuale. Imò aliqui volunt actum voluntatis non habere libertatem actualem omninò continuam, sed discretam in certis instantibus determinatis, ita vt post instans A, debeat actus necessariò durare in aliquo tempore determinato, & postea in instanti B, habeat iterum libertatem actualem, & postea necessitatem per aliquod tempus, & sic deinceps, vt effugiant infinitatem meriti, si in singulis instantibus habeat libertatem actualem, de quo in materia de merito: & tamen non negant peccatum esse vnum moraliter, licèt eius libertas actualis physicè interrumpatur. Denique hoc ipsum constabit à fortiori ex iis, quæ postea dicemus de peccatis internis, & eorum vnitate: illa enim faciliùs perdunt vnitatem, quàm peccatum externum, vt obseruauit benè Henriquez *loco supra allegato.* Vndè si illa adhuc possunt habere vnitatem, non obstante interruptione physica breui; à fortiori peccata externa poterunt habere illam vnitatem sufficientem, licèt physicè interrumpantur.

541. Difficultas esse potest in assignanda regula, & mensura huius vnitatis, quando scilicet peccatum externum possit dici vnum, non obstante interruptione, & diuisione aliqua vnius actionis ab alia. In hoc non videtur posse dari regula aliqua metaphysica; quia cum tota hæc vnitas sit moralis, recurrendum omninò est ad prudentum arbitrium, & vsum circa pluralitatem, vel vnitatem actionis. Vndè multùm pendet ex circumstantiis, & ex qualitate actionis: aliquæ enim actiones sunt, quarum partes faciliùs vniuntur, & faciunt vnum, quàm aliæ. possumus autem exemplum adhibere in aliquibus, ex quibus possit regula ad alias applicari. Vna comestio, verbi gratia, est vna actio humana, atque adeò erit vnicum peccatum mortale in die Veneris vna comestio carnium: Si autem fiat duplex comestio, erit duplex peccatum.

catum. Vndè verò iudicandum sit esse vnum, vel duas comestiones carnium, colligendum est ex vnitate comestionis humanæ, quæ vnitas certè non desumitur ex carentia interruptionis physicæ: nam si in die ieiunij interrumpas prandium, vt legas epistolam, vel vt des pecunias petenti, & statim redeas, licèt interim distractus omninò fuisses, adhuc correctio humana esset vna, alioquin non posses continuare prandium, quia non est licita duplex comestio, & suppono primam fuisse sufficientem ad sustentationem. Illa ergo vnitas, quæ sufficit ex parte ipsius comestionis ad conseruandam vnitatem comestionis, sufficiet ad vnitatem peccati, si esset comestio carnium, licèt fuisset similiter interrupta ad dandam epistolam, vel pecunias, nec aliquis obligabit ad confitendam illam interruptionem, quantumuis facilè posset explicari: neque etiam oporteret dicere, quot fercula carnium comedisset, alioquin deberet etiam dicere, quot buccellas, vel quanto tempore prandium durauit.

543. *De interruptione Missæ.* Aliud exemplum huic simile, sed quod maiorem latitudinem temporis recipit propter maiorem solemnitatem, potest esse in Missa, quæ quidem est vna actio humana, atque adeò licèt interrumpatur per concionem, & tunc Sacerdos (quod sæpè euenire solet) dormiat: adhuc Missa est vna, & ideò si eius celebratio sit peccatum, eo quod excommunicatus sit Sacerdos, non debet in confessione explicare, quod Missa fuit interrupta per concionem, sed solùm quod semel excommunicatus celebrauit. Vndè aliud exemplum potest esse ipsa communio, & susceptio Eucharistiæ, quæ est actio etiam humana, & comestio sacramentalis; atque adeò accipit vnitatem, & pluralitatem suam, non ex continuatione, vel interruptione physica, imò neque ex sola temporis approximatione, sed ex aliis etiam circunstantiis humanis, nam quando Sacerdos tres Missas priuatas celebrat in die natalis, non est tanta fortassè temporis distantia inter vnam, & aliam communionem, quanta aliquando esse poterit inter partes eiusdem communionis, quando Sacerdos post communionem suam dat Eucharistiæ mille personis, & postea sumit particulas, & purificationem calicis: & tamen in hoc casu est vnica communio, in priori sunt tres: quare si esset in peccato mortali, deberet confiteri tres communiones factas in peccato: in casu autem posteriori sufficit dicere se semel in peccato communicasse, quia communio tota fuit vna: & hoc licèt fuisset interrupta per distractionem, etiam per leuem dormitationem, dum minister confessionem diceret, aut præpararet necessaria pro communione facienda. Vides quantum referant circunstantiæ, & qualitates actionis ad iudicandum de eius vnitate, vel pluralitate.

544. Ex his exemplis descendere iam possumus ad aliquos casus particulares, & applicare doctrinam traditam ad vnitatem, & pluralitatem aliquorum peccatorum, ex quibus possit vnusquisque cum proportione ad alia omnia prudenter eam accommodare. Et in primis in casu communi de homicidio, constat illam esse eandem actionem humanam, quãdo quis ob eum finem domo egreditur, quærit inimicum, & licèt ad hoc ipsum aliquot dierum iter conficiat. Quamuis enim dormiat, prandeat, salutet obuios, & ad alia diuertat; per hæc tamen non interrumpitur moraliter illa intentio prior, ex qua cætera omnia procedunt. Ad quod deseruit exemplum Missæ suprà adductum: quod vrgere adhuc possumus ampliùs, quia si aliquis ex intentione celebrandi pro aliquo defuncto proficiscatur in aliquem locum, & iter faciat tota nocte, & postea requiescat paululum ab itinere, & dormiat, ac deindè celebret, non est dubium, quin absque alia noua applicatione, sed solùm ex voluntate præcedenti, ex qua iter arripuit ad celebrandum pro illo defuncto, Missa intelligetur illi applicata, etiam in sententia ipsius Vasquez, qui ad effectum applicationis petit, voluntatem præteritam, non solùm manere habituaLiter, hoc est, non reuocatam, sed etiam virtualiter, hoc est, influere in opus: nam re vera illa voluntas præterita adhuc influit propter connexionem vnius actionis cum alia. Alioquin neque etiam maneret virtualiter applicatio, qua ego egrediens ex cubiculo ad celebrandum, applico Missam pro tali persona, si fortè in itinere ad sacrarium sisto paululum ad salutandum amicum, quod nemo dicet: non ergo interrumpitur perseuerantia virtualis, & influxus voluntatis præteritæ per distractionem, aut somnum, ita vt postea non continuetur, & influat in opus subsequens voluntas præterita. Ergo sicut illa voluntas non interrupta faceret vnum peccatum cum opere subsequuto, ita faciet interrupta, quoties hæc interruptio non tollit eius influxum in opera sequentia. 545

Dixi tamen has interruptiones breues, & communes, per somnum, & similia, non tollere vnitatem peccati: aliud enim dicendum est de interruptione extraordinaria, quæ quidem tollit vnitatem moralem actionis humanæ. Si enim ex intentione Petrum occidendi eum quæras, & scias fuisse aliò profectum, & reuersurum post mensem, & tu decernas eum occidere, cùm redierit: tunc certè licèt non reuoces intentionem, adhuc occiso post mensem non faciet vnum peccatum cum voluntate præterita: sicut nec prandium erit vnum, quantumuis non reuoces intentionem; sed potiùs habeas intentionem redeundi post duas horas ad mensam, quia vnitas harum actionum non solùm petit intentionem non reuocatam, sed etiam carentiam interruptionis, non cuiusliber, sed humanæ, & moralis.

546. *Qui per animam non reuocatam debet id explicare.* Infero secundo, volentem non recitare Officium per totum annum, & id postea exequentem committere plura peccata, quia licèt voluntas sit vna; opus tamen volitum non est vnum, nec vna omissio recitationis ordinatur ad aliam, nec connexionem habet cum illa; sed sicut sunt de singulis recitationibus præcepta diuersa, sic omissiones singulæ sunt peccata diuersa. Similiter qui vult exercere latrocinia, & cædes in via per totam vitam, non committit postea vnum solum peccatum, sed plura; neque enim vniuntur omnes illæ cædes, & furta ad faciendam vnam actionem humanam, alioquin qui vellet violare omnia Dei præcepta, quæ illi occurrent, non faceret, nisi vnicum peccatum per totã vitam: nec meretrix, quæ voluit se exponere omnibus, faceret plura peccata toto tẽpore, quo illã turpitudinẽ exercet.

547. *De eo, qui omittit vnum officium totum.* De illo autem qui vult omittere, & omittit Officium totum vnius diei, maius est dubium. Aliqui enim dicunt, committere plura peccata: Lessius *lib. 2. cap. 37. dub. 9. n. 51.* Tabiena verbo *horæ quæst. 18.* Tolet. *lib. 2. cap. 12.* & alij. Probabilius tamen est, quod sit vnicum peccatum, quia videtur esse vnicum præceptum terminatum ad totum Officium, quod tradunt Suarez *tom. 2. de relig. lib. 4. cap. 25.* Azor. *part. 1. lib. 10. c. 7. q. 4.* Nauarrus, Vega, Reginaldus, Ledesma, Sà, & alij plurimi, quos refert, & sequitur Diana *tom. 1. tract. de horis Canon. resol. 5.* Vnde sufficiet confiteri, se omisisse Officium diuinum, seu peccasse grauiter non recitando, vt cum aliis obseruat illam Diana *ibi resol. 23.* 550.

548. *De restitutione per longum tempus.* Infero tertiò, quid dicendum sit de omissione restitutionis debitæ per longum tempus: de qua Pater Suarez *in præsenti dicta sect. 5. num 31.* dicit, licèt sit continua, non tamen esse vnum peccatum,

tum, quia cùm non sit effectus positiuus, non procedit actu à voluntate interna formaliter, vel virtualiter manente, sed esse quasi effectum habitualiter relictum ex illa, qui non sufficit ad continuandum peccatum actuale: atque ideò debere explicari, primò, quoties interruptum fuit peccatum per voluntatem contrariam restituendi. Secundò per somnum, vel distractionem. Tertiò per impotentiam restituendi; nisi propter difficultatem hæc omnia explicandi excusetur pœnitens, tunc enim obseruandæ erunt regulæ generales. Ab hac sententia parum differt Vasquez *loco citato*: quia licet *numero* 18. dicat, illam omissionem esse vnicum peccatum: cæterùm postea *numero* 23. de omnibus in vniuersum docet, interrumpi somno; vel distractione, & *num.* 2. dixerat, peccatum retentionis rei alienæ interrumpi per impotentiam restituendi.

549. Alij tamen vniuersaliter docent, esse vnicum peccatum, provt loquitur Nauarrus, & Gabriel apud Suarez *vbi suprà*. Item Petrus Nauarra *lib.* 4. *de restit. cap.* 4. *num.* 9. Tannerus 2. 2. *disput.* 4. *quæst.* 6. *dub.* 14. *num.* 425. Aragonius, & alij, quos refert, & approbat Diana *tom.* 1. *tract. de circumst. aggrauant. resol.* 58. & quidem quando voluntas retinendi reuocatur per contrariam voluntatem, & propositum restituendi; fatendum est, interrumpi peccatum præteritum, quod commune est omnibus aliis peccatis, vt dicemus: quando verò perseuerat illa voluntas, verius videtur, quod continuetur idem peccatum: & hoc etiamsi per impotentiam interrumpatur facultas restituendi. Quod quidem probari potest à simili: quia in effectu positiuo non obstat eiusmodi interruptio physica, vt dicatur idem peccatum læsionis iniustæ, v. g. si accendas segetem tui inimici, & applicato igne paululum diuertas ad loquendum cum famulo, quo breui tempore damnum sequitur necessariò, cum propter distractionem illud non posses actu impedire; imò neque etiam non distractus posses omninò iam impedire; deindè verò redis ad opus, & auges incendium, & ira prosequeris vsque ad finem; tota illa actio erit vnicum peccatum, licèt sæpius interrupta fuerit per aliquas breues distractiones, vel impotentias: ergo idem de omissione restitutionis dicendum est, quam cùm semel voluisti, perindè est, ac si ignem applicasses; ex illa enim voluntate sequitur damnum proximi, & licèt illud damnum aliquando reparabile non sit propter impotentiam restituendi, nihil refert: nam etiam quando dormis, aut quando distraheris, habes verè impotentiam restituendi pro tunc. Et ille etiam, qui accendit segetes, habet impotentiam extinguendi ignem quoties breui distractione impeditur: illa ergo impotentia non magis interrumpit peccatum, quàm somnus, vel distractio: hæc autem non interumpit in effectu positiuo, ergo nec in negatiuo, cùm eadem sit ratio, siquidem redeunte aduertentia, iam verè dependet actu negatio restitutionis à voluntate, sicut continuatio incendij.

550. Dixi autem, reuocationem voluntatis per voluntatem contrariam interrumpere hoc peccatum, & alia omnia magis, quàm somnum, distractionem, vel impotentiam. Cuius ratio est; quia quando apponitur voluntas contraria, iam prior voluntas non manet formaliter, nec virtualiter, nec ipsa influit in opus postea sequutum, sed requiritur alia noua voluntas independens ab illa, prima, quæ de nouo causet negationem restitutionis sequentem. At verò quando interuenit sola distractio, vel impotentia, adhuc prior voluntas perseuerat virtualiter: vndè cessante distractione, vel impotentia, continuatur negatio restitutionis, vel damnificatio positiua ex vi prioris voluntatis non reuocatæ, quæ statim continuat suam operationem per sui memoriam excitando potentias ad operandum, vel prohibendo à reparatione damni; non ergo interrumpitur moraliter efficacia illius primæ voluntatis per distractionem, vel impotentiam, sicut per reuocationem, quæ facit, vt iam prior voluntas nihil possit operari, sed debet effectus continuari per aliam nouam voluntatem independentem è prima.

Addo tamen, nec ipsam reuocationem fortasse 551. impedire aliquando vnitatem actionis, & peccati, potest enim esse tanta coniunctio inter partes, vt illa breuis interruptio per voluntatem contrariam non possit fortasse tollere vnitatem moralem actionis. Exemplum habemus in eo, qui die ieiunij cessat in fine prandij cum proposito non comedendi plus, sed statim antequam è mensa surgat, affertur aliud ferculum, de quo potest quidem adhuc comedere, non obstante proposito, & voluntate non comedendi plus, quia continuatio illa ratione loci & temporis sufficit ad continuandum illud prandium, non obstante breui illa voluntate contraria, de quo videatur Lessius *lib.* 4. *cap.* 2. *dub.* 2. *num.* 11. Layman *lib.* 4. *tract.* 8. *cap.* 1. *n.* 6. Villalobos *in summa tom.* 1. *tract.* 23. *diff.* 6. *n.* 2. Filliucius 2. *tom. tract.* 27. *part.* 2. *quæst.* 10. *num.* 41. & Diana *tom.* 1. *tract. de ieiunio resol.* 32. Similiter in communione Eucharistiæ, si Sacerdos in Missa sumpta communione moneatur à Ministro, quod purificet vas particularum, quod est in sacrario, poterit illas ieiunus sumere, etiamsi habuisset iam animum non sumendi illa die aliam hostiam consecratam: quia nimirum locus, & tempus sufficiunt ad continuandam eamdem communionem, & refectionem sacramentalem, non obstante illa voluntate contraria. Cur ergo non poterit idem contingere in vnitate peccati? Si aliquis, v. g. die ieiunij comedat carnes in prandio, & in fine prandij, cum animo nihil plus comedendi, videat afferri nouum ferculum carnium, & comedat ex illo, tunc certè sicut continuatur moraliter prandium, sic continuatur moraliter idem peccatum, nec necesse erit in confessione dicere, se bis comedisse carnes; non obstante illa breui voluntate, quæ interceserat non plus comedendi. Similiter ergo 552. contingere poterit in peccato læsionis iniustæ, si aliquis vindictæ causa, alium pugno, vel ligno percutiat, & post tres, vel quatuor percussiones cesset cum animo cessandi; sed statim, quia fortasse percussus ostendit adhuc superbiam, vel contemptum, iterum bis, aut ter illum percutiat, non dicemus, fuisse duo peccata necessariò explicanda, vt duo in confessione, quia illa breuis voluntas non impediuit vnitatem actionis, & vindictæ. Denique hoc ipsum in peccato retentionis, seu omissionis restitutionis locum habere potest, si aliquis dum retinet alienum, concipiat animum restituendi, sed statim mutato animo velit retinere: illa enim videtur eadem retentio moraliter, ac si interrupta non fuisset.

Infero quartò, quid dicendum sit de tactibus, & 553. osculis turpibus præcedentibus copulam illicitam, an faciant vnum peccatum cum illa; an verò debeant seorsim explicari in confessione. Communiter Doctores affirmát facere vnum peccatum, neque oportere illa explicare, sed sufficere confiteri copulam. Duplex tamen est difficultas. Prima circa tactus, & oscula libidinosa, quæ ipsam copulam consequuntur, an debeant explicari, tanquam diuersa peccata à copula præcedenti. Affirmant plures, debere explicari, Suarez, *dicta sect.* 5. *n.* 26. Vasquez *dicto dub.* 5. *num.* 35. Coninch *dub.* 7. *n.* 59. & alij: quia illi tactus non ordinantur ad priorem copulam, cùm iam sit *De tactibus copulam præcedentibus.*

sinita, sed ad aliam nouam. Alij tamen plures dicunt, esse vnum, & idem peccatum, atque ideo non magis debere explicari, quàm præcedentes copulam. Henriquez *lib. 5. cap. 5. n. 5. & in Glossa littera*, V. Nauarrus apud Suarez *vbi supra*, Azor *p. 1. lib. 4 cap. 4. in fine*, Zerola *in praxi de pœnitentia cap. 12. quæst. 47.* Granado *in 1. 2. controuers. 6. tract. 2. disp. 5. num. 11* Salas *in 1. 2. tom. 2. tract. 13. disp. 5. sect. 8. num. 91.* Fagundez *in secundo præcepto Ecclesiæ lib. 3. cap. 4. num. 14.* & alij. Quod mihi etiam probabilius videtur.

554. Et omissis aliis rationibus, probari potest, quia tactus illi, & oscula non afferunt malitiam specie diuersam supra malitiam, quæ fuerat in peccato præcedenti; & aliunde habent connexionem talem & tantam cum illo peccato, vt possint facere vnum actum completum, vt constat; sunt enim quasi complementum copulæ, & delectationis præcedentis: non est ergo, vnde sit obligatio illos tactus, & oscula explicandi. Porrò non afferre malitiam specie diuersam probatur; quia etiam ante copulam præcesserant tactus similes in specie, vel certè, si non præcesserant, parum refert, quia licèt præcessissent, non fuissent explicandi, vt aduersarij concedunt: ergo licèt præcessissent, non afferrent malitiam specie diuersam. Vide, quæ dixi *supra sect. 5. in principio*, vbi reddidi rationem, quare tactus, qui fiunt cum copula, non debeant explicari, licèt ipsi tactus seorsim à copula haberent aliquam malitiam specie diuersam à malitia copulæ. Nec denique obstat, quod dicebat Suarez tactus illos consequentes non ordinari ad copulam præcedentem, sed ad aliam nouam: hoc inquam, non est in vniuersum verum, quia neque ex intentione agentis, neque ex natura sua ordinantur semper ad copulam sequentem; sed sunt mali & turpes, quatenus in se continent approbationem, & delectationem de copula præcedenti, & quatenus afferunt talem delectationem veneream quæ in seipsa prohibita est; quia sicut prohibetur delectatio pollutionis propter bonum prolis, si enim licita esset illa delectatio, non curarent homines de matrimonio; sic prohibetur à natura ipsa delectatio tactus lasciui, quia si ea saltem licita esset, minùs curarent homines de matrimonio, & de prole generanda, quare omnem similem delectationem natura reseruauit pro coniugatis, nec extra coniugium voluit licitam vlli esse.

555. *Quid de delectatione consequente.* Hinc obiter aduerto, immeritò reprehendi ab eodem Suario *ibi num. 27.* eumdem Nauarrum, quod dixerit, delectationem de fornicatione habita, quæ statim post copulam habetur, non esse necessariò declarandam in confessione, sed facere idem peccatum cum copula præcedenti: quod quidem mihi etiam verum videtur: nec credo, vllum confessarium de hoc interrogare, cùm tamen certum sit, plurimos delectari post copulam, est enim naturale, quod bonum desiderium afferat gaudium & delectationem aliquam, quando habitum est. Illa tamen delectatio non videtur necessariò explicanda, quia facit vnum peccatum moraliter cum actu ipso; & quia non affert malitiam specie diuersam; nam in ipso etiam actu copulæ actualis fuit delectatio de illa præsenti, quæ in ratione malitiæ moralis non differt specie à delectatione, quæ sequitur statim post copulam de illa præterita.

556. *Quid, si præcedant tactus sine intentione copulæ.* Secunda difficultas circa eosdem tactus, & oscula esse potest, an quando præcesserunt, non tamen ex intentione copulæ, & postea immediatè habetur copula, debeant explicari, an verò tunc etiam sufficiat confiteri solam copulam. In quo casu aliquis, quem tacito nomine refert Diana *5. tom. tract. 4. miscellaneo resol. 205.* dixit non esse necessariò explicandos illos actus præcedentes. Ipse tamen Diana affirmat, explicandos esse, vt peccatum distinctum, & affert pro se Hurtadum *de Sacram. pœnit. disput. 9. difficult. 6.* Potuisset etiam afferre Patrem Vasquez, à quo illud accipit Hurtado *dicto dub. 5. num. 27.* & mihi etiam placet: quia tactus secundùm se habet malitiam specie diuersam, quando in ipso sistitur à malitia copulæ, vt diximus; ergo si aliunde ex intentione operantis non fiant vnum, non est, cur illud peccatum sit potius vnum, quàm duo specie diuersa. Vnde idem dicerem, quando aliquis percuteret aliquem, intendendo solum vulnus non lethale, & postea per secundam voluntatem eum percuteret alio vulnere lethali, vt moreretur: dicendum enim videtur, tunc etiam esse duo peccata diuersa, primum percussionis simplicis: secundum homicidij; quæ duo specie differunt, & non fuerunt vnita ex intentione agentis ad vnum, & eandem actionem, cùm prima percussio non fuerit ad occidendum.

Infero quintò, quid dicendum sit de illo, qui ter copulam habuit cum eadem. Aliqui volunt sufficere, quod pœnitens dicat, fui cum muliere vna nocte, & feci, quod potui. Ita Zanardus Dominicanus *in directorio confessariorum part. 1. de Sacram. pœnit. cap. 18.* dummodo non habuerit interruptionem mentis, vel operis. Cæterùm iuxta regulam traditam dicendum videtur, esse tria peccata; cùm vna copula non faciat vnum cum alia, sed singulæ sint actiones completæ, & totales: quod idem dicendum est de illo; qui successiuè occidit tres homines sibi etiam successiuè occurrentes, propter eamdem rationem. Aliud fortasse esset, si vno impetu illos omnes aggrederetur, vt vno conflictu contra eos pugnaret, & illos occideret: tunc enim videntur habere vnionem moralem, quatenus conflant vnam congressionem, & conflictum. An verò, qui vnico actu duos occidit, vel vnico verbo plures infamat, aut contumelia afficit, committat vnum, vel plura peccata, diximus *supra sect. 3.* 557. *Quid de copula repetita.*

Infero sextò à fortiori eum, qui copulam habuit successiuè cum tribus fœminis, committere tria peccata: dubitant autem aliqui, an debeat explicare, quòd fuerint tres fœminæ, an solùm tres fornicationes. Certum est tamen, hoc secundum sufficere, vt notauit etiam Bonacina *de Sacram. disputatione 5. quæst. 5. punct. 2. §. 3. difficult. 3. proposit. 3. num. 14.* & alij, quos affert, & sequitur Diana *tom. 1. tract. de circunst. aggrauant. resol. 13.* 558.

Sed contra hoc videtur esse difficultas ex iis, quæ diximus *illa sect. 3.* scilicet, probabile esse, Sacerdotem, qui successiuè audit in peccato mortali plures confessiones vnam post aliam, non committere plura peccata distincta, sed vnum; quare non erit necessarium dicere: Audiui tot confessiones, sed audiui in statu peccati vna vice plures confessiones. Videtur autem eadem esse ratio de eo, qui successiuè cognoscit carnaliter tres fœminas, aut occidit tres homines. Respondetur tamen, non esse eamdem rationem in vtroque casu: quia actio illa audiendi confessiones in tribunali sacramentali maiorem recipit vnitatem moralem, quàm occisiones trium: quæ cùm respiciant singulæ diuersa iura singulorum hominum, quæ lædantur, & aliunde non vniantur in vno actu, vel actione morali ad eumdem finem, non videntur posse facilè ex sola temporis propinquitate vniri ad faciendum vnum peccatum. At verò actus audiendi confessiones accipit vnitatem in primis ex fine, & intentione agentis, qui sedet in eo loco ad audiendas confessiones subditorum: deinde, & præcipuè ex materia ipsi; quia

quia omnes illæ actiones continent irreuerentiam contra eundem Deum, & Christum, cuius Sacramenta irreuerenter tractantur: non sunt enim in rigore irreuerentiæ contra ius aliquod residens in Auctore Sacramentorum. Negari autem non potest, quod faciliùs vniantur, ad faciendum vnum peccatum ea, quæ tendunt contra idem ius eiusdem personæ, quàm quæ tendunt contra diuersa iura diuersarum personarum.

559. Vndè vlteriùs inferre possumus septimò, quando aliquis incipit grauiter detrahere Petro, & continuato sermone, occasione fortè nouæ interrogationis, rursus detrahit eidem in alia materia & in alia; posse dici totam illam esse vnicum peccatum detractionis: quia, vt dici solet in Philosophia, homogenea faciliùs vniuntur, & continuantur, quàm heterogenea: quare quando detractio est respectu eiusdem, & eiusdem speciei, & fit in eodem sermone, licèt ab initio non esset animus dicendi ea omnia, sed occasione data, & feruore aliquo dicantur; adhuc videtur posse vniri ad faciendum vnum peccatum detractionis grauis. Sicut supra dicebamus de illo, qui percussit Petrum ter, vel quater, & postea addit quintam percussionem eiusdem rationis, quæ sanè non est aliud peccatum distinctum, sed facit vnum grauius cum percussionibus præcedentibus. Aliud verò esset, si iniuria subsequens esset diuersæ speciei, vt si priùs detrahebas Petro absenti, qui postea aduenit, & tunc prosequeris illum dehonorando, & contumeliis afficiendo: nam detractio præcedens, & contumelia subsequens, cùm differant specie morali, non possunt facilè vniri ad faciendum vnum peccatum propter solam temporis successionem immediatam: sicut percussio simplex præcedens, & occisio subsequens vnirentur, vt supra diximus.

560. Denique quando detractio prima erat de Petro, & postea occasione data, incipis immediatè detrahere de Paulo, non ita facilè coniunguntur illæ detractiones ad faciendum vnum peccatum, quia licèt conueniant in specie detractionis, habent tamen heterogeneitatem ex parte termini, ad quem terminantur, & iurium, quibus opponuntur quæ heterogeneitas obstat vnitati iniuriæ, quando aliunde non est alia vnitas, qualis est, quando actio est eadem, vt quando eodem verbo detrahis vtrique.

561. Infero octauò, quid dicendum sit de pluribus iuramentis circa eandem rem in eodem sermone successiuè falsò prolatis, vel de pluribus blasphemiis eodem iracundiæ calore dictis successiuè: quæ omnia facere vnum peccatum dicendum est iuxta regulam supra positam. Atque ita de iuramento falso docet Azor *tom. 1. lib. 4. cap. 4. quæst. 5.* & de blasphemia Molina *tom. 4. de iust. tract. 3. disput. 4.* & alij, quos affert Diana *2. tom. tract. de Sacrament. resol. 163.* & de contumeliis pluribus successiuè prolatis, idem Diana *tom. 1. tract. de circunst. aggrauant. resol. 28.* Hæc autem exempla attulisse sufficit, ex quibus, & cum proportione ad ipsa poterit prudens Confessarius de vnitate, & pluralitate numerica peccatorum in aliis casibus iudicare: quæ cùm moralis sit, pendet multum, vt dixi, ex qualitate actionis, & eius circunstantiis, quæ fundamentum præstant ad iudicandum, an actio fuerit moraliter vna, vel plures.

§. 3. *Vndè sumenda sit vnitas, vel pluralitas numerica in peccatis merè internis.*

562. EST celebris sententia Magistri Cani *in relectione de pœnitentia parte 5.* qui distinguit duplicem interruptionem voluntatis malæ: alteram per vo-

luntatem contrariam; & tunc inquit multiplicari peccata, & explicandum numerum eorum: alteram per naturalem obliuionem, aut inconsiderationem; & tunc non oportet explicare numerum, sed sufficit dicere, per totum mensem amaui turpiter fœminam, *&c.* quia est idem peccatum continuatum.

Hanc sententiam acriter impugnant Suarez *dicta sect. 5. numero 10.* vbi eam incredibilem appellat; Vasquez *dicto dub. 5. n. 10.* vbi appellat falsissimam; Nunnus *in præsenti quæst. 9. art. 2. dub. 1.* & alij qui volunt, eamdem esse rationem de vtrâque interruptione, atque ideò non solùm per contrariam voluntatem, sed etiam per distractionem, & inconsiderationem multiplicari peccata interna. Arguit autem Suarez, quia apud Deum illæ duæ voluntates merentur distinctos gradus pœnæ, sicut si fuissent actus boni, merentur distinctos gradus gloriæ.

Hoc tamen argumentum retorqueri potest clarè: 563.
quia etiamsi actus non fuisset interruptus, mereretur diuersos gradus pœnæ per primam & per vltimam partem suæ durationis; & in actu bono singulis partibus correspondet distinctum præmium. Vndè legitur de Monacho quodam, qui audiuit aliquando, & vidit Angelum post se notantem, & numerantem omnes passus, quos in portanda aqua faciebat, vt omnes, & singuli præmiarentur: & tamen omnes illi passus faciebant vnum opus bonum, sicut facerent vnum peccatum, si esset opus prohibitum.

Alij defendunt sententiam, & distinctionem illam Cani de duplici interruptione diuersa. Ioannes de la Crux *in direct. Conscient parte 2. de Sacram. pœnit. quæst. 3. dub. 6.* Petrus Fay *in Addit. ad 3. part. quæst. 9. art. 2 disp 5. ad 4. argum.* Homobonus *de Examin. Ecclesiast. part. 1 tract. 5 capite decimo tertio, quæstione 83.* Quorum sententiam probabilem iudicat Diana *2. tom. tract. 4. de Sacram. resol. 95.*

Ego puto in primis, quæstionem esse ferè de no- 564.
mine inter illas duas sententias: nam prima ita dicit, non multiplicari peccata absque reuocatione voluntatis, vt tamen dicat, explicandum esse tempus, quo illud peccatum durauit, an per mensem, vel hebdomadam, *&c.* Ita enim expressè fatentur omnes illi Auctores citati. Secunda verò sententia, licèt dicat, multiplicari peccata per quamcunque interruptionem, fatetur tamen, impossibile sæpè esse eas interruptiones explicare, & ideò dicunt sæpè satisfieri explicando durationem temporis. Ita Suarez *numero 17. & 18.* Vasquez *numero trigesimo quinto.* Coninck *disputatione 7. dubio 7. num. 151. & 152.* qui dicunt, quando interruptiones illæ non sunt notabiles, sed breues, non debere explicari aliter, quàm explicando durationem totam. Addit Coninck. qui per aliquot dies, vel hebdomadas fouit cupiditatem vindictæ, vel odium, aut amorem turpem, satisfacere communiter, si dicat, se illo tempore magna parte diei, aut quasi per totum diem de illa re cogitasse. Itaque ferè solùm est dissensio quando fuit magna interruptio inter illos actus, & facilè potest numerus percipi, & explicari, an, tunc non fuisse interruptam priorem voluntatem per aliam contrariam formalem, vel virtualem, conducat, ne obligemur ad explicandum numerum. Dixi *vel virtualem*; quia contingere posset, vt absque aliqua formali reuocatione, ipso temporis lapsu, vel rerum mutatione, iam homo sit in tali dispositione, vt non ita commoueretur nunc ad desiderium, vel odium, sicut priùs, si nunc idem obiectum proponeretur, vel in memoriam rediret: quo casu credo, quod Auctores prioris sententiæ non negabunt, talem interruptionem sufficere ad multiplicanda peccata, si iterum daretur consensus.

565. Hoc suppositò, aliter distinguendum existimo in voluntate interna malè sæpiùs repetita: aliquando enim illæ duæ voluntates habent ordinem inter se, ita vt vna dependeat ab alia, aliquando nullum habent inter se ordinem. Exemplum esse potest, si aliquis hodie cogitans de fœmina aliena, decernat illam procurare, & cras iterum de illa cogitans, & memor decreti hodierni, decernat iterum, eam procurare, & sic deinceps: tunc posteriores voluntates dependentiam habent à prima, quia absque noua deliberatione aut consultatione ex vi primæ voluntatis ponitur ista secunda, sicut ex vi intentionis ponitur electio medij ad finem. Aliquando verò vna voluntas non dependet ab alia, sed sicut heri videns fœminam illam turpiter concupiuit; sic hodie eam iterum videns, eam iterum turpiter concupiscit, non influente priori concupiscentia in secundam, nisi per accidens fortasse, quatenus reliquit habitum, quo facilius sit secundus actus, quàm primus. Dico itaque quando voluntates se habent primo modo, & cum illa dependentia, & causalitate; probabilis videtur sententia Cani, quod nisi influxus ille interrumpatur per voluntatem contrariam, continuetur moraliter idem peccatum, secus quando voluntates secundo modo se haberent.

566. Quoad secundam partem conuenimus cum secunda sententia, & probatur facilè argumentis, quæ pro se adducunt eius auctores: quia nimirum illæ duæ voluntates non habent concatenationem, & connexionem ad vnitatem moralem, cùm non habeant inter se ordinem, & aliundè distent tempore notabiliter; non sunt ergo vnum peccatum; alioquin idem dici posset de primo odio, quod habuisti in pueritia, & de secundo, quod habuisti in senectute, esse idem numero peccatum. Quod verò dicendum sit, quando distantia temporis breuis esset inter vtramque voluntatem, postea videbimus.

Quoad primam verò partem, probari etiam potest conclusio posita, primò à posteriori; quia si illa voluntas peruenisset ad assequutionem sui obiecti, & copulam cum fœmina aliena, totum illud à principio vsque ad finem computaretur pro vno peccato, & satisfieret confitendo illud, tanquam vnum peccatum consummatum, non explicando quoties habuit decretum procurandi illam fœminam: ergo etiam ante consummationem operis, illæ voluntates habebant iam connexionem inter se sufficientem ad constituendum vnum peccatum: nam si ante consummationem operis fuissent duo, non possent postea reduci ad vnum per aduentum operis consummati.

567. Hinc sumitur ratio à priori: quia illæ duæ voluntates in casu posito habent inter se ordinem, quatenus vtraque tendit ad idem opus ponendum, & vna dependet ab alia in ordine ad idem. Nam sicut voluntas hesterna occidendi Petrum excitat hoc mane post somnum voluntatem prosequendi iter ad homicidium perpetrandum; ita excitat hoc manè ad habendam nouam voluntatem occidendi Petrum, sine qua voluntate non prosequereris iter: ergo sicut voluntas prosequendi iter facit vnum peccatum cum voluntate hesterna occidendi, propter concatenationem, & dependentiam vnius ab alia: sic etiam voluntas hesterna propter illam dependentiam vnius ab illa. Hæc autem dependentia non est maior, quando opus non fuit consummatum: siquidem supponimus, primam voluntatem fuisse de se efficacem, & propter suam efficaciam intulisse postea secundam: ergo illæ voluntates quoties interuenit talis dependentia, faciunt vnum, & idem peccatum. Quem sensum fortasse intendit Pater Salas *dicta sect.* 8. *num.* 85. dum loquens de vnitate peccati interni, specialiter loquutus est de voluntate interna faciendi aliquod opus externum. Sic enim dixit: *voluntas efficiendi aliquod opus externum, quandiu opere non completur, nec interrumpitur per contrarium actum, licèt physicè interrumpatur, & postea renouetur; vnicum tantùm peccatum est: intelligo, nisi inter ipsos actus voluntatis multum tempus intercedat, quia tunc censetur moralis interruptio.* ex quibus verbis colligitur, voluntatem etiam internam, quæ caret effectu externo, quando tamen de se est efficax voluntas illud faciendi, posse retinere vnitatem moralem vnius peccati, sicut de peccato ipso externo dictum est. Id autem, quod addit, hoc intelligi, nisi intercedat inter ipsos actus voluntatis multum tempus, verum etiam est iuxta 570.
id, quod supra *numero* 545. diximus de ipso peccato externo, posse, etiam nulla reuocatione posita, interrumpi per interruptionem aliquam moralem: cæterum sicut ibi diximus, illud non interrumpi per somnum, aut similes interruptiones communes, & ordinarias; sic dicimus de voluntate efficaci interna, dum per talem concatenationem ordinatam ad opus operatur. Fortasse tamen facilius interrumpuntur moraliter voluntates merè internæ, quando opus non cœpit poni exterius; quia illa positio, seu inchoatio externa, cùm sit sensibilis, faciliùs coniungit partes in ordine ad vnum humanum, & morale faciendum.

Restat explicandum, quando voluntates non 568.
sunt ita subordinatæ, nec vna est causa alterius, sed sunt ex illo secundo genere supra explicato, quæ, & qualis temporis distantia sufficiat ad hoc, vt non possint facere vnum peccatum: de quo variè loquuti sunt Theologi, & quidem satis obscurè. Aliqui enim licèt dicant, actum non interrumpi, nisi per voluntatem contrariam; addunt tamen, explicandam esse eius durationem, si nimia fuit. Petrus Fay *loco supra citato* exemplum ponit, si aliquis permansit in turpi cogitatione per integrum diem, aut hebdomadam. Pergianus supra citatus exemplum ponit, si per totum mensem durauit. Alij, quos refert Henriquez *lib. 5. cap. 5. numero 5. littera*, D, *in Gloss.*, dicunt, non esse explicandam continuationem in consensu turpi per horam. Alij 571.
apud eundem dicunt, nec si dimidio die continuetur; alij ponunt continuationem per decem horas esse explicandam. Suarez *dicta sect. 5. num.* 17. dicit interruptiones imperceptibiles non esse explicandas, sed sufficere declarare durationem totam. Coninck dicit, eiusmodi interruptiones breues non multiplicare actus, meliúsque explicari malitiam, si dicatur; per tres horas aliquam cogitationem durasse, sed non statuit regulam durationis necessariò declarandæ. Henriquez cum aliis loco citato dicit, minùs sufficere ad interruptionem, & numerum in peccatis, quæ complementum habent in animo, vt est hæresis.

Ego existimo, regulam moralem desumendam 569.
esse arbitrio prudentis ex proportione ad peccata externa. Nam sicut in peccato externo contumeliæ, & iniuriæ perseuerat vnitas peccati quando in eodem congressu successiuè multiplicantur contumeliæ, & iniuriæ; etiam occasione accepta ex responsione illius, cui iniuriam infers: multiplicantur autem numero ea peccata, quando 572.
postquam ille decessit, postea denuo tibi occurrit, & iterum ei contumelias infers, aut iniurias, quia illa prior actio iam censebatur moraliter finita, & completa:

completa: ita cum proportione videtur in peccatis internis dicendum; quando enim obiectum perseuerat nobis præsens moraliter, quia non habuimus animum discedendi ab ea cogitatione, sed casu, & naturali aliqua distractione interrumpitur; censetur adhuc moraliter idem congressus (vt ita dicam,) cum obiecto, quod nunquam discessit, sed habet se, sicut ille, quem contumelia afficis, qui non discedit, licèt parum auertas faciem ad loquendum aliquid breue cum alio ibi præsenti. Quando verò discessimus iam voluntariè ab ea cogitatione, licèt non per reuocationem voluntatis præteritæ, iam censetur congressus ille cum obiecto finitus, & completus, data nimirum obiecto licentia discedendi, & abeundi. Quod si postea redeat, censebitur nouus congressus & alia iam occasione peccari, non prima, quæ iam cessasse videbatur.

570. Hinc infero, si reuera interruptiones fuerint æquè breues, idem dicendum esse, siue actus malus duruerit per semihoram, siue per diem integrum: non debet enim attendi ad durationis mensuram, vt sit vnus, vel plures, sed ad carentiam interruptionis moralis. Cæterùm quia faciliùs contingit interruptio moralis in longiori spatio temporis, quàm in minori; ideò vtilis est regula de longiori duratione explicanda, quia difficile est, quod toto illo tempore duret idem quasi congressus cum obiecto & quod homo non discedat plena libertate ab illius cogitatione.

Addo, non posse eandem mensuram, aut regulam tradi pro omnibus actibus malis; aliqui enim facilius interrumpuntur, & breuiùs durant, v. g. blasphemia interior, & alij actus similes, qui non tendunt ad obiectum externum. Alij verò longiùs durare solent, vt desiderium turpe, odium proximi, & similes. Et in iis longiùs durant, qui ex maiori, & vehementiori passione, aut concupiscentia procedunt. Regulariter vltra duas, vel tres horas non videtur perseuerare moraliter eadem voluntas merè interna: quia difficile est, quod homo velit longiùs perseuerare in eâdem cogitatione, aut amore, & non attendere ad alia. Ideò, quando duratio est longior, solet explicari, quia regulariter habebit interruptiones aliquas morales, nec homo voluit toto die non discedere à tali cogitatione, sed voluit aliquoties, licèt postea cogitatio iterum, & iterum repulsa redierit.

571. Duo tamen in his aduertenda sunt. Primum, quando pœnitens vel ex se, vel interrogatus explicat numerum peccatorum, non debere regulariter interrogari iterum de duratione singulorum, si, verbi gratia, dicit, se desiderasse turpiter quandam fœminam, & Confessarius interrogat, quoties; atque ipse respondet decies, plus, minúsue; non oportet iterum petere, an illis vicibus diu durauerit in tali desiderio: quia cùm ipse interrogatus de numero, determinat illum numerum, credibile est, quod ipse concepit, se interrogari de vicibus moraliter distinctis, atque adeò de illis respondisse. Quod si ex circunstantiis appareat, ipsum non respondisse iuxta distinctionem moralem, sed iuxta aliam magis crassam, quæ fieret per interruptionem dierum; tunc examinandus esset magis in particulari: provt solent aliqui interrogari de numero concupiscentiæ turpis, dicere decies, v. g. quod ipsi intelligunt de numero fœminarum, quas concupierunt, quarum tamen aliquam plus quam decies verè concupierunt.

572. Secundum aduertendum est, si pœnitens erranit in numero, dicendo plures actus, quàm reuera erant, ita tamen vt in ipso errore non peccauerit grauiter, non esse obligationem postea in alia confessione corrigendi illum errorem. Hoc est contra Ioannem Yribarnem *in* 4. *distinctione* 17. *disputatione* 57. *sect.* 8. *tom.* 2. qui dicit, cum, qui dixit, se decies mœchatum esse, & postea peracta confessione aduertit, se solùm ter fuisse mœchatum, debere postea iterum illud confiteri. Hoc tamen omninò caret fundamento: qualem enim materiam dare deberet in secunda confessione? Non quidem illa tria peccata, quia iam ab illis fuerat absolutus directè, cùm illa tria contenta fuerint in numero maiori: neque etiam deberet confiteri negationem aliorum septem, quia negatio peccati non est materia absolutionis: nec denique deberet confiteri errorem commissum in priori confessione, quia supponimus, illum non fuisse cum peccato; ergo nulla est obligatio corrigendi iterum in confessione illum errorem: vt supponunt etiam Bonacina *disput.* 5. *de Sacrament. quæst.* 5 *sect.* 2. *punct.* 3. *numero* 3. Megala 1. *part. institut. Confessar lib... cap.* 18. *num.* 10. & Diana 1. *tomo tract.* 3. *Miscell. resol.* 25.

§. 4. *Quando, & quomodo possit pœnitens propter difficultatem explicandi numerum, dicere multitudinem confusam, aut durationem status mali.*

573. HOc est alterum caput explicandum circa obligationem confitendi numerum peccatorum, qui sæpè difficile potest explicari, & tunc vt eo modo, quo possit, explicetur, remedium esse potest dicere tempus, quo in tali statu, & consuetudine peccandi perseuerauit. Atque ita de meretrice inueterata loquentes dicunt aliqui, sufficere, quod manifestet tempus, quo fuit in eo officio. Canus *de pœnitentia part.* 5. Petrus Soto *lect.* 9. *de confess.* Nauarrus *in summa cap.* 6. *num.* 5. Caietanus *tom.* 1. *opuscul. tract.* 5. *cap.* 3.

Alij limitant hanc sententiam: quia contingere potest, quod vna meretrix in vno loco decies fornicetur, dum alia centies in alio loco: quare oporteret frequentiam solicitam explicare. Ita Soto *in* 4. *distinctione* 18. *quæstione* 2. *articulo* 4. Addit Vasquez *quæstione* 91. *articulo* 1. *dub.* 5. *numero* 3. explicari debere aliquando numerum certarum specierum, quæ non ita frequenter occurrunt, vt quoties cum religiosis, vel Sacerdotibus, aut personis sacris; quoties cum consanguineis, & aliis similibus, quæ peccata faciliùs numerari possunt. Quare idem dici posset de peccatis cum coniugatis, quæ non solent esse ita frequentia, maximè scienter. Addit etiam idem Vasquez, circa numerum actuum internorum non esse cogendas, vt dicant frequentiam solitam, & numerum per hebdomadas, aut dies, sicut dicebatur de frequentia solita fornicationum explicanda: quia in his actibus internis videtur impossibile, eos ad aliquem numerum reducere sine periculo maximi erroris per excessum, aut defectum. Idem ferè dicunt Conink *dicto dub.* 7. *in fine*, & Fagundez *dicto lib.* 3. *cap.* 4. *numero* 11. & alij, quos refert, & sequitur Diana 2. *tom. tract.* 4. *de Sacrament. resol.* 89.

574. Ex his, quæ prædicti Auctores dicunt, licebit pro praxi aliqua inferre. Primò id, quod de meretrice inueterata dicunt, dicendum etiam esse in quocunque alio peccatore, in quo æqualis sit difficultas explicandi numerum, aut illum reducendi ad aliquam multitudinem confusam, vt notauit Vasquez *numero* 4. Vndè locum habere potest in eo, qui passim concupiscit turpiter fœmi-

nas sibi obuias, in quo difficiliùs fortasse est, numerum aliquem designare: quare sufficere videtur, si explicet illam consuetudinem, & tempus illius: item species principales, an frequenter coniugatas an aliquando cognatas, vel personas sacras, &c. concupiscat, quod idem in delectationibus morosis admittit P. Vasquez *illo n.* 4.

575. Infero secundò idem contingere sæpe posse, quando homines rustici, vel plebeij confitentur colloquia de rebus turpibus cum sociis, quæ quidem passim tota die, dum simul laborant, aliqui miscere solent absque vllo delectu circa materiam, vel socios, tam circa coniugatas, quàm circa solutas: quod facilè inducere potest similem difficultatem explicandi numerum, ita vt sufficiat explicare consuetudinem, & species principales, sicut dicebatur de meretrice.

Infero tertiò, illum, qui diu concubinam domi habuit, cáque vt propriâ vxore vsus est, sufficere, quod statum, & tempus explicet, vt concedit Henriquez *lib. 5. c. 5. n. 9.* & Fagundez *dicto c. 4. n.* 11. qui citat Nauarrum *in summa c. 6. n. 15.* & Toletum *lib. 3. c. 7 n.* 2. neuter tamen loquitur de concubinario, sed de peccato in communi.

576. Infero quartò, idem dicendum de fure, qui diu in ea consuetudine furandi fuit: de quo tamen admonuit Vasquez *n.* 4. meliùs explicare statum suum explicata quantitate, quàm per totum illud tempus furatus est, quàm explicato tempore. Sed hæc regula non placet omnino: quia eamdem quantitatem, v. g. decem aureorum potuit furari, vel per mille, vel etiam per decem millia furta: in confessione autem non tam debet explicari quantitas obiecti, quàm numerus peccatorum, vt fatetur ipse Vasquez, dum dicit, non esse obligationem confitendi circumstantiam aggrauantem intra eamdem speciem. Adde, potuisse plura furta fuisse leuia absque animo congregandi summam grandem, & quæ non peruenirent ad peccatum mortale. Melius ergo erit explicare confuso modo frequentiam furti grauis, seu mortalis: vel certè, si explicat totam quantitatem rei acceptæ, deberet interrogari, quantum soleret communiter singulis furtis accipere, plus, minúsve, vt ita ex vtraque notitia colligi possit aliqualis notitia confusa ipsius numeri.

577. *Rusticus an debeat repetere confessiones.* Infero quintò, quo sensu recipienda sit doctrina, quam tradit Henriquez *dicto lib. 5. c. 3. num.* 10. vbi *Glossa* citat Ferdinandum Guerrerium Archiepiscopum Granatensem post consultationem cum viris doctis: & Fagundez *dicto cap. 4. num.* 10. & *cap. 2. num. 5.* qui dicunt rusticum, qui grosso modo suo indocto Parocho confitetur bona fide sine numero, aut discussione, non esse cogendum postea repetere confessiones sic factas; quia cùm hi habeant vniformem vitæ modum, nec extraordinariis vitiis, aut negotiis sint assuefacti; ex his, quæ fatentur, se vna hebdomada, aut mense fecisse, facilè coniectat Confessarius expertus, quantum toto anno peccauerint, provt requiritur ad rectum iudicium, & remedium peccatorum. Hæc sunt verba illorum Auctorum, ex quibus tamen non facilè colliges, an hi rustici excusandi omnino sint à repetendis confessionibus præteritis, & ab accusando se de peccatis præteritis commissis ante vltimam confessionem: an verò solùm excusandi sint ab explicando magis distinctè eorum peccatorum numero: hoc enim secundum videntur indicare, dum rationem reddunt, quod, scilicet, prudens Confessarius ex iis, quæ confitetur rusticus ille, se hoc mense fecisse, colliget quid toto anno fecerit; ibi enim sermo videtur esse de Confessario vltimo, qui, quia doctus est, poterit colligere numerum malè explicatum in confessionibus prius factis cum Parocho indocto: quem sensum magis clarè expressit Fagundez *illo cap. 2. num.* 5. Dicit enim, hos non esse cogendos repetere confessiones præteritas cum indoctis Parochis; sed iuuandos esse à prudenti Confessario, præmissis nonnullis interrogationibus meliori modo, quo fieri potest, nam ex iis, quæ confitentur, se vno mense, vel hebdomada, aut anno fecisse, satis conjicere potest expertus, prudénsque Confessarius, quantum toto anno, aut reliquis annis labentibus deliquerint. Ita Fagundez, vbi videtur supponere obligationem subjiciendi clauibus illa peccata malè, & grosso modo priùs explicata. Alioquin ad quid requiritur, quod Confessarius ex præsenti confessione colligat, quantum reliquis retro annis peccauerit?

Cæterùm, si hic est eorum Doctorum sensus; videntur mihi minùs consequenter in hoc procedere: nam si rusticus ille cogendus non est magis distinctè numerum confusè priùs explicatum dicere, eo quod ex vniformi eius vita colligitur, quid toto illo tempore fecerit: ergo & Parochus, cui magis notus erat pœnitens, potuit meliùs ex illo loquendi modo colligere, quid toto anno fecisset, atque adeo potuit tunc formare sibi iudicium sufficiens non minùs, sed magis, quàm Confessarius doctus postea, propter maiorem notitiam, quam de pœnitente Parochus proprius habebat. Non est ergo obligatio vlla subjiciendi iterum eadem peccata præterita clauibus, si non est obligatio magis distinctè eorum numerum explicandi: atque ita absolutè dicendum videtur, saltem, dum rusticus manet in eadem impotentia, vel difficultate explicandi meliùs suum statum.

Difficultas esse posset, casu, quo rusticus ille propter maiorem notitiam, quam postea acquisiuit, vel puer grandior iam factus meliùs iam posset explicare numerum, quem sub illa generalitate, & ita grosso modo dixerat in confessionibus bona fide antea factis, an debeat id nunc facere, & supplere defectum tunc commissum circa integritatem meliùs declarandam. Et quidem supposita sententia communi ponente obligationem iterum confitendi peccatum, quod priùs, vt dubium dictum fuerat, quando postea constat fuisse certum, de qua dixi *suprà sect.* 2. consequenter videtur ponenda obligatio in casu nostro repetendi illas confessiones præteritas: quia vt ibi ostendi, etiam in hoc casu, si res attentè consideretur, per illum modum confusum confitendi, multa peccata dicta fuerunt, vt dubia, quæ nunc possent dici, vt certa: nam qui confitetur confusè multitudinem confusam viginti peccatorum, plus, minúsve, non dicit vt certum peccatum vigesimum primum, imò, nec vigesimum, vt ibi probaui; ergo à fortiori rusticus dicens illum modum vitæ communem, non dicit, vt certum talem numerum determinatum peccatorum, sed plura comprehendit sub aliquo dubio: deberet ergo nunc dicere illa vt certa, si possit pro maiori lumine & instructione, quam nunc habet.

Aliunde tamen durum videtur imponere hoc onus etiam in eo casu. Primò quia si talem obligationem haberet ipse pœnitens; haberet etiam illam frequenter confessarius, quia posset Confessarius doctus operâ, & industriâ sua eum iuuare ad meliùs explicanda peccata, quæ in aliis confessionibus confusè explicuit, sicut adiuuat eum ad magis distinctè faciendam præsentem confessionem. Vnde doctrina illorum Auctorum de rustico non obligando ad repetendas priores confessiones,

confessiones, inutilis ferè esset in praxi, cum semper, aut ferè semper Confessarius doctus posset facere, quod pœnitens magis distinctè explicaret nunc numerum peccatorum antea confusè dictum, atque adeo iam teneretur pœnitens hac oportunitate habita repetere priores confessiones.

581. Secundò, quia iuxta communem Doctorum sententiam, ille qui explicuit numerum non omnino determinatum, v g. *decies, plus minúsve*, non tenetur postea accusare se de vndecimo peccato, etiamsi postea certò recordetur illius, vt ostendi *illa sect.* 2. ergo neque in casu nostro tenetur repetere confessionem rusticus, vel puer grandior factus. Probatur consequentia, quia sicut rusticus illo modo loquendi confuso explicuit numerum indeterminatum, in quo aliqua peccata comprehenduntur, vt certa, & aliqua vt incerta: sic ille alius dicendo, *decies, plus, minúsve*, aliqua peccata comprehendit vt certa, & aliqua vt incerta: ergo sicut hic non obligatur, licèt postea possit illa eadem, vel aliquod illorum dicere, vt certum, sic nec rusticus, vel puer tenebuntur, cùm sit eadem ratio, & hi etiam dixerint aliquam multitudinem confusam, in qua hæc etiam peccata cum aliis certis comprehendebantur, licèt non vt ómmino certa.

582. Tertiò, quia ille, qui propter inueteratam peccandi consuetudinem non potest peccatorum numerum distinctè explicare, & ideo dicit tempus, v. g. meretrix, quæ iuxta regulas supra positas confitetur statum suum, non tenetur postea iterum confiteri peccata particularia, quia sibi in memoriam occurrunt, licèt possit ea magis distinctè explicare: quia iam in illa confusa narratione comprehensa sufficienter fuerunt, vt expresè notauit Pater Vasquez *illo dub. 5. num.* 3. ergo neque in nostro casu tenebitur rusticus, cùm ea omnia peccata, quæ postea sibi magis distinctè in memoriam venire possunt, iam fuerint in illa confusa narratione comprehensa.

583. Quartò, & à priori, qui vt in simili argumentati sumus *illa sectione.* 2. peccata illa, quæ nunc magis distinctè confiteri posset rusticus, iam omnia subiecta fuerunt priùs directè clauibus, atque ideo directè ab eis absolutus fuit: materia enim directa illius absolutionis prioris non fuit alia, nisi quæ in illa confusa narratione continebatur: ergo non est obligatio iterum confitendi magis distinctè postea eadem peccata, licèt id facere possit: quia non est obligatio iuxta communem sententiam iterum deferendi ad hoc iudicium Sacramentale illud peccatum; à quo iam directè in eodem iudicio per iudicem legitimum fuit pœnitens absolutus.

584. Dices; Confessarius doctus, ad quem rusticus accedit, non debet contentus esse illa rudi, & confusa narratione in ordine ad confessionem præsentem, & ad peccata post vltimam confessionem facta, si videat, quod poterit facilè sua industria extorquere ab illo magis distinctè numerum: ergo etiam in ordine ad confessiones præteritas debet eum simili industriâ iuuare: non minùs enim videtur obligatus pœnitens ad peccata antiqua, quàm ad præsentia distinctè confitenda.

Huic obiectioni difficilè, vt dixi, responderi potest, si certum sit, debere pœnitentem iterum confiteri, vt certum, peccatum, quod olim vt dubium confessus fuerat: si enim hæc obligatio in pœnitente esset, confessarius etiam videns, non esse ab ipso pœnitente satisfactum, deberet illum, si facilè posset, iuuare ad supplendum illum defectum. Qui verò diceret, non esse talem obligationem, facilè posset respondere, negando consequentiam. Ratio autem sumitur ex proximè dictis: quia peccata cum illa confusione dicta in aliis confessionibus, iam fuerunt dimissa per absolutionem directam sacramentalem, atque ideo libera ab obligatione ea iterum subiiciendi clauibus: peccata verò præsentia nunc ex obligatione subiiciuntur, quare nunc debent subjici per notitiam magis distinctam, quæ absque notabili incommodo possit hîc, & nunc haberi. Fuit autem similis obligatio etiam in confessionibus præteritis ad ea peccata, quæ tunc primò clauibus subjici bantur, distinctè confitenda; sed vel propter impotentiam, vel propter ignorantiam inuincibilem tunc liber fuit pœnitens à notitia magis distincta proponenda, & absolutione directa habita, liber mansit iam ab ea obligatione circa illa eadem peccata.

Hæc omnia, vt dixi, ostendunt, difficile posse 585.
stare doctrinam hanc cum sententia illa communi de obligatione confitendi iterum peccatum certum, quod priùs vt dubium dictum fuerat, quæ tamen obligatio non potest facilè negari propter communem sensum Doctorum. Quare consequenter videretur etiam ponenda obligatio in casu nostro, & dicendum, quod rusticus, vel puer postea teneatur repetere illas confessiones, quando per se meliùs, & magis distinctè numerum explicare. Cæterùm in praxi posset aliquis hanc obligationem in præsenti casu negare, quia saltem per principia extrinseca, & propter auctoritatem horum Doctorum posset amplecti hanc conclusionem practicam: quia licèt speculatiuè difficilè appareat, quomodo hoc possit stare cum illa alia obligatione confitendi secundò peccatum quod sub dubio dictum fuerat: illi tamen Auctores, qui vtrumque docent, fortasse inuenient modum probabilem illa duo coniungendi, & differentiam aliquam probabilem inter vtrumque casum, & ad praxim sufficit, quod conclusio ipsa probabilis existimetur à probatis Doctoribus, quidquid sit de modo speculatiuo illam defendendi.

Dices iterum, si manet liber ab obligatione ite- 586.
rum confitendi rusticus, qui ita confusè, & indistinctè ob impotentiam, aut difficultatem dixerat sua peccata; ergo manebit etiam liber ab eâdem obligatione ille, qui ob angustias temporis, vel vrgens periculum mortis, fecit confessionem diminutam: quod enim difficultas proueniat ex vno, vel alio capite, materialiter se habet ad finem excusandi ab obligatione confitendi postea cum integritate debita. Consequens autem est falsum: quia in casu consequentis ille, qui ob periculum imminens facit confessionem formaliter sólùm integram, sed materialiter incompletam, debet postea suo tempore debito modo confiteri ex omnium sententia.

Quid de illo, qui propter aliam causam non explicuit numerum.

Respondetur, negando sequelam. Pro quo aduerte, dupliciter contingere posse, quod propter periculum, vel temporis, angustias aliq is non integrè confiteatur. Primò, si dixit vnum peccatum, & reliqua omisit: & tunc certum est, manere obligationem confitendi suo tempore illa, quæ omissa sunt; quia illa non fuerunt directè clauibus subiecta, nec ab eis Sacerdos directè absoluit. Idem dicendum est, quando propter eandem causam aliqua peccata non fuerunt explicata secundùm speciem, vt si quis dixit: *Habeo multa peccata grauia*: non tamen dixit eorum species; quia tunc etiam absolutio non cadit directè super illa peccata secundùm rationes specificas, sed sólùm secundùm rationem communem, in qua conueniunt cum aliis peccatis, vt fatetur Suarez *disputatione* 23. *sect.* 1. *numero* 11. Coninck *disput.* 7. *dub.*

dub. 10, *num.* 98. qui non explicant, quid sit absolui ab illo peccato directè secundùm rationem generi-cam, & non secundùm specificam: quod quidem examinandum est infrà *disp. seq. sect.* 1. vbi agemus de illo casu, quo aliquis dat pro materia directa Sacramenti peccatum aliquod secundùm rationem generi-cam, & non secundùm specificam. Pro nunc dicimus illum casum esse diuersum à nostro: quia in illo peccatum non fuit subiectum clauibus secundùm rationem specificam, & ideò secundùm illam debet postea subiici, vt quoad illam etiam differentiam directè remittatur à Sacerdote. At verò in nostro casu totum peccatum secundùm vltimam differentiam specificam subditum fuit clauibus, & ad totum illud terminata fuit directè absolutio sacramentalis.

587. Secundò contingere posset defectus integritatis materialis propter illum necessitatis articulum; si aliquis diceret in specie, *commisi multa peccata*, v. g. non explicando numerum propter temporis angustias. Et in hoc casu dubitari potest, an postea, data occasione, & opportunitate debeat explicare numerum, quem ptiùs sub illa generalitate dixit. Et distinguendum existimo: nam vel Confessarius ex circumstantiis personæ, & temporis intellexit per illa verba verisimiliter numerum illum, & multitudinem, quam pœnitens concipiebat, & significare volebat: & iam tunc erit idem dicendum, quod de confessione rustici, in quo Parochus per illa verba attentis circumstantiis intelligit sufficienter multitudinem, quam pœnitens concipit; atque ideo propter eamdem rationem, neque in illo obligandus erit pœnitens postea ad illum numerum magis distinctè declarandum, quia iam iuxta capacitatem præsentem declaratus fuit sufficienter ad hoc, vt absolutio directè ad totum illum numerum terminaretur: si autem ex illis verbis Confessarius non potuit concipere prudenter aliquam multitudinem, & numerum verisimilem iuxta pœnitentis intentionem; tunc fatendum est absolutionem non terminari directè ad totam illam multitudinem, sed solùm secundùm eam partem, quam Confessarius ex illis verbis potuit prudenter colligere, & ad minus terminatur ad aliqua: quoad reliqua verò manet obligatio confitendi illa distinctè, & procurandi directam absolutionem ab illis: quod in nostro casu non procedit, cùm absolutio supponatur directè terminata ad omnia peccata contenta in illa multitudine, quam rusticus crasso modo confitetur.

588. Illud tamen concederem: quando rusticus, vel puer ita grosso modo confitentur sua peccata, vt confusio non solùm maneat circa numerum, sed etiam circa species, quia non dicuntur determinatæ species, sed etiam sub confusione, & dubio, tunc licèt ratione impotentiæ, aut difficultatis aliter explicandi excusentur; postea tamen cessante illa difficultate, obligari ad explicandas distinctè illas species peccatorum. Porrò esse aliquam differentiam quoad hoc inter species, & numerum peccatorum, probari potest ex communi Theologorum sensu. Nam ferè omnes dicunt, vt vidimus, eum, qui confitetur se ter, vel quater fornicatum, non teneri postea ad confitendam quartam fornicationem, licèt recordetur certò illius, quo casu videntur admittere, quod peccatum illud quartum sub dubio dictum directè absoluatur, quoad totam speciem, & indiuiduationem. Aliundè verò si pœnitens dicat se certum esse de consensu mortali contra castitatem, non tamen recordari, an fuisset circa solutam, an circa coniugatam: omnes dicunt debere postea explicari determinatiuè speciem, si postea recordetur fuisse circa coniugatam. Non ergo fuit directè absolutum illud prius peccatum quoad differentiam, vel circumstantiam adulterij, sicut in primo casu fuerat quartum peccatum fornicationis directè absolutum. Ratio autem differentiæ inter species, & numerum quoad hoc esse potest, quia in primo casu, licèt non cum certitudine, verè tamen explicatur totum quartum peccatum secundùm rationem generi-cam, & specificam, & indiuiduationem: at verò in secundo casu peccatum explicatur secundùm rationem generi-cam contra castitatem; non tamen secundùm speciem atomam: quia idem est dicere fuisse huius, vel illius speciei disiunctim, nullam determinando, ac explicare illud secundùm solam rationem communem illis duabus speciebus: non ergo explicatur totum peccatum secundùm totam suam essentiam, & ideò non mirum, quod absolutio non terminetur directè ad illud totum, & per consequens maneat obligatio confitendi postea differentiam specificam, quæ priùs explicata non fuerat, sed sola ratio communis, ad hoc vt postea absoluatur directè etiam quoad differentiam specificam.

589. *De obligatione Confessarij ad indagandum numerum.* Dixi etiam supra Confessarium doctum, ad quem accedit rusticus pœnitens, magis obligari ad eum iuuandum, & examinandum circa confessionem præsentem, si facilè possit sua industria extorquere numerum magis distinctè: circa quod aduertendum est, & summoperè obseruandum, neque etiam in ordine ad confessionem præsentem obligari Confessarium ad examinandum pœnitentem exquisita industria, & exactissimo examine, sed suaui, & humano. Ad cognoscendum autem gradum huius diligentiæ, quam Confessarius adhibere debet, aduertendum est in hoc errari posse, vel per defectum, provt rudiores, & ignari Confessarij deficere solent nihil interrogando, vel solùm crassissima, & generalia, vel etiam errari posse per excessum nimium interrogando, & examinando, in quo docti Confessarij maius periculum habent, quia ipsis occurrunt plures, & plures interrogationes, quæ circa peccata fieri possunt ad meliùs speciem, vel numerum cognoscendum.

590. Circa hoc itaque aduertendum est per se loquendo non esse in hoc puncto maiorem obligationem Confessarij ad interrogandum, quàm sit ipsius pœnitentis ad examinandam suam conscientiam, & recogitanda sua peccata. Imò pœnitens obligatur primo loco, & in eius defectum obligatur Confessarius ad eum iuuandum iuxta ipsius capacitatem, atque ideò minus obligatur, quàm ipse pœnitens. Certum autem est pœnitentem ipsum non obligari ad exactissimum examen suorum peccatorum, sed ad humanum; hoc est tale, quo Sacramentum istud non reddatur nimis graue, & onerosum: minùs ergo tenebitur Confessarius ad examen, & interrogationes tales, quibus confessio reddatur pœnitentibus grauis, & onerosa nimis. Vndè non est bona regula illa, si dicas: talis, vel talis interrogatio faciet aperire magis distinctè numerum, vel species peccatorum; ergo illa etiam interrogatio addenda erit. Sicut neque in ipso pœnitente est bona regula, si dicas: Si hic homo cogitaret adhuc alia hora de suis peccatis, recordaretur alicuius peccati, cuius non recordatur, vel posset computare meliùs numerum peccatorum; ergo tenetur cogitare alia etiam hora. Ratio autem est eadem, quia scilicet non est attendendum solùm ad exactam, & integram confessionem peccatorum; sed etiam maximè attendendum ad conditionem humanam, & ne ex eo capite Sacramentum ipsum reddatur graue, &

& odiosum, nec detur ansa impudentibus, & ignaris hæreticis vocandi illud conscientiæ carnificinam: & ad hoc maximè requiritur prudentia Confessarij, ne nimium pœnitentem torqueat aliis, & aliis interrogationibus minutissimis, sciens, quod nunquam ita exactè illum examinabit, vt ab alio doctiori non posset vlteriùs interrogari de aliqua 591. circumstantia, vel differentia omissa. Sicut etiam ex parte pœnitentis prudentia requiritur, ne se in examine conscientiæ nimium vexet, sed humano examine contentus sit, quod quidem experientia didici in iuuene quodam nobili, & quoad reliqua prudenti, sed in hac parte nimis scrupuloso, qui cùm confessionem generalem totius vitæ facere vellet, per quindecim dies se ad illam præparauit, & plurima folia de suis peccatis scripsit, quibus legendis multi dies non sufficerent: sed neque his contentus, nouum adhuc examen instituit; quo facto, cum iam per dies aliquot confiteri cœpisset Vallisoleti, vbi ipse cum Regia Curia morabatur, in eas tandem angustias confessionis occasione redactus est, vt ipsemet pugione se lethaliter percusserit, Deo tamen prouidente, vt ante mortem posset iterum confiteri. Certum itaque est, quod iuuenis ille non tenebatur ad tantum studium adhibendum circa examen, licèt noua illa & assidua recogitatio noua peccata, vel maiorem illorum distinctionem in mentem reuocaret. Minus ergo tenebitur Confessarius ad eas interrogationes, & examen, quod ex se aptum sit ad generandum tædium, & horrorem circa hoc Sacramentum.

592. Ex hoc itaque exemplo, quod desumitur ab obligatione ipsiusmet pœnitentis circa suum examen; formari potest regula aliqua vniuersalis pro Confessario; nam interrogationes illæ, & examen Confessarij, quod ex se aptum est ad reddendum hoc Sacramentum onerosum, & graue in eo gradu oneris, vt ipse pœnitens de se non teneretur ad subeundum tantum onus in seipso examinando, procul dubio non debet à Confessario adhiberi, qui minorem obligationem habet procurandi confessionis integritatem, quàm ipse pœnitens.

Nec obstat Tridentinum *sess.* 14. *c.* 5. & *can.* 7. dicens esse obligationem confitendi omnia, & singula peccata mortalia; id enim certissimum est; cæterùm sicut ibi non præcipitur confessio Angelica, hoc est, quæ ita metaphysicè distinguat omnia, & singula peccata, sicut distingui possent ab Angelo; ita nec præcipitur ibi illa enumeratio, & indagatio etiam humana, quæ summa, & exquisita diligentia fieri posset, sed quæ prudenti diligentia posset obtineri, habito respectu ad ipsum Sacramentum, ne reddatur odiosum, aut nimis graue. Ille autem, qui confitetur peccata sua cum aliqua confusione propter difficultatem magnam, quæ est in explicandis eis magis distinctè, verè confitetur omnia peccata, sicut qui videt parietem, videt omnes eius partes, licèt non ita distinctè, vt possit eas omnes ad inuicem distinguere.

593. Hinc constat primò, quomodo excusentur Confessarij, qui inueniunt quidem pœnitentem non præparatum sufficienter, nec facto sufficienti examine, ad confessionem accedere: & tamen non illum dimittunt, vt se præparet, ac diligenti examine facto, redeat, sed potiùs illum interrogant, & quidem circa aliqua peccata, quorum pœnitens non meminerat, ex improuiso interrogant numerum, quem quidem non videtur posse pœnitens absque aliqua recogitatione dicere, nisi temerè, vel cum magna confusione, quare videtur remittendus ad cogitandum de iis cum maiori attentione. In contrarium tamen est praxis communis: vix enim vnus aliquando remittitur ad examen iterum faciendum. Ratio autem est; quia eiusmodi homines rudes, & ignari, quantuncunque millies remittantur, nunquam meliùs se examinabunt, nec poterunt ita benè dicere sua peccata, sicut nunc, si ab ipso Confessario mediocri diligentia interrogentur: imò contingere potest, vt Confessarius inueniat pœnitentem indigere confessione generali propter confessiones irritas præcedentes, & tamen persona sit talis, vt possit statim examinari & audiri de tota vita, quia non est spes, quod sibi relicta meliùs examen faciet quàm illud, quod iuuante Confessario ibi facere poterit.

Constat secundò circa examen, & interrogationem humanam, quam diximus solùm requiri, non posse dari vnam, & eamdem regulam pro omnibus personis; pendet enim ex capacitate, & dispositione corporali, ex atentione & aliis circumstantiis: quare pauciores, & crassiores interrogationes debent fieri homini inculto, & barbaro, quales sunt Indi Occidentales, quàm alicui Europæo: leuiùs item examinandus est rusticus noster, quàm homo ciuilis: leuiùs, qui ægrotat, & difficilè potest ad subtiliora attendere, propter capitis debilitatem, quàm homo sanus, & robustus: denique (quod notandum etiam est) leuiùs, & minùs exactè interrogandus est circa singula, qui plura habet peccata, quàm qui pauciora. Ratio colligitur ex dictis quia cùm solùm requiratur diligentia, & examen humanum; hoc autem sit illud, quod non generat ex se fastidium, & tædium huius Sacramenti; consequens est, vt minùs distincta notitia requiratur ab eo, qui vel propter incapacitatem, vel propter morbum, vel propter peccatorum multitudinem, vel aliam ob causam difficiliùs posset exactam notitiam reddere. Nam illi, qui confiteri debet peccata totius vitæ, quam in omni peccatorum genere expendit, difficillimum esset, & aptum ex se ad reddendam illi confessionem odiosam, & grauem nimis examen illud, quod alteri facienti confessionem menstruam non esset difficile, sed facile. Et hæc est ratio, cur à meretrice, & concubinario, & similibus minùs exactè, & distinctè petamus numerum peccatorum, quàm si per mensem, vel hebdomadam solam, v. g. in eo peccato fuissent, quia nimirum diligentia, quæ pro peccatis vnius hebdomadæ distinctè confitendis sufficeret, eadem si pro longo tempore examinando adhiberetur, difficultatem ingereret, & molestiam talem ad quam præceptum confessionis integræ non obligat, quia redderet præceptum ipsum, & confessionem nimis molestam, & grauem. Debet ergo Confessarius accommodare se pœnitenti, & notitiam peccatorum à singulis petere iuxta capacitatem singulorum: subtiliorem à subtilioribus, crassiorem à crassioribus, breuiorem ab infirmioribus: hæc enim est notitia, & interrogatio humana, quam solam hoc Sacramentum desiderat. 594

Vltimò aduertendum est hanc temperantiam in interrogando potissimum desiderari in rebus turpibus, & obscœnis, vt notant Angelus *in summa* verbo *Incarnationes, n.* 1. Coninch *in præsent. disp.* 7. *dub.* 7. *n.* 56. Fagund. *dict. l.* 4. *c.* 2. *n.* 8. Homobonus *in exam. Eccles. part.* 1. *tr.* 4. *c.* 12. *q.* 11. Diana 2. *tom. tract.* 4. *de Sacram. resol.* 99. & alij. Tum ne forte ex eiusmodi interrogationibus pœnitens malè discat, quæ benè ignorabat; tum etiam ne refricata memoria periculum generet nouum, aut ipsemet Confessarius descendendo nimis ad particularia sibi scandalum præparet, & ruinam 595.

SECTIO

SECTIO XV.

§. *Quando confessio peccatorum reiteranda sit?*

596. SVpponimus posse reiterari hoc Sacramentum circa eadem peccata, si iterum ea confitearis. Supponimus etiam licitè, & laudabiliter posse repeti confessionem peccatorum, atque ideo laudabilem, ac fructuosum esse vsum confessionis generalis aliquoties faciendæ: contra quam duriusculè loquutus videtur Medina *in summ. l. 1. c. 12.* Nam licèt illa necessaria non sit, quando de valore aliarum præcedentium non dubitatur, eius tamen vtilitas magna negari non potest, quam mirificè commendauit S. P. noster Ignatius in suo libro exercitiorum spiritualium, quem librum, & omnia in eo contenta approbauit, & commendauit Paulus tertius in Bulla speciali, quæ eidem libro præmittitur.

597. *Ex defectu doloris debet reiterari confessio.* Dubitatur ergo, quando sit ex necessitate repetenda confessio peccatorum. Plures casus assignati solent, de quibus magna ex parte actum est in superioribus. Primò, quando defecit dolor, vel propositum requisitum in priori confessione. De hoc tamen diximus satis *disp. 14. sect. 6. & 7.* vbi vidimus, an possit dari hoc Sacramentum validum, & informe, & quidem quando tale est, non oportebit repetere confessionem, sed supplere dolorem, vt ibi dictum est.

Secundò quando confessio prior fuit ex malo fine. De hoc tamen diximus satis *disp. 15. sect. 9.* vbi diximus ex fine malo venialiter non reddi inualidum hoc Sacramentum.

598. *Item ex defectu absolutionis vel intentionis.* Tertiò certum est, esse repetendam, quando defuit absolutio Sacramentalis, vel intentio in Confessario, vel in ipso pœnitente. Idem est, quando Confessarius non habebat iurisdictionem necessariam: quo tamen casu, si Sacerdos habebat iurisdictionem quoad aliqua peccata, non verò quoad alia; quæ reseruata erant; tunc si confessio bona fide facta est, non erit repetenda quoad peccata non reseruata, quia ab illis iam absolutus est pœnitens directè à legitimo iudice, erit tamen repetenda, quoad sola non reseruata, à quibus non fuit directè absolutus, quia vtile per inutile non vitiatur, de quo Nauarrus *in summ. c. 9. n. 6.* Syluester *Confessor 3. §. 1.* Tabiena, *Confessio, n. 23.* Armilla *ibi §. 12.* & alij communiter. Ad hunc autem casum reducitur, quando Confessarius habebat iurisdictionem impeditam per excommunicationem, vel censuram aliquam: quod tamen post Concilium Constantiense intelligi debet de censura proueniente ex notoria percussione Clerici, vel nominatim declarata.

599. *Quid, si tacuit peccatum?* Quartò solet poni casus, quando pœnitens in præcedentibus tacuit aliquod peccatum mortale; quod quidem intelligi debet, quando id mala fide tacuit, ita vt in hoc ipso commiserit nouum peccatum graue, ratione cuius non potuit tunc habere dolorem, & propositum debitum. Aduertendum tamen est, quod si aliquis ante decem annos, v. g. tacuit culpabiliter peccatum mortale; & postea in aliis confessionibus intermediis non recordatus est; nunc quando Confessarius comperit vitium illius confessionis præteritæ, non debet obligare ad repetendas omnes confessiones intermedias bona fide factas, sed solam illam, in qua fuit ille defectus, cùm aliæ omnes potuerint validæ, & fructuosæ esse, dum illius Sacrilegij non recordabatur.

600. *Quando non impleuit pœnitentiam.* Quintò solet ab aliquibus poni casus, si pœnitens non impleuit pœnitentiam, quorum sententiam refert Gerson *Alphabet. 34. litt. R.* & alij. Sed id prorsus caret fundamento; nam valor confessionis præteritæ non pendet à peccato futuro: quare ad summum oportebit confiteri peccatum illud pœnitentiæ omissæ. Magis apparens est, quod alij dicunt, esse necessarium repetere confessionem, quando pœnitens oblitus est pœnitentiæ sibi impositæ, quia debet iterum recipere pœnitentiam, quam recipere non potest nisi confiteatur peccata, pro quibus imponenda est. Sed neque hoc verum est, nec ille tenetur aliam pœnitentiam petere pro illis peccatis, vt videbimus *disp. 25. de satisfact.* ad quem locum hoc pertinet.

601. *Quando confessio facta fuit ignaro confessario.* Sextus casus afferri solet, quando confessio facta fuit Confessario ignaro. Solent tamen communiter distinguere: nam si Confessarius non est ita ignarus, vt nesciat discernere mortalia à venialibus in iis, quæ communia sunt, confessio erit valida, si alioquin bona fide fiat, & non sit culpa ex parte pœnitentis accedentis ad Confessarium ignarum, qui nesciat illi mederi. Si verò Confessarius non solùm ignoret extraordinaria, sed etiam ordinaria, & communia; dicunt, confessionem esse nullam, quia confiteri tali Confessario perinde est, ac si confiteretur dormienti, vel ignoranti idioma. Ita plures antiquiores, Syluester, Richardus, Nauarrus & alij, quos refert, & sequitur Vasquez *q. 93. art. 3. dub. 1.* & Turrianus *de pœnit. disp. 25. dub. 2.*

602. Contrariam sententiam tenent alij, pro qua Diana *2. tom. tract. 4. de Sacram. resol. 21.* affert Thom. Sanchez *lib. 1. in Decal. c. 10. n. 69.* Sed Sanchez ibi non loquitur de Confessario ita ignaro, sed solùm ignorante de aliquo peccato speciali, an esset mortale, vel veniale, quod quidem etiam homini docto contingere potest; imò necesse est, vt contingat, vt aduertit idem Sanchez ibi. Melius potuisset pro illa sententia afferri Suarez, qui eam ex professo probat *in præsenti disp. 28. sect. 2. n. 12.* vbi citat Gabrielem, Medinam, & alios: eamdem tenet Henriquez *lib. 5. de pœnit. c. 14. num. 5.* & indicat Corduba *casu 9.* & Gaspard. Hurtado, *de Sacram. disp. 10. de panit. difficult. 15.* Syluius *in præsenti quæst. 8. artic. 5. quæsit. 7.* Mercerus *ibi quæst. 9. artic. 1.* & mihi etiam placet.

603. Et quidem; si bona fides sit ex parte pœnitentis, vt supponitur, fatendum videtur, absolutionem esse validam, & conferre gratiam: quia ad hoc sufficit, quod Confessarius habeat aliquam notitiam de aliquo saltem peccato pœnitentis, imò de peccato in communi, vt supra dictum est: quæ notitia nunquam deest illi Confessario, siquidem videt pœnitentem accedere ad confessionem, & petere absolutionem, ac confiteri se peccatorem, & impossibile etiam est, quod aliquod saltem peccatum non intelligat, & sciat esse peccatum, quod sufficit, vt validè de illo absoluat.

604. Deinde absolutionem ab omnibus validam esse, dum iurisdictio non defit, probat benè Suarez, quia si Confessarius sit doctus, & habeat ignorantiam circa aliquod peccatum, an sit mortale, aut veniale, & putet esse veniale, quod est mortale, adhuc absoluit directè ab illo, & pœnitens non tenetur iterum illud confiteri, vt aduersarij etiam concedunt: ergo poterit absoluere directè ab omnibus, licèt de pluribus illorum habet eamdem ignorantiam. Nam si ignorantia semel non impedit absolutionem directam ab vno peccato, circa quod est ignorantia, neque etiam impediet circa alia, cùm non sit maior ratio, & constet, iurisdictionem circa aliquod peccatum posse stare cum ignorantia circa eius grauitatem. Quamuis ergo Confessarius sit ignarus circa maiorem partem peccatorum, & eorum grauitatem

tatem; poterit tamen ab illis absoluere, sicut poterat à duobus, vel tribus, quorum grauitatem ignorabat.

605. Confirmatur, quia in articulo mortis, si non esset alius Confessarius, deberet pœnitens illi ignaro, & indocto confiteri omnia sua peccata mortalia; non quidem vt ab illis absolueretur indirectè, quia ad hoc sufficeret confiteri aliud, à quo absolueretur directè: si ergo obligatur ad confitenda illa omnia, potest Confessarius absoluere directè ab illis; sed articulus necessitatis non dat illi iurisdictionem, si ipse propter ignorantiam est naturâ, vel certè diuino iure incapax potestatis: ergo fatendum est, ignorantiam non tollere potestatem absoluendi à peccatis, de quibus non scit prudenter iudicare; & per consequens, licèt extra illum articulum male faciat ingerendo se illi muneri, pro quo non habet sufficientem peculiam, validè tamen illud exercet.

De Confessario dormiente.

Ad exempla verò de Confessario dormiente, vel ignorante idioma pœnitentis, dicendum est, discrimen esse clarum, quia Sacerdos non potest absoluere, nisi præcedat confessio: non est autem confessio, quando Sacerdos non audit, quia confessio non fit, nisi audienti; perinde autem se habet non intelligens voces, & earum significationem, ac si non audiret. At verò in casu nostro audit, & intelligit rem significatam per has voces, *occidi hominem*: quod autem non sciat, an sit peccatum mortale, vel veniale, non tollit, quod cognoscat verè illam actionem quæ est peccatum mortale.

606. Circa hoc tamen ipsum aduerte, non deesse, qui dicant, non esse repetendam necessariò confessionem, quando pœnitens scit postea, Confessarium dormitasse interim, & aliqua peccata non intellexisse. Ita Diana *tom. 2. tract. 4. de Sacram. resol.* 109. qui affert pro se Henriquez *lib. 5. c. 14. n. 5.* & Laymau *lib. 4. tract. 6. cap. 9. num. 5.* sed vterque solùm dicit, Sacramentum fuisse validum, & cum fructu quod quidem verum est, quia ad hoc sufficit audiisse vnum peccatum. Addit tamen vterque, debere repeti illa peccata, quæ pœnitens putat à Confessario non fuisse audita propter somnum, vel distractionem, non verò esse repetendam confessionem quoad alia peccata, quæ Confessarius audiuit. Quare neuter dicit, non esse obligationem vllam reiterandi, sed solùm non esse obligationem reiterandi quod auditum fuit, de quo non poterat esse dubium, aut controuersia. Remanet ergo dubium practicum, quando pœnitens post absolutionem aduertit Confessarium aliquod, vel aliqua peccata non intellexisse propter somnum, vel distractionem; nescit tamen, quod fuerit illud peccatum, an tunc teneatur repetere totam confessionem, vt directè absoluatur ab illo peccato, à quo nondum directè absolutus est: de quo casu illi Doctores non loquuntur, sed solum dicunt id, quod extra controuersiam erat, debere repeti peccata, quæ Confessarius non audiuit, ea verò quæ audiuit, repetenda non esse, quod si hoc solùm quærebatur à Monialibus illis, quibus Pater Diana respondit, nemo poterat contradicere: si autem aliquid vlteriùs quærebatur, provt casus indicat, Auctores illi non sunt ad rem, quia nihil aliud dicunt.

607. Ad casum ergo sub his terminis propositum aliter respondendum est, si constet Confessarium dormisse ita, vt prudenter de singulis peccatis dubitari possit, an hoc peccatum audierit, debet tota confessio reiterari: si verò non possit de singulis ita dubitari, sed ad summum in communi de aliquo peccato, non est obligatio reiterandi confessionem, sed confitendi illud peccatum in communi. Pro cuius intelligentia, aduerte primò, peccatum illud, de quo est. verum dubium, an fuerit in confessione dictum Sacerdoti, debere iterum in confessione dici, vt tradunt communiter Theologi, quos sequitur Thom. Sanch. *l. 1. in Decal. c. 10. n. 71.* qui *n. 72.* addit, idem dicendum esse, quando quis confessus est peccatum, sed dubitat, an confessio fuerit valida, provt in nostro casu contingit.

608. Aduerte secundò, posse aliquando dubium esse circa hoc peccatum, aliquando solùm circa peccatum aliquod in communi. Exemplo res declaratur: si ego ex reuelatione scirem, esse vnum hominem Romæ, qui existimat se baptizatum & tamen non est verè baptizatus; non ideo deberem, aut possem licitè baptizari sub conditione; quia hîc, & nunc non habeo sufficiens fundamentum ad dubitandum prudenter de meo Baptismo. Alioquin omnes deberemus iterum baptizari, & ordinari, quia certum moraliter est, inter Christianos aliquem, vel aliquos reperiri, qui vel ex defectu intentionis, vel materiæ, vel alia de causa verè baptizati non sint, vel ordinati. Cæterùm in tanta multitudine id non generat dubium morale respectu huius hominis in particulari. Sicut ex eo, quod aliquis soleat repente mori, non generatur morale dubium de morte huius hodierna, qui nunc bene valet: alioquin teneretur sub peccato mortali statim confiteri, ne exponeret dubio morali suam salutem æternam: de quo vide quæ diximus *supra disp. 7. sect. 11. & 12.* Quando autem certum esset, vnum ex decem, vel viginti hominibus non esse baptizatum, possent, & deberent omnes, & singuli baptizari sub conditione, quia tunc de singulis possemus aliquo modo prudenter dubitare, an essent baptizati.

609. Similiter ergo contingere potest dubium circa peccati confessionem: nam si scias te aliquando in vita, v.g. fecisse confessionem menstruam irritam ex defectu potestatis in Confessario, non ideo debes reiterare omnes confessiones totius vitæ, quia non est dubium morale de singulis in particulari, sed satis erit accusare te de peccatis, quæ in illa confessione dixisti, quæ determinate non potes. Similiter si in confessione generali scires, vnũ peccatũ non fuisse à Confessario auditum propter somnum, & nescires, quod peccatum esset; non deberes repetere omnia peccata: quia non potes in tanta multitudine de singulis prudenter dubitare. Secus esset, si in confessione breui scires id euenisse: quia iam tunc posses de singulis peccatis in illa confessione dictis prudenter dubitare, an fuissent à Confessario audita. Plus autem opus esset, vt deberes repetere totam confessionem, quando solùm scires, Confessariũ, qui hodie plures confessiones audiuit, in vna aliquantulũ dormitasse, quia tunc minor esset ratio dubitandi de singulis peccatis: sicut & minor ratio esset dubitandi quando solùm scires, Confessarium aliquando dormisse, dum confessionem aliquam audiret: nam si scires eum Parochum, à quo baptizatus es, semel casu ebrium baptizasse, non ideo posses prudenter de tuo Baptismo dubitare, quia in tanta multitudine baptizatorum non videtur sufficiens motiuum scire, quod vnus solus fuit baptizatus inualidè.

610. Dixi tamen, quando dubium esset circa peccatum aliquod in communi, debere te illud in communi confiteri: cuius ratio est clara: quia ille, qui sit, se commisisse aliquod peccatum mortale, & non recordatur, quale fuerit, tenetur illud in communi confiteri, vt supra dicebamus: & similiter qui dubitat de aliquo peccato mortali à se commisso, debet illud dubium confiteri, licèt non recordetur in particulari speciei talis peccati: ergo similiter qui dubitat de aliquo peccato mortali in communi, an illud confessus fuerit, debet confiteri

fiteri illud dubium, cùm eadem omnino sit ratio. Ergo si scis aliquod peccatum mortale non fuisse à Confessario intellectum, vel si etiam de hoc ipso prudenter dubitas, debes illud confiteri cum ea generalitate, licèt non scias in particulari, quale fuerit illud peccatum. Debes autem tunc determinare materiam, quantum fieri poterit, v. g. dicendo, scio, vel dubito, an Confessarius audierit, vel perceperit vnum peccatum graue meum, nescio quale fuerit, sed illo tempore confiteri solebam tales species peccatorum.

611. Dices, quando dubitatur de baptismo alicuius in communi, & non de baptismo huius in particulari, non debet, nec potest aliquis baptizari: ergo quoties non dubitatur de aliquo peccato in particulari, quod illud non sim legitimè confessus, nulla erit obligatio confitendi illud etiam in communi. Respondetur negando consequentiam: ratio disparitatis est, quia homo in communi non est subiectum capax baptismi; ideo licèt dubitetur de homine in communi, non potest baptizari, quia non potest baptizari, nisi homo singularis, de quo non dubitatur. At verò peccatum in communi est materia confessionis, & aliquando necessaria, vt constat in eo, qui recordatur se grauiter peccasse, & non recordatur speciei peccati: cùm ergo dubium versatur circa peccatum in communi, debebis illud confiteri, quia illud idem peccatum in communi potest recipere absolutionem sacramentalem directam, vt supra diximus.

De peccato per ignorantiam omisso. Septimus casus, quo confessio reiterari debet, assignari solet, quando aliquis in confessione aliquod peccatum propter ignorantiam omisit, quo casu dixerunt aliqui debere confessionem repeti. Sed certè, si ignorantia fuit inuincibilis, provt contingere sæpe potest, iudicandum est de illo, sicut de peccato inculpabiliter oblito, atque ideo sufficit illud peccatum omissum dicere in sequenti confessione. Idem dicendum est, quando omissum fuit peccatum ex ignorantia culpabili solùm venialiter, quia nec illa culpa venialis impedire potuit valorem & effectum absolutionis præteritæ.

§. 2. *An propter excommunicationem non ablatam repetenda sit confessio?*

612. OCtauus casus est, quando pœnitens habebat excommunicationem; & non fuit priùs ab excommunicatione absolutus, quàm à peccatis, quia propter incapacitatem subiecti absolutio à peccatis irrita est. Quod saltem de habente excommunicationem maiorem concedunt multi. Sotus, Palud. Syluest. & alij, quos refert, & sequitur Vasq *tom. 4. in 3. part. tract. de excom. dub. 4.* Sotus tamen apud Suarez infrà citandum, id limitauit, vt dixi, ad solam excommunicationem maiorem, quam limitationem Vasquez dicit immeritò adhiberi: nam textus, si quid probat, vt videbimus, probat etiam de excommunicatione minori.

613. Alij id limitant, vt non procedat, quando excommunicatio iniusta est, & quando, licèt iusta sit; probabiliter tamen ignoratur ab ipso pœnitente. Ita Palud *in 4. dist. 18 quæst. 4 num. 5.* Quam limitationem meritò impugnat Suar. *tom. 5. de censuris, disp. 10. sect. 3 n. 20.* quia nullum habet fundamentum.

Alij ergo versùs dicunt absolutionem à peccatis per se loquendo validam esse, si pœnitens bona fide procedat: nam si mala fide procedit, iam confessio, & absolutio erit irrita ex defectu dispositionis debitæ. Hanc tenent Petrus Soto, Nauarrus, Medina, Caiet. quos refert, & sequitur Suarez *loco citato* Toletus, Layman. Coninch. quos affert, & sequitur Diana *2 tom. tract. 4. de Sacrament. resol. 78.* quibus adde Sanchez *lib. 2. in decalog. cap. 8. n. 5.* Vnde infertur confessionem non esse postea repetendam, saltem quoad peccata non reseruata, à quibus alias Confessarius ille directè poterat absoluere.

Fundamenta præcipua sunt duo. Primum, quia durissimum esset pœnitentem oblitum excommunicationis obligare, vt non posset vnquam iustificari in Sacramento, sed solùm per contritionem, quia cùm ignoraret se esse excommunicatum, non quæreret vnquam absolutionis remedium, atque ita maneret incapax recipiendi Sacramentum pœnitentiæ; quod quidem, si Ecclesia fecisset, non videretur prudenter factum, cùm potestas eius non sit in destructionem, sed in ædificationem, & remedium animarum: ille autem rigor contra hominem non potentem sibi de remedio prouidere, videtur esse in meram destructionem: non est ergo credendum id fecisse, præsertim cùm non constet de tali voluntate Ecclesiæ, qua voluerit non solùm prohibere, sed irritare etiam receptionem huius Sacramenti. Fatemur quidem potuisse Ecclesiam irritare absolutionem, auferendo scilicet omnibus Sacerdotibus iurisdictionem ad absoluendum à peccatis eum, qui esset excommunicatus: sed nec expediebat, vt dixi, nec constat de tali voluntate: cum tamen Ecclesia soleat id clarè exprimere, quando intendit non solùm prohibere, sed irritum reddere aliquem actum, præsertim in Sacramentis, provt id clarè expressit in matrimonio, quando voluit matrimonia clandestina irrita reddere. 614.

Vnde sumitur secundum argumentum principale: quia hæc voluntas Ecclesiæ colligi non potest ex eo, quod excommunicatum separauerit, & priuauerit Sacramentorum participatione: nam si ex hoc præcisè colligis Ecclesiam, quantum potuit, excommunicatum priuasse vsu Sacramentorum, reddendo irrita ipsa Sacramenta, quatenus aliqua ex ipsius Ecclesiæ voluntate pendebant, deberes etiam dicere matrimonium ab excommunicato contractum esse omnino irritum: quia Ecclesia potuit id facere irritando consensum excommunicati, sicut ex voluntate priuandi excommunicatum vsu Sacramentorum colligis Ecclesiam irritasse absolutionem, ablata iurisdictione omnibus Sacerdotibus; sic deberes colligere irritasse Sacramentũ matrimonij, irritando consensum coniugis excommunicati: quod tamen nemo dixit, nec dici vllo modo potest. 615. 618.

Pro contraria sententia afferuntur aliqua leuia fundamenta, quæ facilè dissoluit Suarez. Vnum solùm restat difficile, quod validè contorquet Vasquez loco citat ex cap, finali *de Clerico excommunicato*, vbi Gregorius nonus loquens de excommunicato minori excommunicatione, sic ait: *Peccat autem conferendo Ecclesiastica sacramenta, sed ab eo collata virtutis non carent effectu: cùm non videatur à collatione, sed à participatione Sacramentorum, quæ in sola consistit perceptione, remotus*, vbi ille verbum *remotus*, intelligi non potest de mera prohibitione, quia per prohibitionem etiam est remotus à collatione, cùm Pontifex dicat clarè, ipsum peccare conferendo Sacramenta. Debet ergo intelligi illud, *Remotus*, de remotione, non solùm per prohibitionem, sed etiam per incapacitatem, per quam non est remotus à conferendis, sed à suscipiendis Sacramentis. 616. 617.

Pater Suarez, cum loco citato leuiter ad alium textum respondisset, postea *disp. 24. sect. 2. numer. 6. & seqq.* fatetur illius difficultatem, & tentatis variis solutionibus, tandem inuitus quieuit in solutione Nauarri, quam priùs impugnauerat, quod scilicet illa verba Gregorij: *Peccat conferendo Ecclesiastica*

clesiastica Sacramenta; intelligantur non de omnibus Sacramentis, sed de illis, quæ conferre non potest, nisi recipiendo, vt Sacramentum Ordinis, & Eucharistiæ, in quibus Episcopus, vel Sacerdos celebrat, & per consequens recipit Sacramentum.

Hæc tamen interpretatio incredibilis est. Primò, quia verba sunt vniuersalia de omnibus Sacramentis, vt constat, & alioquin Pontificis doctrina diminuta esset, cùm de omnibus Sacramentis dubitaretur, & ipse de duobus solis respondisset. Secundò, quia nec in illis duobus vera esset, cùm administratio Eucharistiæ communiter non fiat simul cum eius celebratione, sed possit diuidi, ac de facto frequenter diuidatur, & Sacerdos dat Eucharistiam à se tunc non consecratam. Tertiò, quia etiam in illis duobus Sacramentis falsum esset, quod *peccat conferendo*; nam licèt Episcopus, & Sacerdos peccent celebrando cum excommunicatione minori, non tamen peccant etiam tunc conferendo ordines, vel dando Eucharistiam. Vndè si Episcopus haberet intentionem faciendi se absoluere ab excommunicatione minori ante consecrationem, vel ante communionem, non peccaret mortaliter, incipiendo Missam, conferendo ordines cum excommunicatione minori. Similiter Sacerdos, licèt peccet accipiendo Eucharistiam cum illa excommunicatione minori, non tamen peccat dando postea illam, sed peccauerat priùs; non ergo dicitur verè, quod peccent conferendo. Confirmatur, quia ibi Pontifex clarè distinguit receptionem Sacramenti à collatione, & dicit, illam esse prohibitam excommunicato minori, non istam. Ergo quando dicit per collationem etiam peccare, non intelligit de susceptione; hæc enim fuisset intolerabilis confusio, & æquiuocatio in eisdem verbis.

618. Propter hæc alij multi fatentur illud, qui habet excommunicationem minorem, licèt directè non prohibeatur, & remoueatur præcepto Ecclesiæ, nisi à receptione passiua Sacramenti, peccare tamen venialiter Sacramenta conferendo, nisi necessitas excuset: quia negari non potest, quod sit irreuerentia aliqua cum illa macula, quæ facit subiectum positiuè indignum Sacramento, accedere ad illud contrectandum, & conferendum: Sic enim dixi *disput. 14. de Eucharistia, sect. 2.* esse aliquando peccatum veniale accedere ad Eucharistiam cum peccato veniali actuali, vel cum multis venialibus habitualibus: quod à fortiori dici potest de conferente Sacramentum cum excommunicatione minori. Vndè potuit meritò Pontifex id concedere in illis verbis, peccare quidem conferendo Sacramenta, vbi ex industria non dixit, peccare *grauiter*, sicut dixerat priùs, peccare eum grauiter celebrando, sed solùm *peccare*: quam interpretationem tradunt Ledesma, Couarruuias, & alij plures apud Suarez *dict. sect. 2. num. 11.* quos sequitur Coninch *disp. 14. de excommunicatione dub. 17. n. 264.* Displicet *tamen Suario, eo quod absque fundamento sufficienti*, ponatur talis culpa venialis cùm ex Ecclesiæ prohibitione non habeatur, quæ solam receptionem non collationem Sacramenti prohibet.

619. Ad hoc tamen respondere possumus ex Ecclesiæ lege contrahi quidem excommunicationem minorem, quæ macula aliqua est: ex hoc aut ipso iure naturæ contrahi irreuerentiam aliquam ab eo, qui cum hac macula accedit ad sanctissimam, & purissimam illam actionem conficiendi Sacramenta: nam sicut ex sanctitate illius actionis probauimus malitiam grauem illius, qui cum peccato graui audet illam actionem exercere *disp. 8. de Sacramentis in genere sect. 9.* Sic ex sanctitate eiusdem actionis argui potest culpa aliqua in illo, qui absque necessitate audet cum macula excommunicationis sacrosanctam illam actionem exercere. Et sicut in eodem loco diximus statum peccati mortalis, licèt solas actiones Sacramentales prohibeat sub culpa graui, prohibere tamen alias sub culpa veniali, atque adeo peccare peccato veniali graui Diaconum cantantem solemniter Euangelium, & ministrantem in altari post fornicationem noctis præcedentis: Sic dici potest minùs fortasse dicere, quod cùm macula excommunicationis minoris accedat Episcopus ad conferendum solemniter Sacramentum confirmationis. Denique quis dicat Sacerdotem in statu peccati mortalis ministrantem solemniter Eucharistiam etiam extra Missam, non peccare venialiter, si sine vrgente causa id faciat, licèt probabilior sententia dicat non peccare mortaliter, vt diximus in eodem loco? Potest ergo similis indecentia inueniri in casu nostro, licèt non sit directè contra Ecclesiæ prohibitionem.

620. Cæterùm contra hanc explicationem restat adhuc difficultas: quia Pontifex in illis verbis dicit, Sacramenta ab excommunicato excommunicatione minori collata habere virtutis effectum, quia per illam excommunicationem non remouetur à collatione, sed à receptione Sacramenti: ergo per argumentum à contrario, si remoueretur etiam à collatione, sicut remouetur à receptione, carerent effectu, & essent irrita: ergo receptio, à qua de facto remouetur, erit irrita: alioquin argumentum Pontificis suppouetet falsum.

Ad hanc tamen obiectionem aduersarij etiam respondere debent: certum enim est, per excommunicationem minorem Ecclesiam prohibere non minùs receptionem Sacramenti matrimonij, quam aliorum Sacramentorum, cùm omnium Sacramentorum vsu passio priuet: & tamen certum etiam est, Ecclesiam non reddere irritam receptionem talis Sacramenti in excommunicato minori, vel etiam maiori excommunicatione, sed quod Sacramentum illud validum erit: non est ergo in rigore verum, quod si illi excommunicato prohiberetur collatio, sicut prohibetur receptio Sacramentorum, collatio esset irrita, & non haberet effectum. 621. Vnde ad obiectionem propositam dicere possumus, non valere ibi argumentum à contrario sensu, quia Pontifex vnum negando, alterum non affirmauit, sed assumpsit id, quod certum erat, vt probaret, Sacramenta illa irrita non esse. Argumentum autem ipsius hoc est: Non est, vnde Sacramenta illa careant effectu, nisi quia Ecclesia illa fortè irritauit aliquo suo præcepto positiuo, auferendo potestatem, vel iurisdictionem: sed Ecclesia id non fecit, cùm de facto Ecclesia eiusmodi excommunicato non prohibuerit conferre, sed solùm recipere Sacramenta: Ergo non est, vnde illa Sacramenta ab eiusmodi excommunicato collata debeant effectu suo carere. In quo argumento Pontifex non affirmat, vt vides, quod si Ecclesia prohibuisset collationem Sacramenti, collatio deberet esse irrita; sed solùm dicit non potuisse esse irritam, si Ecclesia eam non prohibuit; quod verissimum est; & hoc sufficiebat ei ad probandum suum intentum. Quid verò esset, si Ecclesia collationem prohibuisset, ipse non definit; & certè loquendo de omnibus Sacramentis, falsissimum esset dicere, quod ex prohibitione Ecclesiæ posset omnium collatio irrita fieri, vt constat de Sacramento baptismi, ordinis & similium. Hæc ergo videtur facillior explicatio illius textu, quem Suarez fatetur difficillimè posse explicari.

622. *Absolutio generalis ab excommunicatione an auferat ignorantiam.*

Restat adhuc dubium illud practicum circa hoc ipsum ; an quando ad effectum absolutionis sacramentalis præmittitur absolutio à censuris per illam absolutionem auferatur excommunicatio , quam pœnitens non dixerat , quia eius ignarus , vel immemor erat , ita vt postea non opus sit amplius eius absolutionem petere. Pater Suarez *infrà disputat. 31. section. 4. numer. 19.* loquens de excommunicatione reseruata dicit , si pœnitens nullo modo petiit absolutionem à reseruatis , etiam confiteatur superiori , vel habenti facultatem super reseruata , non auferri reseruationem circa oblita, neque etiam manere liberum ab illa excommunicatione: quia sensus illius absolutionis , quæ præmittitur à censuris, est tollere censuras solùm quatenus opus est ad effectum absolutionis sacramentalis, sicut Pontifex in bullis solet præmittere absolutionem à censuris ad effectum solum illius gratiæ participandum: quare pœnitens manebit postea ligatus eâdem censura, & debet illius absolutionem petere.

623. Hæc sententia semper mihi dura, & difficilis visa est & contra sensum , quem verba illius absolutionis præ se ferunt , qui non est limitatus, nec ad reincidentiam , sed absolutus , & vniuersalis. Primò , quia verba illa , quæ addi solent *in quantum possum & indiges* , non sunt restrictiua, vt voluit Suarez , sed potiùs ampliatiua , cùm indicent animum vtendi tota potestate , & facultate in tota sua amplitudine. Secundò , quia ad effectum absolutionis à peccatis impertinens esset absolutio à suspensione , cùm suspensio nullo modo impediat absolutionem à peccatis : & tamen illa etiam continetur in iis verbis : ergo absolutè, & vniuersaliter intenditur auferri. Tertiò , quia Confessarius non solùm debet pœnitentem disponere ad Sacramentum pœnitentiæ , sed etiam ad dignè suscipiendam Eucharistiam : ad hoc enim pœnitens præmittit confessionem , vt iuxta Christi præceptum probet se , quæ probatio pertinet ad confessarium , atque ideo debet pœnitentem ita absoluere , vt possit ad communionem accedere; ergo non abstulit censuras solùm in ordine ad absolutionem sacramentalem , sed etiam in ordine ad Eucharistiam , & alia Sacramenta suscipienda. Quartò , quia si pœnitens peteret ad cautelam absolui ab excommunicatione , si fortè aliquam incurrisset, confessarius absolutè , & sine limitatione absolueret. Ergo & nunc ita absoluit , maximè cùm semper implicitè pœnitens cum eo amico accedat,

624. vt quantum fieri possit, soluatur à peccatis , & vinculis, quæ habet. Quintò, quia quidquid sit , an absolutio à peccatis sit valida ; quando excommunicato confertur , certum est illicitè conferri: & ideo præmittitur absolutio à censuris , vt debito modo absoluatur à peccatis. Debet ergo confessarius habere intentionem absolutam absoluendi simpliciter , & tollendi excommunicationem : quia si solùm absolueret ad effectum absolutionis sacramentalis, & non ad alios ; illè verè maneret simpliciter excommunicatus , cùm haberet adhuc omnes alios effectus excommunicationis , qui certè non possunt sine excommunicatione manere : ergo absolutio à peccatis daretur verè , & in rigore homini tunc actu excommunicato. Debet ergo vt suo muneri satisfaciat confessarius habere intentionem tollendi omnino excommunicationem , ne absoluat à peccatis hominem excommunicatum. Sextò denique , quia licèt simpliciter , & absolutè sit possibilis absolutio ab excommunicatione ad reincidentiam , & per partes ; hunc tamen absoluendi modum non possunt vsupare inferiores , nisi in casibus à iure præscriptis , sed solus summus Pontifex , vt cum aliis obseruat Coninch. *disp. 14. de excom. dub. 16. n. 217. & in præsent. disp. 12. dub. 12. n. 97.* nec nisi expressè explicetur intelligi debet vnquam absolui aliquis ad reincidentiam. Ad- 62
de eum , qui absoluitur ad reincidentiam , interim tamen absolui à tota excommunicatione : ille autem , qui ad solum vnum effectum absoluitur , v.g. ad obtinendum beneficium , vel quid simile ; non dicitur propriè absolui , sed potius dispensari , vt non obstante excommunicatione possit recipere tale beneficium , &c. vt notauit idem Coninch. *illo dub. 16. n. 215.* vbi *n. 225. & in præsent. dub. 12. n. 96.* absolutè docet cum aliis , quos affert per illam formulam manere subditum absolutum simpliciter, & absolutè à censuris etiam reseruatis , si in absoluente erat potestas : quod etiam notauit Vasquez *in præsent. q. 91. artic. 3. dub. 5.* & videtur omnino verum : maximè, quando sermo est de censuris non reseruatis.

Dubitari posset , an hoc locum habeat non so- 625.
lùm in habente potestatem ordinariam ad absol- Quid in ea.
uendum, sed etiam in eo, qui habet solùm potesta- sententia dicendum?
tem delegatam : potuit enim delegari hæc potestas cum ea limitatione , vt solùm absoluerent à censuris, quas pœnitens manifestat. Vetius tamen videtur locum etiam habere in delegato , vt fatetur Coninch. *illo dub. 12. n. 94.* & supponere videntur alij , quos affert , dum generaliter loquuntur non distinguentes inter habentem potestatem ordinariam , vel delegatam. Et videtur etiam constare ex vsu : nam ij etiam , qui totam potestatem ex delegatione habent , quales sunt regulares in ordine ad sæculares , adhuc præmittunt eamdem absolutionem ab excommunicatione, suspensione, & interdicto , licèt pœnitens nullius censuræ absolutionem petierit. Ratio autem est , quia cùm in delegante sit potestas ad ita absoluendum, & ipse suam potestatem delegauerit absque vlla limitatione, non est cur à nobis limitetur. 629.

Aduerte tamen illis verbis, *in quantum possum, & indiges*: Confessarium non solum loqui de potentia ad validum, sed etiam de potentia ad licitum: quare non habet animum absoluendi ; nisi ab iis censuris quibus licitè potest absoluere. Vnde cùm licitè non possit absoluere non satisfacta parte, neque etiam eum qui scienter reticet censuram, & alios similes, non censetur clausula illa generali velle illos absoluere, sed eos, quos validè, & licitè potest.

§. 3. *Vtrum sit repetenda confessio , eo quod Confessarius ante absolutionem oblitus est Confessionis , & status pœnitentis.*

NOnus , & vltimus casus , quo confessionem 626.
repetere sit necesse possit esse , quando Confessarius illius oblitus est ante absolutionem. Quod multipliciter contingere potest. Primò , quia confessio longa fuit , & durauit per aliquot dies , ita vt tempore absolutionis iam Confessarius non recordetur eorum , quæ diebus præcedentibus audierat : Secundò , quia audita confessione , oportuit absolutionem differre per aliquot dies , & post illos redeunte pœnitente , iam Confessarius non recordatur confessionis. Tertiò quia confes- 631.
sio fortasse irrita fuit , vel absolutio ex defectu doloris , vel propositi , aut iurisdictionis in ipso Confessario , & postea pœnitens , ablato impedimento , vult ab eodem Confessario validè absolui, qui tamen iam confessionis memoriam non habet. In his ergo , & similibus casibus quæritur, an

an debeat confessio tota denuò repeti, aut qualis eius memoria possit sufficere.

627. Communiter responderi solet, quando confessio fit diuerso confessario, repetendam esse totam, quando fit eidem, non esse repetendam, si ille recordetur, vel peccatorum, vel status pœnitentis, vel pœnitentiæ impositæ, sed sufficere vno verbo accusare se de omnibus, quæ priùs dixerat, addendo, si quæ sunt alia peccata, vel peccatum in illa fortè confessione omissum. Ita Nauarr. Valent. Syl. Zelol. & alij, quos afferunt, & sequuntur Suarez *in præsent. disp. 23. sect. 6. in fin.* Coninch. *disp. 7. dub. 11. n. 109.* Bonac. *disp. 5. q. 5. sect. 2. punct. 3. n. 15.*

628. Addit Suarez contra Nauarrum si Confessarius iam prius pœnitentiam imposuerat, non esse necesse, quod recordetur peccatorum, vel qualis fuerit pœnitentia imposita, sed satis esse, quod recordetur hunc fuisse confessum, (intellige, & iudicatum absolutione dignum,) & quod postea nihil graue commiserit, in quo standum est eius testimonio. Si verò pœnitentiam non imposuit, & neque in particulari, neque secundùm aliquam confusam, & moralem rationem recordatur status conscientiæ ipsius pœnitentis; postulare debet iteratam notitiam, vt imponat pœnitentiam condignam. Si tamen absolueret absque repetitione huiusmodi, licèt fuerit mutilum Sacramentum: esset validum, quia haberet omnia essentialia. Hæc Suarez, quæ ex ipso desumpsit Gulielmus Mercerus *de Sacram. in 3. part. S. Thom. q. 9. art. 1.* Cui consentit etiam Layman. *lib. 5. tract. 6. c. 9. n. 6.* dicens absolutionem fore validam in vltimo illo casu, sed peccare Confessarium absque notitia sufficiente ad pœnitentiam imponendam absoluentem.

625. Quid in re-iteratis dicendum?

629. Opinio Suarez. ex Paludano & Adriano.

Aduertit tamen Suarez hæc intelligi, quando confessio ex parte sui fuit valida. Secùs verò, si confessio fuit inualida, vel defectu doloris, vel integritatis, vel iurisdictionis: tunc enim confessio de nouo repetenda est, quia prior non fuit vera accusatio sacramentalis, & ideo necessaria est iterata accusatio omnium peccatorum, quæ cùm non possit fieri vno confuso verbo propter rationem factam, necesse est, quod distinctè fiat. Hæc Suarez, quæ etiam amplectitur Coninch. *loco citato*, & priùs ex parte dixerant Paludanus *dist. 17. quæst. 5. art. 1.* & Adrianus *quæst 4. de confessione*, §. *si petas circa prædicta*: qui dixerunt, hoc verum esse, quando prior Confessio facta fuerat Sacerdoti, vel iudici, id est, qui tunc absoluere non poterat, quo casu eam repeti necesse est, quia prior non fuit sacramentalis.

630. Hanc distinctionem Paludani, & Adriani rejicit Vasquez *in præsenti, q. 92. art. 3. dub. 3.* quia similiter, quando fuit quicumque alius defectus reddens irritum Sacramentum, confessio non fuit sacramentalis: ergo cùm ipsi concedant non esse tunc repetendam confessionem eidem Sacerdoti, idem debet dici, quando defectus oritur ex defectu iurisdictionis. Ratio autem est, quia in omni casu reuera confessio fit Sacramentalis, explicata fictione, vel defectu, & repetita priori confessione in genere, cùm ex hoc habeatur sufficiens notitia ad absolutionem, quando scilicet Confessarius recordatur saltem in confuso peccatorum, & status pœnitentis, vt dictum est.

626.

631. Denique P. Gaspard. Hurtado *de Sacram. disp. 8. de pœnit. difficult. 8.* dissentit in hoc, quod existimat, etiam quando Sacerdos non recordatur status pœnitentis, non retinet notitiam sufficientem ad prudenter imponendam pœnitentiam, quam prius nondum imposuerat: tunc, inquam, non requiri iterari confessionem distinctam, sed sufficere confessionem aliquam mediam, hoc est, non vnico verbo, sicut in casu priori; nec omnino distinctam, sed confessionem confusam peccatorum antea distinctè explicatorum: quæ sufficit, vt Confessarius prudenter possit taxare pœnitentiam, ad quem solum finem requiritur tunc confessio noua de eisdem peccatis. Hæc sunt doctorum placita.

632. Ego in primis existimo difficilem distinctionem illam, quam Suarez statuit, & in qua recedit à communi sententia, quatenus asserit debere repeti omnino distinctam confessionem totalem eidem Confessario, quoties prior ex defectu doloris non habuit effectum. Hoc inquam, falsum puto. Primò, quia in eo casu confessio fuit verè Sacramentalis, hoc est, de se apta ad faciendum Sacramentum: nam, vt confessio ex se sit sacramentelis, non est necesse, quod concurrant aliæ partes requisitæ ad Sacramentum; vt constat in confessione, quam non consequitur absolutio: nam confessio de se habuit totum, quod requiritur ad confessionem. Sic quando defuit dolor, confessio de se apta erat ad materiam Sacramenti, neque ex eius defectu defecit Sacramentum, sed ex defectu alterius compartis requisitæ, nempe doloris: ergo ex eo capite non oportet repetere iterum distinctè totam confessionem.

633. Secundò, quia praxis communis contraria est: nam quando defectus prouenit ex eo, quod pœnitens tacuit culpabiliter aliquod peccatum, si statim post absolutionem malè acceptam, redeat, & confiteatur suum defectum; non cogimus illum ad repetendam distinctè confessionem, sed ad accusandum se de eisdem peccatis: & tamen negari non potest, quod tunc non est adeo distincta notitia peccatorum, sicut quando succesiuè dicebantur: quem enim Confessarium reperias, qui possit tunc dicere, periuria fuisse triginta, turpia desideria viginti quatuor, omissiones Missæ duodecim, & sic de aliis? Non ergo desideramus tunc notitiam ita distinctam, ac si nulla prorsus confessio præcessisset, sed vtimur aliquo modo notitia priùs habita.

634. Tertiò eadem praxis obseruatur, etiam quando deficiebat iurisdictio priùs in Confessario. Nam si accedat ad te aliquis habens casus reseruatos, & confiteatur illos simul cum aliis non reseruatis, & tu differas absolutionem, donec facultatem absoluendi obtineas, postera die ante absolutionem non obligas illum ad repetendum distinctè confessionem de reseruatis, sed facis, vt se de illis, & aliis, quæ dixit, accuset, licèt prior confessio non fuerit facta iudici legitimo circa illa peccata. Non est ergo verum in vniuersum, quod illa confessio prior non possit magis conferre ad notitiam dandam Confessario, quàm si non fuisset, etiam quando non adest notitia distincta, provt communiter non manet: est enim moraliter impossibile, vt die sequenti possit Confessarius illa peccata repetere cum omnibus suis circumstantiis, sicut ea audiuit: & tamen contentus illa notitia, facit, quod pœnitens de illis solùm se accuset in confuso.

635. Cæterùm, licèt hæc ita se habeant, existimo adhuc secundò contra Patrem Vasquez, non esse omnino rejiciendam differentiam illam Paludani, & Adriani circa confessionem priorem factam Sacerdoti iudici, vel non iudici. Nam, vt dicebam, prior non posterior est verè confessio sacramentalis, quia confessio sacramentalis est accusatio, qua pœnitens coram legitimo iudice manifestat sua peccata: qualis verè est illa, quæ fit coram legitimo iudice, etiamsi postea ex defectu absolutionis Sacramentum non fiat: Confessio autem il-

la deseruire potest, provt renouatur per sequentem accusationem, & manet in memoria Confessarij ad constituendum postea verum sacramentum Pœnitentiæ. Quando verò Sacerdos non erat iudex, non videtur illa confessio Sacramentalis ex se, sicut si fieret non Sacerdoti, vel mero laico.

636. Vnde existimo tertiò, distinctionem illam in aliquo saltem casu vtilem esse posse. Nam si prior confessio facta fuit Sacerdoti iudici, atque adeo ex se fuit sacramentalis, & Sacerdos pœnitentiam imposuit: postea licèt oblitus sit status pœnitentis, & nesciat qualem pœnitentiam imposuerit, sed recordetur, pœnitentem fuisse dispositum ad absolutionem, & pœnitentiam acceptasse, poterit postea Sacerdos sine alia notitia absoluere. Quando verò confessio fuit facta non iudici, non poterit postea in iis circumstantiis absoluere, etiamsi obtinuerit iam facultatem absoluendi, nisi pœnitens se iterum accuset, & Confessarius aliquam acquirat memoriam confusam præteritæ confessionis: Quia confessio præterita non fuit sacramentalis, cùm non fuerit facta iudici; quare debet iudex, postquam iudex est, notitiam delicti acquirere per confessionem rei.

637. Hinc tamen oritur difficultas, quæ fuit fundamentum illorum Auctorum: quia videtur iudici postquam iudex est, dandam esse à reo notitiam distinctam delicti: quare cùm confessio præcedens non fuerit facta iudici; non videtur habenda esse eius ratio, sed denuò facienda erit confessio sacramentalis distincta, cùm illa prior non fuerit sacramentalis. Confirmatur, quia licèt illa secunda accusatio cum illa memoria confusa prioris confessionis, & status pœnitentis videatur sufficere ad taxandam satisfactionem, & prudenter iudicandum: aliquid tamen plus videtur requiri in hoc sacramento. Alioquin si pœnitens anno sequenti dicat Confessario: status meæ conscientiæ hoc anno est, sicut anno præcedenti: habeo enim tot ferè peccata, & æqualis ferè grauitatis, sufficeret hæc confessio ad absolutionem, absque eo quod deberet peti notitia magis distincta: quod nemo concederet. Sequela verò probatur, quia nunc iste Sacerdos, postquam est iudex, non accepit, nec habet maiorem, imò nec tantam notitiam de statu pœnitentis, quam habeat ille alius de statu in secundo anno: ergo si iudex cum hac sola notitia ita confusa potest absoluere, licèt nullam aliam habuerit, postquam iudex est, posset etiam pro secundo anno cum æquali, & maiori fortè notitia, quam accipit, absoluere, & pœnitentiam imponere.

638. In contrarium tamen est auctoritas, & praxis communis: nam doctores ferè omnes vniuersaliter dicunt, sufficere postea illam memoriam confusam, vndecumque processerit defectus confessionis prioris: vsus etiam communis, vt dicebam, ita habet, vt si hodie confessionem audisti cum peccatis reseruatis, eras, obtenta facultate, absoluas, præmissa breui accusatione pœnitentis, qui se iterum de omnibus, quæ dixerat, accusat: quo casu Sacerdos moraliter loquendo, non retinet memoriam adeo distinctam, vt posset peccata pridie audita sigillatim referre: idem vsus apparet, quando aliquis extra confessionem narrauit Sacerdoti amico consilij petendi gratia, aliqua peccata; & postea confitetur eidem accusans se breuiter de iis omnibus, quæ extra confessionem dixerat: quo etiam casu non adest nunc in Sacerdote tam exacta & distincta notitia, qualis esset, si nunc se distinctè pœnitens accusaret: & quidem prior illa narratio non fuerat vllo modo sacramentalis, nec accusatio facta iudici, sed narratio facta amico. Fatendum ergo est, confessionem etiam non sacramentalem priorem perseuerentiam in memoria non omnino distincta posse aliquo modo fieri sacramentalem per accusationem subsequentem taliter, vt possit ad sacramentum deseruire. Non quòd illa prior narratio verè fiat accusatio sacramentalis in seipsa, cùm talis non fuerit, sed quatenus posterior accusatio relata ad memoriam, quam habet Confessarius de illis peccatis distinctè priùs auditis, sit sufficiens notitia, qualis in Confessario desideratur.

Ad id verò, quod contra hoc opponebatur, 639. quod sequeretur, sufficere solam notitiam confusam de statu pœnitentis absque alia notitia distincta antea data; neganda est sequela. Ratio autem esse potest, quod Confessarius ita est iudex ipse solus in hoc tribunali, vt ipse solus debeat ex peccatorum notitia formare iudicium de eorum grauitate ad proferendam prudenter sententiam. Vnde reddi potest ratio differentiæ inter nostrum casum, & illud exemplum, quod opponebatur: quia in casu nostro totum iudicium de statu pœnitentis fit à solo Confessario; qui ex notitia, quam ipsemet habuit distinctam de illis peccatis formauit iudicium de eorum grauitate, quod idem iudicium ex illa memoria confusa nunc retinet, & secundùm illud regulat, & taxat pœnitentiam imponendam. At verò in illo alio 640. exemplo, quando pœnitens solùm diceret, statum suæ conscientiæ esse, sicut anno præcedenti, iam tunc non tam Confessarius, quàm ipse pœnitens fuisset iudex, qui ex notitia, quam habet de suis peccatis, formaret illud iudicium de statu suo, quod iudicium formatum daret Confessario, qui certe non vt iudex illud formasset, cùm ipse non habeat, nec habuerit notitiam de peccatis huius anni. Præciperet ergo pœnitens officium Confessarij, ad quem spectat visa, & considerata natura, & multitudine peccatorum iudicium formare de eorum grauitate, & de statu pœnitentis, à quo non debet accipere hoc iudicium factum, sed materiam ad id faciendum. Est enim ipse solus Medicus, ad quem spectat, attenta qualitate morbi, iudicare, de eius grauitate, & de remediis etiam adhibendis: debet ergo ipse ex se facere vtrumque iudicium, quorum primum ex se non posset facere, si ipse non audiret peccata, sed statum conscientiæ iuxta iudicium ab ipso pœnitente factum. At verò in nostro casu aliter se res habet: nam Confessarius ex se facit vtrumque iudicium per notitiam de peccatis, quam ipse habuit; quam licèt non habuerit, quando erat iudex, nihil refert: non est enim necessarium quòd tota notitia, à qua dirigitur ad hoc iudicium, fuerit sacramentaliter accepta: nam si Confessarius aliunde vidit, vel cognouit distinctè peccatum, potest pœnitens se accusare, dicendo: accuso me de illo 643. peccato, quod tu scis, me fecisse, quæ confessio sine illa notitia præcedente non sufficeret, sed cum illa sufficit, vt Confessarius ex se possit iudicare. Itaque quod omnino requiritur, est, quod accusatio sit sacramentalis: quod verò accusatio secundùm se det notitiam distinctè de peccatis, non requiritur, nisi quando Confessarius aliunde non habet notitiam distinctam; si enim illam habet, sufficit accusatio sacramentalis, quæ se remittat ad illam aliam notitiam aliunde habitam. Potest ergo in casu nostro Confessarius prudenter, & licitè absoluere, quia iam ponitur noua accusatio sacramentalis coram iudice, & notitia, quæ remanet

remanet ex cognitione distincta, quam prius habuit, quæ licèt non sit modo memoria distincta, est tamen iudicium sufficiens formatum ex illa distincta cognitione, quæ præcessit de illis peccatis.

Hinc infero primò, non esse omnino verum id, 641. quod dicebat Pater Gaspard. Hurtado, in eo casu quando Confessarius nondum imposuit pœnitentiam, & omnino oblitus est status pœnitentis, sufficere; quod pœnitens det illi aliquam notitiam confusam suorum peccatorum, quæ sufficiat ad dandam illi pœnitentiam proportionatam. Hoc, inquam, non est omnino verum, quia iudicium illud, vt dixi, debet fieri ab ipso Confessario ex notitia distincta, quam ipse habet, vel habuit de peccatis. Ad hoc enim potissimum exigitur confessio distincta de speciebus, & numero peccatorum, vt Confessarius possit prudenter iudicare, vt dixit expresè Concilium Tridentinum *sect. 14. cap. 5.* quia quod ignorat, medicina non curat. Non ergo sufficit, Confessarium habuisse aliquando notitiam distinctam de peccatis, si illa cognitio distincta præterita postea nullo modo dirigit, nec mediatè, nec immediatè ad iudicium faciendum: sed requiritur cognitio distincta, quæ saltem per sui memoriam confusam dirigat Confessarium ad iudicandum. Si ergo cognitio illa distincta præterita nullo modo dirigit, quia Confessarius iam est omnino oblitus & solum dirigitur à notitia confusa, quam modò pœnitens dat; ad nihil prorsus deseruit, quod præcesserit notitia distincta. Vnde in eo casu, si peccata priùs dicta fuerant iudici, validè postea absoluet, & directè ab aliis, quæ audiuit licèt illicitè. Si verò prior illa notitia non fuerat data iudici, quia, vel nondum erat Sacerdos, vel non erat legitimus iudex, & tamen postea absoluat cum illa confusa notitia, quam denuo accipit, iudicandum erit de illa absolutione, sicut de illa, quæ datur moribundo non confitendi distinctè sua peccata, sed ante similem notitiam confusam qui certè obligatus manet ad confitenda postea distinctè sua peccata. Sic erit in illo casu, quia verè Confessarius non accipit notitiam distinctam, ex qua exerceret suum munus: atque ideo licèt validè absoluat, debet postea repeti confessio distincta.

Dixi tamen illud dictum non esse *omnino ve-* 642. *rum*, quia in aliquo sensu, & in aliquo casu posset habere locum illa doctrina: quando scilicet per illam notitiam confusam, quæ modò datur, refricaretur memoria, & excitarentur species in Confessario, qui ea occasione iam recordaretur confusè de notitia priùs accepta, & de statu pœnitentis; tunc enim iam Confessarius non procederet ex sola notitia confusa quam modo accipit, sed ex memoria confusa, quam habet de notitia distincta, quam accepit, atque adeo iam ex se ipso formaret iudicium genitum mediatè ex distincta notitia peccatorum priùs accepta.

Infero secundò, posse frequenter accidere, vt 643. pœnitens, qui diu eidem Confessario confessus, est possit vno verbo reiterare omnes illas Confessiones; dicendo, accuso me de iis omnibus, quæ tibi in aliis Confessionibus confessus sum. Potest enim frequenter fieri, quod Confessarius hîc, & nunc habeat æqualem, vel maiorem fortè notitiam confusam de peccatis illis, vel de statu pœnitentis per illas omnes confessiones explicato, quàm habeat alius Confessarius, quando actu absoluit post longam confessionem generalem per plures dies factam: si ergo hæc memoria confusa, sufficit, sufficiet etiam illa, vt possit vno verbo repetere pœnitens omnes illas confessiones: quod esset bonum, & facile remedium, quando scrupulum habet de defectu aliquo in eis, vel in earum aliqua commisso, accusando se simul de illo defectu, si culpabilis fuit.

SECTIO XVI.

An repetenda sit confessio peccati integri quando omissa fuit circumstantia, vel sufficiat confiteri solam circumstantiam omissam?

DVbitari vltimò solet circa obligationem re- 644. petendi confessionem, an qui confessus est peccatum, & oblitus est explicare circumstantiam aliquam, quam debebat explicare, postea satisfaciat in alia confessione, dicendo solam circumstantiam omissam, an verò debeat iterum confiteri peccatum cum circumstantia: exemplum est de eo, qui habens votum castitatis fornicatus est, & confessus est fornicationem, sed propter obliuionem omisit circumstantiam voti violati: an sufficiat, si postea se accuset de violatione voti in re graui, an verò opus sit accusare se de fornicatione contra votum.

Communiter traditur sufficere, si explicet cir- 645. cumstantiam omissam, non explicato iterum peccato, quod iam est confessus. Ita Nauarrus *in sum-* *Sententia communis.* *ma, cap. 6. ad fin. & in cap. Consideret. in princip. num. 104. de pœnit. dist. 5.* Henriquez *lib. 5. de pœnit. cap. 5. num. 4.* Valentia *tom. 4. disp. 7. quæst. 11. punct. 1.* & in casu de voto, & iuram. Thom. Sanchez *lib. 4. in decalog. cap. 11. num. 24.* Emmanuel Sà verbo *Confessio, num. 31.* & alij plures, quos refert & sequitur Bonacina *disp. 5. de Sacrament. q. 5. sect. 2. punct. 2. §. 3. diffic. 1. num. 9.* Temperat autem hoc Sanchez, quando explicatio materiæ principalis non esset necessaria ad declarandam malitiam ipsam violationis voti, quoad aliquam circumstantiam aggrauantem notabiliter intra eâdem speciem: tunc enim oporteret saltem dicere, violaui votum in materia notabiliter aggrauanti, iuxta sententiam, quam ipse supponit de obligatione explicandi eiusmodi circumstantias notabiliter aggrauantes: iuxta sententiam verò negantem illam obligationem, sufficiet dicere, violaui votum in re graui.

Fundamentum præcipuum huius sententiæ 646. est, quia in illo peccato propter aduentum circumstantiæ sacrilegij, v. g. contra votum, non desinit esse malitia propria, & specifica contra castitatem, sed habet ille actus duplicem malitiam specificam, alteram contra religionem, alteram contra castitatem. Cùm ergo priùs explicauerit pœnitens alteram malitiam, nunc verò alteram explicet; iam sufficienter explicuit totum peccatum, quoad vtramque malitiam. Si verò esset vnica malitia, illa quidem deberet esse specie diuersa à singulis, quæ potuissent esse seorsim; atque ideo deberet explicari tota illa malitia simul, tam quoad obiectum principale, quàm quoad circumstantiam: alioquin numquam fuisset explicata illa species malitiæ, sed alia diuersa. Antecedens verò, scilicet, quod in illo peccato sint duæ malitiæ specie diuersæ, probat latè Salas *1. tom. in 1. 2. tract. 7. disput. 3. sect. 5.* Potissimum fundamentum est, quod malitia moralis est oppositio, qua actus aduersatur legi: potest autem idem actus habere duplicem oppositionem diuersam ad duas leges vt in casu posito opponitur castitatis legi, & Re-

ligionis : ergo ſicut idem ſubiectum cum duplici colore pertineret ad ſuas ſpecies intra genus coloratí, ſic idem actus cum duplici oppoſitione duplicis legis, quam violat, pertinebit ad duas ſpecies intra genus mali morales, ſeu repugnantes legi.

647. Huic communi doctrinæ aliqua videntur obſtare, ſi enim ſufficit poſtea confiteri ſolam circumſtantiam omiſſam ; ſequitur primò, ſi aliquis confeſſus eſt decem peccata copulæ illicitæ, partim cum ſolutis, partim cum nuptis, partim cum moniali, & oblitus ſit circumſtantiæ violentiæ, poſtea ſatisfaciet explicando ſolam circumſtantiam violentiæ. Conſequens autem eſt abſurdum : quia violentia illata moniali eſt ſpecie diuerſa in ratione violentiæ ab illata ſolutæ propter oppoſitionem, quam habet cum virtute religionis, & idem eſt de violentia illata coniugatæ propter iniuriam, quæ ſit marito ; ergo niſi explicentur iterum eadem peccata, non explicatur ſufficienter malitia circumſtantiæ prætermiſſæ.

Secundò ex eadem regula ſequi videtur quod ſi aliquis ſe accuſauit de odio, de percuſſione, de contumelia : & non dixit, illa fuiſſe contra proprium parentem : poſtea ſufficiet dicere ſe ter peccaſſe in parentem non explicando ſpecies, quas iam fuerat ſigillatim confeſſus. Conſequens autem eſt abſurdum, quia non explicatur grauitas propria percuſſionis paternæ, quæ eſt ſpecies diuerſa ab iis explicatis, & ſic de aliis.

648. Tertiò, circumſtantia offenſæ Dei non explicatur ſufficienter, niſi explicetur materia, cui aduenit illa circumſtantia, alioquin ſufficeret dicere, *Ego decies offendi grauiter Deum* : ſuppono enim ex iis, quæ dixi, *diſput. 5. de Incarnatione, ſectione 5.* furtum, aut homicidium, verbi gratia ſeparatum à circumſtantia offenſæ diuinæ non habiturum ſecundùm ſe grauitatem peccati mortalis Theologici : ſufficit ergo confiteri circumſtantiam offenſæ diuinæ, vnde prouenit malitia mortalis : quare ſi ea circumſtantia explicari poſſet non explicato obiecto principali, cui aduenit, non eſſet obligatio explicandi obiectum proprium furti, vel homicidij : hoc autem eſt abſurdum : ergo circumſtantia non poteſt ſecundùm ſe ſolam ſufficienter explicari. Hæc, & alia ſimilia inferri poſſunt contra doctrinam illam vniuerſaliter acceptam, propter quæ fortaſſe Syluester verbo, *Confeſſio 1. quæſt. 10.* dixit ſententiam illam magnum errorem continere. Cæterùm ſi debito modo explicetur, exiſtimo illam ſuſtineri poſſe.

649. Debet itaque doctrina illa explicari, vt ſuſtineri poſſit, & proponi, provt paucis verbis, ſed prudenter propoſita fuit à Suarez *in præſenti diſput. 22. ſect. 2. numer. 8.* vbi dicit : *ſi circumſtantia poſſit declarari nulla facta mentione talis peccati, non erit obligatio repetendi confeſſionem illius : ſi verò aliter explicari non poſſit circumſtantia, concedendum eſt conſequens* : ſcilicet, eſſe obligationem confitendi iterum illud peccatum, cuius circumſtantia omiſſa eſt. Hæc breuiſſimè Suarez, pro cuius doctrinæ maiori explicatione notandum eſt, circumſtantias quæ afferunt malitiam ſpecie diuerſam, aliquando afferre malitiam omnino diſparatam ; aliquando malitiam non diſparatam, ſed quæ intelligi non poteſt ſine malitia deſumpta ex obiecto principali, quam in ſuo conceptu includit. Exemplum prioris partis eſt in circumſtantia voti, quæ quidem addit fornicationi malitiam omnino diſparatam, quia malitia fornicationis tota poteſt eſſe ſine violatione voti, & rurſus malitia ſpecifica violationis voti, provt aduerſatur religioni, poteſt eſſe abſque peccato fornicationis, vt conſtat in coniugato petente debitum contra votum caſtitatis. Tunc ergo dicunt, malitiam voti violati poſſe ſufficienter explicari poſtea, non explicata malitia contra caſtitatem ; quia violatio voti ſecundùm ſe habet ſuam malitiam vltimò completam, & in ſpecie atoma independenter à malitia contra caſtitatem.

Suarez.

Exemplum poſterioris partis eſſe poteſt in peccato violentiæ, qua violatur nupta v. g. nam violentia illa ſecundùm ſe conſiderata non habet ſpeciem atomam, & completam in ratione violentiæ, ſed eſt ratio generica indifferens ad hanc, & illam violentiam. Nam violentia accipit ſpeciem ſuam ex illo damno, quod per violentiam infertur : eſt enim peccatum contra iuſtitiam, quod ſpecificatur à iure illo, quod lædit. Cùm ergo diuerſa ſint in ſpecie iura, quæ quis habet ad vitam, ad honorem, ad pecuniam, ad membra, &c. & hæc iura poſſint terminare iniurias ſpecie diuerſas, non poteſt explicari ſpecies illius iniuriæ, & violentiæ etiam in ratione iniuriæ, niſi explicetur damnum, quod infertur, & quod certè diuerſum eſt in nupta, & in ſoluta. Similiter in homicidio non poteſt explicari circumſtantia perſonæ ſacræ occiſæ, niſi explicetur homicidium, quia peccatum ſacrilegij eſt ratio generica ; quæ continet ſub ſe diuerſas ſpecies, quæ non poſſunt explicari, niſi explicetur peccatum, cui aduenit talis circumſtantia. Hæc ergo, & ſimilia debent iterum explicari propter circumſtantiam omiſſam, licèt in aliis non debeant explicari.

650.

651. Vnde ad rationes in contrarium adductas reſponderi poteſt, in illis eſſe peculiarem rationem ob quam non poſſit, circumſtantia ſeorſim explicari. Nam in primo & ſecundo exemplo ibi adducto, non poteſt explicari violentia, vt diximus, ſecundùm propriam ſpeciem vltimam, niſi explicetur peccatum, cui aduenit. Similiter non poteſt explicari peccatum impietatis contra Patrem, niſi explicetur materia : nam in ipſo genere impietatis non eſt eadem malitia parricidij, ac contumeliæ in patrem propter diuerſum valde ius : quod Pater habet, ne occidatur à filio, ac ne dehonoretur ab illo.

652.

653.

654.

Denique ad tertium dici poteſt, malitiam grauem offenſæ Dei non explicari ſufficienter non explicata materia, in qua offenditur : quia cùm omne peccatum mortale ſit inobedientia grauis in Deum, & inobedientia accipiat ſpeciem ſuam ex materia, quæ præcipitur, eo quod lex, & præceptum ſpecificatur à virtute, quam præcipit, vt diximus ſuprà *diſp. 16. ſect. 4. numero 170.* & probat Sanchez *dicto cap. 11.* Conſequens eſt, vt etiam provt reſpicit Deum, ſit diuerſa ſpecies peccati contra caſtitatem, & peccati contra iuſtitiam, propter diuerſas leges Dei, quæ grauiter violantur ; & ideo debet omnino explicari materia, in qua peccatur, vt explicetur offenſa grauis Dei ſecundùm ſuam ſpeciem vltimam.

655.

Poſſunt tamen adhuc alia objici, quæ magis explicent hanc doctrinam. Primò objici poteſt, ex hoc ſequi, quod non ſolum in ſequenti confeſſione, ſed in eadem poterit aliquis diuidere circumſtantiam, eamque ſeorſim confiteri : ſi v. g. prius accuſet ſe de decem fornicationibus, poſtea verò ſe accuſet, quod decies violauit votum in re grauí, non explicando peccata illa fuiſſe contra votum caſtitatis. Pater Suarez *loco ſupra citato, n. 9.* concedit ſequelam propter paritatem rationis, ſed ego difficile eam concedam ; quia in prædicto caſu ex modo ipſo confitendi, & ſeparandi peccata, videtur pœnitens ſignificare, illa fuiſſe peccata diſtincta, atque ideo videtur ſignificare, quod peccata

peccata contra castitatem non fuerint contra votum, vndè non confitetur peccatum, quod fecit, sed aliud, quod non fecit, scilicet peccatum luxuriæ, quod non esset contra votum; videtur etiam accusare se de viginti peccatis, cùm fecerit sola decem. Quod à contrario sic probo: quia si ille modus separandi non iudicat distinctionem, & pluralitatem peccatorum; ergo quando verè erant duo peccata distincta, alterum luxuriæ, alterum violationis alicuius voti; non sufficiet ea illo modo confiteri, sed debes explicare illa fuisse distincta peccata. Probo sequelam, quia ille modus confitendi per te non explicat, quod illa fuerint duo peccata, cùm eodem modo confitearis, quando fuit vnum peccatum; sed est obligatio explicandi numerum peccatorum; ergo debes explicare clarè illa fuisse duo peccata, nec sufficit explicare vtramque malitiam seorsim: quia idem fit per te, quando erat vnicum peccatum; ergo fatendum est, illum modum separandi malitias explicare distinctionem numericam peccatorum; atque adeò non posse ita diuidi vnum peccatum intra eamdem confessionem.

652. Sed contrà obiiciet aliquis primò, quia hoc inconueniens eodem ferè modo sequi potest si diuisio fiat in diuersis confessionibus, ac intra eamdem: nam si priùs confessus sis decem peccata fornicationis, & postea eidem Confessario sequenti die confitearis decem violationes voti, eodem modo poterit Confessarius existimare illa esse diuersa peccata à præcedentibus, sicut si intra eamdem confessionem id fecisses: maximè si eadem confessio vt aliquando fieri solet, fieret per duos, vel tres dies. Secundò, quia non est nouum, quod intra eãdem confessionem pœnitens bis se accuset de eodem peccato sub diuersis formalitatibus: sic enim in secundo præcepto aliqui se accusant, quod iuramento promiserint ex animo se vindicare, & rursus in quinto præcepto se accusant, quod habuerint desiderium, vel propositum vindicandi se, & lædendi proximum.

654. Respondeo ad primum, non sequi idem inconueniens, si diuisio fiat in duplici confessione: nam si in eadem confessione ego bis me accusem, v. g. de furto, significo esse duo peccata furti: si verò in duplici confessione id facio, non significo fuisse duo peccata, sed præscindo ab hoc. Sic in casu nostro, quando intra eamdem confessionem separo illas malitias, significo, esse duo peccata, vt probatum est à contrario: quando verò in duplici confessione id facio, non significo esse aliud peccatum, quia possum in duplici confessione accusare me bis de eodem peccato, non in eadem, nisi id explicem.

Ad secundum, quando pœnitentes id faciunt, est in tali genere peccatorum, in quibus prudens Confessarius benè intelligit, non esse peccata distincta à priùs explicatis, vt in exemplo illo, nam iuramentum cum animo vindicandi se, includit desiderium vindicandi, quod postea in quinto præcepto repetit, & id satis intelligit Confessarius in illis circumstantiis; quod si dubitat, interrogat an fuerit aliud vltra supra dicta.

655. Secundò obiici potest, quia nisi vtraque malitia simul explicetur, neutra sufficienter explicatur: nam licèt sint verè duæ malitiæ distinctæ; singulæ tamen ex consortio alterius augentur in proprio genere, vt probat latè Salas *dicta disp. 3. sect. 6.* & ostendi potest breuiter, quia, quò magis liber est actus, cæteris paribus, eo grauior est eius malitia, cùm potuerit faciliùs relinqui: sed quando enim intemperantia apparet simul violatio voti reddit magis difficilem affectum intemperantiæ, cùm sint iam plura, quæ inclinant ad illam fugiendam: ergo ipsemet affectus intemperantiæ liberior est, & per consequens grauioris malitiæ etiam intra proprium genus: quæ tamen maior grauitas non explicatur, dum omittitur circumstantia voti. Respondetur facilè concedendo, ex consortio alterius circumstantiæ augeri posse, & plerumque augeri malitiam obiecti propter rationem adductam. Cæterum, cùm totum illud augmentum sit propter maiorem libertatem actus, quæ quidem maior libertas non est necessariò explicanda in confessione, consequens est, vt possit sufficienter explicari malitia, quæ prouenit ex obiecto, non explicata circumstantia, ex qua refunditur augmentum libertatis, & malitiæ in illam eamdem malitiam, quæ explicatur.

656. Tertiò obiici potest principaliter contra illam doctrinam communem, quia si malitia illius peccati ita diuidi potest; poterit etiam pœnitens, qui se accusauit de furto decem nummorum, si postea recordetur fuisse viginti, poterit in confessione sequenti confiteri, quod furatus fuerit decem; nam hoc solum restabat confitendum, & iam in vtraque confessione explicata manet tota malitia illius peccati. Aliqui concedunt hanc etiam sequelam propter paritatem rationis; sed id videtur mihi satis difficile, quia iam re vera illud peccatum non esset explicatum, sed aliud: nam vt cum Patre Vasquez obseruaui *disp. 16. sect. 3. n. 123.* qui furatus centum, dicit se furatum quinquaginta; significat, se sola quinquaginta furatum, quod cùm sit falsum, iam non confitetur furtum, quod fecit, sed aliud, quod non fecit, & per consequens, vt confiteatur verum peccatum, debet dicere veram materiam illius peccati, vel certè non debet dicere aliam materiam diuersam falsam.

657. Ex hoc autem exemplo, & argumento, vt verum fatear, licèt sententia illa, quam hucusque explicuimus, quod possit seorsim explicare in secunda confessione circumstantiam omissam non explicato denuo peccato, probabilissima sit, & tuta in praxi propter auctoritatem tot, & tantorum doctorum; stando tamen in ratione, semper mihi difficilis visa est. Quia, sicut furatus centum, si dicat, se furatum viginti, non confitetur peccatum quod fecit, sed aliud, quod non fecit, scilicet, furtum circa sola viginti; quod solum illa verba significant; ita qui dicit, se violasse votum, non explicando, quod erat contra castitatem, videtur significare, illud peccatum non habuisse aliam malitiam, nisi violationis voti, atque adeò non videtur confiteri peccatum, quod fecit, sed aliud, quod non fecit; habens solam malitiam contra religionem & quidem difficile potest assignari differentia inter vtrumque casum: nam sicut malitia totalis specifica in hoc casu conflatur ex illa duplici malitia specifica, ita malitia indiuidualis in primo casu conflatur ex duabus malitiis partialibus, quarum quælibet versatur circa quinquaginta. Ergo sicut explicando malitiam circa quinquaginta, videtur negari altera circa alia quinquaginta; & ideò non explicatur illud peccatum, ita explicando solam malitiam contra votum, videtur negari altera contra castitatem, atque ideò non explicabitur illud peccatum, sed aliud diuersum.

658. Dices, esse discrimen, quia in peccato habente duas malitias specificas datur duplex oppositio contra duplicem regulam rationis, & per consequens potest explicari vna seorsim ab altera, quia iam explicatur vera malitia illius actus, licèt non tota: at verò in furto non est duplex oppo-

sitio, sed vna ad vnicum ius, quod Dominus habebat ad illa centum, & ad vnicam legem prohibentem furtum: quæ oppositio non explicatur dum significatur furtum solùm de quinquaginta.

Sed contra, quia in primis, sicut res accepta fuit diuisibilis, ita ius ad illa centum videtur diuisibile in plura iura partialia, quibus opponitur illud furtum: sed quidquid sit de hoc; peccatum, quo occiduntur duo homines, opponitur certè duplici iuri totali, quod singuli homines habent ad suam vitam: & tamen si solùm dicas *occidi vnum hominem*: non explicas illud peccatum, sed aliud: alioquin, si explicas malitiam veram illius peccati, licèt non totam, non est cur postea debeas explicare occisionem alterius hominis; imò nec apparet, cur non posses ex industria confiteri occisionem vnius, volendo occultare malitiam integram: iam enim explicas speciem distinctè, & peccatum illud saltem in confuso, licèt non omninò distinctè, cùm non sit obligatio, vt supponimus, explicandi circumstantiam aggrauantem intra eamdem speciem. Si ergo ille modus confitendi non esset sufficiens; ideò est, quia significat non malitiam veram illius peccati, sed alterius, quod esset occisio vnius solùm hominis: ergo quod ibi detur duplex oppositio ad duo iura duorum hominum, non facit, quod singulæ possint seorsim explicari: idem ergo dicendum erit, quando datur duplex oppositio specie diuersa ad diuersas virtutes, cùm nulla appareat ratio discriminis.

659. Dices iterum, debere quidem explicari occisionem duorum hominum, non quia, quando explicatur vna sola, explicetur malitia falsa, sed quia ibi sunt duo peccata, cùm sit duplex occisio: ex hoc autem non fit, quod non possint seorsim explicari vna post aliam. Sed contrà, quia licèt ibi sit duplex malitia, sed re vera non est duplex peccatum, sed vnum habens duas malitias: ideò diximus suprà, non esse obligationem explicandi pluralitatem personarum, ad quas terminatur idem actus odij, vel detractionis. Alioquin, si re vera essent plura peccata, possent ex industria dici, vt plura, dicendo; *odio habui duas personas, seorsim singulas*: nam illud, licèt esset mendacium, non tamen videtur in re graui, nec circa substantiam. Ratio denique à priori est, quod peccatum est concretum accidentale ex actu, & ex malitia: & quamuis concedatur ibi duplex malitia, non est tamen duplex concretum, aut duplex subiectum, quod denominetur peccatum, sed vnicum, nempè vnicus actus.

660. Videtur ergo satis probabilis, stando in ratione, sententia Sylueſtri, quam sequitur etiam Nunnus *in præsenti quæstion. 9. articul. 2. dubit. 2. vers. sed adhuc dubium, & dubit* 3. & alij: maximè propter argumentum desumptum ex circumstantia indiuiduali: nam si non possum idem furtum de centum diuidere in duo peccata, & furta, seorsim de quinquaginta; quia confitendo furtum de quinquaginta non confiteor peccatum, quod feci, sed aliud, vt dixit Vasquez; non facilè explicatur, cur magis possim diuidendo circumstantias specificas, explicare illud peccatum, quod feci, quàm diuidendo circumstantias indiuiduales. Cæterùm, quia sententia contraria est communis, non est ab ea in praxi recedendum. Et quidem consequenter ad illam posset etiam in praxi admitti aliquando separatio alicuius circumstantiæ indiuidualis: vt si occidisti vno ictu duos homines, & confessus es occisionem vnius, poteris alia vice dicere occisionem alterius. In peccato tamen furti, & similibus non videtur id concedendum, etiam in illa sententia, vt si furatus sis centum, & dixisti, te furatum quinquaginta, alia vice dicas solum, te furatum quinquaginta. Potest autem in ea sententia reddi aliqua ratio discriminis: quia in homicidio duorum, violasti duplex ius diuersum singulorum; quare quælibet iuris violatio potest seorsim sufficienter explicari: in furto autem facto eidem personæ est vnica violatio iuris ad fortunas, quod ille homo habet: quæ violatio non explicatur, sed alia diuersa, quando dicis, te furatum quinquaginta.

Pro complemento restat dubium, an iuxta eam 661. *Quid si circumstantia sint seorsim.*
sententiam: quæ dicta sunt de duplici malitia eiusdem actus, quæ seorsim aliquando explicari possunt, locum habeant, quando circumstantia mala, quæ aduenit, est simul finis, v. g. si quis furatur propter mœchiam: an possit seorsim illas duas malitias confiteri, accusando se priùs de peccato furti, & postea de peccato mœchiæ. Respondetur affirmatiuè, nam licèt illæ malitiæ habeant aliquam subordinationem inter se, vt medium, & finis: re tamen vera est ibi duplex malitia in specie atoma, scilicet, furti, & fornicationis, quarum singulæ possunt seorsum sufficienter explicari, vt præter Nauarrum, & Angelum supra adductos tenent alij, quos refert, & sequitur Diana *tom. 1. tractat. de circumst. resolut.* 23. contra Nugnum, Megalam, & alios, quos ibi refert.

An verò ex circumstantia finis mali mœchiæ 662.
augeatur propria malitia furti in illo actu, sicut diximus, augeri malitiam propriam intemperantiæ ex circumstantia voti: affirmat Salas *dicta sectione. 6. numero* 99. contra Zumeliam ibi adductum, cuius quidem rationes bene impugnat, & probat suam sententiam ex ratione supra adducta: quia scilicet malitia ipsius finis reddit magis liberam electionem medij: faciliùs enim potest desistere ab eligendo homicidio propter furtum, qui videt, furtum de se esse malum, quàm si videret, furtum esse bonum: ergo ex malitia furti refunditur in ipsummet homicidium libertas maior, & per consequens grauior malitia.

Verius tamen videtur circumstantiam finis praui, 663.
licèt addat nouam malitiam specificam actui, non tamen augere malitiam illam, quæ prouenit ex medio: in hoc enim casu non videtur procedere ratio supra adducta: nam licèt circumstantia voti afferat maiorem libertatem, & facilitatem ad fugiendam luxuriam, quæ est contra votum, & ideò augeat malitiam ipsius luxuriæ, vt diximus: circumstantia tamen furti, propter quod aliquis occidit, non reddit magis facilem vitationem occisionis, nec auget libertatem, sed potiùs reddit minùs liberam occisionem, & magis difficilem eius vitationem. Ratio autem est, quia repugnat, quod illud ipsum quod mouet, inclinat, & impellit ad aliquid faciendum, retrahat, & retardet magis ab illo faciendo, sed in prædicto casu furtum est, quod inclinat, excitat, & impellit ad occidendum: fit enim occisio solùm propter furtum; ergo furtum non reddit difficiliorem occisionem, nec auget libertatem ad non occidendum, sed potiùs eam minuit. Fateor, malitiam furti, quæ obiicitur, reddere occisionem magis liberam, quàm si furtum non esset malum: non tamen magis liberam, quàm si non esset, vel non amaretur furtum. 664.

Dicunt; quò plus apparet de malitia in obiecto, eò plus retrahitur voluntas in actu primo ab eius

eius prosequutione: ergo malitia, quæ apparet in furto, retrahit in actu primo ab occisione: ergo reddit magis liberam ipsam occisionem. Respondetur distinguendo antecedens: quando illud ipsum, quod affert maiorem malitiam, non amatur, nec impellit concedo: provt contingit in voto: quod quidem non impellit, ad fornicationem: quando verò id, quod affert nouam malitiam, impellit, & mouet ad amorem, nego; provt contingit in casu nostro; nam furtum, quod affert illam nouam malitiam, illud ipsum est, quod mouet, & impellit ad occidendum vel aliter, (& in idem recidit) distingui potest idem antecedens: eò plus retrahitur voluntas, quàm si finis non afferret malitiam, concedo: quam si finis non moueret, nego. Est itaque magis libera occisio propter furtum malum, quàm si furtum esset bonum: non est tamen magis libera quàm si furtum non amaretur, quia furtum impellit ad occisionem: & licet malitia furti aliquantulum retrahat, multò magis impellit amor lucri illius ad occisionem; atq; adeò omnibus pensatis, volitio occisionis magis decrescit in libertate ex fine furandi proposito, quàm crescat ex eo, quod malitia furti possit retrahere ab occidendo.

DISPVTATIO XVII.

De integritate, & confessione sufficienti in casu necessitatis.

SECT. I. *An possit absolui infirmus, qui vnum solum peccatum dicere potuit; & qui, si dixit solum peccatum in Communi?*

SECT. II. *An qui nullum peccatum dixit, sed exhibuit doloris, & contritionis signa, possit absolui?*

SECT. III. *Vtrùm qui confessionem non petiit, nec dedit signum pœnitentiæ, possit aliquando sacramentaliter absolui?*

SECT. IV. *Vtrùm qui absente Confessario petit confessionem, & ostendit pœnitentiæ signa, possit ab illo post ea superueniente absolui quando iam est sensibus destitutus?*

SECT. V. *Explicantur aliquot dubia circa præcedentem doctrinam.*

DIximvs de integritate confessionis per se requisita: nunc dicendum de ea, quæ per accidens sufficit propter necessitatem: quæ quæstio potissimè locum habet in moribundo, qui propter vim morbi non potest omnia, vel etiam vllum peccatum explicare. De quo aliqua solent dubitari: incipiemus à facilioribus, vt postea ad difficiliora veniamus.

SECTIO I.

An possit absolui infirmus, qui vnum solum peccatum dicere possit; & quid si dixit solum peccatum in communi?

1. CErtum est apud omnes, quando periculum imminet, ne infirmus ante absolutionem moriatur, sufficere, quod dixerit vnum peccatum, vt possit absolui, licèt Victoria *relectione de confessione, num.* 164. dixerit, quod de hoc poterat dubitari; omnes tamen id concedunt. Videatur Suarez *disputatione* 23. *sectione* 1. Vasquez *quæstione* 91. *articulo* 2. *dub.* 1. *n.* 1. & alij, quos affert Henriquez *libro* 5. *c.* 22. *n.* 3. & Bonacina *disput.* 5. *de Sacramentis quæst.* 5. *sect.* 2. *p.* 2. §. 4. *diffic.* 4. *n.* 17. Aduertendum, tamen est cum Suario, & aliis, in prædicto casu debere pœnitentem confiteri primo loco materiam necessariam, scilicet, mortale aliquod non confessum; debere item, si tempus supereſt post absolutionem acceptam, prosequi confessionem, & confiteri alia peccata; denique necessitatem hanc posse occurrere non solùm causa pœnitentis; sed etiam ipsius Confessarij, vt si non possit absque periculo audire totam confessionem, v. g. tempore belli, aut propter morbi contagium, propter quod periculum tempore pestis posset, auditis paucis peccatis, facere, quod se accuset pœnitens de aliis in genere, & eum absoluere, ac discedere vt notat Coninch. *disp.* 7. *n.* 75. Ratio omnium est, quod integritas formalis confessionis solùm exigit, quod dicantur ea peccata quæ dici possunt: quare sicut non est contra integritatem, quod omittantur aliqua propter naturalem obliuionem, vel propter aliud damnum quod ex confessione eorum timetur; sic nec erit, quod omittantur propter impotentiam illam moralem. Vndè aliqui dicunt, idem procedere, quando infirmus nimis fatigatur in explicatione peccatorum. Henriquez *vbi suprà in glossa littera L*, & Bonacina *num.* 9.

2. Circa hoc dubitari potest primò, Si Sacerdos postquam cœpit audire confessionem, morbo corripiatur, & timeat, se moriturum ante finem confessionis, an possit statim absolutionem dare. Soto *in* 4. *dist.* 18. *q.* 2. *art.* 1. absolutè affirmat. P. Suarez in præsenti *disp.* 23. *sect.* 1. *in principio* tetigit hunc casum, sed addidit limitationem, scilicet, quando mors ipsius sacerdotis imminet, & non est alius Minister, quam etiam addidit Vasquez *quæst.* 91. *art.* 2. *dub.* 2. quibus verbis innuunt, non posse absoluere, quando pœnitens potest recurrere commodè ad alium Confessarium, cui omnia peccata integrè confiteatur; quod etiam alij Theologi dixerunt alioquin absque iusta causa, aut necessitate dimidiaretur confessio. *Quid, quando Confessarius non potest prosequi.*

3. Aliis tamen videtur, etiamsi sit alius Minister, apud quem confessio integra fieri possit, Sacerdotē illum posse absoluere directè ab illis, quæ audiuit, quia semper adest iusta causa dimidiandi confessionem, nempè ne pœnitens cogatur illa peccata, quæ iam confessus erat apud legitimum iudicem, iterum apud alium confiteri, ex ipsa enim confessione acquisiuit ius ad absolutionem, quo iure non debet Confessarius illum fraudare. Et quidem Auctores illi qui dixerūt, posse communiter superiorem audire pœnitentem, quoad reseruata, eumque absoluere, & postea remittere pro aliis ad inferiorem, & hoc propter occupationes, quas superior habet; consequenter deberent concedere in nostro casu, posse Sacerdotem absoluere ab iis, quæ audiuit, cùm maior sit causa ex parte ipsius Confessarij. Cæterum quia illi Auctores communiter, licèt minùs consequenter, dicunt, pœnitentem absolutum à superiore à solis reseruatis debere postea integram confessionem facere apud inferiorem de reseruatis, & non reseruatis; ideò non possumus illos Auctores pro hac sententia afferre.

4. Existimo itaque, quando alius Minister non est, vel timetur, quod pœnitens diu carebit hoc sacramento, posse Sacerdotem ab iis, quæ iam audiuit, absoluere, quia illa est causa legitima, faciendi confessionem non materialiter integram. Quādo tamē commodè possit pœnitens ad alium recurrere, cui integrè

integrè confiteatur, non videtur sufficiens causa dimidiandi confessionem. Hoc videtur esse inxta communem sensum Theologorum; nam in illo casu, quando habens casus reseruatos adit prius superiorem, ij, qui dicunt, posse superiorem audire sola reseruata, & absoluere ab illis; addunt tamen debere postea confessionem integram fieri de omnibus apud aliud Confessarium: illi verò, qui dicunt, non debere pœnitentem itetum inferiori confiteri peccatum reseruatum, à quo solo fuit per superiorem absolutus, dicunt tamen, non esse causam sufficientem illud onus confitendi bis idem peccatum, vt superior possit dimidiata confessione ab illo solo absoluere; sed audito illo, si non potest audire alia, debere auferre reseruationem, & remittere ad alium confessarium, cui integrè confiteatur, vt cum Suario *infrà disp. 31. sect. 1.* communiter docent Recentiores. Non existimatur ergo causa sufficiens dimidiandi confessionem illud solum onus confitendi eadem peccata apud alium.

5. Secundò, quia hoc esse videtur iuxta communem vsum, si enim accedat ad me pœnitens, ac dicto vno, vel duplici peccato ego aduertam, me illius idioma capere non posse, non debeo illum à duobus peccatis, quæ dixit, absoluere, si adest alius confessarius illius linguæ gnarus, cui possit statim integrè confiteri. Item si pœnitens dictis multis peccatis non reseruatis, dicat postea vnum reseruatum; non debeo ego à non reseruatis absoluere, ne iterum cogatur ea confiteri, sed debeo mittere ad superiorem, vel ad habentem facultatem, à quo possit integrè absolui; ergo illud onus solum confitendi iterum eadem peccata non est sufficiens de se ad dimidiandam confessionem. Ratio autem esse potest, quia sicut si confessarius auditâ totâ confessione moreretur ante datam absolutionem, deberet iterum pœnitens totam confessionem repetere apud alium, huic enim periculo se exposuit, dum cœpit huic confiteri: sic si casu aliquo impotens fiat audiendi integram: nam huic etiam periculo se exposuit, quod prouenire potest ex casibus fortuitis. Quibus non debuit prouidere institutio sacramenti cum præiudicio integritatis confessionis.

6. *Quid, si die sequenti inuenit pœnitentem sensibus destitutũ.* Secundò, circa hoc ipsum dubitari potest, quando Sacerdos cœpit audire confessionem ægroti, & condixit perficiendam die sequenti, tunc autem inuenit eum sensibus destitutum, an possit eum absoluere. Affirmatiuè respondent Ioannes Chapeavilla *tract. de modo minist. sacramenta tempore pestis, cap. 3. quæst. 13.* Zambranus *de cas. tempore mortis, cap. 4. dub. 2. sect. 7. num. 41.* Diana *2. tom. tract. 3. de absolutione moribundi, resolut. 6.* dummodo non constet, mutasse voluntatem pœnitendi; & certè hæc mutatio non potest, facilè præsumi in illo articulo: imò neque si sanus inceperat confessionem generalem perficiendam die sequenti, quo repentè inuenitur sensibus destitutus. Vnde consolui aliquando absolui quendam Canonicum moribundum, qui ante morbum confessus fuerat cuidam Parocho, qui dubitauerat, an capax esset absolutionis propter amentiam, quam pati solebat: consului tamen vt idem Parochus virtute illius confessionis; de cuius valore dubium habebat, eum absolueret sub conditione; quia & propter amentiam, & propter tempus breue interceptum poterat præsumi perseuerare moraliter eadem voluntas obtinendi absolutionem, quam Parochus dicebat se noluisse in confessione impendere.

7. Maior est difficultas; quando pœnitens nullum peccatum in particulari confitetur, sed solum in genere dicendo, se multa peccata commisisse, & postea sensibus destitutus est, an possit virtute illius confessionis absolui. Negant plures, Soto, Canus, Abulensis, Ledesma, Nauarrus, apud Vasquez *in præsenti quæstione 91. articulo 2. dub. 1. numer. 2.* Conradus, Medina, Nugnus, Aluarez, Coquetius, Auila, Graffius, Pedraza, Angles, apud Dianam *dicto tract. de absolutione moribundi, resolutione 1.* Horum tamen aliqui concedunt, posse absolui, si peccatum dixit in genere sobalterno, licèt in specie infima, vt si confessus est fornicationem. Alij dicunt posse absolui, si dixit, se moraliter peccasse, quia iam explicat in particulari aliquid, quod possit dirigere ad aliquod iudicium faciendum. *Quid si dixerit in particulari aliquid, non tamen omnia peccata in particulari dixit.*

8. Contraria sententia affirmatiua communis iam est, quam tenent Antoninus, Ioannes Medina, Corduba, Angelus, Richardus, quos referunt; & sequuntur Vasquez, *vbi supra, numer. 3.* & Suarez *disputat. 23. sect. 1.* Salas *in 1. 2. tract. 8. disput. vnica, sect. 5. num. 16.* Turrianus *de Pœnitentia, quæst. 9. disput. 30. dub. 2.* Coninch *disp. 7. dub. 10. numer. 97.* & alij innumeri recentiores, quos refert, & sequitur Diana *dicta resolutione 1.* quibus addi possunt Driedo *de captiuit. tract. 2. cap 4.* Corduba *item quæstione 39. de indulgent. part. 2.* Fauet item S. Thomas *in 4. disp. 21. quæst. 2. art. 1. ad 1.* quatenus dicit, confessionem generalem posse aliquando esse sacramentalem. Denique habetur iam in Rituali Romano Pauli Quinti, vt infra videbimus.

9. Fundamentum primum huius sententiæ desumitur ex decretis Conciliorum, & Pontificum, quæ tamen commodiùs referemus postea *sect. 4.* Nam si dicunt, absoluendum esse eum, qui petiit confessionem, à fortiori absoluendus erit, qui dixit peccatum in communi.

Secundò probatur ratione manifesta: quia integritas confessionis, quoad species, numerum, & circumstantias, non est ita necessaria, vt iustis de causis non possit sæpè omitti, vt vidimus: vnde propter periculum, quod timetur, taceri potest species peccati, & propter oblionem, ignorantiam, &c. ergo à fortiori propter impotentiam, qualis interuenit in casu nostro, in quo pœnitens explicat suum peccatum, quantum potest, & per consequens facit confessionem non materialiter, sed formaliter integram: nam sicut est necessarium explicare speciem peccati, sic necessarium est dicere omnia, & singula peccata, nec aliter de vna, quam de alia necessitate loquitur Trident. *sess. 14. num. 5. & canone 7.* Ergo sicut potest stare valor sacramenti non explicatis omnibus peccatis, maximè quando ob impotentiam non explicantur; sic poterit validum esse sacramentum, licèt ob impotentiam non explicetur species peccati in particulari.

10. Confirmatur eadem ratio; quia confessio peccati in genere potest esse materia necessaria huius sacramenti; ergo, & potest esse materia sufficiens. Antecedens constat in eo, qui recordatur se peccasse mortaliter, & oblitus est omnino speciei illius peccati: debet enim illud in genere confiteri, provt est in conscientia sua: item si recordetur se peccasse, & oblitus sit speciei, & grauitatis, ita vt nesciat, mortalitérne, an venialiter, debet hoc ipsum dubium confiteri. Ergo peccatum in genere est materia necessaria confessionis; ergo est sufficiens quod attinet ad valorem. Probatur consequentia; quia nihil debemus in confessione confiteri, nisi in ordine ad absolutionem: si ergo debemus confiteri peccatum illud

illud in genere, illud erit capax absolutionis. Item potest contingere, quod moribundus non habeat aliam materiam necessariò confitendam, nisi peccatum mortale certum, vel dubium in genere, cuius speciei non recordatur: & tamen illam tenetur confiteri: ergo illa materia est capax absolutionis sacramentalis: ad quid enim debet illam confiteri, nisi vt remissionem ab Ecclesia consequatur.

11. Pro parte negatiua obiicitur primò: Quia materia huius Sacramenti debet esse confessio; illa autem non est confessio: nullam enim dat notitiam nouam Confessario de statu pœnitentis cum solum manifestet esse peccatorem in genere; quod quidem iam sciebat Confessarius, cùm omnes simus peccatores. Respondeo, illam esse confessionem, de cuius ratione solùm quod sit accusatio: non est autem de ratione accusantis, quod det notitiam nouam iudici; possumus enim accusare id, quod iam iudex sciebat, & priùs non tenebatur prouidere, nemine postulante, nec accusante, nunc autem tenetur. Est ergo de ratione accusationis, quod ex se deferat aliquam notitiam delicti, siue eam iam haberet iudex, siue non haberet, & petat remedium, implorando iudicis officium: quando enim Dæmon Homines apud Deum accusat, non dat Deo notitiam, quam iam non haberet, & tamen dicitur propriè accusare, quia implorat officium Dei in puniendis peccatoribus.

12. Obiiciunt secundò: Quia hoc Sacramentum est iudicium: iudex autem non potest prudenter iudicare, nisi cognita causa in particulari, & indè Tridentinum probat necessitatem explicandi species peccatorum, quia Confessarius est iudex. Respondeo, hoc argumentum probaret, non esse validam absolutionem etiamsi dicatur vnum peccatum mortale solùm in particulari, & alia propter impotentiam non dicantur; quia in Tridentino ex eadem ratione iudicij colligitur necessitas confitendi omnia, & singula peccata: omnes ergo debemus dicere, hoc iudicium per se loquendo, & vt debito, & exacto modo fiat, exigere notitiam de speciebus, & de numero omnium peccatorum: quando verò ea notitia haberi non potest, sufficere notitiam completam, & tunc iudicium etiam incompletè exerceri, directè iudicando solùm de illo peccato, & sub ea ratione, sub qua manifestatur, itaque Sacerdos iudicat de illo solo peccato quod audit: non de aliis, & ab illo solo directè absoluit; & in casu nostro iudicat solum de peccato in genere, & ab illo sub ea ratione absoluit. Ad iudicandum autem de hoc solo peccato, & sub hac solum ratione sufficit hæc sola notitia, vt constat. Vide aliam solutionem apud Vasquz *illo dub. 1. num. 36. & 37.*

13. Sed contra hoc potest esse tertia obiectio, quæ meo iudicio, est potissimum argumentum illius sententiæ, quia absolutio sacramentalis debet ad aliquid directè terminari: in casu autem nostro nihil prorsus directè remitteretur per illam absolutionem: nam id quod directè remittitur: non debet iterum ex necessitate subiici clauibus: ille autem infirmus deberet postea omnia peccata distinctè confiteri: nullum ergo ex illis directè fuit per claues remissum: ergo nullius confessio suscepit directè formam absolutionis.

14. Solutionem huius argumenti remisimus ad hunc locum *disp. præced. sect.* 14. ad quod Suarez (vt ibi dixi) solum dicit, absolutionem tunc terminari directè ad peccatum secundùm rationem communem, in qua conuenit cum aliis. Hoc tamen ipsum difficilè apparet; nam ratio communis, vel est aggregatum confusum ex omnibus inferioribus, vel certè est aliqua pars metaphysica illius peccati: neutrum autem videtur terminare absolutionem, non quidem aggregatum confusum; quia iam omnia illa peccata essent directè remissa; nec esset obligatio ea iterum confitendi; sed neque etiam aliquid illius peccati esset directè remissum, quia absoluere directè ab aliquo peccato, est cedere directè Deum iuri, quod habebat ad auersionem propter illud peccatum. Quando ergo Deus directè remittit adulterium, v. g. secundùm rationem communem peccati mortalis, quod solum pœnitens explicaret, peto cui iuri ad auersionem cedat directè Deus? Nam si Deus non remitteret indirectè cætera omnia peccata, stante sola illa remissione directa adulterij secundùm rationem communem, nónne Deus irasci posset propter rationem specificam adulterij? Ergo tanta auersione, quanta priùs. Nam grauitas specifica adulterij includit rationem communem offensæ diuinæ grauis, quæ transcendit eius differentiam, & quia alioquin deberet explicari & determinari, quantum minuatur ex auersione Dei propter illam remissionem directam adulterij secundùm rationem communem, quod quidem est impossibile: quia debet retineri auersio debita adulterio, secundùm id, quo excedit minimum omnium peccatorum mortalium inclusum sub ratione communi: non est autem assignabile minimum peccatorum possibilium, vt suppono: & licèt assignabile esset, adhuc non videtur solui difficultas; sed redire, quia si peccatum, cuius speciei oblitus erat pœnitens, fuisset illud mortale minimum, sequeretur quod postea quando in memoriam rediret, non esset obligatio illud iterum confitendi secundùm speciem, quia iam fuisset remissum directè secundùm totam suam grauitatem, & malitiam, & nihil prorsus illius remaneret directè remittendum: consequens autem est falsum, cùm semper maneat obligatio confitendi speciem, & hoc, vt directè remittatur.

15. Propter hæc dixi, illud argumentum esse, quod difficilius videri poterat pro contraria sententia: illud tamen non cogit: possumus enim adhuc sufficienter declarare, quid sit remitti directè peccatum solum secundùm rationem communem. Pro quo aduerto, in his, quæ non solùm includunt actionem physicam, sed etiam intentionalem, non esse necessarium, quod semper designari possit id, ad quod terminatur actio agentis, provt tendit ex tali intentione directa: quia cùm actio intentionalis terminari possit ad aliquid commune, & indeterminatum: potest ex ea parte quatenus effectus correspondet actioni intentionali, esse aliquid indeterminatum. Exemplum, quo alibi vsus sum ad hoc explicandum est: Si Deus, v. g. promitteret alicui, non punire illum in æternum: stante hac promissione, Deus teneretur aliquando cessare ab eius punitione, non tamen teneretur hoc anno, nec sequenti, nec post mille annos, nec post millia millium. Vndè quotiescumque cessaret, intercederet noua liberalitas, & gratia Dei, siquidem ex sua promissione non tenebatur ad tunc cessandum; cæterùm non posset vnquam Deus ponere illud præcisè, ad quod tenebatur, quin poneret simul aliquid ad quod non tenebatur, atque ideò promissio illa obligaret directè Deum ad aliquid commune, & indeterminatum, quod nunquam posset poni, quin directè poneretur aliquid determinatum supra illud, quod sufficeret ad obseruandam promissionem.

16. Sic ergo in casu nostro dicimus, per remissionem

nem directam adulterij secundùm rationem communem peccati mortalis, Deum se directè obligare ad non irascendum propter illud peccatum sicut antea: quantum autem debeat indignationis & auersionis remittere, non continetur in illa promissione, qua posset minùs & minùs remittere, sicut possent esse minora, & minora peccata mortalia, quæ continentur sub illa ratione communi peccati mortalis. Quidquid autem indignationis grauis Deus remitteret, iam poneret, plus quam debebat, quia minùs potuisset. Hinc est Deum remittere indirectè illud peccatum sub ratione adulterij, quia illam grauitatem indignationis potuisset retinere ferè totam, remittendo aliquid illius. Vndè sicut in exemplo posito, ille, à quo puniendo Deus cessaret, deberet Deo nouam gratitudinem pro quolibet anno sequenti, siquidem illo etiam anno potuisset Deus illum punire adhuc post promissionem non puniendi in æternum, & nullus esset annus in tota æternitate, pro quo non deberet specialem gratitudinem propter eandem rationem: sic nullus est gradus determinatus grauitatis, vel malitiæ in adulterio quem Deus non remittat indirectè, siquidem potuisset minùs indignationis remittere ex vi præcisa remissionis, qua remittit illud sub ratione communi, atque ideò nullus est gradus malitiæ determinatæ grauis, qui non debeat explicari postea, quia indignationis illi correspondentis remissionem non afferebat directè remissio directa adulterij secundùm rationem communem. De facto tamen Deus remittit indirectè & totam grauitatem propriam adulterij, & omnia alia peccata mortalia.

17. *Quid si dicat peccatum veniale in genere?*

De peccato autem veniali, quando aliquis confiteretur se feciſſe vnum peccatum veniale cuius speciei non recordaretur, dubitari posset, an Deus, remittat tunc indirectè totam malitiam specificam, quam habuit illud peccatum veniale, an verò partem illius. Idem autem dubitari posset, quando aliquis confiteretur vnam solam malitiam specificam alicuius peccati venialis, in quo tamen fuisset duplex malitia specifica, vt si fuit mendacium leue cum leui etiam detractione, & pœnitens se accusat de mendacio, & non de detractione, tunc enim etiam dubitari posset, an remittatur vtraque malititia, an verò sola illa, quæ datur pro materia, quæ sola videtur remitti directè. Ex dictis tamen *disp. 8. dubio incidenti post sectionem. 2.* dicendum videtur, quod licèt ex natura rei non repugnaret remitti inadæquatè, & particulariter reatum culpæ; de facto tamen credibile est, semper remitti totum reatum culpæ simul: ita vt sicut peccatum mortale remittitur semper totum simul: sic etiam peccatum veniale non remittatur per partes, licèt id fieri non repugnaret: In peccato autem mortali est necessarium quod remittatur totaliter, eo quod remittitur per infusionem gratiæ sanctificantis, quæ emundat ab omni macula peccati mortalis: licèt non intendatur formaliter & directè mundatio ab omnibus per absolutionem, sed ab iis, quæ subiiciuntur & sub ea ratione, sub qua subiiciuntur. Sic etiam quando in eodem peccato fuit duplex malitia mortalis, v. g. fornicationis & violationis voti, & pœnitens explicat solam primam immemor secundæ, absolutio remittit directè solùm quoad primam malitiam, non quoad secundam; hoc est Deus per absolutionem obligatur ad non irascendum contra illum hominem, quia fornicatus est; non tamen se obligat directè ad non irascendum, quia violauit votum sed potuisset hanc partem auersionis retinere, quam tamen de facto indirectè remittit, sed remanet obligatio illam malitiam confitendi, quia non est directè per Ecclesiam remissa.

Obiici etiam posset contra hoc, quod ille, qui se accusat de peccato mortali in communi, videtur se in dubio accusare de hac, & illa specie peccati: ergo sicut qui se accusat de consensu turpi dubiè, absoluitur directè ab illo, sic qui se accusat de peccato mortali in communi, absoluetur directè ab illa specie peccati, quàm de facto commisit. Ad hoc tamen respondimus suprà *disputat. præcedenti sect.* 14. vbi rationem differentiæ reddidimus. 18.

Ex dictis infero primò, tempore naufragij, aut incendij, quando tempus non est audiendi singulos integrè, non solùm posse, sed debere Confessarium audire à singulis id solum, quod potest sine præiudicio aliorum, quia vt notauit benè Vasquez *q. 91. art. 2. dub. 2. n. 2.* tenetur ex misericordia aliis subuenire, & ad eum finem singulas confessiones non perficere: quia addit, si Confessarius scrupulo turbatus detineretur, ipsum pœnitentem, qui aliorum periculum videret, posse & teneri non perficere confessionem, quia teneretur aliis succurrere, & Sacerdotem non detinere. Possent etiam tunc, quando imminens periculum aliud non permitteret, omnes simul aliqua peccata confiteri, & ostendere dolorem, & omnes simul eadem formâ absolutionis absolui, vt cum aliis notat Coninch. *disput. 7. dub. 9. n. 74.* & Fagundez *de 2. præcepto Ecclesiæ lib. 2. cap. 3. n. 11.* 19. *Quid in casu Fragis, aut incendij?* 24.

Infero secundò, in casu nostræ quæstionis, quando infirmus vnum peccatum in genere dixit non solùm posse, sed debere ex obligatione absolui, quia cùm possit Sacerdos licitè amplecti illam sententiam tot & tantorum Doctorum, & absoluere sub conditione, quod prodesse potest ægroto ad æternam salutem, tenetur ex charitate erga proximum subuenire illi eo modo, quo potest, ne fortè habens attritionem solam damnetur, qui cum beneficio absolutionis saluus fieret, quod cum Suario, & Vazquio obseruarunt Recentiores communiter, quos congerit, & sequitur Diana *dicto tract. de absolutione moribundi resol. 9.* 20. *Potest, & debet absolui ille infirmus.* 25. 26.

Infero tertiò illum, qui solum dixit veniale in communi, posse etiam, & debere in eodem necessitatis articulo absolui: quia sicut peccatum in communi est materia sufficiens absolutionis, ita veniale in communi, & aliundè fieri potest, quod per illam absolutionem iustificetur a mortalibus, quorum non recordatur: non est ergo illi periculo relinquendus, cùm possimus ei facilè subuenire. 27.

Infero quartò contra aliquos; puerum etiam, de quo dubitatur an habeat vsum rationis, & qui confitetur aliquod veniale, absoluendum sub conditione, & hoc non solùm in mortis articulo, sed etiam extra illum. Et quidem quando vrget præceptum Ecclesiæ de confessione, non videtur dubium, quod sit absoluendus si aliquod mortale dubium confessus est, ne fortè capax sit, & non satisfaciat præcepto diuino & Ecclesiastico. Sed etiamsi peccatum veniale solùm dixerit, videtur absoluendus, tum ne priuetur gratia illa sacramentali quam recipere posset, tum etiam, quia fortasse habet aliquod mortale, quod ignorat & à quo per illam absolutionem posset indirectè iustificari. 22. *Puer etiam in dubio.*

Infero quintò quid dicendum sit de Sacerdote, qui dicta confessione generali in principio Missæ statim loquelam amittit, & sensuum vsum, an virtute illius confessionis generalis, qua se peccatorem confessus est, possit Sacramentaliter absolui. Respondeo 23. *Casus quo eadem non sufficit.*

Respondeo enim negatiuè cum Layman. *libr. 5. tract. 6. c. 8.* contra Philibertum Marchinum *in tract. de peste, part. 3 cap. 13. n. 15.* quia confessio illa non fuit sacramentalis, neque in ordine ad claues, prout requiritur ad absolutionem, sed fuit oratio quædam ad alium finẽ prolata: alioquin Sacerdotes, qui quotidie celebrant, vel Ministri, qui eis in Missa respondent, possent in quacumque; necessitate absolui cùm hodie, vel heri confessionem generalẽ dixerint.

SECTIO II.

An qui nullum peccatum dixit, sed exhibuit doloris, & contritionis signa, possit absolui.

24. RAtio dubitandi est, quia hic nec in genere, nec in specie confitetur peccatum aliquod, sed solùm ostendit se habere dolorem de peccatis: in hoc autem Sacramento diuersa pars est contritio, & diuersa confessio. Non ergo sufficit contritio etiã exteriùs manifestata, nisi adsit etiam aliqua cõfessio, quæ sit accusatio & materia proxima Sacramenti.

25. Notandum est, hæc signa contritionis dupliciter posse exhiberi; primò in ordine ad confessionem, & ad claues Ecclesiæ, vt si Confessario ipsi dicat, se dolere de peccatis; se petere à Deo veniam peccatorum, se velle confiteri, ad obtinendam veniam peccatorum. Secundò, possunt exhiberi sine vlla mentione confessionis, vt si præsente Confessario, tundat pectus, dicat, *Miserere mei Deus*, & his similia. Quid autem si ante aduentum Confessarij hæc faciat, dicemus *sect. 4.*

26. Hoc supposito: quando signa contritionis exhibentur primo modo, ea sufficere ad absolutionem dandam, si iam alia confessio extorqueri non possit, docent omnes, quos pro nostra sententia attulimus *sect. præcedenti*: quia illa etiam est confessio peccati saltem in genere; nam qui confessionem petit, & id Confessario manifestat, vel dolorem de peccatis, vel quid simile; iam illi manifestat se peccasse, & velle in foro sacramentali sententiam obtinere, quare iam ponitur confessio eo modo, quo potest. Nec obstat, confessionem debere esse partem distinctam à contritione, quia, quamuis sit distincta, potest tamen contritio manifestari per ipsam confessionem. Sicut ergo aliquando sola confessio manifestat dolorem: sic aliquando manifestatio sola doloris poterit esse confessio peccati; quia qui dicit se dolere de peccato, & petit remedium, iam eo ipso fatetur, sed indigere tali remedio.

27. Maior est difficultas, quando signa doloris ponuntur secundo modo sine ordine explicito ad claues, vel ad confessionem. Tunc enim multi videntur negare posse conferri absolutionem. Ita docet expressè Suarez *dicta disp. 23. sect. 1. num. 13.* vbi sic ait: *Est autem attentè obseruandum. Non satis esse adhibere signa contritionis (quod fortè voluit Abulensis supra) sed necessarium esse illa adhibere in ordine ad claues; quia contritio, vel manifestatio eius per se non est sufficiens materia Sacramenti pœnitentiæ, sed quãdo informat confessionem aliquam, cum qua perficit accusationem sacramẽtalem, & hoc est exhibere signa in ordine ad claues. Vndè, quantumuis infirmus se ostendat deuotum, & contritum, si nullam fecit mentionem confessionis, & in eo statu sensum amittat, non potest Sacramentaliter absolui; quia illa contritio non est relata ad claues, neque ibi interuenit aliqua confessio etiam generalis. At verò cum exhibet illa signa, petendo confessionem, seu vocando Sacerdotẽ, iam est materia sufficiens.* Idẽ videtur supponere Pater Vasquez *illa q. 91. art. 2. dub. 1. num. 1.* vbi de illo solùm casu loqui videtur, quando dicit absolui posse. Sic enim proponit quæstionem: *Tota difficultas est, quando nullum potest præbere signum peccati in particulari, sed signa tantùm in genere, quibus se confiteatur esse peccatorem, & confessionis Sacramentum petat.* Eandem limitationem apposuit Bonacina *loco citato, num. 9.* his verbis: *Hinc patet in articulo mortis absolui posse pœnitentem, qui petit confessionẽ, aut signa doloris ordinata ad confessionem exhibuit.* Et paulò post: *absolui posse eum, qui solùm in genere dat signa contritionis, stringendo manum aut percutiendo pectus, aut manus, vel oculos in cœlum eleuando, aut aliud simile signum exhibendo per ordinem ad confessionem.* Idem docent Megala, Ioan. Franciscus Suarez, & Thomas à Iesu, quos affert Diana *2. tom. dicto tract. de absolutione moribundi, resol. 2.*

28. Hæc sententia meo iudicio, vel nihil dicit speciale in ordine ad praxim, vel laqueos, & triuias iniicit Confessario, qui dum examinat, an signa doloris, & pœnitentiæ fuerint in ordine ad claues, infirmus sine absolutione moritur, omnes ergo fatemur debere illa signa doloris esse in ordine ad claues, hoc est, manifestatiua desiderij, quo pœnitens desiderat prouidere animæ suæ de remedio spectante ad veniam peccatorum obtinendam, atque adeò per absolutionem sacramentalem. Difficultas solùm est in ordine ad praxim; an Sacerdos, qui videt infirmum pectus percutere, vel aliud simile pœnitentiæ signum edere, possit præsumere illa signa esse in ordine ad claues, & ad manifestandum desiderium absolutionis, atque ita possit de facto absolutionem impendere; licèt explicitè non petierit confessionem, aut absolutionem Sacerdotis.

29. Et quidem, quando signa ipsi Confessario exhibentur, non videtur dubium, vt diximus, quia iam continent confessionem, & manifestationem peccati Sacerdoti, cui signum exhibetur. Idem ferè est, quando signa coram Sacerdote exhibentur, quem infirmus adesse scit, qua etiam tunc præsumitur Sacerdoti manifestare suum desiderium confitendi. Denique quando fiunt coram Sacerdote, quem infirmus nescit adesse (& idem dicemus *sect. 4.* quando fiunt absente Sacerdote) adhuc dicendum videtur posse semper præsumi, quod fiant in ordine ad claues, atque ideò posse sub conditione absolutionem impendi.

30. Hanc conclusionem sub eisdem terminis docuisse videtur Layman *dicto lib. 5. tract. 6. capite 8. n. 4.* qui rationem optimam addit: quia signa pœnitentiæ, quæ præsente mortis periculo ab infirmis eduntur, censeri debent ad Sacramentalem absolutionem directa, cùm in tali statu optimum suæ animæ remedium desiderare soleant. Quapropter, licèt infirmus in phrenesim lapsus absolui non possit, etiamsi cùm sanus esset, & nihil de mortis periculo cogitaret, pectus secundùm morem pulsaret, aut sublatis oculis in cœlum dixerit: *Miserere mei Deus*: tamen si talia signa edidit morti vicinus, cùm plura verba proferre non possit, præsumptio plerumque fieri potest, quod Sacramentalem absolutionem à Sacerdote petierit. Hæc Layman, cui additur Zambranus *de casibus tempore mortis, c. 4. dub. 2. sect. 4.* Pharaonius *de sacramento Pœnitentiæ, tract. 1. sect. 16. casu 15.* quos affert, & sequitur Diana vbi suprà *resol. 2.* vbi etiam affert Ioannem Chapeauillam *tract. de sacramẽtis ministrandis tempore pestis, capite 3. quæst. 11.* qui affirmatiuè etiam respondet, & reddit rationem, quia in casu extremæ necessitatis, in quo versamur, non requiritur expressa, sed sufficit tacita petitio confessionis; & probat deindè ex Augustino *serm. 44.* dicente eum

qui tundit pectus, id facere, vt arguatur, quod latet in pectore, & vt euidenti pulsu occultum castigetur peccatum. Tunsio ergo pectoris ex Augustino est aliqua peccati manifestatio: ergo aliqua confessio: hæc autem in illo periculo fieri solent ad quærendum remedium, & medicinam pœnitentiæ, quam petit, & cuius desiderium ostendit eo modo, quo potest. Denique hoc modo videntur loqui Doctores antiqui, qui solùm exigunt signa pœnitentiæ absque alia expressione in ordine ad claues. Vndè in Romano Rituali Pauli V. vniuersaliter dicitur esse absoluendus, si prùs confitendi desiderium ostendit. Potest autem hoc desiderio magis, vel minùs explicitè ostendi, vt constat. Cùm ergo qui in eo periculo signa contritionis ostendit iam eo ipso videatur ostendere desiderium remedij per absolutionem sacramentalem, non est, cur non absoluatur, cùm de ipso in rigore verificetur, quod Pontifex exigit, scilicet, quod desiderium confitendi ostenderit.

31. Vndè iterum arguere possumus ad idem comprobandum, quia quoties de illis signis dubium est num oriantur ex pœnitentia, & dolore de peccatis, an potiùs ex angustia, & mœrore ipsius morbi, & mortis, potest adhuc in illo dubio absolutio sub conditione impendi, vt notat Layman loco suprà citato, & Ioannes Sancius *in selectis, disp. 44. num. 25. in fine*, quem affert, & sequitur Diana *tractatu illo de absolutione moribundi, resol. 3.* ergo à fortiori, quoties dubium solum est, an signa illa exhibeantur, vel non exhibeantur in ordine ad claues, poterit absolutio sub conditione impendi. Patet consequentia, quia quando dubium est, an sint signa pœnitentiæ, an potiùs doloris, & contritionis ex morbo, à fortiori dubitatur, an sint in ordine ad claues Ecclesiæ. Si ergo non obstante dubio, potest dari absolutio, poterit à fortiori, quando constat esse signa pœnitentiæ, & solum dubitatur, an sint in ordine ad claues. Ratio autem est, quia in illo periculo Sacramentum sub conditione conferri potest quocunque dubio existente circa sufficientiam materiæ, & capacitatem subditi: sicut in simili necessitate baptizaretur Puer, quocumque dubio existente circa valorem Baptismi præteriti, aut circa sufficientiam huius aquæ, quæ sola nunc haberi potest? nec fit contra reuerentiam Sacramentis debitam, si sub conditione conferantur in iis casibus, cùm sint omninò instituta ad bonum, & salutem animarum.

32. Ideo suprà dixi sententiam contrariam nihil fortasse addere in ordine ad praxim: quia quoties infirmus in eo periculo positus talia pœnitentiæ signa exhibet: ad minus poterit esse dubium, an fiant in ordine ad claues, hoc est, an velit significare desiderium confessionis, seu remedij ab Ecclesia obtinendi, quod habet; præsertim cùm homines in illo periculo soleant statim confessionis meminisse, & eam desiderare, ac petere. Si ergo sufficit eiusmodi dubium ad dandam absolutionem, consequens est, vt semper, aut ferè semper dari possit, si autem potest, debet ex obligatione charitatis, vt succurramus proximo periclitanti eo modo, quo possumus, vt diximus *sect. præcedenti.*

SECTIO III.

Vtrùm, qui confessionem non petiit, nec dedit signum pœnitentiæ, possit aliquando sacramentaliter absolui.

33. A Deo sunt hominum iudicia diuersa, vt quibusdam absolutionem negantibus moribundo, qui peccatum solùm in genere confiteri potuit; alij absoluendum putent eum etiam, qui nec confessus est, nec confessionem petiit, nec signa pœnitentiæ in periculo dedit, dummodò priùs Christiano modo viueret, Sacramenta frequentare soleret, fidelis, ac probus æstimaretur, ita sentiunt Molfesius *in summ. tom. 1. tract. 7. c. 5. n. 48. & 49.* Homobonus *in exam. Eccles. part. 1. tract. 7. cap. 58. q. 84.* Antonius de Litteratis *in summ. part. 1. cap. 35. n. 7.* Alexander Ludouisius Archiepiscopus Bononiensis postea Summus Pontifex Gregorius XV. *in memoriali Confessariorum edito Bononiæ, c. 1. de forma Sacramenti Pœnitentiæ, num. 16.* vbi præcepit id ita in praxi obseruari; & audio in Belgio à multis Confessariis in bello ita fieri, qui milites moribundos, etiamsi nulla signa dare possint, absoluunt.

Afferunt pro hac sententia auctoritatem Clementis Papæ VIII. qui dicitur aliquando ruentem quendam præcipitem ex Sancti Petri fabrica, absoluisse, cum Pontifex adesset dicendo, si es capax, absolue te à peccatis tuis. Hæc tamen narratio nullum habet fundamentum: diligenter enim petij à multis doctis, & prudentibus viris, quiam à multis annis in hac Romæ Vrbe commorantur, & ipsius Clementis tempore aderant, qui rem omninò fabulosam putant. Fundamentum fortasse errandi esse potuit, si verum est, quod circumfertur, quod idem Clemens interrogatus aliquando, quid in casu parum dissimili faciendum esset, quando absente Confessario signa doloris exhibuisset, dixit absoluendum vtique, seque eum absoluturum, si adesset. 34.

Illud etiam quod ex *memoriali Bonien si* affertur, non conuincit, quia in eiusmodi instructionibus, quæ in priuato aliquo Episcopatu eduntur pro Confessarijs, proponi solet resolutio iuxta opinionem illorum Theologorum, quibus cura demandata est. Vndè in constitutione Compostellana ita in contrariam partem inclinatum fuit, vt præciperetur, pœna etiam statuta, nec vllus absolueret eum, qui aliquod peccatum in particulari non fuisset confessus, quia absolutio defectu materiæ valida non esset, sed sacrilega. 35.

Affertur etiam pro illa sententia Sacerdotale Romanum antiquum *in tract. de Sacramento Pœnitentiæ, cap. 26.* vbi ex S. Antonino affertur, quod in eo casu possit pœnitens absolui. Sed in primis de auctoritate illius libri dixi *disp. 20. de Eucharistia, sect. 3.* vbi notaui aliquos errores, qui in aliis editionibus illius libri sunt correcti: Deindè aduerto, ibi solùm afferri verba Antonini, quæ non continent clarè illum casum: non loquitur enim clarè de absolutione Sacramentali, sed videtur potiùs loqui de absolutione illa generali, quæ extra Sacramentum dari posset. Verba Antonini ibi relata hæc sunt: *Talis infirmus, qui amisit loquelam, vel vsum rationis, si benè viuebat, vt bonus, fidelis, & frequentabat confessionem, & communionem, quamuis non petierit Sacramenta, quia ex insperato talia acciderunt: vel etiam si malus, & obstinatus diu perseuerans in peccatis est, & diu non confessus, si petiit Sacerdotem, vt confiteretur, ostendit, se velle facere omnia, quæ debet, & interea factus est mutus, vel phreneticus, & periculum est in mora, debet præsupponi contritus, & faciente aliquo confessionem generalem pro eo, sicut fit in populo, Sacerdos faciat absolutionem ab omni sententia, & peccato. Deindè debet dari ei Eucharistia à proprio Sacerdote, si adest, quamuis non fit confessus, quia non potuit.* Hæc ibi: in quibus non satis constat, an sermo sit de absolutione Sacramentali, cùm dicat, præmittendam esse confessionem generalem ab alio, & postea subiungit esse communi 36. S. Antonin.

communicandum, quamuis non sit confessus. Denique ibi etiam dicitur in periculo, quando non est Sacerdos, bonum esse confiteri Laico, licèt non sit necessarium; quod iam communiter non consulitur.

Probant etiam hanc sententiam, ratione, quia
37. Christianus homo in simili periculo constitutus aliquando memor salutis æternæ poterit interiùs habere aliquem actum attritionis, quo disponatur ad effectum Sacramenti si absoluatur: poterit ergo absolui saltem sub conditione. Sed hoc argumentum si aliquid probat, probaret esse absoluendum, etiamsi priùs sceleratus esset, & notorius vsurarius, vel concubinarius, quod tamen S. Antoninus ibidem, & alij omnes negant: Probatur sequela, quia ille etiam, cùm Christianus sit, poterit in illo periculo constitutus memor salutis æternæ concipere interiùs actum attritionis, quo disponatur ad effectum sacramenti recipiendum, si absoluatur: cur ergo non poterit sub conditione absolui.

38. Dices in peccatore illo deesse voluntatem manifestam recipiendi hoc Sacramentum, in homine autem probæ vitæ, qui Sacramenta frequentare solebat haberi hanc voluntatem satis declaratam per illam bonam vitam. Vndè argui posset vltimò pro illa sententia, & hoc potest esse præcipuum illius fundamentum: quia ad recipienda tunc Sacramenta Eucharistiæ, & Vnctionis, sufficit, quod per Christianam vitam, quam habebat, ostenderit implicitè voluntatem accipiendi ea sacramenta in illo articulo: sed per similem vitam non minùs ostendebat voluntatem recipiendi absolutionem sacramentalem in illo articulo; ergo illa voluntas sufficit ad dandam illi absolutionem, cùm possit hæc dari, ei, de quo constat voluisse confiteri, vt dicitur in Rituali Romano Pauli V.

39. Ad hoc tamen argumentum respondi *disputat. 9. de Sacramentis in genere, sect. 7.* vbi ostendi, diuerso modo requiri voluntatem ad recipienda sacramenta Eucharistiæ, & extremæ Vnctionis, quàm ad sacramentum Pœnitentiæ, quia in illis sufficit voluntas generalis, quam quilibet Christianus habet, dum profitetur religionem Christianam, suscipiendi remedia, quæ sunt instituta pro omnibus Christianis in illo articulo necessitatis. At verò sacramentum Pœnitentiæ ex sua institutione est iudicium, atque ideò Minister non potest illud conferre, nisi vt iudex. Iudex autem non potest procedere, nisi accusator præcedat, qui vel in specie accuset de delicto in particulari, vel certè imploret eius officium. Debet ergo ex parte pœnitentis post peccatum commissum dari aliqua voluntas sensibiliter manifestata, qua accuset, vel certè imploret officium iudicis; alioquin proferretur sententia sine vllo processu; debet autem illa imploratio esse post commissum peccatum: ridiculum enim esset, quod hodie vellet se aliquis accusare de peccato eras committendo, vt eras ab eo absoluatur in virtute huius accusationis. Cùm ergo hoc sacramentum sit iudicium externum, seu sensibile, debet includere sententiam sensibilem, & accusationem, seu implorationem officij iudicis externam, sensibilem, & quæ reddat sensibilem dolorem internum de peccatis; quare debet esse accusatio sensibilis post commissum peccatum.

Meritò ergo alij omnes pro certo supponnnt, non posse conferri absolutionem sacramentalem, nisi ex parte pœnitentis præcedat saltem petitio, seu desiderium confitendi, cum qua limitatione dicitur in Rituali Romano Pauli V. dandam esse absolutionem, & ita docent Suarez *dicta disputat. 23. sect. 1. num. 13.* Vasquez *quæst. 91. art. 2. dub. 1. num. 1.* dicens nullum esse; qui contrarium dicat: Coninch. *disputat. 5. num. 28. & disp. 7. dub. 10. num. 96.* dicens contrariam non esse probabilem: Layman *lib. 5. tract. 6. cap. 22. num. 4.* Reginaldus *tom. 1. libr. 8. cap. 3. num. 25.* Turrianus *de Pœnitentia, quæst. 9. art. 2. disp. 30. dub. 1. ad 3.* Henriquez *libr. 6. capite 10. numero 9* & alij multi, quos affert, & sequitur Diana *dicto tractatu de absolutione moribundi, resolut. 8 & 3. tomo, tract. 4. Miscell. resolut. 92.* qui dum dixit aliquos ex nostra Societate contrarium tenere, intelligi debet de aliquo priuato, quem ipse fortasse alloquutus est: nam ex auctoritatibus nostræ Societatis nemo est, qui eam docuerit.

Et vltrà fundamenta suprà adducta colligi 40.
potest ex perpetuo vsu Ecclesiæ, quem decreta Pontificum, & Conciliorum clarè ostendunt, dum semper addiderunt, absoluendum quidem esse infirmum, qui loqui non potest, si tamen voluntatis præteritæ testimonium aliorum verbis habeat; quàm conditionem in nullius Concilij, aut Pontificis decreto præmissam videmus, vt constabit ex eorum verbis, quæ referemus *Sectione sequenti*. Non ergo expedit in re tanti momenti sub pietatis specie sapere plusquam omnes nostri SS. Patres sapuerunt, sed obseruare terminos, quos appossuerunt nobis. Hoc vnum ego in praxi concederem, si repentina hostium aggressione Milites spatium confitendi non habent, & dicant ex corde, se desiderare confessionem, & ex tunc absolutionem petere sacramentalem, si in mortis articulo sint, posse virtute illius voluntatis iam manifestatæ Confessarium absoluere Milites, quos sine sensu morientes inuenit, quia iam pro temporis angustia petierunt confessionem, & ostenderunt desiderium confitendi meliori modo, quo poterant. Deberent tamen moneri omnes ante prælij initium, ad habendum dolorem de peccatis, quo se ad effectum absolutionis disponerent.

Arguit nouissimè contra hanc communem do- 41.
ctrinam Bartholomæus à S. Fausto *tom. 1. Theolog. quæst. 204.* quia si potest (inquit) dari absolutio sub conditione, quando dubitatur, an pœnitens habeat vsum rationis, vel an sint peccata; nulla est ratio, cur id fieri non possit similiter sub conditione, quando talis nullum signum dedit contritionis, & aliàs deuotus erat, & frequentabat confessionem, & communionem: potest enim esse: provt in dubiis præsumitur, quod memor sit salutis æternæ, & interiùs habeat attritionem. Hoc tamen argumentum, vt dixi, probaret dandam esse absolutionem sub conditione, etiamsi non fuisset probæ vitæ; quia potest fieri, quod tunc memor salutis habeat interiùs attritionem. Respondetur ergo ex dictis non posse dari etiam sub conditione, quia siue habeat attritionem, siue non habeat, deest id, quod requiritur ad constituendum hoc sacramentum in ratione iudicij sensibilis, scilicet accusatio, imploratio officij, qui non potest ex se ipso inchoare hoc iudicium, sed ad instantiam partis, vt dictum est.

Infero obiter minùs admitti posse solutionem 42.
Iacobi Baij Louaniensis, qui *instit. Relig. Christianæ libr. 2. cap. 91.* vt illam sententiam defenderet, respondet, licèt hoc sacramentum sit iudicium, in illo tamen casu absolutionem posse impendi per modum suffragij. Hæc tamen responsio destruit se ipsam: quia si datur absolutio sacramentalis, & non solùm deprecatoria, qualis datur post confessionem generalem iis, qui volunt

communicare, debet sequi naturam sacramenti, atque ideò debet omninò esse sententia iudicis, & absolutio iudicialis: nam si dari posset solum per modum suffragij, posset etiam dari mortuo, sicut datur illi indulgentia per modum suffragij: posset etiam dari non subdito, nec requireretur in Ministro iurisdictio, & superioritas in pœnitentem: sicut ergo possum per modum suffragij communicare meum ieiunium, aut sacrificium illi, qui nullo modo est meus subditus; quæ omnia sunt manifestè contra essentiam huius Sacramenti, quod nunquam potest conferri, nisi à legitimo superiore, & iudice per sententiam iudicialem. Quod certè nescio, quomodo, salua fide, negari possit, cùm videatur apertè definitum in Trident. *sess. 14. capite 2.* his Trident. verbis, quibus differentiam essentialem Baptismi, & sacramenti Pœnitentiæ assignat: *Constat*, inquit, *Baptismi ministrum iudicem esse non oportere, cùm Ecclesia in neminem iudicium exerceat, qui non prius in ipsam per Baptismi ianuam fuerit ingressus. Quid enim mihi (inquit Apostolus) de iis, qui foris sunt iudicare? Secus est de domesticis fidei, quos Christus Dominus lauacro Baptismi sui corporis membra semel effecit: nam hos, si postea crimine aliquo se contaminauerint, non iam repetito Baptismo ablui, (cum id, in Ecclesia Catholica nulla ratione liceat) sed ante hoc tribunal tanquam reos sisti voluit, vt per Sacerdotum sententiam non semel, sed quoties ab admissis peccatis ad ipsum pœnitentes confugerint, possent liberari.* Vndè *cap. 6. & can. 9.* & definit absolutionem sacramentalem debere esse actum iudicialem. *Si quis* (inquit) *dixerit absolutionem sacramentalem sacerdotis non esse actum iudicialem, anathema sit.* Ex quibus verbis apertè constat in nullo casu posse impendi absolutionem sacramentalem solum per modum suffragij, sed vt sententiam iudicialem prolatam à Ministro, vt à vero iudice; constat etiam ex iisdem verbis id, quod sæpè diximus, requiri ad hoc sacramentum, quod pœnitens saltem imploret officium iudicis, petendo absolutionem, quod significauit Concilium illis verbis, *ante hoc tribunal sistit*; & illis, *ad ipsum pœnitentes confugerint.* Quod cùm per signa doloris faciunt, absolui possunt, cùm nullo modo faciunt, absolui non possunt.

SECTIO IV.

Vtrùm, qui absente Confessario, petiit confessionem, & ostendit pœnitentiæ signa, possit ab illo postea superueniente absolui, quando iam est sensibus destitutus.

43. DIximus contra illos recentiores, non debere, nec posse sacramentaliter absolui, qui nullo modo confessionis desiderium ostendit, quantumuis bonæ vitæ fuisset, & sacramenta frequentasset. Nunc restat punctus præcipuè controuersiæ. An quando eiusmodi desiderium ostendit, vel Confessarium vocando, vel petendo confessionem, vel signa contritionis exhibendo, quæ illud desiderium significarent, possit à superueniente Confessario sacramentaliter absolui. Prima sententia negat, quã tenent ij omnes, quos *Sectione prima* retulimus, dicentes non sufficere confessionem vnius peccati in genere ad absoluendum moribundum: eandem tenent alij Recentiores, quos affert Diana *secundo tomo, tract. at. de absolutione moribundi, resolut. 4.* & latè eam probat Didacus Aluarez *in 1. 2. disp. 80. per totam*: cuius potissimum fundamentum desumitur ex decreto Clementis VIII. edito 20. Iunij, anno 1602. quo prohibuit omninò illam propositionem, *licere per litteras*, vel *internunciũ Confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, & ab eodem abiente absolutionem obtinere.* Nam in casu præsenti licèt absolutio conferatur in præsentia, confessio tamen illa generalis, & rudis, qua se peccatorem confessus petiit confessionem, & absolutionem sit in absentia sacerdotis: cùm ergo confessio nulla: & in nullo casu fieri possit in absentia, consequens est, vt illa non potuerit esse sacramentalis, atque ideò ex illa confessione, & absolutione sequenti non potuit confici verum sacramentum Pœnitentiæ. Glem.

Contraria tamen sententia, quæ docet, posse 44. conferri absolutionem moribundo in illo casu, communis fuit, & est non solùm ante, sed etiã post decretum illud Clementis VIII. quem priùs tenuerunt Sanctus Thomas *Opusculo 65. §. de extrema vnctione in fine.* Sanctus Antoninus *3. part. tit. 10. cap. 2. circa medium*, Syluester verbo *confessor. 3, n. 16.* Paludanus *dist. 21. q. 2. art. 2. concl. 2.* Medina *de pœnitentia, tract. 2 q. 39.* Angelus verbo *confessio 4. num. 8.* Toletus *in Summa, lib. 3. cap. 8. n. 2.* Henriquez *lib. 5. cap. 2. num. 7. & lib. 6. cap. 10. n. 7.* Ioann. de la Cruz Dominicanus *in direct. conscientiæ, part. 2. de sacram. Pœnitentiæ, q. 3. dub. 8. concl. 2.* Suarez *in præsenti disputat. 23. sect. 1.* Valentia *disput. 1. quæst. 11. punct. 1.* Vasquez *q. 91. art. 2 dub. 2. & in 1. 2. disp. 82. cap. 7. num. 40.* Reginaldus *in praxi, tom. 1. lib. 8 part. 3. num. 28.* Emanuel Sà verbo *absolutio num. 10.* Layman. *lib. 5. tract. 6. cap. 8. num. 4.* Basilius Pontius *de matrimon. lib. 4. cap. 25. num. 8.* Corduba *in Quæstionario, lib. 3. q. 39.* Naldus, Megala, Molfesius, Thomas à Iesu, Chapeauilla, Zambranus, Pharonius Pitigianus, Syluius, Montesinus, Ludouicus de sancto Ioanne, Coriolanus, Bellochius, Antonius de Litteratis, & alij, quos refert, & sequitur Diana *loco citato*, & latiùs P. Coninch. eandem sententiam, quàm priùs docuerat in præsenti *disp. 7. dub. 10.* postea iterum libello speciali propugnauit, & exornauit adeò, vt pauca addenda supersint. 48.

Hanc itaque sententiam ego etiam amplector, 45. & certè non video, quomodo iam reprobari possit, postquam à Paulo V. in suo Rituali Romano Paul. V. approbata, & toti Ecclesiæ ad præxim pontificia auctoritate proposita est in ritibus de sacramento Pœnitentiæ his verbis: *Si inter confitendum, vel etiam antequam incipiat confiteri, vox, & loquela ægrum deficiat, nutibus, & signis conetur Sacerdos, quoad eius fieri poterit, peccata Pœnitentis cognoscere; quibus vtcumque, vel in genere, vel in specie cognitis, vel etiam si confitendi desiderium siue per se, siue per alios ostenderit, absoluendus est.* Vbi expressè Summus Pontifex non solùm permittit, sed præcipit omnibus Parochis absolutionem in casu proposito impendere.

Respondetur primò, Rituale illud non habere au- 46. ctoritatem, sed approbationem pontificiam; sicut alios libros, qui de Pontificis licentia imprimuntur, quare nõ excedit auctoritatem Doctoris priuati qui illos ritus, & regulas hinc indè collegit. Deceptus itaque est collector illius Ritualis immemor decreti Clementis VIII. vt propter aliquorum Doctorũ auctoritatem iterũ in Rituali poneret sententiã ab Ecclesia nuper prohibitam. Quod ideò factũ dicũt, quia non præcessit seriũ ac sufficiẽs Theologorũ examẽ. Tit. de auctoritate Rituali Romani.

Hæc responsio dum Ecclesiæ decreta, & Clemẽ- 47. tis prohibitionem venerari videtur, eiusdem Ecclesiæ, & Pauli V. auctoritati plus nimio derogat. Primò, quia idem Paulus in Bulla Rituali illi præmissa protestatur se id facere *pro sui officij debito, quo tenetur curare, vt in sacramentorum administratione religio* 49. Paul. V.

religiosè obseruentur Apostolicæ traditiones, & Sanctorum Patrum decretis cõstituti ritus, ac ceremoniæ: ideò postquam Pius V. Breuiarium, & Missale *pa-*
Clem. VIII. *storali prouidentia*, edenda censuit; & Clemẽs VIII. Plj vestigia sequutus Pontificale restitutum dedit: *restabat*, inquit, *vt sacri, & sinceri Ecclesiæ Catholicæ ritus, qui in Sacramentorum administratione, aliisque Ecclesiasticis functionibus seruari debent ab iis, qui curam animarum gerunt, Apostolicæ Sedis auctoritate prodirent, ad cuius voluminis præscriptum, in tanta Ritualium multitudine sua illi ministeria tanquam ad publicam, & obsignatam formam peragerẽt, vnoque ac fideli ductu inoffenso pede ambularent*, & postea subdit. *Vt autem rectè, & ordine, vt par erat, res ageretur, nonnullis, & venerabilibus fratribus nostris sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, pietate, doctrina, & prudentia præstantibus, eam demãdauimus, qui cum consilio eruditorum virorum*, &c. *rebúsque omnibus maturè consideratis, Rituale confecerunt, in quo cum receptos, & approbatos Catholicæ Ecclesiæ ritus suo ordine digestos conspexerimus; illud sub nomine Ritualis Romani meritò edendũ publico Ecclesiæ Dei bono iudicauimus. Quapropter hortamur in Domino Venerabiles Fratres Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, & dilectos filios eorum Vicarios, necnon Abbates, Parochos, vniuersos & alios, ad quos spectat, vt in posterum tanquã Ecclesiæ Romanæ filij, eiusdẽ Ecclesiæ omnium Matris, & Magistræ auctoritate constituto Rituali in sacris functionibus vtãtur, & in re tanti momẽti, qua Catholica Ecclesiæ, & ab ea probatus vsus antiquitatis statuit, inuiolatè obseruet.*

48. Hæc sunt verba Pontificis in Bulla illa, quæ referre volui, vt constet, non approbationem solam, sed auctoritatem Pontificis ab ipso fuisse Rituali interpositam. Dicit enim primò, se illos ritus Ecclesiæ proponere *pro sui officij debito*, vt obseruentur Apostolicæ, & Ecclesiasticæ traditiones, dicit secundò se Rituale proponere, sicut Pius V. & Clemens VIII. Breuiarium, Missale, & Pontificale ediderant, ac proposuerant: certum autem est, in illis non solùm licentiam, sed auctoritatem Pontificiam interuenisse. Dicit tertiò debuisse sacros Ecclesiæ ritus seruari debitos à Parochis, *Apostolicæ Sedis auctoritate* prodire. Dicit quartò, hanc esse publicam, & obsignatam formam, vt fideles inoffenso pede ambulent in Sacramentorum vsu. Dicit quintò rem hanc proprio, & maturo consilio; ac studio præstantissimorum Cardinalium, & aliorum Doctorum factam fuisse. Dicit sextò se in hoc Rituali *conspexisse receptos, & approbatos Ecclesiæ ritus, suo ordine digestos.* Hortatur denique omnes, vt tanquã Ecclesiæ filij hoc Rituale obseruent *Romanæ Ecclesiæ omnium Matris, & Magistræ auctoritate constitutum.* Quæ omnia clarè significant, auctoritatem Pontificiam, qua supremus Pastor Christi ouibus proponit ritus sanctos, & securos in Sacramentorum vsu obseruandos: ídque non cæco modo, sed præuio magnorum virorum examine, ac diligenti consideratione, ac studio. Quomodò ergo salua Sedis Apostolicæ auctoritate dici potest, propositum ibi fuisse in pœnitentiæ Sacramenti administratione omnibus fidelibus ritum quendam inutilem, sacrilegum, damnatum, ad illúmque inuiolatè obseruandum Summum Pastorem hortati omnes Ecclesiæ filios, protestatione facta, quod hi sunt Ecclesiastici ritus, per quos *inoffenso pede* ambulare possimus.

49. Confirmatur primò; & explicatur exemplo facili quod ab Auctoribus contrariæ sententiæ negari non potest. Habemus enim in Pontificali Romano à Clemente VIII. edito, ritum illum inter alios, quo Presbyteri, quando ordinantur, consecrant Eucharistiam simul cum Episcopo: de quo ritu dubitarunt sæpè Theologi, & Durandus non sine difficillimis argumentis, ausus est dicere, esse illicitum, & sacrilegum: hanc tamen Durandi sententiã Theologi communiter dicunt esse temerariam, & Magister Nunus Dominicanus *tom. 2. in 3. p. q. 82. art. 2.* dixit, non posse licitè de illo ritu dubitari. Et meritò, quia ritus ille in Pontificali Romano approbatus, & præscriptus est pro tota Ecclesia. Similiter ergo censendum est de eo qui diceret, ritum præscriptum; & approbatum in Rituali Romano à Summo Pontifice pro tota Ecclesia, & ad cuius vsum Summus Pontifex hortatur omnes Parochos, esse ritum Sacrilegum, & damnatum: Cùm Paulus V. profiteatur in dicta Bulla, se eodem modo auctorem esse illius Ritualis, sicut Clemens VIII. auctor fuerat Pontificalis, quare eâdem veneratione suscipiendus est ritus in Rituali, ac in Pontificali propositus.

Confirmatur secundò, quia dum Pontifex dicit, 50.
se proponere illos tanquam *receptos & approbatos Catholicæ Ecclesiæ ritus*, alludere videtur ad similia verba, quæ habentur in formula professionis fidei à Pio IV. edita, in qua dicitur, *receptos & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in supradictorum Sacramentorum solemni administratione, recipio, & admitto.* Si ergo Pontifex testatur hos esse Catholicæ Ecclesiæ receptos, & approbatos ritus, testatur simul hos esse illos ritus, ad quos non teiiciendos, sed recipiendos sese iuramento obstrinxerunt quotquot solemnem fidei professionem emittunt.

Propter hæc alij secundò dixerunt in Rituali non esse sermonem de casu nostro, sed dé alio; quando scilicet ægrotus desiderium confitendi per se, vel per alios ostendit præsente tamen iam Confessario: ibi enim non dicitur posse absolui, etiamsi absente Confessario illud desiderium ostenderit.

Hæc tamen responsio credibilis non videtur. 51.
Primò, quia ritualia antiqua Romana, ex quibus regula ipsa desumpta fuit, clarè, & pluribus verbis eundem casum explicabant, supponendo, ægrum manifestasse confitendi desiderium, antequam Confessarius adesset, qui postea ex aliis id cognoscebat. Sic enim dicitur: *adstantibus autem infirmo debet credi, si perhibent testimonium, quod petierit confessionem, & ostenderit signa contritionis.*

Secundò, quia vix concipi potest, quod aliquando occurreret talis casus, quo ægrotus Confessario præsente per alios desiderium confitendi ostendat: quorsum enim si vterque adest, manifestabit alteri potiùs, quàm Confessario suum desiderium confitendi? Vndè omnes tam Prælati, quàm inferiores Sacerdotes verba Ritualis intellexerunt absque vlla dubitatione de casu nostro, & eiusdem Ritualis auctoritate, & præcepto Pontificio permoti, id in praxi obseruarunt, ac obseruari fecerunt iudicantes, ea verba non posse aliter intelligi, moraliter loquendo.

Tertiò denique constat, sensu Ritualis illum fuisse quem omnes intellexerunt: quia cùm eam ob causam aliqui apud Congregationẽ Eminentissimorum Cardinalium S. Inquisitionis Generalis dixissent, Rituale debere corrigi, eo quod aduersaretur decreto Clementis VIII. & die 2. Decemb. 1621. coram Pontifice decretum fuit obseruari Rituale, & nihil illud aduersari decretis Clementis propter aliam, 52.
& aliam rationem. Et cùm paulò post in eâdem Cõgregatione interrogatum esset, quid in illo casu esset agendum: respondit ore tenus, seruandum esse Rituale. Itaque nemo vnquam dubitauit, verbis Ritualis significandum fuisse casum nostrum, & ideò propter eiusdem Ritualis auctoritatem dixerunt in eo casu absoluendum infirmum.

53. Fuit autem non temerè, aut leuiter, sed cum examine, & studio, ac grauissimis fundamentis ritus ille in nouo Rituali à Pontifice retentus, qui obseruatus reperiatur in Ecclesia à tempore antiquissimo. Sic enim colligitur ex Concilio Aurausic. I. *cap.* 11. vbi dicitur: *Subitò obmutescens (prout statutum est) baptizari, aut pœnitentiam accipere potest, si voluntatis præteritæ testimonium aliorum verbis habeat, aut præsentis in suo nutu*: & ex Concil. Carthag. I V. *cap.* 63. vbi dicitur, *Is, qui pœnitentiam in infirmitate petit, si casu dum ad eum Sacerdos inuitatus venit, oppressus infirmitate obmutuerit, vel in phrenesim versus fuerit, dent testimonium, qui eum audierunt, & accipiat pœnitentiam, & si continuò creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem, & infundatur ori eius Eucharistia.* In eodem sensu loquitur Eusebius Papa, cuius decretum referunt Yuo in suo Decreto *part.* 15. *c.* 35. & Burcad. *lib.* 8. *cap.* 11. his verbis: *Si quis pœnitentiam petens, dum Sacerdos venerit, fuerit officio linguæ priuatus; constitutum est, vt si idonea testimonia habuerit, quod ipse pœnitentiam petiisset; & ipse per motum suæ voluntatis, aliquod signum facere potest, Sacerdos impleat omnia, sicut supra circa ægrotantem pœnitentem scriptum est. Id est orationem dicat, & vngat eum oleo sancto, & Eucharistiam ei donet.* vbi nomine *orationum* intelligi absolutionem Sacramentalem, quæ apud Patres *preces* & *oratio* sæpè appellatur, vt obseruauit Vasquez dicto *dub.* 4. *num.* 25 & constat ex contextu; quia dicit obseruanda ea omnia, quæ cum aliis ægrotis pœnitentibus fiunt, quibus certum est, quod dabatur absolutio Sacramentalis. Hoc tamen testimonio (vt verum fatear) non multum vrgere possumus, cùm casus Eusebij sit, quando infirmus permotus potest adhuc suæ voluntatis aliquod signum dare, qui esset diuersus casus à nostro. Denique S. Leo Magnus *epist.* 91. *ad Theodorum*, vbi de confessione lapsis post Baptismum ad gratiam recuperandam necessaria loquens, dicit, periculosum quidem esse eam confessionem in vltimum tempus differre, non tamen negandum esse eo tempore remedium necessarium; his verbis. *Vtrum, vt dixi, etiam talium necessitati ita auxiliandum est, vt nec actio illius pœnitentiæ nec communionis gratia denegetur, si ea etiam amisso eius vocis officio per indicium integri sensus quærere comprobentur. Quod si aliqua ægritudine ita fuerint aggrauati, vt quod paulo ante poscebant sub præsentia Sacerdotis significare non valeant; testimonia eis fidelium circumstantium prodesse debeant, vt simul & pœnitentiæ, & reconciliationis beneficium consequantur.* In quibus verbis clarissimè contineri videtur casus nostræ controuersiæ.

Concil. Araus. — Concil Carthag. — Euseb. Papa. — S. Leo.

54. Ad hæc tamen testimonia auctores contrariæ sententiæ respondere conantur. Primò dicunt, in iis non esse sermonem de absolutione Sacramentali, sed de reconciliatione cæremoniali cum Ecclesia, quæ publicis pœnitentibus, & peccatoribus dari solebat, antequam ad Sacramentorum participationem admitterentur.

55. Hæc responsio multipliciter impugnata est ab Auctoribus nostræ sententiæ: quia in illis decretis duo diuersa distinguuntur, quæ ægroto adhibenda sunt; nempè & dare illi pœnitentiam, & reconciliationis etiam beneficium; quæ duo frequenter condistinguuntur in vetustis conciliis, vt constat ex Arausicano I. *can.* 3. vbi dicitur: *Qui recedunt de corpore pœnitentia accepta placuit sine reconciliatoria manus impositione eis communicare*: item in Concilio Carthag. I V. supra allegato dicitur. *Accipiat pœnitentiam, & si continuò creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem.* Et idem constat ex verbis eiusdem Leonis in citata Epistola, vbi dicit: *His autem qui in tempore necessitatis, & in periculi vrgentis instantia præsidium pœnitentiæ, & mox reconciliationis implorant*, &c. Vndè Gratianus in cap. *Agnouimus* 26. *quæst.* 6. notauit in fine capitis, ei, cui pœnitentia non negatur, nec reconciliationem negandam esse. Ex quibus constat, in prædictis decretis non vnicam actionem reconciliationis cæremonialis, sed duas poni cum infirmo exequendas in casu nostræ quæstionis, scilicet actionem pœnitentiæ, & reconciliationis; Quæ duo Vasquez *dicto dub.* 4. ita condistinguit, vt acceptio pœnitentiæ significet Sacramentum pœnitentiæ, reconciliatio verò, quæ subsequebatur, significet cæremonialem absolutionem non à censura, quæ tangeret animam ipsam; hæc enim absolutio debuisset præcedere absolutionem Sacramentalem; sed absolutionem à censura, & prohibitione quadam externa, qua prohibebatur ad Sacramenta accedere, donec pœnitentiam publicam expleret. Quod colligit ex citatis decretis; quibus dicitur communicationem dandam accepta pœnitentia etiam sine reconciliatione per manus impositionem. Alij verò dicunt, acceptationem pœnitentiæ solùm significare impositionem publicæ pœnitentiæ, quam Sacerdos infirmo taxabat, & quam debebat implere cùm posset, postea verò subsequi solitam reconciliationem per manus impositionem.

56. Cæterùm, quidquid sit de hoc, fatendum est, absolutionem Sacramentalem à culpa contentâ fuisse in aliqua ex illis actionibus, siue in acceptione pœnitentiæ, siue in reconciliatione. Quod constat ex verbis eorundem decretorum. Primò quia S. Leo in illa Epistola præmittit pro fundamento doctrinæ tradendæ, quod remissio culpæ coram Deo, & recuperatio gratiæ non nisi per absolutionem Sacerdotis possit obtineri: *Multiplex*, inquit, *misericordia Dei lapsicus subuenit humanis, vt non solum per baptismi gratiam, sed etiam per pœnitentiæ medicinam, spes vitæ reparetur æternæ, & qui regenerationis donum violassent, proprio se iudicio condemnantes, ad remissionem criminum peruenirent, sic diuinæ bonitatis præsidiis ordinatis, vt indulgentia Dei, nisi supplicationibus Sacerdotum, nequeat obtineri.* Vndè infert, subueniendum esse infirmis, etiam quando solum ex aliorum testimonio constat, ipsos pœnitentiam, & reconciliationem petiisse. Secundò, quia apud Leonem eadem fieri præcipiuntur circa eum, qui priùs pœnitentiam petiit, ac circa eum, qui etiã per nutum Sacerdoti præsẽti id significat: cùm ergo huic danda sit absolutio Sacramentalis, idem dicendum est de illo alio. Quod comprobari potest ex verbis Eusebij Papæ suprà adductis, vbi dicitur, quod Sacerdos circa illum infirmum propter aliorum testimonia, impleat omnia, quæ circa alios infirmos pœnitentes implenda sunt. Tertiò, quia Iulius Papa *in c. si Presbyter*, & Cælestinus Papa *in c. Agnouimus* 26. *q.* 6. dicunt Presbyterum morienti pœnitentiam abnegantem reum esse eius animæ, & horrendam impietatem committere, ac morientis animam sua crudelitate occidere. Quæ omnia clarè significant, quod concessio pœnitentiæ petitæ contineat absolutionem à culpa, & non solùm ablationem censuræ. Cùm ergo apud Leonem, & alia decreta dicatur ægroto, qui priùs etiam petiit, concedendam esse pœnitentiam, fermo est de concessione pœnitentiæ, quæ continet liberationem à culpa, & quæ si negetur, Sacerdos erit causa damnationis æternæ illius moribundi. Denique quia in iis decretis statuitur danda pœnitentia, & reconcilia

S. Leo.

reconciliatio, quam ægrotus petiit: ipse autem non tam petiit liberationem à censura externa, vel interna, quàm à peccato, quod solùm salutem æternam impedit, quam non impediret quælibet censura. Ergo absolutio potius à peccato præcipitur, quàm à censura.

57. Vnde obiter infero, parum referre, quod aliqui contendunt in illo decreto Leonis solùm esse sermonem de publicis pœnitentibus: nam quidquid de hoc sit, cuius contrarium tandem fatetur Aluarez *dicta disput. 80. num. 42.* dicens negari non posse, quod Sanctus Leo occasione accepta ex publicis pœnitentibus sermonem extenderit ad omnes alios peccatores differentes pœnitentiam vsq; ad mortem: quidquid inquam, de hoc sit, si publicis peccatoribus, & pœnitentibus propter solum aliorum testimonium datur absolutio sacramentalis, de qua ibi sermonem esse ostendimus: idem dicendum erit à fortiori de aliis peccatoribus non ita publicis, cùm non sint plura necessaria ad valide absoluendum hos, quàm publicos peccatores.

Respondent tamen secundò aliqui esse magnum discrimem: quia publici peccatores, & pœnitentes, de quibus est ibi sermo, iam priùs confessi fuerant sua peccata & pœnitentiam implendam acceperant, in quo statu licèt iterum confiteri non possent Sacerdoti præsenti, potuissent tamen validè absolui propter confessionem antea factam. Secus verò in casu nostro, in quo ægrotus non supponitur confessus Sacerdoti præsenti. Ita videtur respondere Canus apud Vasquez *vbi suprà n. 17.* & Sotus apud Aluarez *num 4.* quam responsionem laudat, & approbat idem Aluarez.

58. Sed contra illam est primò, quod in decretis non alligatur potestas, vel debitum reconciliandi moribundum ad illum solùm Sacerdotem, cui antea confessus fuisset, sed consuetudo erat, quam agnouit Tridentinum *sessione 14. cap. 7.* vt quilibet Sacerdos in illo articulo quemlibet posset absoluere, vnde teste Eusebio *lib. 6. Histor. cap. 34. vel 36.* Serapion quidem, qui fidem antea negauerat, & pœnitentiam sæpiùs petierat, petiit vocari ad se quemliber ex Presbyteris, vt dimitti posset.

Secundò impugnatur eadem responsio ex verbis Leonis *in dicta Epistola*: ibi enim reprehendit eos, qui confessionem differunt vsque ad vltimum vitæ de quibus tamen subiungit, quando pœnitentiam in mortis articulo petunt non esse eis negandam, quando etiam hæc petitio per aliorum solum testimonium constat: non potest ergo illud intelligi de iis solis, qui iam priùs peccata confessi fuissent. Hos enim non reprehenderet propter dilatam confessionem, & pœnitentiæ petitionem vsque ad finem vitæ.

59. Tertiò impugnatur, quia si iam priùs Sacerdoti eidem peccata sua confessus fuisset ægrotus, quorsum desideratur adstantium testimonium de pœnitentia petita; constaret enim iam sufficienter de desiderio, & petitione pœnitentis per confessionem antea factam. Vnde obiter constat falsum esse id quod aliqui suprà dicebant, agi in iis decretis de solis publicis pœnitentibus, & non de aliis peccatoribus. Nam quoad publicos pœnitentes necessarium etiam non esset adstantium testimonium de pœnitentia petita, cùm ex eo ipso statu pœnitentis manifestè constaret omnibus Presbyteris, quod petiissent iam, & accepissent pœnitentiam, quam actu implebant. Non est ergo sermo de iis, in casu nostræ quæstionis, quando ad illum respondetur, sed de aliis, qui solum in ægritudine pœnitentiam petunt, quam antea non petierant, nec acceperant.

60. Tertiò principaliter probari potest nostra sententia ex verbis S. Thomæ *dicto opusc. 65. §. de Extrema Vnctione, in fine*, vbi ait: *Si autem infirmus qui petit vnctionem, amisit notitiam, vel loquelam, antequam Sacerdos veniret ad eum, nihilominus vngat eum Sacerdos, quia in tali casu debet etiam baptizari, & à peccatis absolui.* Nempe quando post petitum similiter Baptismum, vel absolutionem, notitiam, vel sensum amisisset, antequam Sacerdos veniret. Dicere autem, quòd Sanctus Thomas ibi non loquitur de absolutione à peccatis sacramentali, sed deprecatoria, quæ fieret dicendo illam orationem, *Misereatur tui omnipotens Deus*; provt dicit Aluarez *dicta disp. 80. num. 52.* perinde est, ac si diceres me etiam in hac quæstione non agere de absolutione Sacramentali, sed deprecatoria: ego enim clariùs non sum loquutus, quàm S. Thomas. S. Thom.

61. Quartò probari potest hoc ipsum ex absurdis, quæ aliqui ex aduersariis Auctoribus admittunt ad tuendam contrariam sententiam. Nam idem Aluarez *loco citato num. 23.* pro fundamento suæ sententiæ statuit nunquam sufficere ad sacramentalem absolutionem, confessionem, qua pœnitens confitetur peccatum aliquod solum in genere generalissimo, etiamsi à Sacerdote præsenti petat absolutionem. Contradictorium traditur, vt vidimus à Paulo V. in Rituali Romano. Idem *num. 23.* admittit in sacramento Matrimonij tunc conferri gratiam sacramentalem, quando Sacerdos profert illa verba; *ego vos coniungo*; quæ tamen sententia malè audit apud Theologos, & grauiori censura notari solet: supponunt enim Ministrum conficientem Sacramentum non esse Parochum, sed ipsos contrahentes.

62. Restat nunc respondere ad argumenta contra nostram sententiam, quæ reducuntur ferè ad vnum desumptum ex decreto illo Clementis VIII. in quo prohibetur propositio illa, *licere in vllo casu confessionem, & absolutionẽ per literas, vel internuncium.* Cùm ergo in casu nostro confessio fiat absente Sacerdote, & illi manifestetur per internuncium, videtur opponi decreto Clementis, & veritati, quam etiam antè illud decretum maior, melior Theologorum pars docebat non posse vnquam confessionem Sacramentalem fieri in absentia Confessarij. *De sensu decreti Clementis Octaui.*

63. Pro huius difficultatis explicatione in primis aduerto id, quod dixi suprà *disp. 13. sect. 6.* ex vi illius decreti non solum haberi, quod verba sonare videntur, nempe talem confessionem, vel absolutionem esse illicitam, sed etiam esse inualidam, quod aliqui immeritò negare ausi sunt. Alij autem malè etiam id probant, ex eo quod post prohibitionem Clementis, qui confiteretur in absentia, operaretur contra obedientiam Pontifici debitam, incurreret excommunicationem, & consequenter non esset capax absolutionis; quod argumentum benè rejicit Coninch. *dicto opusculo de absolutione moribundi, num. 28.* quia posset contingere, quod aliquis saltem per ignorantiam inuincibilem non peccare contra prohibitionem Pontificis, atque adeo ex hac parte non fieret absolutionis incapax. Ergo non sequitur ex illa prohibitione, quod in nullo vnquam casu sit valida talis confessio, vel absolutio. *Absolutio in absentia non solùm est illicita, sed inualida.*

64. Aliter tamen id colligitur ex verbis decreti, quia si in aliquo casu esset valida talis confessio vel absolutio non potuisset prohibitione Pontificis reddi illicita in vniuersum pro omni casu, nam sicut leges Ecclesiasticæ non obligant cum grauissimo damno temporali, aut periculo vitæ corporis; sic multò minùs obligare possent cum grauissimo detrimento spirituali, & periculo damna-

nationis æternæ. Vnde si aliquis, tentatis omnibus viis non posset habere Confessarium præsentem, non posset prohiberi, quod ei absenti confiteretur iam iam moriturus, si eiusmodi confessio valida esset. Falsum ergo esset, quod in nullo casu liceret talis confessio vel absolutio: quare vt vera sit Pontificis sententia, fatendum est in nullo prorsus casu validam esse; & ideo in nullo prorsus casu esse licitam, vt Pontifex docet.

65. Hoc ergo supposito, aliqui dixerunt casum nostrum non comprehendi decreto Clementis, quia assertio à Clemente reprobata erat copulatiua, nempe *licere per literas seu internuncium Confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere.* Qui autem diceret licere solùm confiteri absenti, dum non nisi à præsente absoluatur, non dicit propositionem illam à Clemente prohibitam. Hæc tamen interpretatio reiecta fuit primùm ab ipso Clemente, & postea à Paulo V. die 14. Iulij anno 1605. declarante in Congregatione Sancti Officij, *prædictam interpretationem non subsistere.* Et quidem ex ipsius decreti verbis, & eius intentione apparet, mentem Pontificis non fuisse solùm copulatiuam prohibere, alioquin posset, saluo eodem decreto aliquis adhuc dicere, posse absolutionem absenti conferri, dummodo Confessio in præsentia præcessisset quod tamen nemo concedet, quia Pontifex vtrumque abusum voluit de medio tollere, quod facere non poterat, si solùm sensum copulatiuum prohiberet: imò tunc neutrum abusum abstulisset: singula enim seorsim fierent, modo hoc, modo illud.

66. *An tunc fiat confessio per Interpretem.* Alij ergo satis communiter respondent, in casu nostræ quæstionis, confessionem non fieri in absentia; quia licèt ægrotus in absentia Confessarij petierit confessionem, postea tamen quando hoc ipsum Confessario à circumstantibus manifestatur, iam Confessarius præsens est ægroto: tunc autem videtur fieri confessio, non per ipsum pœnitentem immediatè, sed per adstantes, quasi per interpretem; nam qui per interpretem confitetur Confessario præsenti, verè confitetur: & tunc confitetur, quando Interpres eius nomine refert peccata Confessario præsenti. Similiter ergo infirmus, qui per circumstantes confitetur Sacerdoti, tunc censetur confiteri, quando circumstantes eius nomine referunt Confessario desiderium pœnitentis. Nec referre videtur, quod iam tunc infirmus non habeat præsentiam moralem, & humanam, eo quod sit sensibus destitutus. Nam in primis decretum Clementis non videtur exigere semper præsentiam moralem, & humanam, quia quando infirmus post confessionem factam sensibus destituitur, & absoluitur, non habet nisi physicam præsentiam, dum absoluitur, & tamen non dicitur absolui in absentia. Deinde quando quis confiteretur per Interpretem in præsentia Confessarij, licèt dum loquitur Interpres, & explicat Confessario, quæ pœnitens dixerat dormitaret, vel dormiret ipse pœnitens, non impediret valorem confessionis. Ergo sufficit præsentia physica pœnitentis, dum confessio fit præsenti Confessario. Hanc responsionem amplecti tandem videtur Vasquez *dicto dub. 4. num.* 32. & alij plures ex recentioribus, quibus consentit Diana *dicto tract. de absolutione Moribundi, resol. 4. & 7.*

67. Sed, vt verum fatetur, nunquam mihi adæquatè, satisfecit hæc responsio propter duo. Primum est, quia ex ea sequitur necessarium omnino esse ad valorem absolutionis in casu nostro, quod Confessarius superueniens audiat, & cognoscat desiderium infirmi ab iis, qui adhuc sunt in eiusdem infirmi præsentia, atque ideo si id cognouisset Confessarius in itinere ab eo, qui ipsum vocauit, & qui cum eo non rediit, non potuisset infirmum absoluere in virtute illius notitiæ, quia eam non acceperat in præsentia ipsius infirmi. Consequens autem falsum esse & contra mentẽ Ritualis, & antiquorum decretorum paulò post ostendemus. Sequela autẽ patet, quia iam tunc cõfessio fieret in absẽtia, quãdõ scil. Cõfessarius non esset præsens pœnitenti.

Secundò displicet illa responsio, quia ad hoc, vt 68.
confessio quæ fit per interpretẽ dicatur propriè, & in rigore fieri in præsentia Confessarij, non sufficit, quod Confessarius sit præsens, quando Interpres loquitur, sed etiam quando pœnitens loquitur interpreti & manifestat ei sua peccata. Ratio autem à priori est, quia confessio est manifestatio, qua pœnitens Confessario manifestat sua peccata; sed hæc manifestatio non est sola loquutio Interpretis, sed conflatur ex loquutione pœnitentis ad Interpretem, & Interpretis ad Confessarium, nam sola loquutio Interpretis secundùm se non est loquutio pœnitentis, sed hæc provt procedit à pœnitente: ergo si Confessarius solùm est præsens, quando Interpres narrat, quæ audiuit à pœnitente nõ verò quãdo pœnitens cõmittit Interpreti, vt ea narret, non fit cõfessio corã Sacerdote nisi inadæquatè, vnde licèt non fiat tota confessio tunc in absentia, fit tamen partialiter in absentia, atque adeo non fit tota in præsentia.

Confirmatur exemplo matrimonij, cui debet 69.
esse præsens Parochus quando coniuges exprimunt suum consensum, vnde si matrimonium, provt contingere potest: fiat per Interpretem, eo quod Parochus ignorat idioma contrahentium, & Parochus audisset solum Interpretem absentibus, vel tacentibus omnino coniugibus, qui ante Parochi aduentum dixerunt Interpreti suum consensum, non esset validum matrimonium, quia non explicaretur consensus coram Parocho, sed debet vtrumque coram Parocho, fieri, nempe loquutio contrahentium, & explicatio interpretis: ergo similiter, vt confessio fiat per interpretem coram Sacerdote, debet pœnitens coram Sacerdote se accusare, & Interpres etiam illam accusationem explicare.

Vnde infero, si matrimonium fiat coram Paro- 70.
cho per Interpretem, & Parochus non attendit, nec aduertit quando contrahentes Interpreti loquebantur, & dicebant suum consensum, nec eorum gestus, aut verba aliquo sensu percepit, non sufficere quod audiat solum Interpretem ad valorem matrimonij; quia non est præsens humano modo consensui per contrahentes explicato. Similiter, si Confessarius sit quidem præsens, sed nullo modo aduertit, aut sensu aliquo percipit pœnitentem interpreti loqui, non fit illa confessio sufficienter in præsentia Confessarij: rursus si pœnitens coram Confessario dicat sua peccata Interpreti, & ea Confessario explicet; & dum Interpres ea explicat, pœnitens discedat ad alium locum, non fit ea confessio sufficienter in præsentia Confessarij: alioquin posset pœnitens dicere Confessario, accuso me de peccatis, quæ tibi Petrus meo nomine statim narrabit, & statim abire, dum Petrus confessionem à pœnitente acceptam Confessario refert; quem tamen modum confitendi validum non esse ostendimus *suprà disp. 13. sect. 5.* quia tunc confiteretur aliquis verè per internuncium, & in absentia. Ratio autem est, quia non satisfacit obligationi comparendi coram Iudice, & accusandi se coram illo, si pœnitens non est præsens coram Iudice tunc quando se accusat? accusatio autem fit quando Interpres loquitur, tunc enim Confessarius percipit delicta: ergo tunc etiam debet esse præsens reus, vt se coram Iudice accuset.

Tertia

71. Tertia ergo aliorum responsio est Decretum Clementis loqui solùm de confessione speciali peccatorum, quæ ordinariò modo fit de peccatis in particulari: decretum verò Leonis loqui solùm de confessione generali, quæ fit per signa contritionis, & petitionem pœnitentiæ, atque adeo non esse decreta illa contraria, quia non loquuntur in eodem casu. Hanc responsionem refert Magister Aluarez *numero* 54. & mitiùs illam rejicit, dicens, adhuc habere suam difficultatem, nam ex illa sequitur, quod saltem in casu necessitatis confessio sacramentalis generalis esset aliquando licita; vndè non apparet, cur in eodem casu necessitatis confessio vnius peccati venialis per litteras, vel internuncium non esset etiam valida, & licita, cùm nullum maius inconueniens ex hac confessione sequatur, quàm ex confessione generali, & aliunde magis vitaretur periculum nullitatis, cum sit multorum sententia, non sufficere confessionem generalem ad valorem Sacramenti etiam in præsentia nisi dicatur aliquod peccatum in particulari.

72. Ideo posset hæc responsio paulò aliter explicari, vt vitentur hæc inconuenientia, dicendo cum aliis, confessionem dupliciter sumi posse; nempe vel strictè, vel in magis vniuersali significatione. Confessio strictè est accusatio, quia in actu secundo aliquis se iudicialiter accusat, vt quando Reus in iudicio interrogatus, confiteatur iuridice suum crimen coram Iudice & Notorio. Confessio minus strictè, & in vniuersaliori acceptatione, extenditur ad ea, quæ præcedunt, vt cum reus dicit, ego volo confiteri meum delictum, de quo sum accusatus, vel quando ad hunc finem vocat Iudicem & Notarium, vt audiat eius confessionem, quia paratus est, iam ad confitendum: quæ quidem in latiori significatione dicitur etiam confessio, eo quod implicitè videatur iam reus confiteri suum delictum. Solet tamen vocari voluntas, seu propositum confitendi, vt condistinguatur ab illa confessione stricta, qua reus in actu secundo, & explicitè confiteretur delicta; & quidem confessio strictè, nisi fiat coram Iudice, & Notario, &c. non est valida, nec appellatur confessio iudicialis: illa autem alia confessio fieri etiam potest, & communiter fit ante Iudicis aduentum, quia est confessio extraiudicialis; quæ tamen aliquando habet suos effectus, & prodesse potest, atque admittitur à iure in multis casibus. Hac ergo duplici confessionis acceptione suppositâ conciliare possumus illa Pontificum decreta, si dicamus, decretum Clementis loqui de confessione stricta, & primo modo accepta, cum enim odiosum sit, debet in sensu magis stricto intelligi: & ratio id suadet: ideo enim confessio sacramentalis requirit præsentiam Confessarij, quia per illam satisfacit pœnitens obligationi, quam ex Christi præcepto habet sistendi se coram legitimo Iudice, & confitendi sua delicta: hæc autem obligatio non est, nisi ad confessionem strictam & explicitam, quæ iuxta leges etiam est actus personalis, qui fieri debet coram Iudice, comparendo personaliter in Iudicio. Voluntas verò confitendi, seu confessio antecedens, & præparatoria non requirit talem præsentiam. Loquitur ergo Clemens de Confessione sacramentali strictè. At verò Sanctus Leo, & Concilia supra adducta dicunt, in casu necessitatis posse admitti ad effectum absolutionis confessionem illam quasi extraiudicialem, & magis vniuersalem, quam pœnitens facit, dum ad finem confitendi vocat Confessarium, & implorat eius officium: dixit *quasi extraiudicialem*, quia in aliquo sensu verè est iudicialis, cùm ordinetur ad iudicium pœnitentiale, & sit pars Sacramenti, & materia illius. Quod tamen, vt melius distinguerent à confessione magis stricta, noluerunt Patres illi appellare confessionem sed desiderium, vel voluntatem confitendi: quibus verbis loquitur etiam Paulus V. in suo Rituali, vt non contradicat Decreto Clementis, quod ab eodem Paulo confirmatum fuerat anno 1605. vt vidimus, & tamen anno 1614. dixit desiderium confitendi in absentia, & per alios manifestatum sufficere ad absoluendum infirmum, quia nimirum præsentia, quam confessio stricta exigit non ita exigitur ad ostendendum desiderium confitendi, & ad confessionem magis vniuersaliter acceptam.

Confirmatur primò hæc responsio ex ipso con- 73.
textu Rituales, in cuius verbis hæc ipsa confessionis distinctio & duplex acceptio significari videtur. Dicit enim, *si antequam incipiat confiteri, vox, & loquela ægrum deficiat si confitendi desiderium, siue per se, siue per alios ostenderit absoluendus est.* Vbi apertè significatur ipsum confitendi desiderium ostensum per se, vel per alios non fuisse confessionem strictè acceptam; alioquin repugnantia esset, quod *antequam confiteri incipiat, & loquela deficeret*, desiderium confitendi ostendisset, si hoc ipsum ostendere tale desiderium esset confessio strictè sumpta: nam eo ipso, quod vocasset Confessarium, iam incepisset confiteri. Supponitur ergo, quod nondum confessio incepta esset, quod de confessione strictè sumpta intelligi debet: quod licèt præcedat, adhuc dicitur nondum cœpta confessio stricta qua se coram Confessario explicitè, & in actu secundo accusat, licèt posita fuerit confessio aliqua minus stricta, & in magis vniuersali significatione, quæ in casu necessitatis sufficit ad sententiam absolutoriam proferendam, iam enim implorauerat Iudicis officium, & aliquo modo sua delicta confessus fuerat.

Confirmatur secundò, quia si desiderium confi- 74.
tendi intelligeretur à Clemente nomine *confessionis* in suo decreto, sequeretur, prohibitum iam esse explicare tale desiderium in absentia Confessarij, quia Clemens dixit in nullo casu licere in absentia Confessarij confiteri confessione illa, de qua ibi loquebatur. Consequens autem absurdum est, vt constat: ergo fatendum est, Clementem nomine *confessionis* non intellexisse illam, quæ includitur in expressione desiderij confitendi, sed aliam magis strictam.

Dices, velle confiteri, non esse verè confiteri; velle enim sumere Eucharistiam, aut velle ieiunare, non est verè sumere Eucharistiam, aut ieiunare, ergo nec velle confiteri, & ostendere hanc voluntatem, erit vllo modo confiteri; quare iuxta hanc interpretationem dicendum erit, quod absolutio confertur nulla præcedente confessione. Respondeo ex dictis negando consequentiam: quia qui vult sumere Eucharistiam, aut ieiunare, non habet vllo modo talem actum, sed solum in voto. At verò qui ostendit, & dicit se velle confiteri, eo ipso confitetur: nam confiteri in genere loquendo est dicere, & fateri proprium delictum: qui autem dicit se velle confiteri suum delictum eo ipso dicit, & fatetur se habere delictum, quod confiteatur: non potest ergo ostendere voluntatem confitendi, quin eo ipso aliquo modo confiteatur in actu exercito suum peccatum saltem in genere.

Confessio itaque aliqua necessaria est ad valo- 75.

rem

rem huius Sacramenti in quolibet casu : confessio verò stricta necessaria est per se loquendo, vnde quando Tridentinum *sess.14.c.5. & can.7.* dicit, ad remissionem peccatorum necessariam esse de iure diuino confessionem; loquitur quidem de confessione stricta, sed de necessitate per se loquendo, quod apertè constat ex eo, quod non solùm dicit, necessariam esse confessionem, sed confessionem omnium peccatorum, & circunstantiarum, quæ peccati speciè mutant, quam confessionem certum est requiri per se loquendo, non verò in casu necessitatis, quo homo per accidens excusetur à confessione omnium, & singulorum peccatorum. Quando verò in eodem Concilio *eadem sess.c.3. & can.4.* dicitur tres esse huius Sacramenti partes ad integram, & perfectam remissionem peccatorum ex Dei institutione requisitas; contritionem, confessionem, & satisfactionem : potest intelligi de necessitate simpliciter, & tunc nomine *confessionis* intelligitur confessio in significatione magis vniuersali : si verò intelligatur de necessitate solùm *per se* : nomine *confessionis* poterit intelligi confessio stricta, sicut dicitur in eisdem locis necessaria etiam satisfactio, quæ tamen non est necessaria, nisi per se loquendo; cum sine illa possit dari Sacramentum validum, denique quando *can.9.* dicitur; *Si quis dixerit, non requiri confessionem pœnitentis, vt Sacerdos eum absoluere possit, anathema sit:* quamuis auctores illi, quos adduxi *sectione præcedenti*, dicentes, posse absolui moribundum, qui confessionem non petiit, intelligant prædicta verba de necessitate solum, qua *per se* requiritur confessio ad absolutionem, sicut etiam prærequiritur confessio omnium peccatorum; meliùs tamen intelliguntur, de omnimoda necessitate alicuius confessionis, non tamen confessionis in significatione magis stricta, sed magis vniuersali, vt explicatum est.

76. *Testimonium Archiepiscopi Armacani.* Hunc modum conciliandi prædicta decreta Pontificum, & Conciliorum, ac Romani Ritualis, quem iam diu aliis omnibus præferebam, inueni postea breuiter, sed eodem omnino sensu approbatum ab Illust. Archiepisc. Armacano, qui in Epistola quadam, & responso dato ad P. Coninch. 6. Iunij anno 1624. testatur, se rem hanc cum eodem Clement VIII. communicasse, eiusque sententiam Pontifici probatam fuisse, quod responsum licèt idem Pater Coninch referat in illo *opusculo de absolutione moribundi in fine*; adhuc volui hoc loco transcribere, quia rem totam breuiter & doctè complectitur; cuius verba sunt hæc.

Occurrente casu quo quispiam etiamsi tunc demum quando videat se in periculo vitæ constitutum, declarat siue voce, siue scripto, siue aliquo quocumque signo exteriore, se velle sacramentaliter confiteri: si superueniens postea Confessarius, reperiat eum magnitudine periculi, in quod incidit, ita aggrauatũ, vt licèt adhuc spiret, tamen nec confessionem facere possit, nec in præsentia illius dare vllam significationem voluntatis confitendi, quam antea declarauit se habere. Quæritur, an possit nihilominus eumdem Confessarius sacramentaliter absoluere.

77. *Archiepisc. Armacan.* *Pro solutione istius casus, quæ & conformis planè sit antiquis canonibus, & nominatim doctrinæ S. Leonis Magni epist.91. ad Theodorum Forojulienſem Episcopum, & pariter in nullo dissentiat à decreto, quo Clemens VIII. prohibuit, & damnauit hanc propositionem*, licere per litteras, seu internuncium Confessario absolutionem obtinere. *Obseruandum est, esse rem distinctam, confessionem Sacramentalem, & voluntatem seu votum, aut desiderium sacramentaliter confitendi, id est confessionem eiusmodi reipsa factam, vel attentatam, & tantum in voto, seu desiderio habitam.*

Rursum votum, seu desiderium ita confitendi posse esse vel internum tantum, quod perinde solius Dei iudicio sit subiectum, vel exterius etiam signis declaratum; per quæ innotescat Confessario, eum, qui absoluendus est, eiusmodi desiderium, seu votum habere, siue illa signa sint exhibita in præsentia ipsius Confessarij, ita vt ab ipso audita sint vel visa, siue in ipsius absentia, ita vt non nisi per testimonium aliorum, qui audierunt, vel viderunt, notitiam de illis acceperit.

Quamobrem sunt etiam distinctæ quæstiones, quarum vna proponebatur : vtrum liceat per litteras, seu internuncium Confessario absenti sacramentaliter cõfiteri. Altera adhuc quæritur : an quando aliquis in absentia Confessarij declarauit aliquo signo exteriori se velle sacramentaliter confiteri, si superueniens Confessarius eum inuenit ita constitutum, vt non tantum non valeat peccati vllius confessionem facere, sed nec illius suæ voluntatis signum aliquod in præsentia ipsius exhibere; possit nihilominus ex notitia per testimonium aliorum accepta de signo ante aduentum suum exhibito, eum sacramentaliter absoluere. 78.

Quæ cum ita se habeant, Clemens VIII. decreto suo merito damnauit, ac prohibuit quod in priori quæstione proponebatur, scilicet, litteras, seu internuncium Confessario absenti sacramentaliter confiteri: hoc nimirum sensu, vt sic facta confessio censenda sit sacramentalis; eáque damnatio, at prohibitio conformis est doctrinæ Conc. Trid in qua traditur, quod Christus Dominus, eos qui se post Baptismum crimine aliquo contaminauerint, ante tribunal sacramenti Pœnitentiæ tanquam reos sisti voluit. 79.

Sed quod posteriorem quæstionem, cùm non tantum sit certissimum, Clementem Pontificem non intendisse damnare, seu prohibere, quod quispiam per litteras, seu internuncium Confessario absenti declaret se velle ei confiteri, ideóque eum accersat, vt præsenti confiteatur, sed etiam mihi semper fuerit persuasissimum, quod incidente casu, qui in quæstione illa exprimitur, Confessarius superueniens possit, ac debeat sacramentaliter absoluere iuxta antiquos canones, & nominatim iuxta doctrinam S. Leonis Papæ in citata sua decretali, in qua, quòd agat de sacramentali absolutione etiam intellexit S. Thomas 3. part. quæst. 84. art. 3. ad 2. Hoc ipsum priuatim communicauit Clementi Pontifici, idque postquam in officio sanctæ Inquisitionis inprobata esset interpretatio sui decreti à Theologo quodam facta, tanquam non esset in eo damnata, ac prohibita vtraque diuisim pars propositæ quæstionis; ac respondit mihi sua Sanctitas non fuisse sibi propositum damnare, seu prohibere, quòd absolutio sacramentalis impendatur, incidenti casu expresso in posteriore illa quæstione. Sic testor anno 1624. 6. Iunij, vti adhuc feci ante annos aliquot.

Petrus Lombardus Archiepiscopus Armacanus, Primas Regni Hibernia. 80.

Hæc ille in eo responso, de cuius fide, & auctoritate modò non disputo; in quo id desiderari posset, vt non ita nudam confessionem in voto appellaret illam, quæ in nostro casu interuenit, seu merum desiderium confitendi, vt non sit etiam confessio rei ipsa posita, licèt non in stricta, sed magis vniuersali significatione, vt dictum est.

SECT.

SECTIO V.

§. 1. *Explicantur aliquot dubia circa precedentem doctrinam.*

80. *An sufficiant testes mediati.*

REstat examinare aliqua dubia, ex quorum resolutione magis declarabitur præcedens doctrina. Primum esse potest, an possit Sacerdos absoluere moribundum, quando ij, qui testantur de voluntate, & petitione confessionis, non audierant hoc ab ipso infirmo, sed ab aliis, atque adeò non sunt testes immediati, sed mediati. Ratio dubitandi esse potest: quia in prædictis decretis videtur requiri testimonium eorum, qui ab infirmo audierant. Sic loquitur Concil. Carthagin. IV. *can.* 67. suprà adductum, vbi dicitur, *dent testimonium, qui eum audierunt, & accipiat pœnitentiam.* Et idem colligi potest ex verbis Eusebij Papæ suprà relatis, dicit enim: *si idonea testimonia habuerit, quod ipse pœnitentiam petiisset*, &c. Testimonia autem idonea non sunt, quæ non ex visu, sed ex eorum narratione feruntur.

81. Cæterùm dicendum videtur sufficere in casu necessitatis eam notitiam, quæ ex testibus mediatis haberi potest. Nam notitia mediata notitia est, & quæ sufficit ad alios effectus, in quibus maior certitudo requiritur. Nam si de Baptismo alicuius paruuli, vel etiam adulti quæratur, & non adsit qui eum baptizauit, sed alius fide dignus, qui dicat se ab ipso audiisse, quod eum baptizauerit, vel etiam per internuncium fide dignum id testatur, habebitur pro baptizato; quanto magis sufficiet hæc notitia ad absoluendum in eo periculo, in quo absolutio prodesse potest, & non nocere? Vnde in Rituali Romano non alligatur ad testimonium immediatum, sed generaliter dicitur: *Si confitendi desiderium per se, vel per alios ostenderit, absoluendus est.* Ostendit autem per alios, qui per alios mediatè id manifestat, sicut Deus loquutus dicitur populo suo per Prophetas, licèt non omnes audierint immediatè ipsos Prophetas, sed alios, quibus Prophetæ immediatè loquuti fuerant. In quo sensu videntur etiam intelligenda verba Leonis suprà adducta, quibus generaliter dicitur, *testimonia eis fidelium circumstantium prodesse debent.* Ad quod etiam afferri potest exemplum confessionis, quæ fit per interpretem: posse enim contingere, quòd non sufficeret vnus Interpres, sed requirerentur duo, qui inter pœnitentem, & confessarium intercedetint: v. g. si Græcus confiteretur cum Latino, & vteretur interprete Gallo, qui & Græcum idioma intelligeret, & Gallicè explicaret, non Confessario, quia nec Gallicam linguam intelligeret, sed Italo laico, qui rursus Italicè idem explicaret Confessario: tunc enim confessarius contentus esset notitia accepta non ab eo qui immediatè à Pœnitente acceperat, sed ab alio qui mediatè acceperat à pœnitente. Cur ergo in casu nostro non posset simili notitia à pœnitente accepta per duos intermedios, quorum vnus altero mediante eam notitiam accepisset? Hoc idem si in matrimonio accideret, crederem valere matrimonium, quod per duos interpretes fide dignos celebraretur; quorum alter alterum interpretaretur; quando ergo petitur in casu nostro testimonium alterius de voluntate confitendi, quam infirmus ostenderit, non petitur testis omni exceptione maior, & iuridice legitimus, qui de visu testificetur, sed testimonium iuxta præsentem materiam, quæ in nullius præiudicium, atque adeo tale, vt possit probabiliter credi rem ita esse, quod confessionem petierit.

82. *An sufficiat vnus testis.*

Vndè à fortiori resolui potest secundùm dubium, an scilicet sufficiat vnius testimonium, an verò requirantur plures. Nam in supra adductis decretis videtur esse sermo de pluribus. Sic dicitur in Arausicano: *Si voluntatis præteritæ testimonium aliorum verbis habeat*: & in Carthagin. IV. dicitur: *dent testimonium, qui eum audierunt*: & in decreto Eusebij dicitur: *Si idonea testimonia habuerit*; & in decreto Leonis dicitur, *testimonia eis fidelium prodesse debeant*: & denique in Rituali Romano dicitur: *Si confitendi desiderium, siue per se, siue per alios ostenderint.* Vbi semper testes, & testimonia in numero plurali designantur.

Dicendum tamen est sufficere testimonium vnius; quod expressè notarunt alij: Ioannes Sancius *in select. disp. 44. numero 35.* qui citat alios, & Diana *dicto tract. de absol. morib. resol. 8.* vbi affert alios plures. Ratio autem est, quia vbi non agitur de præiudicio alterius creditur vni testi: & sicut diximus non requiri probationem iuridicam per testes oculatos; sic dicendum est non requiri probationem plenam iuridicam per duos testes. Nec obstant verba illorum decretorum, quia illa intelligi debent in sensu distributiuo, non copulatiuo: nam si intelligerentur in sensu copulatiuo, requireretur testimonium omnium circumstantium propter verba illa vniuersalia: *dent testimonium, qui eum audierunt.* Sicut ergo non requiritur omnium eorum testimonium, ita nec plurium, sed cuiusl bet ex pluribus, vel ex iis, qui audierant. Vt si in Conciliis dicatur animam defuncti posse iuuari aliorum fidelium suffragiis, non est sensus, quod non prosint ei suffragia vnius solius; sed est sensus distributiuus, quod singulorum suffragiis possit iuuari.

83. *Quid si sit infidelis.*

Notant item prædicti Auctores non requiri, quod testis ille sit fidelis: potest enim sufficere infidelis, vel Hæreticus, quando credibile sit in hoc casu ipsum non mentiri: quod verisimile erit, cùm sua nihil referat, quod infirmus absoluatur; imò ex infidelitate magis inclinaretur ad impediendum Sacramentum, quare testificatio magis procedere videtur ex affectu erga infirmum, cuius desiderio, vel petitioni vult satisfacere eo modo quo potest.

§. 2. *An testimonium hoc debeat dari coram ipso infirmo, vt possit absolui.*

84. TErtium dubium, & maioris momenti est, an si is, qui audiit infirmum petentem confessionem, inueniat Sacerdotem in itinere, & hoc ei manifestet, possit Sacerdos ex vi huius notitiæ absoluere moribundum, quem postea inuenit solum sensibus destitutum, licèt non repetatur coram infirmo illud testimonium; quia, qui audierat, iam discessit ad alium locum. Negant posse tunc absolui illi, qui dicunt, in casu propositæ quæstionis confessionem fieri præsenti Confessario per interpretem, & ideò non esse contra Decretum Clementis VIII. Nam si confessio fit tunc, quando testis dicit infirmum petiisse confessionem, consequens est, vt debeat fieri, quando Confessarius præsens est pœnitenti: alioquin confessio fieret in absentia, si solùm in itinere id audiisset Sacerdos. Propter hoc fundamentum hanc sententiam amplexus est Diana *loco citato*, *resolut. 7.* adducens in sui fauorem quamplures, qui tamen solùm dicunt decretum Clementis intelligendum esse non solùm in sensu complexo, sed etiam in sensu

sensu diuiso, ita vt nec absolutio, nec etiam confessio in absentia, aut per literas, vel internuncium fieri possit, quod nos non negamus. Sed quæstio est, an in casu præsentis dubij ita fiat. Potest autem ea sententia confirmari ex verbis Leonis Papæ sæpè citatis, in quibus dicitur: *Testimonia eis fidelium circumstantium prodesse debeant*: vbi testimonium à præsentibus videtur requiri.

85. Alij tamen generaliter loquuntur, & volunt, quomodocumque illud confitendi desiderium Confessario innotuerit, posse Sacerdotem, absoluere pœnitentem præsentem sensibus destitutum. Pro qua sententia plures affert idem Diana *loco citato*, dicens illam esse probabilem, quod idem affirmat Bonacina in eam magis inclinans *in præsenti disp. 5. q. 5 sect. 2. punct. 2. §. 4. num. 10.* Et in noua editione *tom. 3. disp. 2. de Censuris, q. 3. punct. 33.* vbi dicit, ita Romæ à multis iudicatum fuisse. Quod quidem videtur esse omninò iuxta mentem, & verba Pauli V. in Rituali Romano, vbi absque vlla limitatione, aut distinctione dicitur: *Si desiderium confitendi per se, vel per alios ostenderit, absoluendus est.* In casu autem posito verificatur tota illa conditio, cùm infirmus per alios desiderium confitendi ostenderit; ergo iuxta regulam illam à Pontifice propositam absoluendus est. Quod ipsum ex aliis decretis supra adductis colligitur; quæ absque tali limitatione loquuntur. Sic enim in Arausicano dicitur: *Si voluntatis præteritæ testimonium aliorum verbis habeat.* Et in Carth. dicitur, *Dent testimonium, qui eum audierunt.* Et in decreto Euseb. Papæ dicitur: *Si idonea testimonia habuerit, quod ipse pœnitentiam petiisset.* Denique S. Thomas *in dicto Opusc. 65* generaliter dixit: *Si infirmus, qui petiit absolutionem, amisit notitiam, vel loquelam, antequam Sacerdos adueniat, debet à peccatis absolui.* Cùm ergo non petatur talis conditio testimonij in præsentia ipsius infirmi exhibendi, non est, cur à nobis talis conditio apponatur, & ita consequenter dicendum esse in hac sententia fatetur Aluarez *illa disp. 80. num. 53.*

86. Ratio autem sumitur ex dictis *sect. præcedent.* quia nimirum illa non est confessio strictè, sed magis vniuersaliter sumpta, quæ in defectum strictæ confessionis acceptatur ad proferendam sententiam absolutionis. Decretum autem Clementis VIII. loquitur, vt diximus, de confessione strictè accepta, quæ fieri non potest validè, aut licitè, nisi in præsentia Confessarij. Nec obstant verba Leonis Papæ: nam ipse mentionem fecit testimonij circumstantium, quia ita communiter fieri solet, quod præsentes sint, qui testantur voluntatem, & desiderium infirmi. Sicut ob eandem rationem dixit, *testimonia fidelium circumstantium*: quia nimirum semper solent illi esse fideles, & tamen si fideles non essent, sed infideles, fide tamen digni, & de quorum veracitate non dubitaretur, non negaret Leo illud testimonium sufficere; parum enim refert character testificantis, cum testificatio illa non ordinetur ad conferendum sacramentum ipsi testificanti, cuius infidelis non esset capax, sed solùm ad manifestandam voluntatem infirmi, & ad faciendam fidem de illa, ad quæ non est incapax infidelis. Sicut ergo non alligatur S. Leo ad testimonium fidelium, ita nec ad testimonium solùm circumstantium.

An non solùm possit, sed debeat Sacerdos absoluere in casu præsentis quæstionis.

87. QVartò dubitatur, an concurrente illo casu possint Auctores contrariæ sententiæ non absoluere moribundum, de quo circumstantes testantur petiisse confessionem. Affirmant aliqui ex iis, præsertim Aluarez *dicta disp. 80. numero 55.* & Franciscus Coquerius *in dissertatione de confess. per Litteras* apud Coninch. *dicto opusculo de absolutione moribundi, num. 64.* Negant tamen communiter Doctores, Suarez, Vasquez, Coninch. Turrianus, Ioannes della Cruz, Regius, Megala, Syluius, Franciscus, Montesinus, Ioann. Sanctius, & alij, quos congerit, & sequitur Diana *loco citato, resolut. 9.* Ratio autem est clara: quia ad minus nostra sententia probabilis est, & per consequens talis, vt possit eam Sacerdos tuta conscientia amplecti: quoties autem potest absque graui incommodo subuenire proximo grauiter periclitanti circa æternam salutem, ad id tenetur: ergo cùm possit prodesse moribundo talis absolutio, & absque graui incommodo suo possit Sacerdos eam impendere, ad id tenebitur.

88. Dices regulam illam fallere in iis, quæ spectant ad conficienda Sacramenta, in quibus non possumus ob Sacramenti reuerentiam vti materia, vel forma probabili, ne exponatur periculo irritationis. Sed contra, quia doctrina illa non est vniuersaliter vera, vt cum aliis multis dixi *disputat. 8. de Sacramentis in genere, sect. 9.* Deindè certum est, obligationem illam adhibendi materiam certam ob reuerentiam sacramenti non procedere, quando non habetur certa materia, sed probabilis, imò etiam dubia: tunc enim melius est subuenire proximo cum Sacramento probabili, vel etiam dubio, quàm relinquere illum sine vllo Sacramento, vt in eodem loco cum communi sententia latiùs ostendi.

89. Dicunt tamen nostram sententiam non esse probabilem, sed omninò improbabilem, atque ideò non posse sacerdotem licitè iuxta illam operari: multò ergo minus ad id tenebitur. Ad hoc tamen respondere non oportet: quid enim faciet opinionem probabilem, si viginti, aut triginta Doctores, in quibus sunt quamplures ex primis nostri temporis, ad id non sufficiunt? Ad minus sufficiet auctoritas Pauli V. qui sententiam illam in suo Rituali toti Ecclesiæ proponit; auctoritas Eminentissimorum Cardinalium, & aliorum doctissimorum virorum, qui diligenti studio ritus illos examinarunt, vt ipse Pontifex testatur; auctoritas Ecclesiæ, quæ illud Rituale cum debita reuerentia acceptauit. Si hæc omnia sufficere non vis ad probabilitatem saltem extrinsecam huic sententiæ conciliandam, contendendi amplius non est.

§. 2. *An debeat Sacerdos in prædicto casu sub conditione solùm explicata absoluere.*

90. CErtum est in primis, non esse obligationem exprimendi exterius illam conditionem, *Si possum*: sufficit enim, si concipiatur interiùs. Certum item est, semper adesse conditionem implicitam: nemo enim intendit dare absolutionem impossibilem, sed illam quam potest. An debeat illam conditionem mente saltem explicare: communiter dicunt absoluendum esse infirmum sub conditione. Ita loquitur Suarez *in præsenti disp. 23. sect. 1. numero 12.* Alij dicunt, absoluendum *saltem* sub conditione; per quod indicant, non esse obligationem addendi conditionem. Ita loquitur Coninch *dicto Opusc. num. 64.* Alij tamen dicunt superfluum esse addere eiusmodi

eiusmodi conditionem; ita loquitur Vasq. *in præsenti quæst. 91. art. 2. dub. 1. n. 39.* quem sequitur Ioannes Sancius *in selectis disp. 44. n. 32* & videtur magis iuxta mentem Ritualis Romani, in quo nihil dicitur de tali conditione adiungenda, sed absolutè dicitur absoluendus infirmus, Neque etiam in antiquis decretis, quæ attulimus, vlla fit mentio conditionis apponendæ. Si autem esset talis obligatio moniti fuissent Sacerdotes, ne in re adeò graui errarent, provt moniti sunt de apponenda conditione, quando baptizant aliquem, de quo dubitatur, an fuerit antea baptizatus.

91. Cur autem magis apponenda sit conditio in casu illo baptismi, quàm in nostro. Ratio est, quia ibi agitur de dubio proprio, in quo non potest Minister iudicare baptismum nunc validè conferri. At verò in casu nostro habet assensum ad minùs probabilem de valore absolutionis: quando autem operamur ex assensu probabili, operari possumus absolutè absque alia cõditione apposita: quia assensus præcedens absolutus est, licèt sit probabilis. Vndè cum proportione debita idem dicendum erit de absolutione, quæ debet etiam sub conditione dari, quando datur cum vero dubio, verbi gratia, si dubitat Sacerdos, an signa ab infirmo exhibita fuerint ad significandum dolorem de peccatis, & voluntatẽ absolutionis: an verò ex dolore morbi. Item àn quando dixit se velle confiteri, esset compos sui, an impos, & sine rationis vsu. In his enim, & similibus casibus propter reuerentiam Sacramenti absolutio impendi debet sub conditione explicita interiùs concepta. Et hæc sufficiant de hac controuersia.

DISPVTATIO XVIII.

De Ministro Sacramenti pœnitentiæ, & primum de Ministro legitimo in mortis articulo.

SECT. I. *An solus Sacerdos sit minister in hoc Sacramento*: vbi? *An Laicus possit in aliquo casu absoluere?*

SECT. II. *De ministro huius Sacramenti in articulo mortis.*

SECT. III. *Apendix ad supradicta de peccatis venialibus, & mortalibus antea confessis; quis sit in ordine ad illa legitimus minister.*

SECTIO I.

An solus Sacerdos sit Minister in hoc Sacramento: vbi; *An Laicus possit in aliquo casu absoluere?*

1. VAMVIS ordo doctrinę videretur alicui fortasse exigere, vt post explicatas alias duas partes materiales huius sacramenti, scilicet contritionem, & confessionem, ageretur de tertia, nempè de satisfactione; aliundè tamen magis videbitur congruere, vt priùs de legitimo ministro dicamus; tum quia confessio ipsa non satis explicatur sine suo termino; debet enim confessio esse legitima, hoc est, quæ legitimo Iudici fiat, ad quod necesse omninò est scire, quis sit legitimus Iudex respectu singulorum, & cui debeat legitima confessio fieri. Tum etiam, quia Tractatus de satisfactione trahit secum alia, nempè de satisfactione in communi, de suffragiis, de indulgentiis, quæ omnia connexa sunt in ordine ad doctrinam, & quæ si in hoc loco traderentur, videretur nimium interrũpi ipsa sacramenti explicatio, ideò videtur magis è re esse, si totum id, quod pertinet ad Confessarium, seu Ministrum, hoc loco disputemus: & postea expediti iam à Sacramento quoad essentialia, possimus in calce materiæ de satisfactione tractare.

P. Ioann. de Lugo de Pœnitentia.

2. COnclusio est certa apud Catholicos, solum Sacerdotem esse Ministrum huius Sacramenti quæ definita est in Trident. *sess. 14. cap. 6.* his verbis: *Circa Ministrum autẽ huius sacramenti declarat sancta Synodus, falsas esse, & à veritate Euangelij penitus alienas doctrinas omnes, quæ ad alios quoslibet homines, præter Episcopos & Sacerdotes clauium ministerium perniciosè extendunt* & can 10. *Si quis dixerit non solos Sacerdotes esse ministros absolutionis*, &c. *anathema sit.* Fuit autem hoc definitum etiam in aliis Conciliis contra VVicleph. & alios hæreticos, quos referunt Vasquez *q. 93. art. 1.* & Suarez *disputat. 24. sect. 1.* Vndè obiter infertur eum, qui verè non accepisset ab Episcopo potestatem conficrandi, & offerendi sacrificium, siue propter defectum materiæ, siue propter defectum formæ, vel quemcumque alium non recipere postea validè potestatem absoluendi per illa alia verba; *quorum remiseritis peccata remittuntur eis*, &c. sed debere repeti ordinationem, quoad vtramque potestatem: quia licèt prior possit accipi sine posteriori, non tamen è contra posterior sine priori: nec enim esse potest Minister huius Sacramenti, nisi solus Sacerdos: non est autem Sacerdos, qui potestatem offerendi sacrificium non habet, cùm essentia Sacerdotij desumatur per ordinem ad oblationem sacrificij. Sicut ergo Christus voluit, potestatem, seu characterem Episcopalem recipi non posse nisi supposito sacerdotali; sic voluit potestatem absoluendi non posse recipi, nisi præsuppositа potestate consecrandi: vel certè simul cum illa, provt confertur à Græcis, qui simul conferunt vtramque potestatem suis Presbyteris. Constat autem hæc Christi voluntas ex perpetua Ecclesiæ traditione, quæ ab initio sic intellexit alligatam esse solis Sacerdotibus potestatem sacramentaliter absoluendi.

3. Hoc ergò supposito dubitari posset primò An omnes Sacerdotes habeant hanc potestatem completam ad validè absoluendum ex vi suæ ordinationis. Sed in eodem Concilio Tridentino *eadem Sessione 14. can. 7.* definitum etiam est, non sufficere potestatem Ordinis, sed requiri etiam potestatem iurisdictionis ad absolutionis valorem; in quo autem differant hæ duæ potestates, & in quo singulæ consistant, explicuimus latè *suprà Disputatione 15. sect. 2.*

4. Secundò ergo dubitari potest, an in aliquo necessitatis casu confessio fieri debeat, vel possit Laïco, & idem est de non Sacerdote, siue sit Diaconus, siue Religiosus. Quod etiam ex dictis facilem habet resolutionem; cùm enim definitum sit, solum Sacerdotem esse Ministrum huius sacramenti, certum est, sicut consecratio Eucharistiæ in nullo casu validè fieret à non Sacerdote, sic nec absolutionem sacramentalem. Solúmque proponi solet hoc dubium propter nonnullos antiquos, qui significarunt, in casu necessitatis confessionem debere fieri cum Laïco, si sit homo prudens, & sapiens. Quod videtur sensisse Magister *in 4. dist. 17. capite 4.* & Sanctus Thomas *ibi quæst. 3. art. 3 quæst 2. in solutione primi*: ij tamen non loquuntur de confessione sacramentali, sed de confessione ad humiliationem pœnitentis, vel ad consiliũ ordinata. Et quidem Theologi recentiores

Laico an sit facienda confessio.

aduertunt, ratissimè esse eam consulendam, & nunquam forè ponendam ex obligatione. Cyprianus verò *lib. 3. epistolarum, epist. 17.* qui dicit, absente Sacerdote reconciliandum esse infirmum per Diaconum; loquitur de reconciliatione externa, quæ præcedebat, vt publicus peccator admitti posset ad Eucharistiam, quam poterat illi dare Diaconus, visa eius contritione admittendo ad reconciliationem, & ad communionem. Videantur Suarez, & Vasquez locis citatis.

5. Aliqui volunt, confessionem illam factam Laïco prodesse saltem ad remissionem venialium ex opere operato, non vt sacramentum, sed vt aliquid sacramentale. Sicut prodest aqua benedicta: ita Victoria *de Confessione, num. 142.* & alij. Sic enim & Sacerdos in Missa confitetur ministro Laico, & absoluitur ab illo deprecatoriè, & Moniales in Choro, dum recitant Officium, confitentur, & absoluuntur ab inuicem. Hæc tamen licèt verum esset, non requireret confessionem specialem, nec integram de peccatis; sed sufficeret confessio generalis: de his autem sacramentalibus, quomodo concurrant ad remissionem venialium, diximus *suprà disp. 9. sect. 4.*

6. *An Laicus possit ab excommunicatione aliquando absoluere.* Magis difficile est, an saltem in illo mortis articulo posset Laïcus, deficiente Sacerdote, absoluere validè ab excommunicatione. Affirmant non pauci: Glossa *in cap. A nobis 2. verbo. Non potuerit de sententia excommunicationis*, & *in cap. Pastoralis. §. Præterea, verbo, Præterquam in morte, de officio ordinarij*: Syluester, *verbo, Absolutio 1. num. 8.* Armilla *ibi, num. 39.* Tabiena *Absolutio 2. numero 8.* Panormitanus *in dicto c. A nobis, numero 10* & ex Recentioribus Auila *de Censuris, part. 2. cap. 7. disputat. 1. dub. 3.* Ioannes Valerus, Ioannes de la Cruz, vterque Ledesma, Ioannes Sancius, & Regucius, quos affert, & sequitur Diana *2. tom. tractat. 4. de Sacramentis, resolutione 133.* Fundamentum potissimum est, quia in eo necessitatis articulo Ecclesia pia Mater, omnibus, quibus poterat, facultatem concedit absoluendi ab omnibus peccatis, etiam Hæreticis, & Schismaticis vt postea videbimus: ergo propter eamdem necessitatem credibile est, dedisse eamdem potestatem Laïcis in ordine ad excommunicationem, cùm id facere potuerit.

7. Contraria sententia verior est, quam tenent Suarez *disputatione septima de Censuris, sectione sexta, numero 6.* Sotus *in quarta, distinctione 18. quæst. quarta, articul. 4.* Thomas Sanchez *lib. 2. in Decalog. cap. 13. num. 13.* Vasquez *tom. 4. de excommunicat. dub. 18. num. 9.* Coninch. *disput. 14. n. 236.* Layman, Villalobos, Couarruuias, & alij, quos refert Diana loco citato, Paludanus, Nauarrus, Vgolinus, & Graffius, quos affert Suarez; item Corduba *in summa cas. 18. ad secundum.* Probant aliqui, quia Ecclesia concedit facultatem illam omnibus Sacerdotibus in ordine ad absolutionem à peccatis: cùm ergo Laïcus non possit à peccatis absoluere, non est cur ei concedatur absolutio ab excommunicatione.

8. Hanc tamen rationem impugnat Suarez, quia facultas absoluendi à censura non cõceditur Sacerdotibus in illo articulo, propter solam absolutionem à peccatis, sed independenter ab ea. Vndè si infirmus non absolueretur à peccatis, adhuc validè absolueretur à censuris. Addere possumus, in Tridentino *sessione 14. c. 7.* vbi de illa facultate fit mentio, non solùm esse sermonem de absolutione ab excommunicatione, sed de absolutione ab omnibus censuris: certum autem est, quòd absolutio ab interdicto, seu suspensione non semper requiritur ad absolutionem à peccatis: ergo illa facultas non conceditur solùm propter absolutionem à peccatis.

9. Vndè reiicitur etiam aliorum ratio, quòd scilicet, illa absolutio necessaria non est; nam si infirmus non est contritus, nihil proderit; si verò est contritus, sine illa saluus erit. Ad hoc tamen Auctores primæ sententiæ facilè respondent, prodesse multum, scilicet vt defunctus sepeliri possit in loco sacro, & pro eo offerri possint suffragia Ecclesiæ absque alia licentia illius, qui eum excommunicauerat, cùm iam fuerit à censura legitimè absolutus.

10. Melius probatur nostra sententia, retorquendo argumentum contrarium; quia nimirum Tridentinum docuit, propter necessitatem illius articuli custoditum fuisse in Ecclesia semper, vt quilibet Sacerdos posset quemlibet à qualibet censura, & peccato absoluere. Hoc autem dici non potuit enim veritate in casu nostro. Nunquam enim in Ecclesia custoditum fuit, nec in praxi obseruatum, aut consuetudine introductum, vt Laïcus in eo articulo absolueret: ergo non est credendum fuisse talem facultatem: probatur consequentia, quia facultas omnium Sacerdotum absoluendi, tunc à quolibet peccato, quia re vera erat, cognita fuit, & in praxim ab omnibus reducta: illam autem aliam nemo ad praxim reduxit in tot millibus casuum ocurrentium. Signum ergo est, quod talis facultas nunquam fuerit, quam fideles omnes in praxi ignorarunt, & solum ab aliquibus Auctoribus in Schola cognita fuit: tamen paulatim eam & per partes concesserunt. Aliqui enim dixerunt, non omnibus, sed solis Clericis concessum esse, quod in illo articulo possint absoluere. Alij non omnibus Clericis, sed istis, qui aliàs facultatem habent excommunicandi, & absoluendi subditos suos, concedi in illo articulo, quod absoluant etiam non subditos. Alij denique hoc ad omnes Laïcos extendunt. Vndè vereor ne paulatim alij ad fœminas id extendant, ac denique alij ad non baptizatos, cùm ij omnes in casu necessitatis validè baptizent, & non sit improbabile, potuisse Ecclesiam de potestate absoluta eiusmodi facultatem iis omnibus communicare.

11. Vndè retorqueri potest secundò argumentum primæ sententiæ: quia Ecclesia in illo articulo ita concessit facultatẽ omnib. Sacerdotibus, vt si posset ipsa Ecclesia immediatè absque; Sacerdotũ ministerio absoluere fideles in eo puncto, & articulo, eos procul dubio absolueret, vt eis subueniret, & eos à periculo æternæ damnationis liberaret. Hoc autem quod in ordine ad peccata non potuit, potuisset, si vellet facere in ordine ad excommunicationem; nam potuisset absque alterius ministerio ipsa Ecclesia immediatè absoluere moribundum à censuris, seu nolle, quod amplius esset eis ligatus: & tamen id non fecit, ergo non benè arguitur ex facultate data omnibus Sacerdotibus absoluendi à peccatis, similis facultas data omnibus Laïcis absoluendi à censuris pro eo articulo.

12. Ratio autem supposita consuetudinis diuersitate, quæ hoc interpretatur, potuit esse diuersus necessitatis gradus cùm absolutio à peccatis simpliciter sit ad salutem necessaria homini non contrito: Absolutio autem à censuris, licèt vtilis sit ad aliquos effectus, non est tamen necessaria ad salutem; & licèt propter aliquam vtilitatem, quam affert ad sepulturam, & suffragia, voluerit eam etiam concedi posse à quolibet Sacerdote; non tamen voluit concedi posse à quolibet homine; quia id cederet in aliquem censurarum conceptum, & Ecclesiasticæ disciplinæ eneruationem.

Nec

13. Nec obstat, quod afferri solet ex Augustino relato *in c. Sanctum est, de consecratione: dist.4.* vbi refertur, quemdam pœnitentem reconciliatum esse à Laïco in vitæ periculo, quod Augustinus laudat. Respondeo enim primò, illam non fuisse absolutionem ab excommunicatione, aut censura, sed reconciliationem publici pœnitentis, publicus autem pœnitens non semper erat excommunicatus. Secundò Augustinus laudat pium animum, & desiderium, quod Deus acceptauit liberando vtrumque à naufragio, non approbat factum quoad potestatem, quam Laïcus haberet reconciliandi pœnitentem.

14. *An sit irregularis Laïcus absoluens in mortis articulo.* Dubitari etiam solet circa hoc ipsum, an si Laïcus in articulo mortis absoluere tentaret à peccatis, fieret irregularis. Suppono iuxta veriorem sententiam, non solum Clericum, sed etiam Laïcum exercentē actum ordinis sine eo ordine fieri irregularem, vt cum communi docet Suarez 3. *tom. in 3. part. disp. 31. sect. 4. in fine*, & *tom. 5. de censuris, disputatione 42. sect. 4. n. 10.* Quo supposito, videtur incurri irregularitas in nostro casu, cum exerceatur actus ordinis Sacerdotalis sine eo ordine. Cæterum si Laïcus absoluat, non quidem fingendo se Sacerdotem, vel vsurpādo eius officiū, sed vt merus Laïcus, eo quod putat Laïcū posse in eo articulo absoluere, vel alio modo exercet illum, non vt actum Sacerdotis, sed vt actum Laïci; crederem non fieri irregularem: quia ad eiusmodi irregularitatem contrahendā requiritur quod Laïcus exerceat illum actum tanquam ordinatus, vt cum aliis obseruat Gaspar Hurtado *disp. 2. de irregularit. diffic. 1. n. 5.* Qui autem absoluit nō vt Sacerdos, sed vt Laïcus, non facit etiam exteriùs actum ordinis, cùm non intendat etiā exteriùs significare, se illud agere vt Sacerdotem, sed solùm in quantum potest vt Laïcus. Aliter dicendum credo de Sacerdote, qui in ordinatione accepisset quidem primam potestatem consecrandi Eucharistiam, non secundam absoluendi: hic enim si tentaret absoluere fieret irregularis, quia tentaret absoluere vt Sacerdos, cùm tamen careat eo ordine saltem secundùm potestatem ordinis ad eum actum requisitam, vt bene notauit Suarez *loco citato de cens. num. 3.* cum aliis, quos affert. E contra verò si esset ritè ordinatus, careret tamen debita iurisdictione, non fieret irregularis audiens confessionem, quia non exercet actum ordinis sine ordine, cùm non desit ei ordo requisitus, sed sola potestas iurisdictionis, quæ condistinguitur à potestate ordinis.

SECTIO II.

§. 1. *De Ministro huius Sacramenti in articulo mortis.*

15. *Trident.* PRæmittenda sunt verba Tridentini *sess. 14. cap. 7. Veruntamen*, inquit, *piè admodum, ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit, vt nulla sit reseruatio in articulo mortis, atque ideò omnes sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibusvis peccatis, & censuris absoluere possint.* Circa hæc verba plura dubitari possunt. Primum, an hæc facultas pro illo articulo ita ampla sit de iure diuino, an solùm de iure humano Ecclesiastico. Plures dicunt esse de iure diuino ex Christi institutione; quia alioquin defecisset Christus in necessariis ita Durandus, Canus, Paludan. Capreolus, Ruardus, quos affert Vasquez *quæst. 93. art. 1. dub. 3.*

De facultate absoluendi in articulo mortis, an sit de iure diuino, an de iure humano tantum.

Secunda sententia communis, & verior dicit esse ex iure Ecclesiastico. Ita Ioann. Medina, Turrecremata, vterque Sotus, Antoninus, Bonauentura, & alij, quos referunt, & sequuntur Vasquez *vbi supra*, & Suarez *disp. 26. sect. 4. n. 7.* & videtur colligi ex verbis Tridentini suprà adductis, *piè in eadem Ecclesia Dei custoditum fuit.* Secundò colligi solet 16. ex verbis, quibus Pontifices vti solent, quando reseruant sibi absolutionem alicuius peccati, *præterquam in mortis articulo*, quæ exceptio superflua esset si ab ipsis non penderet iurisdictio pro illo articulo. Tertiò, colligit Suarez, quia etiam in eo articulo valet reseruatio quoad hoc, vt præsente proprio Superiori, non possit absoluere inferior. Ergo iurisdictio datur, & aufertur ab Ecclesia etiam pro illo casu, & quidem si antecedens esset certum, consequentia est clara; illud tamen antecedens à multis negatur, vt postea videbimus. Quartò colligi posset ex verbis eiusdem Trident. *illo c. 7. in princip.* vniuersaliter dicentis, *nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet iurisdictionem*: atque ideò semper supponi debere, quod pœnitens sit subditus Confessarij. Quæ verba cùm vniuersalia sint, nullum prorsus casum excipiunt; atque adeò dicendum est, Sacerdotem pro eo articulo habere iurisdictionem, vel ordinariam, vel delegatam. Non videtur autem dicendum, quòd Sacerdos simplex habeat iurisdictionem ordinariam respectu omnium fidelium, nisi abutamur nominibus: nam iurisdictiō ordinaria dicitur communiter illa, quæ competit ratione proprij muneris, & superioritatis, qua aliquis est Pastor aliorum: nemo autem dicet, quod ex officio omnes Sacerdotes sunt adinuicem Pastores, & oues aliorum: non ergo habent iurisdictionem ordinariam, sed delegatam, nempè à supremo Pastore Pontifice Summo, qui ab initio omnibus, & singulis iurisdictionem plenam pro illo articulo delegauit.

Nec ideò periculum est, ne deficiat Christi prouidentia in necessariis: quia vt benè aliqui notarunt: sicut in aliis Spiritus sanctus assistit, & gubernat Christi Vicarium, ne erret perniciosè in Ecclesiæ gubernatione, sic assistet in hoc puncto: & ideò ab exordio Ecclesiæ iurisdictio pro illo articulo nunquam sublata est. Cur autem potestas baptizandi in casu necessitatis omnibus à Christo ipso concessa sit, absoluendi verò non ab ipso Christo immediatè, sed ab Ecclesia Sacerdotibus detur: ratio esse potest tum maior baptismi necessitas, præsertim pro paruulis, imò, & pro adultis ad liberationem totalem à pœna spirituali, tum differentia vtriusque Sacramenti: cùm Baptismus non requirat ad sui valorem iurisdictionem in conferente provt requirit pœnitentia eo quod sit iudicium; iurisdictio autem debet procedere ordine suo à superioribus ad inferiores, vt seruetur debitus ordo hierarchicus in Ecclesia. 17.

Secundò dubitari solet: An omnibus Sacerdotibus, nulla exceptione facta, concessa sit ea potestas, excommunicatis, degradatis, hæreticis, &c. de quo latè, & optimè Vasquez *quæst. 93. art. 1. dub. 4.* vbi singulas sententias refert, & impugnat. Aliqui enim excipiunt excommunicatos vitandos, alij hæreticos. Vtrumque si de possibili etiam sermo sit, caret omni fundamento; quia potuit Ecclesia in omnibus pro eo articulo iurisdictionem conferre, ad quam nec requiritur necessariò status gratiæ, nec fides, sed character Sacerdotalis, & voluntas Ecclesiæ. Si verò sermo sit de facto: obstant clarissima verba Tridentini suprà adducta, quibus dicitur, quoslibet Sacerdotes posse quoslibet pœnitentes à quibusvis peccatis, in eo necessitatis articulo absoluere. Cùm ergo in peccatis, & in 18. *An omnibus Sacerdotibus sine vlla exceptione data sit hac facultas?*

pœnitentibus illa vniuersalitas nullam patiatur exceptionem, non est cur in Confessario apponēda sit.

19. Nec obstat Hermenigildum filium Regis Hispaniæ à S. Gregorio laudari, quod maluerit mori, quàm Eucharistiam accipere de manu Episcopi Ariani; nam illud Sacramentum non erat ita necessarium, sicut pœnitentia: & illa Eucharistiæ susceptio tunc fuisset quædam Arianismi professio. Quod si in pœnitentia eueniret, conandum etiam esset potiùs iustificari per contritionem, quàm hæresim approbare. Cæterùm non videtur posse moraliter contingere, quod pœnitens non posset illud periculum scandali tollere, si apertè protestaretur se hæresi illius Sacerdotis non consentire, sed petere in ea necessitate absolutionem in remedium animæ suæ: qua protestatione facta, rarissimè obligaretur pœnitens propter scandalum aliquorum, quod iam non videtur esse passiuum, exponere se periculo damnationis æternæ, si fortè vera contritione careret, cùm posset cum attritione per Sacramentum iustificari.

20. *Quis sit articulus mortis.* Tertiò dubitari solet, quid in iis verbis intelligi debeat per mortis articulum. An scilicet sit idem, quod periculum mortis, & quid illud sit. Aliqui distinguunt mortis articulum, & periculum in casu nostro. Sotus, Canus, Couarruuias, quos refert Vasquez *vbi suprà, dub.* 5. Graffius, Ledesma, Ioannes de la Cruz, quos refert Diana 2. *tom. tract.* 4. *de Sacramentis, resolutione* 71. ita vt articulus sit, quando iam mors proximè instat, & est moraliter certa, & ferè inuitabilis: periculum autem, quando est probabile dubium, eo quod frequenter soleat in tali casu mors accidere, vt est actuale bellum, longa nauigatio, &c. Aliqui ex his Auctoribus concedunt posse intelligi Tridentini verba ex periculo non remoto, sed iam proximo, v. g. non in principio nauigationis, sed quando iam tempestas excitata est; quando iam item partus difficultas sentitur.

21. Verior, & communior iam sententia dicit, vtrumque pro eodem accipi in præsenti materia. Syluester, Nauarrus, Ioann. Medina, Palud. Adrianus, quos affert, & sequitur Suarez *in præsenti disp.* 26. *sect.* 4 *num.* 43. Vasquez *illo dub.* 5. Coninch. *in præsenti, disp.* 8. *dub.* 2. *n.* 16. & alij plures, quos refert, & sequitur Diana loco citato: & latè, ac optimè Thomas Sanchez *lib.* 2. *in Decalog. c.* 13. *n.* 1.

Probatur primò, quia licèt illæ voces in rigore significationis diuersæ sint: ex vsu tamen Ecclesiastico in præsenti materia pro eodem vsurpantur, vt constat ex *c. eos qui*, de sententia excommunicationis *lib.* 6. vbi in eodem contextu ille, qui vocatus fuerat, *articulus mortis*, statim vocatur *periculū*. Idemque constat *ex cap. si quis suadente* 17. *q.* 4. vbi posita reseruatione, excipitur periculum mortis: cuius exceptionis fit mentio *in c. non dubium*, de sententia excommunicationis, & ibi appellatur *articulus mortis*.

22. Probatur secundò, quia motiuum Ecclesiæ ad dandam illam facultatem fuit, ne occasione reseruationis, seu ex defectu iurisdictionis necessariæ, aliquis periret, vt dixit Tridentinum: hoc autem periculum non vitatur, si expectandum esset ad strictum mortis articulum, quando iam vita desperata esset: frequenter enim, imò ferè semper eueniret, vt iam tunc non esset oportunitas confessionis faciendæ. Ergo non debuit in illo puncto concedi iurisdictio. Confirmatur, & explicatur, quia idem motiuum, quod habet Ecclesia ad dandam illam facultatem, scilicet ne homo pereat defectu confessionis; idem, inquam, motiuum obligat ipsum hominem ad confitendum ante mortem; & quidem obligatio confitendi non est pro solo articulo mortis strictè sumpto, sed etiam pro periculo, quia illud motiuum ad vtrumque obligat: ergo & facultas ab Ecclesia concessa intelligitur in vtroque casu, cùm habeat idem motiuum, quod est, motiuum obligationis confitendi. Vndè quoties homo propter periculum mortis confiteri tenetur, toties Ecclesia intelligitur concedere facultatem supradictam.

§. 2. *An præsente proprio possit simplex Sacerdos absoluere in mortis articulo?*

HOc est in hoc puncto magis difficile, & controuersum, in quo sunt variæ sententiæ. 23. *Prima sententia affirmans.* Prima affirmat, posse validè & licitè. Fundamentum totum sumitur ex verbis Tridentini, quibus vniuersaliter dicitur, in illo articulo nullam esse reseruationem, sed quemlibet pœnitentem posse per quemlibet Sacerdotem absolui à quibuslibet peccatis, & censuris: quæ verba cùm vniuersalia sint, & nullam conditionem, vel limitationem apponant, non est cur à nobis limitentur, & restringantur. Hanc tenent Nauarrus, Sà, Petrus de Ledesma, Eman. Rodriquez, Vega, Henriquez, quos refert Thomas Sanchez *vbi suprà n.* 6. Item Barbosa, Villalobos, Coriolanus, Conradus Ioannes Valetus, Angles, Zerola, Finelius, Paulus Comitolus, Philibertus Marchinus, & alij, quos affert, & sequitur Diana *tom.* 1 *tract. de absolutione ab hæresi, resolutione* 5. *&* 3. *tom. tract.* 4. *Miscellan. resol.* 161. Aliqui tamen dicunt, Sacerdotem simplicem validè quidem, sed non licitè absoluere in prædicto casu. Vndè constat, excessisse in censura huius opinionis Luisium Turrian *in select. disp. cētur.* 2. *censur. Theolog. dub.* 77. dicendo, hanc opinionem esse improbabilem & damnatam à Gregorio XIII. Certè sententia, quam tot, & tam graues Doctores tenent, negari non potest, quin probabilis sit, præsertim cùm fundetur in verbis Tridentini, quæ non facilè explicari possunt ab aduersariis.

Secunda tamen sententia communior & verior negat, posse licitè, aut validè absoluere Sacerdotem simplicem præsente primo. Hanc tenent Rosella, Syluester, Armilla, Couarr. Simancas, Corduba, Graffius, Gratianus, Zambranus, Sotus, Hugolinus Bartholomæus à Ledesma, Vualdus, Rutilius Benzonius, quos refert & sequitur Thomas Sanchez *dicto cap.* 13. *num.* 7. Suarez *dicta disputat.* 26. *sect.* 4. *num.* 4. *& tom.* 5. *de censuris, disp.* 22. *sect.* 1. *numero* 62. Vasquez *in præsenti qu.* 93. *art.* 1. *dub.* 4. *numero* 18. Azor. *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 19. *quæstio* 5. Valentia *tom.* 4. *disp.* 7. *quæst.* 10. *puncto* 2. *column.* 6. Molina *tom.* 4. *de iustit. disp.* 63. dicens, id ita declarasse Gregorium XIII. quæ fortè fuit occasio, vt Turrianus diceret, primam sententiam esse damnatam. Sed ea declaratio in primis non constat authenticè: & illa non fuit condemnatio, sed declaratio, seu responsio Pontificis: eandem tenet Coninch *disp.* 8. *n.* 16. Bonacina *de censuris disp.* 1. *q.* 3. *puncto* 3. *n.* 5. *& in præsent. disp.* 5. *q.* 7. *puncto* 1. *n.* 10. Petrus Ochagania *de Sacram. tract.* 2. *de confessione q.* 55. *n.* 4. & alij recentiores communiter. 24. *Secunda sententia vera.* 25.

Fundamentum præcipuum desumitur ab aliquibus ex fine huius concessionis, qui fuit subuenire necessitati fidelium: quando ergo nulla est necessitas, eo quod adsit Confessarius proprius, non vult Ecclesia dare facultatem aliis. Hæc tamen non sufficeret ad separandam vniuersalitatem verborum, & concessionis ratio meo iudicio, non sufficeret ad separandam vniuersalitatem verborum, & concessionis absolutæ quam prima sententia affert pro se. Nam potuit necessitas fidelium mouere ad concedendam facultatem cum tota illa amplitudine ne scilicet,

cer, si alio modo concederetur, aliquis sine confessione moreretur, dum fortasse expectat Parochum, quem accersiuit, vel licentiam Prælati: ideò vt omne periculum vitaretur, potuisset illa concessio generalis fieri.

26. Præcipuum ergo, & solidum fundamentum huius sententiæ desumi debet ex eisdem verbis Tridentini, quibus dicitur, id ita semper custoditum fuisse in Ecclesia, quod in illo articulo nulla esset reseruatio, sed quilibet posset absoluere; ex quibus constat, Patres Concilij noluisse in hoc puncto ius nouum concedere, sed solum commendare, & approbare perpetuam Ecclesiæ consuetudinem. Porrò in Ecclesia non fuisse consuetudinem illam semper, vt præsente Prælato, Sacerdos inferior posset absoluere morientem à reseruatis, multis argumentis probari potest: Et primò afferri solent aliqua Conciliorum loca, quæ referuntur à Gratiano 25. q. 6. nempè ex Concilio Carthag. relato *in c. Aurelius*, & ex Carthag. III relato *in cap. vltimo*, & ex Euaristo Papa relato *in c. Presbyteri*, quibus dicitur, Presbyteros non debere reconciliare infirmos periclitantes, nisi consulto Episcopo, si Episcopus absens non sit.

27. Hæc tamen loca videntur nimium probare: quia ipsi Auctores nostræ sententiæ concedunt, posse inferiores Sacerdotes absoluere infirmum periclitantem à casibus Episcopo reseruatis, nec obligari Confessarium ad petendam illam facultatem ab Episcopo, licèt possit, nec etiam infirmum ad petendam eam per literas, aut nuncium. Ita cum aliis, quos refert, docet Sanchez *dicto cap. 13. num. 14.* in illis autem Conciliis decernitur, ne Presbyter absoluat, nisi consulto priùs Episcopo quando illum adire potest.

Adhuc tamen existimo, posse ex illis decretis argumentum desumi ad casum nostrum. Fateor autem, in duobus prioribus sermonem esse de reconciliatione publici pœnitentis, & quæ publicè, atque, vt ita dicam, pro foro externo facienda esset. In quo casu voluerunt Patres, ne fieret à Presbytero sine consensu Episcopi, quando Episcopus consuli posset: quia cùm iam agatur de actu publico, non oportebat, præsente Episcopo, Presbyterum sine causa sibi hanc potestatem arrogare. Ex hoc autem ipso arguere possumus ad casum nostrum: quia non est dubium, quod etiam pro foro externo, & in ordine ad actus externos, possit in illo necessitatis articulo inferior Sacerdos absoluere notorium, & publicum excommunicatum, hæreticum, denunciatum nominatim: & virtute illius absolutionis accipiet publicè reliqua Ecclesiæ Sacramenta, sepelietur in loco sacro, & habebit publica Ecclesiæ suffragia. Et tamen quando Prælatus consuli potest, noluerunt Patres in illis Conciliis, quod reconciliaretur pro foro saltem externo ab inferiori Sacerdote sine licentia Episcopi. Ergo falsum est, quod facultas Sacerdotibus data pro illo articulo, sit independenter à Prælatis, quando ipsi præsentes sunt. Quare cùm proportione dicendum est: sicut facultas absoluendi in illo articulo pro foro externo intelligitur cum illa limitatione, quando Prælatus adiri non potest; sic etiam facultatem absoluendi in illo articulo pro foro interno habere eamdem limitationem, quando scilicet, superior non adest: cum hoc tamen discrimine, quod faciliùs censetur adesse ad petendam facultatem pro foro externo, quàm ad petendam pro foro interno, in quo non obligatur ægrotus ad petendum per Confessarium, vel alium nuntium, aut manifestandum se per literas, sicut tenetur in foro externo, cùm iam supponatur notorium eius impedimentum & delictum.

Adde in illo cap. *Presbyteri*, sermonem esse de absolutione in foro interno. Verba enim Euaristi Papæ sunt hæc: *Presbyteri de occultis peccatis iussione Episcopi, pœnitentes reconcilient, & (sicut supra præmisimus) infirmantes absoluant, & communicent.* Vndè vides, ad absolutionem etiam pro foro interno, & de occultis non solitos ire Sacerdotes inferiores sine facultate sibi ab Episcopo delegata. 28.

Hoc ipsum etiam colligitur ex extrauaganti, *inter cunctas*, §. *incendiarios*, de priuilegiis & extrauaganti. 1. § *decernimus*, de sententia excommunicationis, quæ sunt inter communes, in quibus Benedictus XI. & Bonifacius VIII. declarant pœnitentes in certis casibus in articulo mortis posse absolui, si non possint tunc ad Episcopum, vel Summum Pontificem pro absolutione recurrere: ergo si possunt, etiam tunc non possunt absolui à Sacerdote inferiori.

Postremò hocipsum apertissimè constat ex cap. *eos qui, de sententia excommunicationis, lib. 6.* vbi decidit, eum, qui in mortis articulo ratione imminentis necessitatis absolui tur à censura reseruata, cessante impedimento, debere se præsentare superiori, cui reseruata erat. Vndè fit, quòd si adsit superior ille, non possit inferior ab illa censura absoluere: nam pœnitens non potest absolui, nisi cum onere comparendi quamprimùm possit, sed potest tunc comparere, cùm adsit superior; ergo debet coram ipso statim comparere: non ergo voluit Ecclesia dare facultatem inferiori absoluendi subditum, quando ipse poterat coram superiore comparere, neque hoc fuit semper in Ecclesia vsitatum, sed quòd absolueretur à quolibet Sacerdote in defectu superiotis propter necessitatem. 29.

Secundò colligitur hic vsus Ecclesiæ ex aliis Sacramentis, quæ certum est nunquam ministrari infirmis ab alieno Sacerdote, nisi in defectum proprij. Cùm ergo Ecclesia voluerit etiam morientibus prouidere circa alia Sacramenta, & tamen non concesserit, vt præsente proprio, ministrentur ab alieno Sacerdote viaticum, & extrema Vnctio, signum est, ob illam curam, quam de infirmorum salute habuit, non perturbasse ordinem debitum, nec præiudicasse iurisdictioni legitimi Prælati, quando præsens est. 30.

Denique circa ipsum Pœnitentiæ Sacramentum Ecclesiæ vsus est manifestus; nam sicut nullus infirmus accipit alia Sacramenta ab alieno Sacerdote nisi in defectum proprij; sic nemo audet in eo articulo alieno confiteri, nisi de licentia, vel in defectum proprij, & hunc vsum ignorare non poterant Patres Concilij Tridentini: fatendum ergo est eos de hac sola Ecclesiæ consuetudine loquutos, quæ verè erat, & perpetuò fuerat, vt deficiente proprio, quilibet Sacerdos absoluere posset, non verò de consuetudine, quæ nunquam fuisset petendi absolutionem ab alieno, non deficiente proprio. 31.

Aduertit tamen primò Sanchez n. 8. cùm aliis, licèt adsit proprius, si tamen nolit absoluere, posse in eo articulo inferiorem absoluere, quia perinde est, adesse, & nolle, ac non adesse, & in vtroque casu militat eadem necessitas. 32. *Si proprius adsit, & nolit, habetur pro absente.*

Aduertit secundò contra Zambranum *numero* 14. non censeri esse copiam Confessarij superioris, quando infirmus neque illum adire, nec accersere potest: nec teneri ad petendam facultatem per literas, vel nuntium, aut per confessarium; imò nec teneri accipere bullam cruciatæ, cuius virtute possit absolui; non enim tenetur quærere priuilegium, qui in ipso iure communi potest inuenire remedium.

Aduerte tertiò cum eodem *num.* 9. Si casus reseruatus sit talis, à quo Episcopus iure ordinario 33.

possit absoluere, quales sunt casus occulti, tunc non censeri deesse copiam superioris, quamuis pœnitens non possit adire Summum Pontificem; si possit adire Episcopum, qui pro illo casu esset legitimus superior.

Quid, si confessio incepta est?

Aduerte quartò cum eodem *num.* 15. Si confessio cœpit iam fieri cum inferiore, quia non erat copia legitimi, & postea adueniat legitimus, posse adhuc continuari confessionem cum primo; quia per inceptionem acquisiuit iurisdictionem, quæ cùm res non sit integra, perseuerat, nisi casus reseruatus haberet excommunicationem reseruatam: ab hac enim deberet absoluere ille, qui superuenerat. Quia cùm ille, qui absoluitur ab excommunicatione reseruata in mortis articulo ab inferiori, absoluatur cum onere comparendi coram superiore quamprimùm possit, & superior iam supponatur præsens, debet coram illo comparere: quòd si ille nolit absoluere, posset inferior ab excommunicatione, & à peccatis absoluere, tanquam si superior non aduenisset. Denique si pœnitens ob mendacium graue confessionem sacrilegam cum inferiore fecisset, adhuc post aduentum legitimi Confessarij potest cum eodem inferiori confessionem illam, quam inceperat, perficere quia absolutio nulla fuit, atque ideò perindè se habet, ac si data non fuisset, vt probat idem Sanchez *num.* 16.

34. *Quid si adsit potens ex priuilegio?*

Illud difficilius est; an quando adest Confessarius, qui ex priuilegio potest absoluere, debeat in periculo mortis pœnitens illi confiteri, an possit absolui à quolibet alio, eo quod nõ adsit ordinarius. Aliqui enim dicunt, posse confiteri cuilibet exposito non habenti tale priuilegium. Ita Suarez *in præsenti disp. 3. sect. 3. n. 5.* & Henriquez *lib. 5. de Pœnitentia, cap. 10. num. 1. in commentario littera D.*

Mihi magis placet contraria sententia, quam tenent Nauarrus, & Corduba, quos affert & sequitur Sanchez ibi *num.* 11. cuius ratione omissa probo primò ab absurdo; quia si ille dicatur tunc non habere copiam Confessarij, & ideò posse cuilibet confiteri, sequitur, quòd etiam extra eiusmodi periculum, si solùm adsit Confessarius potens absoluere ex priuilegio à mortalibus, poterit pœnitens reputare se quasi non habentem copiam Confessarij, & communicare absque confessione cum sola contritione. Vndè etiamsi haberet centum Confessarios religiosos, qui ex Pontificis priuilegio possunt absoluere cum non sint Parochi; si tamen non adesset Parochus, posset secularis in necessitate communicandi sumere Eucharistiam, absque vlla confessione, quod nemo concederet. Non ergo dicetur carere copia Confessarij, aut esse in necessitate, qui licèt non habeat Ordinarium suum, habet tamen delegatum ab ipso Ordinario, quales sunt omnes, qui ex facultate, aut priuilegio Pontificis possunt absoluere: imò ferè omnes Confessarij absoluunt ex iurisdictione delegata: nam regulares omnes non confitentur suis Prælatis communiter, in quibus est iurisdictio ordinaria; sed aliis Religiosis, quibus à Prælato delegatur iurisdictio: & sæculares maiori ex parte confitentur Religiosis, & pauci ipsi Parocho, sed aliis fortasse Sacerdotibus sæcularibus, qui non sunt Parochi, sed habent iurisdictionem delegatam à Parocho, vel Episcopo: ille autem, qui ex priuilegio potest absoluere, iam habet etiam ipse iurisdictionem delegatam. Non deest ergo copia Confessarij legitimi; quia perindè est adesse illum, quem Parochus vel Episcopus constituit suo loco, ac si adesset ipse Parochus, vel Episcopus.

35. Ratio à priori esse potest: quia præceptum confitendi proprio Sacerdoti, est diuinum, atque adeò obligat, quotiescumque illi satisfieri potest. Sed, quando adest delegatus à proprio Prælato, & substitutus ipsius, perindè est ac si adesset proprius: nam confitendo illi, obseruatur præceptum confitendi proprio, vt constat *ex cap. Omnis vtriusque sexus, de pœnitentiis, & remissionibus*, vbi præceptum est de confitendo Sacerdoti proprio singulis annis, cui præcepto dicit fieri satis confitendo; ei quem Parochus, vel Episcopus suo loco substituit. Quoties ergo datur copia Confessarij, siue ex priuilegio speciali, siue ex commissione generali delegata à Pontifice, Episcopo, vel Parocho, debet infirmus ex Christi præcepto ei confiteri, cùm sit possibile tunc obseruare præcepta confitendi omnia peccata proprio Sacerdoti. Alioquin neque etiam simplici Sacerdoti deberet confiteri; quia ille etiam nunc non est Confessarius legitimus, nisi ex delegatione, qua Ecclesia dedit ei iurisdictionem delegatam pro articulo mortis. Si ergo delegatio illa facit, quòd infirmus ex Christi præcepto teneatur illi confiteri, quando alium non habet, quia tunc ille est Sacerdos proprius ex delegatione, & Christi præceptum est de confitendis in articulo mortis omnibus peccatis Sacerdoti proprio: eodẽ modo erit obligatio confitendi Sacerdoti habenti delegationem Ecclesiæ ad absoluendũ vniuersaliter: quia iste est Confessarius proprius ex delegatione, qui dũ habetur, non censetur deesse copia Confessarij proprij, nec fit secunda delegato cuilibet Sacerdoti simplici pro articulo mortis.

Vltimò dubitari potest circa prædicta, an quando deest Sacerdos proprius etiam ex delegatione, possit indifferenter eligi quilibet alius; an verò sit ordo aliquis necessariò seruandus inter illos. P. Suarez *dicta disp. 26. sect. 4. num. 4.* dicit, necessariò seruandum ordinem, vt non possit absoluere Sacerdos non expositus, nec approbatus, si adsit alius approbatus, v. g. alius Parochus qui hîc iurisdictionem non habeat; item si adsit simplex Sacerdos toleratus, non possit absoluere excommunicatus non toleratus, quod amplectitur Sanchez *d. cap. 13. n. 10.* quia Sacerdos non toleratus, iam eo ipso caret iurisdictione, & fit Sacerdos simplex, & aliundè habet prohibitionem positiuam. Addit autem, Sacerdotem quemcumque Catholicum esse præferendum hæretico, vel schismatico, & inter chatholicos irregularem præferendum excommunicato vitando; suspensum autem, vel interdictum præferendum irregulari; & degradatum postponendum aliis catholicis quocumque alio vinculo impeditis.

36. *An debeamus seruare ordinem inter illos.*

37.

Hanc graduationem, & ordinem, maximè cùm ea necessitate, qua ab iis Auctoribus adstruitur, vt absolutio aliter data non valeat ex defectu iurisdictionis, nimis scrupulosam existimo: incredibile enim est, Ecclesiam noluisse dare in eo articulo facultatem, nisi obseruaretur ille ordo, quem ne doctissimi quidem homines sciunt, nec nisi cum magno studio & attentione cognoscere possunt; quo modo infirmus, aut moribundus ad eam subtilitatem speculandam obligari prudenter poterat; Dicendum ergo est, Ecclesiam, posita necessitate, quòd, scilicet periculum sit mortis, & proprij Confessarij copia non sit, omnibus aliis indifferenter facultatem concedere: nam omnes ibi enumerati, si verè iurisdictione carent, Sacerdotes simplices sunt: nec refert, quòd hic Sacerdos alibi fortè expositus sit, vel iurisdictionem habeat: nam hîc, & nunc est simplex Sacerdos, & verba Tridentini vniuersalia sunt, vt in casu necessitatis omnis Sacerdos possit absoluere.

41.

38. Petes: Quid, si adsit proprius Parochus, vel aliquis

Quid, si adsit proprius, sed non possit absoluere à reseruatis.

quis alius potens absoluere à peccatis mortalibus, sed non à reseruatis: tunc si pœnitens habeat aliqua reseruata, & aliqua non reseruata, poteritne confiteri in eo articulo cuilibet Sacerdoti simplici indifferenter, an soli Parocho, vel potèti absoluere à mortalibus? Respondeo, debere confiteri Parocho, vel potenti absoluere à non reseruatis: quia in ordine ad illa iam adest proprius Sacerdos, qui debet implere præceptum Christi confitendi Sacerdoti proprio: cùm autem aliunde non possit dimidiare confessionem, debet eidem confiteri reseruata; cùm in illo articulo habeat iurisdictionem ad absoluendum etiam ab illis.

39. Dices: Ergo similiter, si quis confitetur in mortis articulo peccata venialia, & mortalia, debet præferre Sacerdotem simplicem non excommunicatum alteri Sacerdoti etiam exposito, qui sit excommunicatus vitandus. Probatur sequela: quia Sacerdos simplex habet ad minus iurisdictionem in ordine ad peccata venialia: excommunicatus autem vitandus priuatus est omni iurisdictione ab Ecclesia: ergo pœnitens non est in necessitate in ordine ad venialia ad quæ habet Cõfessarium proprium & legitimum: ergo, sicut in præsentia Parochi Ecclesia non confert iurisdictionem Sacerdoti alieno, quia Parochus est proprius in ordine ad non reseruata, licèt non in ordine ad reseruata: sic non conferret iurisdictionem excommunicato in ordine ad venialia in præsentia eius, qui aliunde iam habet iurisdictionem circa illa, licèt non circa mortalia.

40. Respondeo, negando sequelam. Ratio differentiæ est, quòd in causa præcedenti non solùm est copia Confessarij in ordine ad mortalia non reseruata; sed etiam obligatio confitendi ei propter præceptum Christi confitendi proprio Sacerdoti, quantùm fieri poterit: ideò dicimus, Ecclesiam tunc non conferre iurisdictionem Sacerdoti alieno, quia frustrà, & sine necessitate eam conferret: cùm enim pœnitens debeat confiteri proprio non reseruata, quando potest, & tunc adsit proprius, non poterit confiteri alieno, atque ideò non est necesse ei dare facultatem. At verò in posteriori casu, licèt adsit Sacerdos simplex potens absoluere à venialibus, non est tamen obligatio ei confitendi: quia non est obligatio confitendi venialia: non ergo frustrà dabitur facultas excommunicato absoluendi; quia iam pœnitens inuenitur sine copia Confessarij in ordine ad peccata omnia, & singula, quæ tenetur confiteri. Ergo non est, cur magis Ecclesia det facultatem Sacerdoti non excommunicato, quàm excommunicato, cùm neutri debeat pœnitens venialia confiteri. An verò excommunicatus reuerà careat iurisdictione ad venialia, videbimus *section. sequenti.*

SECTIO III.

Appendix ad supradicta.

De peccatis venialibus, & mortalibus anteà confessis, quis sit in ordine ad illa legitimus Minister?

41. Licet omnes Sacerdotes absoluunt in mortis articulo; sic omnes indifferenter videntur posse absoluere à peccatis venialibus, & mortalibus iam confessis: ideò hoc punctum cum præcedente coniungemus. Et quidem de venialibus nonnulli dubitant an Sacerdotes simplices possint absque alia delegatione ab iis absoluere. Communis tamen Theologorum sententia id affirmat & communis fidelium vsus ita habet. Difficultas autem est in explicando: vnde proueniat hæc iurisdictio, vel potestas. Aliqui dicunt ad venialia non requiri iurisdictionem, sed sufficere potestatem Ordinis. Ita Sotus *in 4. dist. 18. q. 4. art. 2. ad 2.* Sed est fortasse differentia in solis vocibus; quas ipse tamen impropriè vsurpat: vocat enim iurisdictionem illam solam, quæ cogere potest pœnitentem ad confessionem talium peccatorum. Sed non benè vtitur illo nomine, vt dixi: quia Tridentinum *illa sess. 14. c. 6.* vniuersaliter dicit, absolutionem esse actum iudicialem, atque ideo Ministrum huius Sacramenti semper appellat Iudicem. Et *c. 7* ex eo, quòd sententia non potest ferri, nisi in subditum, vniuersaliter colligit, nullius valoris esse absolutionem, quam Sacerdos sine ordinaria, aut delegata iurisdictione pronunciat. Non potest ergo negari quin requiratur iurisdictio ad absoluendum à venialibus, quæ licèt non possit cogere ad eorum confessionem; potest tamen cogere ad satisfactionem impositam, saltem sub culpa veniali: potest item soluere, & aliquo modo retinere, negando absolutionem sacramentalem pœnitenti indisposito.

Alij ergo dicunt, hanc iurisdictionem conferri Sacerdoti à pœnitente ipso se illi subjicienti: quod videtur significasse Caietanus *tom. 1. Opusc. tract. 7. & in Summa, verbo, Absolutio, 2.* Sed hoc, vt sonat, falsũ est: non enim potest iurisdictionem conferre, qui illam non habet: pœnitens autem laïcus nullam habet iurisdictionem in hoc foro, vt constat. 42.

Alij ergo tertiò dicunt, hanc iurisdictionem conferri à Christo omnibus Sacerdotibus in ipsa ordinatione. Ita Palud. Capreol. Canus, Ruardus, & Ledesma, quos refert & sequitur P. Vasqu. *in præsenti, q. 93. art. 1. dub. 6.* Probant primò: quia peccata venialia non sunt materia necessaria: ergo credibile est est, Christum non subdidisse eorum absolutionẽ potestati Ecclesiæ; ita vt non possent absolui nisi ex cõmissione Ecclesiæ; cùm tamen pro eorum expiatione necesse non sit ad Ecclesiæ claues recurrere. Hoc argumentum debet, meo iudicio, solui ab eius Auctoribus: quia, siue Sacerdos accipiat hanc iurisdictionem à Christo immediatè, siue ab Ecclesia; verè tamen habet iurisdictionem ad illa peccata soluenda, & claues: & tamen non habet auctoritatem cogendi pœnitentem, vt recurrat ad claues, nec ad Iudicem: ergo, licèt Ecclesia non possit obligare, vt pœnitens recurrat ad eius claues pro expiatione venialium; potuit tamen habere iurisdictionem ad illa quam possit Sacerdotibus communicare, vel auferre.

Alij ergo quartò probant: quia Ecclesia non potest reseruare peccata venialia: ergo non dat iurisdictionem ad illa: si enim procederet ab Ecclesia, potuisset eadem Ecclesia auferre, suspendere, vel limitare illam potestatẽ, atq; adeò posset reseruare aliqua peccata venialia. Hoc est potissimũ fundamentũ quo vtitur P. Vasquez. Sed id, quod *n. 8.* vt certum supponit, neminem vnquam concessurum, quòd reseruatio peccati venialis validè fieret, cõcedunt multi: non quidem, ita vt pœnitens maneat obligatus ad confitendum veniale; sed ita vt absolutio data à Sacerdote inferiori non valeret. Ita Suarez *infrà, dist. 28. sect. 3 n. 1.* Coninch *in præsenti, disp. 8. dub. 2. n. 17.* Nunnus *in addit. ad 3. p. q. 8. art. 5. dub. 10.* Miranda *in Manuali Prælatorũ, tom. 2. q. 34. a. 4.* Graffius *lib. 1. decisionum, c. 10.* Homobonus *part. 1. c. 5. assert. 1.* Bonacina *in præsenti, disp. 5. q. 7. puncto 5. § 1. n. 3.* & alij plures. Imò agentes de effectu excommunicationis maioris, quatenus priuat iurisdictione, & administratione Sacramentorum, absque vlla distinctione dicunt, omnia Sacramenta collata ab excommunicato non tolerato esse valida præter vnum Sacramentum Pœnitentiæ, quod nunquam est validum: quia caret omni iurisdictione. Et ipsemet Vasquez *in tract. de excommunicatione*, sic 43.

etiam generaliter loquitur *dub. 4. n. 3.* dicens, solùm in extrema necessitate validum esse: in præsentitamen propter consequentiam ad suam sententiam dixit, peccare quidem excommunicatum vitandum absoluendo à venialibus, absolutionem tamen validam fore. Cùm ergo principium illud nec commune sit, nec aliunde probetur; non potest ex illo sufficienter probari prædicta sententia.

44. Verùs ergo dicitur iurisdictionem ad venialia collatam esse simplici Sacerdoti ab Ecclesia, provt docet Suarez *in præsenti disp. 26. sect. 5.* Coninch, *loco citato* Henriq. *lib. 6. c. 5.* Bonacina, Medina, & alij multi, quos ipsi afferunt. Quod probat Suarez argumento contrario: quia, nimirum, de facto Ecclesia priuat Sacerdotē excommunicatū vitandum iurisdictione etiā ad confessionē venialiū: quod licet Vasq. negetur, tamen vera Doctores communiter in materia de excōmunicatione id videntur concedere.

Ratio à priori pro hac sententia est, quam suprà adduximus: quia hoc Sacramentum, siue versetur circa mortalia, siue circa venialia, semper exercetur per modum iudicij, atque ideò in Ministro ad valorem absolutionis requiritur iurisdictio ordinaria, vel delegata, vt dixit expressè Tridentinum *illa sessione 14. c. 7.* Sed in Sacerdote simplice non est iurisdictio ordinaria, cùm ipse non sit Pastor, nec Prælatus; alioquin omnes essent sibi inuicem Pastores, & subditi; quod perturbaret omninò ordinem debitum in Ecclesia. Ergo solùm habent iurisdictionem delegatam ab eo, qui habet ordinariam, nempè, à Summo Pontifice, qui eam potest pro libito validè auferre, & aliquando licitè, & prudenter aufert ab excommunicato vitando. Non tamen reseruantur communiter peccata venialia: quia, cùm non sit obligatio illa confitendi, frustrà, aut cum paruo fructu reseruarentur, & aliunde non est materia digna reseruatione, quæ solùm adhiberi solet ad grauiora crimina coërcenda.

45. Confirmatur: quia nemo habet iurisdictionem ordinariam in hoc Sacramento, qui aliunde non habeat aliquam superioritatem, & gubernationem, etiam extra Sacramentum: ideò enim Pontifex Episcopi, Parochi, & Prælati habent iurisdictionem ordinariam: quia incumbit illis ex officio gubernare, & pascere illos subditos. Sed Sacerdos simplex nullam prorsus habet superioritatem, aut gubernationem circa alios Sacerdotes, & multò minùs circa Episcopos, & Cardinales. Non est ergo eorum Pastor ex officio in ordine ad peccata venialia; sed solùm ex delegatione Supremi Pastoris, & Pontificis, à quo accipit illam iurisdictionem delegatam.

46. *De potestate ad peccata am conf ssa.* Ex dictis infertur, quid dicendum sit de potestate, quam iidem Sacerdotes simplices habent ad absoluendum à peccatis mortalibus, quæ iam iterum pœnitens confessus est. Circa quod est ferè eadem varietas opinionum, iisdem ferè Auctoribus dicentibus, esse de iure diuino: quamuis P. Vasquez fateatur, rem hanc esse satis obscuram, & difficilem ad probandum.

Cæterùm idem argumentum, quod probat, ad venialia requiri iurisdictionem ab Ecclesia deriuatam, probat eodem modo in ordine ad eiusmodi peccata mortalia, provt tenent Suar. & alij omnes *suprà* adducti: quia circa illa exercetur verum iudicium, & per consequens requiritur vera iurisdictio in Ministro erga pœnitentem, vt in subditum: quam cùm Sacerdos simplex non habeat ordinariam; necesse est, quòd habeat eam ex delegatione Supremi Pastoris. Vnde nec Episcopi, nec inferiores Prælati possent impedire directè hanc potestatem, cùm procedat à Supremo eorum Pastore, qui est Summus Pontifex. Dixi, *directè*: quia indirectè possunt excommunicando, & denunciando Sacerdotem: tunc enim Ecclesia aufert ab illo iurisdictionem ad absoluendum etiam ab eiusmodi peccatis.

Potest tamen circa hæc peccata, & eorum secundam confessionem esse maior difficultas, quàm circa venialia, quomodo Sacerdos simplex possit ab eis absoluere; quia, quando hæc peccata semel absoluta iterum subiiciuntur clauibus, & dantur pro materia absolutionis; Sacerdos iudicat de illis, & intendit ab illis absoluere, non quidem sub conditione, *si absoluta iam fuerunt*, sed simpliciter, & absolutè. Et ad hunc effectum secundum Sacramentum dat gratiam sanctificantem, vt si sublata non fuerant, deleantur: & hæc est vis, & sensus formæ, cùm dicitur: *Ego te absoluo*, quantum est ex me, remitto hoc debitum, deleo hoc peccatum. Repugnat ergo, quòd data sit potestas solùm absoluendi ab illo peccato, si iam absolutum sit: hoc enim esset contra significationem formæ, quæ significat solutionem illius debiti, etiamsi solutum non sit. Fortasse propter hoc Sotus *suprà* citatus cum scrupulo loquitur de potestate illa Sacerdotis simplicis ad absoluendum ab eiusmodi peccatis: quia illa semper sunt per se materia necessaria; & per accidens est, quòd sint iam remissa. 47.

In contrarium tamen est vsus fidelium, vt circa eiusmodi peccata omnes Sacerdotes absoluant: quia consuetudine supposita, solùm declarandum est de possibili, quomodo potuerit ea potestas dari ad absoluendum à peccato mortali solùm eo casu, quo iam à legitimo Confessario absolutum sit. Et quidem hæc difficultas eodem modo procedit; siue hæc potestas procedat ex iure diuino, siue ex Ecclesiastico: nam semper habebit eandem repugnantiam potestas ita limitata cum significatione formæ. Possumus tamen illam concessionem declarare, ita vt conditio non se teneat ex parte absolutionis proferendæ; sed ex parte ipsius concessionis. Potest enim Pontifex Sacerdoti simplici dicere: Ego volo tibi dare facultatem absoluendi à peccato mortali Petrum: sed nolo tibi eam dare nunc; sed cras, postquam ego eum prima vice absoluero. Nam, sicut ipse Pontifex, postquam prima vice absoluit Petrum, potest iterum, & sæpiùs eum absoluere ab eodem peccato, si sæpiùs illud confiteatur, sic potest communicare alteri similem facultatem ei, quam ipse habet. Potest autem communicare hanc facultatem, quando voluerit, & potest velle communicare, quando iam pœnitens absolutus sit prima vice, & non priùs: in hac enim voluntate communicandi facultatem tali tempore, & non priùs, non videtur esse vlla contradictio: quia Sacerdos qui tunc incipiet esse Sacerdos, & expositus, inciperet habere tunc facultatem absoluendi ab illo peccato, quam non habuisset priùs: ergo similem facultatem potest ex concessione Pontificis incipere habere Sacerdos simplex eodem tempore; quando, scilicet, pœnitens iam confessus fuit prima vice illud peccatum. 48.

Ad hoc declarandum potest afferri exemplum 49.
in acto vouendi: pone enim aliquem, qui à Pontifice prohibitus esset facere vllum votum; imò fuisset redditus inhabilis ab eodem Pontifice ad vouendum validè: posset hic petere ab eodem facultatem vouendi castitatem, verbi gratia, quam iam iterum vouerat olim ante prohibitionem: & Pontifex posset concedere eam facultatem, si verè iam eam iterum vouisset: quo posito, conditio non se teneret ex parte voti, sed ex parte concessionis: non enim concedit facultatem solum ad votum conditionatum, sed ad votum absolutum castitatis: sed tamen non

concedit licentiam absolutè, sed sub conditione, si iam iterum castitatem vouit: qua conditione stante, fit nunc votum nouum absolutum; ac per consequens eius sensus est: Volo me obligare denuò, etiamsi obligatus non essem: alioquin non esset votum absolutum simpliciter: sed tamen licentia Pontificis ad hoc votum absolutum, & cum illo sensu absoluto faciendum, non fuit absoluta, sed conditionalis, si iam iterum castitatem vouerat: nec in hac concessione est aliqua contradictio. Sic ergo in casu nostro finge, pœnitentem petere facultatem à Pontifice confitendi hæc peccata Sacerdoti simplici, quia iam priùs eadem proprio Sacerdoti confessus fuerat. Pontifex licentiam concedit sub eadem conditione: *Si iam eadem peccata proprio Sacerdoti confessus es.* Confessio est conditionalis: absolutio tamen, ad quam datur licentia, non debet esse conditionalis, sed absoluta, cuius sensus sit, remittere illa peccata, etiamsi priùs remissa non fuissent: nam ad hanc absolutionem absolutam dari potuit licentiam sub conditione: in quo nulla apparet contradictio.

DISPVTATIO XIX.

De Ministro ordinario, & delegato Sacramenti pœnitentiæ.

SECT. I. *Quis sit Minister ordinarius in hoc Sacramento.*

SECT. II. *De Ministro delegato ad confessiones audiendas.*

IVRISDICTIO, quæ in Ministro requiritur, dupliciter habetur: scilicet, vel ordinaria, vel delegata, vt dixit Tridentinum. De vtraque dicendum erit in hac disputatione, & priùs de Ministro ordinario.

SECTIO I.

Quis sit Minister ordinarius in hoc Sacramento.

MInister ordinarius est, qui est Pastor respectu pœnitentis: omnes enim Christi fideles Pastorem habent suum, præter vnum Supremum Pastorem, qui licèt ouis sit Christi; non habet alium Pastorem: potest tamen absolui sacramentaliter ab illo Sacerdote, quem ipse elegerit: quomodò autem aut à quo accipiat iurisdictionem Confessarius Pontificis, diximus *suprà, disp.* 15. *sect.* 3. Cæteri omnes Pastorem habent, qui est eorum Confessarius ordinariùs, nimirum, summus Pontifex est Pastor communis omnium fidelium, atque ideò potest omnes absoluere potestate, atque iurisdictione ordinaria. Deindè Episcopus habet potestatem ordinariam in omnes suos subditos: Parochus denique in omnes suos parochianos, siue illi Laici sint, siue Clerici, vel etiam Sacerdotes.

De ipsis Episcopis dubitatur primò, quis sit eorum Pastor, qui ordinaria potestate possit eos absoluere. Aliqui volunt, eum esse Archiepiscopum: huius verò Patriarcham, qui immediatè subest Papæ, vt proprio Pastori. Ita Palud. & Syluester apud Suarez *disp.* 25. *sect.* 2. *n.* 10. Ipse tamen Suarez cum Soto, & aliis melius dicit, Episcopos subdi immediatè in hoc foro soli Papæ: quibus consentit Vasquez *q.* 93. *art.* 1. *dub.* 4. *n.* 2. An verò Archiepiscopus habeat potestatem ordinariam ad absoluendos non solùm suos proprios subditos, sed etiam eos, qui subduntur Episcopis Suffraganeis; dicendum est, habere, dum actu visitant diœcesim Suffraganei, vt colligitur ex *cap. vlt. de censibus, lib.* 6. & noster Suarez cum aliis *loco citato, & sect.* 1. *n.* 13.

3. Possunt tamen Episcopi de iure communi eligere sibi Confessarium, vt vitetur animarum dispendium: quia difficile eis esset recurrere semper ad Papam, vt habetur *in c. vlt. de pœnitentiis, & remissionib.* qua facultate possunt etiam vti, dum versantur in Curia Pontificis: quia concessio generalis est; & licèt habeant apud se Religiosos, qui ex facultate Papæ possunt absoluere; possunt tamen alium sibi eligere, qui talem facultatem non haberet. Nomine autem Episcoporum comprehenduntur ibi alij Prælati superiores exempti: quia ita voluit Pontifex, & expressit in eodem indulto: quales sunt Abbates, exempti, & immediati Pontifici, & alij, qui habent similem iurisdictionem quasi Episcopalem: non tamen intelligitur Vicarius Episcopi, neque etiam Parochi, qui non sunt Prælati, & multò minùs Abbatissæ, licèt sint exemptæ, quia hę non habent iurisdictionem Episcopalem, nec nomen Prælati.

4. *De Prælatis Regularibus.* Eodem indulto gaudent Prælati regulares, præsertim Generales, & Prouinciales, imò & Superiores locales, qui etiam sunt Prælati, & habent iurisdictionem in vtroque foro, vt docent plures, quos congerit Diana *tom.* 2. *tract.* 2. *de dubiis Regularium, resolut.* 1. & *tom.* 3. *tract.* 4. *miscellan. resolutione* 1. Quod tamen limitandum notat Suarez *disp.* 27. *sect.* 2. *num.* 10. vt non procedat, quando in aliqua Religione iuxta specialia priuilegia, vel Constitutionem à Summo Pontifice approbatam, Prælatus inferior habet Confessarium designatum à suo Prælato Superiore, quia iã est veluti ordinarius eius Iudex, & Pastor in hoc foro. An verò possint ij Prælati eligere Confessarium, à quo absoluantur à casibus reseruatis, à quibus ipsi possunt suos subditos absoluere, dicemus *disputatione sequenti*, agentes de absolutione à reseruatis *sect.* 5.

5. *De Cardinalibus.* De Cardinalibus, qui Episcopi non sunt, dicendum est breuiter, eos saltem ex consuetudine posse eligere sibi Confessarium, imò & dare facultatem suæ familiæ eligendi Confessarium, vt cum Caietano, & aliis docet Suarez *dicta disp.* 27 *sect.* 2. *num* 6. & *disput.* 25. *sect.* 2. *n.* 11. & 12. Potest etiam Episcopus familiam suam eximere à Parocho, sicut & Imperatores, & Reges dicuntur habere exemptionẽ, de hoc tamen iã fetè nihil sciri potest: solet enim frequenter confiteri Regularibus, quibus iuxta sua priuilegia confiteri etiam possunt alij sæculares.

6. *De Parochis & aliis Sacerdotibus.* Parochorum immediatus Pastor est Episcopus, vel qui, quasi Episcopale munus habet: ex consuetudine tamen eligunt sibi Confessarium: quod & de aliis omnibus Sacerdotibus sæcularibus probabile putat Suarez. Sed neque de his potest iam constare talis consuetudo: quia hi omnes post Tridentinum non possunt eligere Confessarium, nisi approbatum ab Episcopo: qui, si Regularis sit, iam habet aliundè iurisdictionem per priuilegia sui Ordinis: si verò sit sæcularis, habebit iurisdictionem ab Episcopo, qui non solet communiter dare approbationem Sacerdoti sæculari sine licentia, & iurisdictione ad absoluendum in sua diœcesi: quare vix poterit vnquam occurrere casus, quo Parochus, vel Sacerdos eligant sibi Confessarium non habentem aliundè iurisdictionem.

7. *De vagis.* Ij, qui dicuntur vagi, eò quòd non habeant certum domicilium, confiteri debent Parocho, sub quo actu

actu reperiuntur, qui verò peregrinantur, & iter faciunt, possunt iam ex voluntate tacita suorum Pastorum confiteri etiam Parocho illi, quem in eo loco inueniunt, in quo sunt; dum tamen ex industria non discesserint à suo domicilio, vt occasione itineris alteri confiterentur. Qui habent domicilium in duplici parochia, possunt in vtraque Sacramenta recipere, vel certè in illa, in qua tunc inueniuntur: sicut scholastici, milites, mercatores, & similes possunt illi Parocho confiteri, apud quem habitant. Et in his omnes ferè conueniunt, & facilia sunt.

8. Restant tria paululum difficiliora. Primum, an Parochus vel etiam Episcopus extra diœcesim possit absoluere suum subditum. Respondeo affirmatiuè cũ communi: quia hæc iurisdictio non est contentiosa nec requirit strepitũ iudicialem. Notat autè benè Suarez *disp. 25. sect. 1. n. 17.* hoc locum etiam habere in eo, qui habet iurisdictionem delegatam, quam poterit exercere circa subditos delegantis, vbicunque eos inueniat: quod intelligi debet, dummodo delegationis formula non limitet ad talem locum, vel diœcesim, provt alicubi apponi consueuit.

9. Secundum dubium est an, in hoc foro acquiratur iurisdictio ratione delicti in tali loco. Affirmant enim Adrianus, & Antoninus apud Suarez *ibi. n. 18.* id tamen ab omnibus meritò rejicitur: quia ille, qui per duos menses fuit in vna Parochia, & per duos alios in alia, deberet postea diuidere confessionem & vni Parocho confiteri peccata primi bimestris & alteri Parocho peccata secundi, quod est cõtra institutionem huius Sacramenti, atque ideò in hoc foro non attenditur tempus, vel locus delicti cõmissi, sed confessionis, vnde, qui hodie fit Religiosus, potest iam peccata in sæculo commissa apud suum Prælatum confiteri, qui nunc est eius Parochus.

10. *Quid, si Parochus sit ignarus?* Tertium, & difficilius dubium est, an propter ignorantiam proprij Parochi possit subditus eligere sibi alienũ Sacerdotem in Confessariũ. Affirmat cõmunis sententia, quam sequitur etiam Vasquez *quæst. 93. art. 2. dub. 3.* propter textum *in cap. Placuit. 9. quæst. 2. & de pœnit. dist. 6.* cuius verba sunt hæc: *Placuit, vt deinceps nulli Sacerdoti liceat quẽlibet commissum alteri Sacerdoti recipere ad pœnitentiam sine consensu eius, cui se prius commisit, nisi per ignorantiam illius, cui peccans prius confessus est.* Dicunt tamen non sufficere quamlibet ignorantiam Confessarij, sed debere esse in eo gradu, quo confessionem redderet irritam: Addunt, non posse eligi alienum, quando essent alij Confessarij apti, qui saltem ex commissione iurisdictionem haberent: quod tamen alij limitant, si habeant commissionem à Parocho, vel Episcopo, secùs si à Papa: quia, sicut pœnitens non tenetur recurrere ad Papam, ita nec ad eius Commissarios. Item alij dicunt, non posse eligi alienum, quando esset aditus ad Episcopum. Alij addunt, debere saltem peti facultatem ab ipso Parocho: quod tamen alij rejiciunt. Alij extendunt hanc facultatem ad alios casus similes, vt si Parochus soleat reuelare confessionem, vel prouocare ad malum: imò Gabriel extendit ad casum quo Parochus esset excommunicatus aut suspensus. Alij, cum quibus Vasquez, volunt solùm habere locum in casu ignorantiæ. Quas sententias, & earum probabilitatem examinat latè Suarez *disp. 17 sect. 2. à num. 12.*

11. Alij, quibus magis assentior, dicunt, textum illum non concedere talem facultatem. Ita Suarez *loco citato, n. 21.* Corinch. *disp. 8. dub. 2. num. 14. & dub. 9. num. 64.* cum Sancto Thoma *distinct. 17. quæst. 3. art. 3.* Cano. *5. parte relect. de pœnit.* & Sot. *in 4. dist. 18. quæstion. 4. artic. 2.* Et quidem, si textus intelligendus esset de facultate eligendi Sacerdotem alienum in Confessariũ, non probaret, nec concederet facultatem illam vniuersaliter, & ad omnes casus: sed solùm, quando iam pœnitens in ipsa confessione actuali expertus esset ignorantiam proprij Sacerdotis, vt constat ex illis verbis: *Propter ignorantiã illius cui prius confessus est.* Auctores autẽ cõtrariæ sententiæ nullo modo exigũt talẽ cõditionẽ. Non ergo loquitur ibi textus de eligendo alio præter proprium Parochũ: sed de recursu ad secundũ Sacerdotẽ pro moderanda pœnitentia publica à priori imposita, cui se pœnitens commiserat, hoc est ad quẽ venerat, & cui se tradiderat, vt pœnitentiam ab ipso acciperet pro aliquo publico delicto. Nam, vt benè expendit Suarez, illa verba: *Cui se prius commisit,* significant, ipsum pœnitentem ex se voluisse recurrere ad alium: parochiani autem non dicuntur se committere suo Parocho; sed committi ab Episcopo, qui constituit Parochum. Sermo ergo est de illo, qui se sponte subiecit, & posteà, quia duriorem expertus fuerat, volebat alium tentare.

Confirmatur primò hæc interpretatio: quia si de delictis secretis sermo esset, & de pœnitentia secreta, difficilè posset vnquà probari ignorantia prioris Confessarij, provt probari debuisset, vt posterior pœnam in eo textu impositam euadere posset. Quæ tamen ignorantia in delicto & pœnitentia publica facilè posset comprobari, cùm posset Prælatus & secundus Sacerdos ex regulis pœnitentialibus clarè cognoscere errorem primi in assignanda pœnitentia publica maiori. Non ergo agitur ibi de recursu ad alium solùm pro cõfessione eiusdẽ peccati.

Confirmatur secundò, quia, si facultas illa esset, eligendi Confessarium propter ignorantiam proprij Parochi, frustra exigeretur, quòd pœnitens iam confessus esset Parocho ignoranti. Ad quid enim id deseruiret, nisi ad faciendam confessionem sacrilegam, si iam aliunde comperta erat pœnitenti ignorantia Parochi, vel ex eius responsis, vel ex relatione aliorum pœnitentium, qui etiam in confessione ignorantiam ipsius experti essent.

Confirmatur tertiò: quia, si solùm in casu talis ignorantiæ Parochi, quæ confessionem redderet nullam, daretur ibi facultas pœnitenti eligendi Confessarium; esset ferè inutilis illa decisio: vix enim vnquam talis ignorantia in Parocho reperitur: quare prouisum solùm fuisset necessitati pœnitentis in casu quodam metaphysico, non prouidendo ad casus alios morales magis frequentes, in quibus non potest Confessarium eligere.

Confirmatur quartò, quia vel pœnitens ille, cui prouidetur ibi de remedio, supponitur doctus, vel ignorans. Si primum, non indigebat alio Confessario: quia ipse posset supplere Parochi scientiam, explicando illi benè grauitatem, & species suorum peccatorum, quod sufficeret, vt Parochus existimaretur posse sufficienter audire illam confessionem: de facto enim aliqui approbantur ad audiendam confessionem Sacerdotis docti, verbi gratia, solius Parochi, qui non iudicantur apti ad audiendas confessiones rusticorum. Si verò pœnitens ille esset ignarus, iam nec ipse posset iudicare de ignorantia Parochi, & de gradu illius ad hoc vt propter illam eligeret sibi alium Confessarium: quare facultas illa fuisset omninò inutilis, & sine effectu.

Denique ex ipso contextu colligi videtur, sermonem esse de pœnitente, qui peccatum, quod iam confessus fuerat, volebat posteà alteri confiteri: alioquin, quorsum mentio fuerat de confessione priùs facta? Certum est autem, nunquam fuisse prohibitum iterum alteri, etiam alieno, confiteri eadem peccata, quæ iam pœnitens proprio

proprio Parocho semel confessus fuerat; neque hoc prohibuit Pontifex in illo textu: non est ergo semel de eo, qui solùm volebat vtcumque alteri confiteri; sed de eo, qui volebat pœnitentiam pro delicto publico sibi impositam ab alio diminui: quod quidem non parum derogabat auctoritati prioris Sacerdotis, & eneruabat rigorem disciplinæ, cùm singuli eo timore, ne recurreretur ad alium pro moderatione pœnitentiæ à se impositæ, inclinarent ad consentiendũ facilè pœnitentib. & minuendas debitas pœnitentias. Non ergo est sermo de proprio, & alieno; sed de duobus Sacerdotibus expositis à Prælato ad recipiendos pœnitentes, & taxandas pœnitẽtias publicas, pro delictis publicis, provt olim fiebat. Nec necesse est illum textum aliter intelligere sine vllo fructu: cùm iam illa facultas, etiamsi vera fuisset cõtraria sententia, ad nihil deseruiret: si quidem nullus erit Sacerdos alienus, quem pœnitens propter eius doctrinam velit eligere, qui non habeat auctoritatẽ, quam habet Parochus, vel à Pontifice, si sit regularis, vel ab Episcopo, si sit Sacerdos sæcularis.

Poterat vltimò dubitari in hoc loco de Nouitiis religiosis, quis habeat potestatem ordinariam in ordine ad eorum confessiones. De hoc tamen aptiùs dicetur *infrà*, agendo de absolutione à reseruatis.

SECTIO II.

De Ministro delegato ad confessiones audiẽdas.

15. POssunt delegare iurisdictionem in hoc foro omnes, qui eam habent ordinariam. Vndè Papa Episcopus & Parochus possunt eam delegare, Papa pro omnib. Christianis, Episcopus & Parochus singuli pro suis ouib. requiritur autem in eo, cui delegatur iurisdictio, capacitas, hoc est, non esse impeditũ per aliquam censurã, & post Trid. requiritur approbatio facta ab Ordinario. Similiter possunt delegare Vicarius Episcopi, Sũmus Pœnitentiarius, & alij similes.

Delegatus an possit subdelegare?

Difficultas est primò, an qui habet iurisdictionem delegatam possit eam alteri subdelegare: de quo latè Thomas Sanchez *lib. 3. de matrim. disp. 31*, vbi affert multos affirmantes delegatum ad vniuersitatem causarum posse subdelegare; quod tamen si, vt sonat, accipiatur, durissimum erit, nam Religiosi habent potestatem delegatam à Summo Pontifice, & quidem ad vniuersitatem causarum, nempè, ad absoluendum omnes pœnitentes ab omnibus peccatis, &c. & tamen nemo dicet, eos posse hanc iurisdictionem aliis Presbyteris sæcularibus delegare. Credo itaque; totum hoc ex circunstantiis iudicãdum esse: nam in delegante, quando habet potestatem ordinariam, non deest facultas delegandi cum potestate subdelegandi: an verò velit ita dare, ex verbis, & circunstantiis delegationis coniiciendum est: nam Parochus, qui conducit Capellanum, cuius opera vtatur, etiam in audiendis confessionibus suorum subditorum, non vult illi dare facultatem subdelegandi: quia solùm vult eius operam, & exercitium actuale; non verò vult illi dare officium Parochi etiam partiale per modum officij, vt cum aliis notat Sanchez *vbi suprà num.* 3. Qua ratione videtur se habere Pontifex, dum Religiosis dat potestatem absoluendi: vult enim solùm eorum operam personalem, & ideò dicit, se dare illis facultatem audiendi confessiones, qui certè est actus maximè personalis.

16. E contrà verò, quando alicui communicatur officium, seu substituitur in officio, etiam ad breue tempus, videtur dari cum facultate subdelegandi. Vndè Sacerdos relictus à Parocho absente per quindecim dies loco sui, vel subrogatus ab Episcopo loco Parochi per annum, vel semianum, potest ipse subdelegare ad aliquas causas, vel actiones speciales; non verò ad totum officium suũ. Idem dicerem, quando datur facultas vniuersalis alicui, non attenta persona, sed officio, ita vt perseueret in successoribus officij: si, v. g. Abbas, vel Prælatus regularis alicuius domus, habens sibi subordinatam aliam domum, vel villam eiusdẽ Conuentus, cõmittat Vicario, quem in illa habet, absolutionem à casibus sibi reseruatis: poterunt ij Vicarij committere aliis Religiosis absolutionem in casu particulari, non generalem, qualem ipsi habent: quia delegatus non potest subdelegare, nisi ad causas particulares. Quando verò Episcopus dat alicui Prælato regulari facultatem absoluendi sæculares à casibus sibi reseruatis, an possit ipse, occurrente necessitate, illam facultatem communicare suis subditis: affirmat Diana 1. *tomo tractatu 3. miscellaneo resolutione* 53. dum non concedatur, nisi ad illum casum. Quod admitti fortassè posset, si facultas esset concessa Superiori in genere, & omnibus successoribus: secùs verò, quando data est huic personæ illam petenti: intelligitur enim personalis, nisi ex verbis concessionis aliud colligeretur. Verbi gratia, si diceret Episcopus: *Substituo te*, vel. *Communico tibi meam omnem potestatem in ordine ad casus reseruatos*, vel quid simile.

17. *An sine notitia acquiratur iurisdictio?*

Secundò quæri potest, an ille, cui iurisdictio delegatur debeat notitiam habere huius delegationis, ita vt aliter absolutio irrita fit. Affirmatiuè respondet Coninch. *disputatione 8. dubio 5. num. 35.* quod videtur vt certum supponere Thom. Sanchez *lib. de Matrim. disp. 36. n. 8.* vbi dicit ignorantem, se habere iurisdictionem, non operari validè, licèt illam habeat. Contra hoc tamen esse videtur; quia sequeretur Religiosum absoluentem ab aliquo casu reseruato, à quo ipse quidem absoluere potest propter sui Ordinis priuilegia, inualidè absoluere, si ille nesciebat illud priuilegium; absoluit tamen, quia ignorauit etiam, vel non aduertit, quòd esset casus reseruatus. Consequens autem durum est: quot enim Confessarij regulares ignorant multas censuras esse reseruatas; & ignorant etiam facultates sui Ordinis? Item si Confessarius habebat facultatem ex aliquo viuæ vocis oraculo Papæ; postea verò reuocatis eiusmodi viuæ vocis oraculis prosequitur absoluens, non aduertens ad reuocationem; & postea errore cognito, inuenit se habuisse eamdem facultatem, etiam per Bullam antiquam, vel per communicationem cum alia Religione, quam Bullam priùs ignorauerat, durum erit dicere, quod interim inualidè absoluerit, dum ignorabat illam Bullam, qua data sibi fuerat iurisdictio.

18. Ego quidem existimo doctrinam illam Thomæ Sanchez, formaliter loquendo, veram esse: hoc est, si aliquis putat se non habere iurisdictionem, actum non esse validum: quia non videtur habere intentionem validè absoluendi; v. g. qui putat se non posse validè absoluere. Cæterùm, si ipse putat se habere iurisdictionem, licèt erret in titulo, quo illam habet, & aliundè habet verè illum titulum, credo validam esse absolutionem, vel quemlibet alium actum. Quod probari potest exemplo morali: nam si domus domum tuam Petro, quam putabas te possidere titulo emptionis: & postea inuenias titulum ipsum fuisse falsum, & venditionem fuisse inualidam, sed tamen aliundè inuenis pertinuisse ad te titulo legati, quem titulum priùs ignoraueras; reuera donatio tua valida fuit; quia habuisti animum donandi, & transferendi totum ius, quod habebas. Similiter ergo Confessarius, qui habet animum absoluendi, in quantum potest, & meliori modo, quo possit, validè

lidè absoluit, licèt ipse ignoret verum titulum suæ potestatis; si tamen verà habet illam ex aliquo vero titulo: omnis autem Sacerdos, de facto quando absoluit, putat se posse absoluere, alioquin non absolueret, nec tentaret id, quod æstimat impossibile: ergo si verè potest, & intendit facere actum validũ, quantum potest efficiet procul dubio validum.

19. Dices, supponi falsum, dum dicimus, eum habere potestatem, licèt ignoret, se illam habere: quomodo enim potuit acquirere iurisdictionem, aut priuilegium, si ignorauit concessionem? Debuit ergo concessio ipsa venire priùs ad eius notitiam, vt ei acquireretur: est enim priuilegium, quasi donatio quædam, quæ non dat ius donario antequam ad eius notitiam perueniat per nuncium à donante transmissum. Respondeo, admittendo requiri regulariter ad valorem priuilegij notitiam, & acceptationem illius cui confertur, vt probat Sanchez *dicta à disput.* 36. Dico tamen, in nostro casu dari talem notitiam, & acceptationem: quando enim priuilegium, vel facultas conceditur communitati, non est necesse, quòd singuli, qui sunt in illa communitate, sciant, & acceptent; sed sufficit, quod Generalis, vel alij nomine communitatis, vel Religionis acceptauerint: & tunc iam communitas verè habet illud priuilegium, & per consequens singuli illud habent; licèt non venerit ad singulorum notitiam. Quamuis ergo iste particularis illud ignoraret, iam habebat illud priuilegium, & facultatem absoluendi ab illo peccato: imò sæpè, quamuis omnes Religiosi eius Ordinis illud priuilegium, seu illam Bullam ignorauerint, iam illud habebant, quia acceptando priuilegium, seu facultatem communicandi; & participandi gratiam, & priuilegia aliorum Ordinum, tunc acceptarunt implicitè omnia priuilegia illis concessa, saltem vsque ad illam diem, quæcunque illa essent; quæ acceptatio sufficit, vt iam omnes haberent illud priuilegium, licèt illud in specie ignorarent.

20. Constat ergo ex dictis doctrinam illam communem intelligendam esse, vt Confessarius debeat habere notitiam iurisdictionis: & facultatis sibi concessæ; hoc est debeat existimare se habere facultatem, & rursus debeat habere notitiam concessionis sibi factæ, quando ipse est, cui priuilegium, vel facultas concessa est: secus, quando Ordini fuit concessa: tunc enim, licèt Confessarius id ignoret, iam eam habet, atque ideò volens absoluere, in quantum potest, validè absoluit, cùm verè habeat iam potestatem absoluendi.

21. *An sufficiat voluntas præsumpta.* Tertiò quæri solet, an iurisdictio delegata habeatur sufficienter per voluntatem præsumptam superioris delegantis. Aliqui enim significant sufficere futuram ratihabitationem superioris nunc probabiliter præsumptam, quos affert Suarez *disp.* 26. *sect.* 1. *num.* 13. Alij, sufficere voluntatem præsumptam, quamuis non sit actu exhibita, nec declarata, quos affert idem Suarez *disp.* 27. *sect.* 4. *n.* 15. Communis sententia docet non sufficere ratihabitionem in primis de futuro, quam docet idem Suarez *dicta sect.* 1. Vasquez *quæst.* 93 *art.* 2. *dub.* 2. & alij ferè omnes: & quidem si sermo sit de propria ratihabitione, quæ ex se est voluntas consequens, ac supponens actum factum; non potest esse dubium, cùm Sacramentum non possit esse suspensum, & dependens à cõsensu futuro superioris: nam, si à principio non fuit validum; nec fieret etiam validum posteà, licèt superior ratum habeat. Si verò fuit validum, non indiget ratihabitatione validum erit, licèt postea ratum non habeat superior. Nequeshìc locum habet regula iuris: *Ratihabitionem retrotrahi, & mandato non est dubium comparari.* Illa enim intelligitur ad summum de ratihabitione in ordine ad actus, qui licet à principio non fuerint validi, possunt tamen postea validi fieri, & eorum valor per iuris fictionem retrotrahi, quales non sunt actiones sacramentales, vt constat, quæ si verè ab initio non valent: non possunt postea accipere valorem, quando iam non sunt: vndè in illis magis habet locum illa alia iuris regula. *Quod ab initio non valet, tractu temporis non conualescit.*

22. Magis dubitari potest, loquendo de ratihabitione minus propria, seu voluntate præsenti Prælati non explicata, sed solùm præsumpta; in quo sensu aliqui intelligunt Doctores primæ sententiæ. Distinguendum tamen est: vel enim voluntas præsumpta superioris est conditionata, quatenus iudico, quòd si sciret superior, vel si peteretur facultas, illam daret, & hæc certè non sufficit: quia iurisdictio debet absolutè dari, & per consequens per voluntatem absolutam, & actu existentem, non quæ esset: nam, quod non est, non operatur. Neque hìc locum habet, quod dici solet in tractatu de Iustitia non esse furtum, quando ego accipio id, quod scio dominum mihi daturum, si peterem: est enim diuersa ratio. Nam ad furtum requiritur, quod dominus sit inuitus positiuè, hoc est, quod habeat voluntatem retinendi suum ius aduersùs me, quam voluntatem non habet dominus in illo casu: & ideò non sum fur, quia dominus non est inuitus, licèt non habeat voluntatem dandi. At verò ad valorem sacramenti non sufficit, quod superior non sit inuitus; sed requiritur, quòd positiuè velit dare iurisdictionem, sicut ad valorem consecrationis, & aliorum Sacramentorum requiritur etiam voluntas positiua, quæ sit, vel fuerit, & virtualiter perseueret.

23. Si verò voluntas præsumpta sit voluntas in superiori quidem existens, sed non sufficienter explicata, rursus distinguendum est: nam si sit merè interna, & nullo externo signo prodita; nihil operatur: tum quia iurisdictio humano modo non datur, nisi per signa humana: tum etiam, quia hoc Sacramenntum debet esse signũ sensibile; in quo sicut forma debet esse sensibilis; ita & potestas ministri, non est autem sensibilis, si solùm fundetur in voluntate interna superioris nullo signo sensibili manifestata. Denique si illa voluntas præsũpta manifestetur aliquo signo externo licèt non omninò explicito; tunc sufficiet ad valorem absolutionis: qualia autem debeant esse illa signa; pendet ex circumstantiis, & iudicio prudentis. Addit Suarez *illa sect.* 1. *num.* 17. etiamsi talia signa faciant probabilẽ existimationem de præsenti consensu delegantis, non esse tali iurisdictione vtendum, nisi vbi non est opportunitas clarùs, & expressiùs cognoscendi voluntatem superioris, & aliundè est sufficiens causa administrandi Sacramentum. Hoc tamen aduersatur communi sententiæ, quam defendit ipse Suarez *infrà disputat.* 26. *sect.* 6. quod liceat cum iurisdictione, & potestate probabili ministrare hoc Sacramentum, de quo statim dicemus.

24. *Casus impossibilis.* 27.

Quartò quæri potest, an ille, qui habens iurisdictionem delegatam cœpit audire confessionem, possit illam finire, etiamsi interim expiret delegatio. Aliqui dicunt non posse, vel saltem id esse satis probabile. Petrus de Ledesma *in summa cap.* 12. *de Sacramento Pœnitentiæ, post quintam conclusionem*, Zambrano *de casibus in articulo mortis, c.* 4. *dub.* 5. *num.* 4. Alij tamen absolutè docent, posse, quos refert, & sequitur Sanchez *lib.* 2. *in Decalog. cap.* 13. *n.* 15. & in simili indicat *lib.* 4. *cap.* 14. *n.* 34. Villalobos *in Summa tractat.* 27 *claus.* 4 *num.* 12. Accesta *in expositione Bullæ Cruciatæ, quæst.* 36. Rodriguez *ibidem*

ibidem, §.5 *n.*2. Diana 1. *tom. tract. de Bulla Cruciatæ, resolut.* 94. quæ sententia valdè probabilis est: quia res non est integra, *c. Gratum*, & *c. Relatum de officio delegati*. Vnde ille, qui per Bullam Cruciatæ habet potestatem absoluendi, si confessio cœpta est, poterit eam prosequi, etiamsi interim finiatur tẽpus Bullæ, quod idem de similibus facultatibus dicendum est.

25. Quintò disputari solet in hoc loco de eo, qui confitetur Regularibus habentibus facultatem à Papa audiendi confessionem; an teneatur confiteri eadem peccata suo Parocho, vel cum eo facere confessionem annuam: quod latè, & optimè tractat Vasquez *quæst.* 93. *art.* 1. *dub.* 6. Et tota ferè difficultas est in explicando duplici decreto: altero Martini V. quod inferunt Ioann. Maior. *distinct.* 17. Henricus *quodlib.* 10. *quæst.* 1. Adrianus *quæst.* 5. *de confessione*, & Medina *qu. de confessione Fratribus priuilegiatis facta*, vbi dicitur. *Volumus autem, quod ij, qui Fratribus confitebantur, eisdem suis parochialibus Sacerdotibus semel saltem in anno confiteri, prout generale Concilium statuit, nihilominus teneantur; quodque ijdem Fratres eos ad hoc diligenter, & efficaciter secundum datam eis à Domino gratiam exhortentur.* Altero Sixti IV. *in Extrauaganti, Vices, de tregua & pace*, vbi præcipit, quod ipsi Medicantes desistant prædicare, quod parochiani non sint obligati, saltem in Paschate, proprio confiteri Sacerdoti: quia de iure tenetur parochianus, saltem in Paschate, proprio confiteri Sacerdoti. *Per hoc tamen* (inquit) *ipsi fratres Medicantes non censeantur excluſi, quominus secundùm iuris communis, & priuilegiorum eisdem concessorum dispositionem confessiones audire, & pœnitentias iniungere valeant.*

26. In hoc puncto non opottet iam immorari: quia loquendo de possibili, res est certa Pontificem Sũmum posse dare facultatem confitendi aliis, præter Parochum: cùm ipse sit omnium Parochus, & Pastor. Et id definitum fuit à Ioan. XXII. *in Extrauaganti, Vas electionis de hæreticis*, contra quemdam Ioannem de Poliaco, quamuis vt notat Vasquez *n.* 2. neque ipse negauerit talem potestatem; sed solùm dixerit, stante decreto Concilij Lateranens. *in cap. Omnis vtriusque sexus de pœnitent. & remissione*, non posse tolli à Papa illam obligationem confitendi Parocho, nisi illi decreto derogetur. Hoc autem ipsum damnatum etiam est, & meritò: quia decretum illud solùm præcipit confessionem fieri proprio, vel alteri de licentia proprij, qui autem confitetur Religioso habenti facultatem Papæ, iam confitetur illi de licentia proprij; cùm Sacerdos proprius non solùm sit Parochus; sed etiam Episcopus, & Papa: alioquin neque ille, qui confiteretur Episcopo, obseruaret illud decretum, cùm non confiteretur Parocho, nec de licentia Parochi: quod tamen absurdissimum esset.

27. Hoc itaque circa possibiliratem statuto, certum etiam est, de facto iam nunc fideles satisfacere præcepto confessionis annuæ, confitendi Religiosis habentibus à Summo Pontifice facultatem; nec debere iterum eadem, aut alia peccata confiteri Parocho: nam priuilegia Regularium, præsertim moderna clarissimè loquuntur, & fidelium omnium vsus ita obseruat: & Clemens VIII. speciali Breui ita declarauit 22. Decembris, anno 1592. vt refert Coninch. *in præsenti disp.* 8. *dub.* 9. De illa verò limitatione Martini V. & Sixti IV. dicendum videtur cum Ioanne Medina, quem sequitur Vasquez *n.* 18. illos non voluisse quidem obligare pœnitentem ad confitenda eadem peccata iterum Parocho: id enim absurdum esse dixit Benedictus XI. *in Extrauaganti, Inter cunctas de priuilegiis*, sed solùm, vt sicut nunc possunt apud Religiosos Eucharistiam sumere, excepta Communione paschali, quam habent à Parocho recipere: sic tunc licèt per totum annum possint confiteri Religiosis, paschali tamen tempore, quando pro Communione annua suscipienda debebant confiteri; eam confessionem apud Parochum facerent, vel apud alium de eius licentia. Vnde qui tunc non haberet materiam necessariam confessionis, non debebat Parocho confiteri: & hoc pro tunc in vsu fuit, vt hoc saltem actu Parochum recognoscerent: postea tamen hoc etiam sublatum fuit, & relicta sola Communio paschalis apud Parochum ex obligatione facienda.

25. *Qui confitetur Regularibus an debeat confiteri Parocho.*

§. 1. *An sufficiat iurisdictio delegata dubia, vel probabilis, ad ministrandum hoc Sacramentum.*

28. REstat duplex dubium circa iurisdictionem delegatam: primum, de iurisdictione incerta: quod potest dupliciter contingere. Primò, ita vt sit merum dubium negatiuum. Secundò, ita vt sit dubium, quod vocari solet positiuum; quando, scilicet, probabile est, sed non certum, dari iurisdictionem. Et quod attinet ad primum diximus *disp.* 8. *de Sacramentis in genere. sect.* 9. *in principio* non posse licite Ministrum vti materia, vel forma dubia nisi in casu necessitatis, vt subueniat proximo eo modo, quo potest. Vnde à fortiori idem dicendum erit de potestate dubia, qua nemo poterit vti, nisi in casu necessitatis, quando aliud remedium magis securum exhiberi non posset. Quo casu absolutio debet dari sub conditione. Qualis autem, & quanta debeant esse necessitas, vt absolutio possit dari cum potestate dubia, tractat Suarez *disp.* 26. *sect.* 6. *n.* 3.

29. Difficultas tota est, quando est sub opinione, an Confessarius habeat iurisdictionẽ, quibusdam affirmantib. quibusdam negantib. & vtrisque probabiliter: in quo casu P. Suar. *disp.* 26. *sect.* 6. *n.* 6 *& seq.* dicit securius esse quærere Confessarium habentem certam potestatem: concludit tamen, licitum esse tam ex parte Confessarij, quam ex parte pœnitentis ministrare, & recipere hoc Sacramentum cum iurisdictione probabili: tum, quia sicut, quando adest communis error, Ecclesia dat iurisdictionem propter publicam vtilitatem; ita quando adest opinio probabilis Doctorum affirmantium, dari potestatem tunc etiam propter communem vtilitatem fidelium, qui iuxta illam probabilem sententiam operantur, Ecclesia dat iurisdictionem, etiamsi sententia illa sit reipsa falsa: tum etiam, quia pœnitens communiter confitetur simul aliqua peccata venialia, super quæ quilibet Sacerdos habet directam iurisdictionem, atque adeò ab iis, saltem directè, absoluet, & faciet Sacramentum validum, quo indirectè saltem remittantur alia grauiora, super quæ non habebat iurisdictionem directam. Quem modum dicendi sequuti postea sunt Thomas Sanchez *lib.* 1. *in Decalog. c.* 9. *n.* 35. & alij, quos refert, & sequitur Diana 1. *tom. tract. de opinione probabili, resol.* 2. quibus adde Bonacinam *disp.* 2. *de peccatis, q.* 4. *punct.* 9. *n.* 19. Granadum 1. 2. *contro.* 2. *tract.* 22. *disp.* 4. *sect.* 4. Castrũ Palaum *tom.* 1. *disp.* 2. *punct.* 5. *n.* 9. Tutrianum *in selectis disp.* 9. 1. *disp.* 21. *dub.* 2. Ioannem Sancium *in selectis disp.* 44 *n.* 24. Lessium *lib.* 2. *c.* 29. *dub.* 8. *n.* 68. Malderum 1. 2. *q.* 19 *art.* 5. *disp.* 86.

De soliditate huius fundamenti adhuc dubitat Salas *in* 1. 2. *q.* 21. *tract.* 8. *disp. vnica, sect* 10. *n.* 101. *& sect.* 27. *n.* 286. *&* 287. quia vtrumque illud caput non est certum, sed sub opinionum diuersitate: ergo semper relinquetur dubius valor Sacramenti, & per consequens pœnitens periculo exponitur damnationis; si fortè opiniones illæ non sint veræ.

30. Ego existimo in primis, si sermo sit de ordinaria confessione extra mortis periculum, sententiam illam tutissimam esse: quia proximus nulli vel certè exiguo periculo exponitur: tum propter vtramque rationem à Suario adductam: tum etiam, quia moraliter non est periculum, quod non possit iterū ante mortem confiteri alteri Sacerdoti, à quo, saltem indirectè, absoluetur ab his peccatis, & iustificabitur. Et quamuis possit repente mori, hoc tamen non censetur morale periculum hîc, & nunc: & sicut ipse pœnitens, quando scit, se esse in peccato, non tenetur sub mortali ad confessionem, vel cōtritionem statim ponendam ratione illius periculi, vt vidimus *disputat. 7 sect. 11.* sic multò minùs censetur relinquere illum in morali periculo damnationis Confessarius, qui eum absoluit, non solùm cum opinione probabili, sed cum fundamentis ferè certis de valore Sacramenti. Denique licèt vtilius esset pœnitenti, Sacramentum recipere absque illo qualicumque periculo; non tamen tenetur etiam ex charitate Minister dare Sacramentum cum omni vtilitate, & securitate possibili, vt notauit Petrus Lorca *in 1.2. disput. 38. membr. 2.* vnde dicit, quòd non peccaret mortaliter Sacerdos, qui petenti Communionem, daret Hostiam probabiliter consecratam, si non frequenter; sed semel, vel iterum id faceret, quod idem admittit de absolutione data iuxta opinionem probabilem: quod tamen intelligi debet cum moderatione dicta extra mortis articulum, in quo non semper licebit ita absoluere.

31. *Quid in mortis articulo liceat.* Hinc secundò addo, si confessio fiat in mortis periculo, & dubium sit de potestate Confessarij circa aliquod peccatum reseruatum, sine censura, licitè posset Confessarius amplecti opinionem probabilem dantem illi iurisdictionem circa illud peccatum: quia nec tunc videtur exponere pœnitentem vlli periculo. Nam licèt illa opinio esset falsa; adhuc Confessarius absoluit directè ab illis peccatis mortalibus non reseruatis, quæ pœnitens confitetur, & facit Sacramentum validum, quo pœnitēs iustificatur: illud autem peccatum reseruatum habebit, se sicut illa, quorum pœnitens inculpabiliter est oblitus: idem enim est, non recordari alicuius peccati, vel ignorare obligationem confitendi illud alteri Confessario; qua obligationem tunc pœnitens inculpabiliter ignorat. Vnde, si per multos annos oblitus esset illius peccati vel ignorasset eius reseruationem, nemo vnquam obligat illum ad repetendas confessiones, & confitenda iterum omnia peccata, quæ toto illo tempore confessus est suo ordinario Confessario; sed solùm ad confitendum illud peccatum reseruatum. Et hæc est praxis omnium fidelium, & totius Ecclesiæ Supponunt ergo, confessiones illas fuisse validas quoad alia peccata. Similiter ergo in articulo mortis valida erit confessio quoad alia peccata, licèt reuerà Confessarius non posset absoluere directè ab illo peccato reseruato atque ideo nulli periculo suæ salutis exponitur ex hac parte pœnitens à Confessario.

32. Dixi, *quando peccatum reseruatum non habet censuram*; quando enim illam haberet, esset maius dubium: quia multi, vt *suprà* vidimus, sentiunt, excommunitatum, durante excommunicatione, non posse recipere validum sacramentum Pœnitentiæ; & hoc, etiamsi inuincibiliter ignoret suam excommunicationem. Si ergo Confessarius non potest verè auferre illam excommunicationem, nō faciet iuxta illam sententiam Sacramentum validum. Atque eadem, vel similis difficultas esse posset, quando in eodem mortis periculo Confessarius non solum dubitaret de potestate sua in ordine ad aliquot peccatum reseruatum: sed simpliciter, & absolutè, de potestate absoluendi à mortalibus, eò quod dubitaret, an esset approbatus, vel an accepisset iurisdictionem à potente dare: tunc enim non est ita certum, quod possit Sacerdos simplex absoluere directè à venialibus eum, qui habet simul peccata mortalia. Vnde ipse Suarez *infrà disp. 31. sect. 3. n. 10. & 15.* non ita certam putat semper illam absolutionem à venialibus, sicut illam aliam à mortalibus nō reseruatis. Videretur ergo Sacerdos in illo articulo alicui periculo exponere pœnitentem, quando absoluēret cum opinione solùm probabili de sua potestate in ordine ad mortalia.

Hæc quidem vrgent ita, vt si per principia intrinseca iudicandum esset, non videatur licitum, infirmum in iis casibus absoluere cum sola probabilitate iurisdictionis. Per principia tamen extrinseca non videtur condemnandus, qui ita absolueret. Nam Auctores illius sententiæ vniuersaliter loquuntur de absolutione cum iurisdictione dubia, non distinguendo inter absolutionem à peccatis, vel à censuris. Deinde, quod attinet ad secundum casum, de habente probabilitatem tantum circa totam potestatem absoluendi à mortalibus; ita videtur loqui expressè Thomas Sanchez *lib. 2. in Decalog. cap. 13. num. 15.* vbi dicit, omnino validam, & certam esse absolutionem simplicis Sacerdotis à venialibus in eo, qui habet mortalia quæ tunc indirectè remittentur. Item P. Suarez *dicta disp. 31. sect. 3. num. 10.* dicit, esse falsum, & improbabile, quòd confessio facta simplici Sacerdoti de venialibus ab eo, qui habet mortale, cuius non recordatur, non sit valida, nec afferat gratiam sanctificantem homini aliàs bene disposito. Quare prædictam doctrinam ij proculdubio intelligunt etiam, quando infirmus absoluitur ab aliquo habente solùm iurisdictionem probabilem circa mortalia: & praxis, ac vsus communis, quo maximè mouetur Suarez *disp. præsenti*, id confirmat: nec distinguunt de articulo mortis, & confessione ordinaria; sed in vtroque casu absoluunt cum iurisdictione probabili Credo tamen, quod id non concederent casu, quo probabilitas non esset de iurisdictione, sed de potestate Ordinis, an Sacerdos esset legitimè, & validè ordinatus: tunc enim non procederent illæ rationes cùm neque Ecclesia posset supplere, & dare iurisdictionem, cuius ille non esset capax, si reuerà non esset Sacerdos: neque etiam per absolutionem directam à venialibus remitterentur cætera; cum neque à venialibus posset absoluere, si reuerà non esset Sacerdos.

Denique in primo etiam casu, de habente casum reseruatum cum censura, in quo videtur esse maior difficultas, adhuc credo, Auctores illos idem sentire. Primò, quia generaliter loquuntur, vt dixi quod non debuissent facere, cùm probabilitas iurisdictionis frequentiùs contingat circa peccata reseruata, quæ magna ex parte reseruantur ratione cēsuræ. Secundò, quia vsus, & praxis communis, quæ potissimum mouet Suarium ad illam sententiam defendendam, magis apertè constat in hoc casu. Nam si ratio in contrarium adducta probaret; deberemus quidem non solùm in periculo mortis, sed etiam extra illud non absoluere ab excommunicatione vlla cum iurisdictione probabili, vel certè deberemus admonere pœnitentem, vt faceret se absolui ante mortem ab alio habente iurisdictionem certam circa illam censuram: quia, si absolutio fuit irrita, & vera est sententia dicens, excommunicatum numquam recipere Sacramentum pœnitentiæ validum nisi prius validè absoluatur ab excommunicatione: consequens erit, quod ille pœnitens numquam iustificabitur ante mortem in hoc Sacramento. Idem ergo

ergo periculum erit absoluendi illum ab excommunicatione cum iurisdictione solùm probabili extra mortis periculum, cùm eo ipso remaneat iam inhabilis ad absolutionem sacramentalem vnquam recipiendam. Et tamen vsus omnium planè Confessariorum hoc debet, vt amplectantur sententias probabiles circa absolutionem à censuris virtute Bullæ Cruciatæ, vel Iubilei, vel alterius facultatis, & ita absoluant, non imponentes, quod ante mortem faciant, se iterum absolui ab alio, qui habeat certam potestatem. Fatendum ergo est, vel excommunicationem non impedire effectum absolutionis sacramentalis, vt communis sententia docet; vel certè Ecclesiam tunc conferre iurisdictionem ad absoluendum verè à censura: quia in hoc casu non solùm interuenit error opinionis probabilis, qui certè non est communis omnium; sed eorum, qui tenent illam opinionem: (& tamen propter illum dicitur communiter Ecclesia dare iurisdictionem:) sed interuenit error communis omnium: omnes enim Confessarij hodie habent hunc vsum absoluēdi, saltem extra mortis periculum, cum probabilitate circa potestatem absoluendi à censura, & casu reseruato. Cùm ergo ex hoc vsu communi omnium sequatur manifestum periculum omnium pœnitentium, qui existimantes se iam absolutos, non curant ampliùs de absolutione ab illa censura, & remanerent incapaces absolutionis sacramentalis; fatendum est, Ecclesiam propter hunc errorem communem ad impedienda illa damna conferre iurisdictionem, vel certè sententias illas, in quibus illud periculum fundatur, non esse veras.

35. Postremò, quia, licèt aliqui Doctores tenuerint, absolutionem à peccatis non esse validam nisi priùs tollatur excommunicatio, non ideo fit, quod in hoc casu non sit valida: ad hoc enim debent esse veræ tres sententiæ. Prima illa, quæ dicit, non posse excommunicatum validè absolui à peccatis. Secunda illa alia, quæ dicit Ecclesiam non dare iurisdictionem propter opinionem probabilem. Tertia denique illa, quæ dicit, simplicem Sacerdotem non posse validè absoluere in articulo mortis, præsente proprio Parocho, aut data opportunitate illum vocādi. Nam quæcumque ex his tribus sententiis sit falsa iam infirmus valide absoluetur, & non exponetur vlli periculo. Propter hæc ego credo, illos Auctores ita vniuersaliter fuisse loquutos; sed præcipuè propter vsum, & praxim communem omnium Confessariorum quam necesse esset omnino condemnare, si non posset absolui in articulo mortis aliquis cum iurisdictione probabili à censura reseruata, vt *suprà* ostensum est.

§. 2. *An iurisdictio delegata ad confessiones audiendas expiret morte concedentis.*

36. HOc est alterum, quod dubitari solet circa iurisdictionem delegatam, de quo latè & optimè Thom. Sanchez *lib.* 8. *de matrim. disp.* 28. *n.* 71. *& sequent.* vbi affert duas sententias. Prima affirmat expirare, quam tenent Paludanus, Antoninus, Narnarrus, Philiarchus, & alij, quos refert *ib. & n* 74. qui tamen ferè omnes non loquuntur de iurisdictione concessa à Summo Pontifice, in quo propter supremam potestatem concedunt iurisdictionem ab eo delegatum ad audiendas confessiones in genere non expirare eius morte, sed durare: quod videtur colligi ex *c. si super gratia, de officio delegati in* 6. &c. *si cui nulla, de prabendis, in* 6. quam sententiam ipse
37. etiam Sanchez probabilem iudicat.

Secunda sententia probabilior negat expirare potestatem illam morte concedentis: quod idem est quando ille, qui concessit, amouetur ab officio, vel suspenditur, aut alio quocumque modo amittit potestatem, quam habebat. Hanc tenet Suarez *in præsenti, disp.* 28 *sect.* 3. Henriquez *lib.* 6. *c.* 6. *n.* 7. *de Indulgentiis, c.* 21. *n.* 6. Sayre. Graffius, & alij, quos affert, & sequitur idem Sanchez *ibid. n.* 72. *&* 75. qui tamen *num.* 73. explicat, id intelligendum, quando licentia non conceditur ad audiendam confessionem pœnitentis determinati in pœnitentis fauorem: tunc enim, quoad confessionem nondum cœptam, expirat morte concedentis. 38.

Probatur, quia hæc est differentia inter iurisdictionem contentiosam, seu ad lites, & inter iurisdictionem fori gratiosi, vt hæc pertineat ad gratiam illa ad iustitiam, atque ideo iura, quæ dicunt iurisdictionem delegatam perire morte concedentis; loquuntur de contentiosa, non de gratuita: hæc enim est gratia, quæ fit non tam pœnitentibus, quàm Confessario, cui statim acquiritur, & in quo radicatur, postquam ab ipso acceptatur, & in illo perseuerat. Nec quoad hoc videtur esse differentia inter licentiam concessam ab Episcopo, vel à Papa, cùm vterque possit delegare, licèt non ita generaliter Episcopus sed cum maiori limitatione quoad locum, quoad peccata. Imò idem dicendum cum proportione de Parocho, licèt subdubitet Suarez *n.* 12. Sed eadem est ratio, vt fatetur Sanchez *n.* 27. cùm ipse etiam habeat potestatem ordinariam. Quando verò datur licentia Confessario in gratiam pœnitentis determinati, gratia non fit Confessario, sed pœnitenti: & ideò re integra expirat; quia gratia nondum censetur perfecta, sed exequenda per Confessarium, atque adeò magis videtur esse gratia facienda, quàm facta. Aliud autem esset de licentia concessa ipsi pœnitenti eligendi Confessarium: hæc enim, siue concedatur ab Episcopo, siue ab alio Prælato, vel etiam à Parocho, non expirat morte concedentis, vt cum multis docet ipse Sanchez *ib. n.* 75. quia tunc gratia, seu licentia conceditur directè pœnitenti, quo acceptante, iam gratia perfecta est & facta, non facienda, sicut erat in priori casu, in quo Confessario committitur gratia facienda, nondum verò est alicui facta.

Contra hanc sententiam aliqua solent obiici. Primò, quia Vicarius Episcopi, licèt eius iurisdictio sit ordinaria, expirat morte Episcopi, eo quòd sit ab illo participata: ergo à fortiori cessabit iurisdictio delegata ab Episcopo. Respōdeo, negando consequentiam: nam Vicarius facit vnum, & idem Tribunal cum Episcopo: vnde re etiam non integra expirat potestas Vicarij, cùm tamen certum sit potestatem delegatam ad audiendas confessiones non cessare, quando confessio cœpta est, etiam si moriatur Episcopus: delegatus enim non facit vnum Tribunal cum delegante, vnde in foro externo datur appellatio ad delegantem ab eius delegato. 39.

Secundò obiiciunt: quia eiusmodi licentiam concedere pro tempore futuro, præiudicat successori, ad quem pertinet prouidere ouibus suo tempore: prædecessor enim solùm poterat pascere oues, & illas iudicare, dum viueret. Respondeo. Hoc argumentum probaret, nec Summum Pontificem posse dare talem licentiam, quæ non pereat eius morte: quia etiam ipse præiudicaret successori: quod tamen est apertè falsum, & contra communem praxim Ecclesiæ. Sicut ergo ad Pontificem spectat non pascere oues, non solùm per se ipsum, sed etiam per alios: & licèt non spectat ad ipsum pascere illas postea, ad eum tamen nunc spectat prouidere hunc modum quo postea benè pascātur: & ideo nunc potest cōmunicare suam potestatē aliis ad eum finem & hoc sine præiudicio successoris, quia successor 40.

poterit reuocare, vel moderari illas facultates: ita cùm proportione Episcopus nunc potest non solùm pascere per se ipsum, sed per alios, & nunc prouidere modum, quo postea per alios benè pascantur sine præiudicio successoris, qui potest reuocare, vel moderari illas facultates pro suo libito.

41. *An Prælatus possit sibi dare licentiam pro tempore futuro.*

Sed contra vrgebit aliquis tertiò: quia, si Prælatus nunc potest dare mihi licentiam, qua ego vtar pro tempore, quo ipse iam non erit Prælatus: ergo poterit etiam nunc sibi ipsi dare talem facultatem, qua vtatur postea, quando non erit iam Prælatus. Vnde Prælatus regularis poterit paulò ante finem suæ prælaturæ concedere sibi omnes facultates, & licentias, quibus verisimiliter credit, quòd postea indigebit; atque ita faciet se quasi exemptum à successore pro tempore sequenti, quod certè neque videtur esse in vsu, neque posse admitti sine magno præiudicio disciplinæ regularis. Non potest ergo Prælatus dare nunc subdito facultatem, qua vtatur eo tempore, quo iam non erit eius subditus: sed sui successoris: alioquin posset eas licentias sibi sumere, cùm non minùs possit sibi concedere, quàm suis subditis.

42. Respondeo, negando sequelam simpliciter, & absolutè. Pro cuius explicatione aduerto facultates, quas prælatus cõcedit, posse esse diuersas: aliæ enim sunt, quæ nunc quidem mandantur exequutioni, licèt earum effectus perseueret postea, aliæ verò sunt, quarum & effectus, & exequutio ipsa postea ponenda est. Ad priorem classem spectat commutatio, vel dispensatio in voto, quæ semel exequutioni mandata; habet tamen suum effectum successiuè tempore etiam subsequenti. Item, quando Prælatus dat licentiam mihi accipiendi vestem, vel Breuiarium ab amico; nunc enim exequutioni mandatur illa licentia, & nunc accipio vestem, v. g. quam postea retinere possum absque noua licentia successoris. Et quidem his, & similibus poterit Prælatus finita prælatura frui, quando ea exequutioni mandauit tempore, quo poterat eiusmodi facultates circa se, & circa alios exercere. Quare, si sibi accipit ab amico vestem, vel Breuiarium, poterit retinere postea, sicut possent alij subditi, quibus ipse dedisset similem licẽtiam. Ratio, quia, cùm ipse esset tunc administrator rerum communium, ad eum pertinebat diuidere, & applicare singulis, quæ prudenter iudicaret illis applicanda. Sicut ergo poterat aliis applicare vestem, aut Breuiarium ad eorũ vsum: sic poterat sibi, qui erat vnus ex illis, qui debebant participare bona communia; seruata tamen prudenti, & rationabili distributione; vt non applicaret sibi plusquam aliis cum eorum præiudicio; hoc tamen etiam seruandum erat in applicatione, & licentia respectu aliorum subditorum. Iam ergo erat illa vestis ei legitimè applicata ab eo qui habebat munus applicandi, & distribuendi bona communia.

43. Ad posteriorem classem pertinet facultas v. g. accipiendi aliquid, vel donandi, aut vendendi anno sequenti; item facultas data alicui, vt posteà vel absoluat, vel absoluatur à peccatis reseruatis, hæ enim, & similes facultates non habent præsentem effectum nec exequutionem, sed futuram tempore sequenti; & has facultates dicimus non posse Prælatum dare sibi nunc pro tempore sequenti, quo iam non erit Prælatus. Potest itaque nunc accipere vestem: quia hoc iam nunc mandatur exequutioni: potest item nunc accipere pecuniam ab amico, & retinere, & in virtute huius legitimæ acceptionis, qua accepit illam ad vsus non communes, sed suos, potest etiam finita prælatura eas retinere, vel apud se, vel saltem apud illum, apud quem alij subditi deponunt id, quod cum licentia accipiunt ad vsus suos: non tamen poterit eas posteà expendere sine licentia successoris: qua licèt potuerit eas pecunias licitè accipere; non tamen dare sibi licentiam ad eas expendendas tempore sequenti, quando iam ipse esset subditus. Similiter non poterat, quando erat Prælatus dare sibi facultatem absoluendi alios, Religiosos à reseruatis, quando iam non esset eorum Prælatus, nec etiam vt ipse ab eis absolueretur: quia illa licentia mandanda esset exequutioni tempore sequenti, quo iam ipse non posset eam concedere.

44. Restat tamen reddenda ratio, cur magis possit Prælatus concedere aliis licentias posterioris generis, etiamsi mandandæ sint exequutioni tempore sequenti, quando ipse non erit Prælatus, & non possit sibi ipsi eas communicare pro tẽpore sequenti. Cur, v. g. possit aliis dare facultatem absoluendi à reseruatis, etiam tempore sequenti, subditos huius Conuentus, vel Prouinciæ, cui ipse nunc præest; & non possit sibi dare nunc eam facultatem ad tempus sequens. Ratio autem videtur hæc esse, quia ipse nunc non est capax accipiendi talem commissionem; potest enim ipse nunc absoluere, vel per se, vel per alios, quibus committat illud officium: nõ potest tamen committere illud, nisi iis, qui sint capaces talis commissionis accipiendæ. Vnde non posset nunc dare eam facultatem homini non baptizato, vel non Clerico, qui futurus esset Clericus tempore, quo iam ipse non esset Prælatus: nunc autem ipse Prælatus non est capax accipiendi delegationem, vel commissionem à se ipso, quia inter delegantem, seu committentem, & delegatum, seu commissarium, debet dari distinctio: quare ipse non potest tunc accipere illâ facultatem, posteà verò non potest etiam, quia iam expirauit potestas in dante. Ergo licèt aliis possit communicare eiusmodi facultatem, non sequitur, quòd possit eam communicare sibi ad tempus futurum, quo non erit Prælatus.

45. Posset tamen id fortasse fieri, si non daretur facultas sibi immediatè, sed mediatè. Posset autem eiusmodi mediatio dupliciter poni. Primò si Prælatus daret alij facultatem absoluendi à reseruatis, v. g. cum potestate subdelegãdi: tunc enim, sicut ille posset aliis subdelegare eam facultatem: sic posset ipse, qui dederat, finita prælatura. Secundò posset mediare aliqua persona ficta, seu communitas, si Prælatus prouincialis, v. g. daret facultatem absoluendi omnibus Religiosis talis Domus, vel Conuentus, quicunque essent: tunc enim, si ipse, finito Prouincialatu, fieret habitator illius Domus, posset frui eâdem facultate, sicut alij. Vterque casus colligi potest ex dictis, applicando argumentum, quod vsurpauimus ex facultate commissa à Pontifice, & eius duratione post mortem concedentis. Similiter enim, si Pontifex Summus alicui daret facultatem absoluendi cum potestate etiam subdelegandi; non est dubium, quin Pontifex ipse renunciato Pontificatu posset accipere facultatem ab illo, cui ipse eam dederat, sicut possent accipere alij omnes Sacerdotes. Item si Pontifex dedisset facultatem absoluendi omnibus Religiosis talis Ordinis, non est dubium, quin renunciato Pontificatu, si fieret Religiosus in illo Ordine, posset frui eâdem facultate, quam ipse priùs toti Ordini concesserat. Hinc autem colligitur, idem dicendum de Episcopo, qui similiter, si dedisset facultatem absoluendi à casibus Episcopalibus Religiosis talis Conuentus, posset ipse frui posteà hac facultate, si relicto Episcopatu fieret Religiosus in illo Conuentu.

46. Ratio autem in vtroq; casu est, quòd tũc Prælatus non dat facultatem sibi, sed alteri capaci, scilicet, vel illi delegato, cui dat etiam facultatem subdelegandi, vel toti communitati talis Conuentus:

ergo

hi autem possunt tunc accipere, & acceptare illam facultatem, quæ cùm semel sit penes ipsos, poterit posteà eidem Prælato facto subdito communicari. Cessat ergo in vtroque casu ratio, ob quam non poterat Prælatus dare sibi ipsi immediatè eiusmodi facultatem, eò quod non inueniretur subiectum capax illam recipiendi tunc quando ipse poterat eam concedere.

47. Objicies vltimò, ex his sequi quòd delegatus aliquando habebit maiorem auctoritatem, quàm habeat ipse delegans. Si, v.g. Summus Pœnitentiarius Pontificis potens absoluere, vel dispensare in tali casu, & potens delegare illam facultatem, communicet, vel deleget Titio facultatem generalem absoluendi, vel dispensandi in illo casu: & postea Pontifex limitet potestatem Pœnitentiarij, & auferat ei potestatem illam ad talem casum: tunc Titius, cui Pœnitentiarius illam facultatem dederat, retinebit adhuc illam, quam iam ipse Pœnitentiarius non habet. Probatur sequela: quia si mortuo, vel amoto ab officio delegante, non expirat potestas in delegato: ergo multò minùs expirabit ex eo, quòd delegantis potestas sit aliquantulum diminuta.

48. Respondeo dupliciter posse Pontificem auferre illam facultatem. Primò, reuocando omnes facultates, seu, quod idem est reseruando sibi, vel alicui Tribunali determinato illam facultatem absoluendi, vel dispensandi: & tunc non est dubium, quin delegatus ille amitteret suam facultatem per reseruationem de nouo factam. Secundò, posset Pontifex soli Pœnitentiario, v.g. auferre illam facultatem, quam priùs Pœnitentiarij habebant: & tunc non video, cur delegatus, qui iam anteà acceperat illam facultatem à potente eam communicare, debeat illam perdere. De facto enim in Bullario Regularium plures facultates, & priuilegia inueniuntur concessa Regularibus à Summis Pœnitentiariis qui ea concedere poterant; quæ certè non amitterentur, licet Pontifex nunc extingueret omninò officium Summi Pœnitentiarij. Ergo à fortiori non amitterentur, licet officium illud limitaretur, vel quoad aliquid diminueretur. Ad valorem enim illius facultatis non debet attendi, qualem potestatem habeat nunc, qui illam concessit: sed qualem habebat tunc, quando illam concessit. Si ergo poterat eam concedere, & concessit absque limitatione, & in perpetuum; non mirum, quòd delegatus, cui Pontifex nihil aufert maneat quoad illum casum cum maiori potestate, quàm is, à quo illam accepit.

DISPVTATIO XX.

De Ministro confessionis in ordine ad peccata reseruata.

Sectio I. *Qui, & quorum peccata possint reseruare.*

Sectio II. *Quæ peccata possint reseruari.*

Sect. III. *An possit Episcopus pro libito reseruare casus absque legitima causa.*

Sectio. IV. *An, & quomodo Prælati Regulares possint reseruare peccata.*

Sectio V. *De eo, qui potestate ordinaria absoluere potest a reseruatis.*

Sectio VI. *Vtrùm superior possit audire sola reseruata & absoluere pœnitentem ab illis.*

Sectio VII. *Vtrùm facta semel confessione cum* P. Ioann. de Lugo, de Pœnitent. *potente absoluere à reseruatis, censeatur ablata reseruatio pro omnibus, quæ pœnitens propter obliuionem omisit.*

Sectio VIII. *De Ministro, qui ex potestate delegata potest à reseruatis absoluere.*

Sectio IX. *Vtrùm Regulares possint virtute Bullæ Cruciatæ absolui à casibus suis Prælatis reseruatis, absque eorum licentia.*

Sectio X. *An possit aliquando absolui directè à subditis a reseruatis, sine recursu ad Superiorem.*

DIXIMVS de potestate iurisdictionis requisita ad absoluendum; nunc magis in particulari agendum de facultate, & iurisdictione requisita ad absoluendum à reseruatis, quod ad praxim omnino necessarium est, ad quam conabimur non solùm regulas communes assignare; sed iudicare etiam earum applicationem ad casus particulares magis dubios.

SECTIO I.

Qui, & quorum peccata possint reseruarè.

1. CErtum est de fide, esse in Ecclesia potestatem reseruandi peccata non solùm quoad exterius iudicium, & politiam: sed etiam apud Deum ita vt, facta reseruatione, absolutio data ab inferiori non sit valida coram Deo. Quod contra VViclephum latè probat Valdens. *secundo tomo de Sacramentis, cap.* 149. & contra Hæreticos nostri temporis definitum est expresè in Tridentino *sessione* 14. c. 7. vbi ex natura, & conditione iudicij, quæ huic Sacramento competit, & ex Ecclesiæ vsu id probatur, & definitur extra mortis articulum Sacerdotes alios in casibus reseruatis nihil posse, & reseruationem non tantùm in externa politia, sed etiam coram Deo vim habere: quod idem postea *canone* 11. repetitur. Ratio autem est clara, quia cùm in hoc Sacramento requiratur non solùm Ordinis potestas, sed etiam iurisdictio, quæ inferioribus à Superioribus communicari debet; consequens est, vt Superior possit hanc iurisdictionem magis, vel minùs limitare, dando illam ad plures, vel pauciores personas: ad plures, vel pauciores causas, provt ipsi visum fuerit: quod est reseruare sibi absolutionem earum, quas inferiori non concedit.

2. Hinc constat primò, Summum Pontificem pro suprema, & vniuersali potestate posse sibi reseruare aliqua peccata pro tota Ecclesia: Episcopos item, per se loquendo, posse pro suo Episcopatu: Parochum denique pro sua parochia; ita tamen, vt reseruante Pontifice, nemo possit absoluere, nisi de licentia ipsius Pontificis: reseruare Episcopo possint absoluere alij de licentia Summi Pontificis. Denique, si Parochus reseruaret, possent alij absoluere de licentia Papæ, vel Episcopi. Et ideò non solent Parochi reseruare: quia esset ferè inutilis illa reseruatio. Possunt item Prælati Regulares, etiam locales, reseruare sibi aliqua peccata, nisi prohibeantur à Superioribus, provt prohibiti sunt de facto à Clemente VIII. reseruare, nisi certa peccata expressa, de quo postea dicemus.

3. Difficultas esse potest, quomodo possit Episcopus reseruare sibi aliquos casus, à quibus Parochi absoluere non possint. Nam Parochi, eo ipso, quod sunt Parochi, sunt Pastores, & habent iurisdictionem ordinariam in suas oues, quam iurisdictionem non videntur omnino habere ab Episcopo,

copo, sed ex institutione Summi Pontificis, à quo procedit parochiarum diuisio. Et licèt aliqui Parochi accipiant beneficium ab Episcopo, & dependeant ab illo in fieri; non tamen videntur dependere in conseruari: cùm beneficium semel collatum non possit Episcopus auferre sine grauissima causa in pœnam delicti; quomodo ergo potest Episcopus facere, quod Parochus manens Parochus non habeat iurisdictionem in suas oues, & non possit eas absoluere?

4. Pater Suarez *in præsenti, disput. 29. sectione 1. n. sexto* & Pater Vasquez *quæst. 91. art. 3. dub. 1. num. 10.* cum Nauarro *in summa, cap. 27. numer. 263.* dicunt Episcopos habere ex concessione, & commissione Pontificis, reseruare posse peccata, & Parochorum potestatem quoad hanc partem limitare. Hæc tamen responsio non videtur mihi satis iuxta mentem Tridentini *dicto capite septimo*, si eius verba attentè considerentur: sic enim ait Concilium: *Neque dubitandum est, quando omnia, quæ à Deo sunt, ordinata sunt, quin hoc idem* (scilicet reseruare sibi peccata) *Episcopis omnibus in sua cuique diœcesi, in ædificationem tamen, non in destructionem liceat, pro illis in subditos tradita supra reliquos inferiores Sacerdotes auctoritate, præsertim quoad illa, quibus excommunicationis censura annexa est.* Vbi concilium videtur hanc potestatem in iure potiùs fundare diuino, vt constat ex illis verbis: *Quæ à Deo sunt, ordinata sunt*, & ex illis: *Pro data illis in subditos auctoritate.* Sicut ergo Christus voluit Episcopum habere auctoritatem maiorem in subditos, quàm alios Sacerdotes; sic voluit, quòd possent sibi aliqua peccata reseruare, à quibus alij Sacerdotes absoluere non possent.

Concil. Trident.

5. Possumus fortasse vtrumque dicendi modum conciliare, si distinguamus concessionem directam, & indirectam; & dicamus; directè fundari hanc Episcopi potestatem in iure diuino, indirectè verò in voluntate Pontificis: ex institutione enim diuina est, vt sint Episcopi, qui potestatem habeant in suos subditos, & qui eos debeant pascere per se, vel per alios, quibus id munus possunt committere plùs, vel minùs, provt visum fuerit. Vnde poterunt reseruare sibi aliquam partem iurisdictionis, quam nollent communicare inferioribus. Quia tamen Summus Pontifex, vt Supremus Pastor; debebat etiam Episcopos dirigere, & eorum ouibus prouidere? ideo ipse instituit Parochiarum diuisiones, & voluit illos perpetuò durare in suo munere, & curam habere immediatam de suis parochianis, & habere potestatem in illos, sicut haberent ij, quibus Episcopi id committerent. Vnde non est dubium, quin, si Pontifex dedisset hanc potestatem Parochis absolutam, & independentem ab Episcopis; sicut eam dat Religiosis; quod Episcopi non possent eam limitare per casuum reseruationem: sicut neque Religiosis poterant ante decretum Clementis VIII. qua ablata fuit facultas Religiosis absoluendi à reseruatis Episcopo intra Italiam. Cœterùm, quia Pontifex noluit ita eximere Parochos à subordinatione Episcopis debita; reliquit eos, sicut essent, si fuissent meri Vicarij ab Episcopo constituti; ita vt licèt plures Parochi accipiant beneficia sua ab ipso Papa, & ij qui accipiunt ab Episcopo, non sint amouibiles ab ipso; adhuc voluerit Papa, quod subessent Episcopo, sicut si ab ipso pro libito possent auferri.

6. Neque ex hoc sequitur, quòd Episcopus possit pro libito auferre, vel extinguere Parochi munus. Nam in primis exemplum est clarum in ipsis Episcopis, quorum institutio, quoad gradum, est de iure diuino. Et licet Pontifex non possit, saltem licitè, extinguere, aut tollere omnino Episcoporum iurisdictionem; potest tamen limitare eorum potestatem, reseruando sibi plura peccata, à quibus Episcopi non possint absoluere: ita enim expediebat ad debitum ordinem in Ecclesia seruandum. Ergo eodem modo, licèt Episcopus non possit omnino tollere iurisdictionem, & potestatem Parochorum; poterit eam limitare, reseruando sibi aliqua peccata. Ad hoc ipsum est optimum exemplum in Prælatis regularibus, in quibus licèt generalis non possit extinguere, aut tollere potestatem inferiorum Prælatorum, potest tamen sibi aliqua reseruare, & posset plura, nisi fuisset prohibitus per decretum Clementis VIII. vt dixi. Stat ergo benè, quòd Episcopus possit reseruare aliqua peccata, & limitare potestatem Parochi, licèt hæc non sit auferibilis ab ipso Episcopo.

7. Confirmatur ex eisdem exemplis: quia, licèt Papa non possit licitè extinguere officium Episcoporum; potest tamen eximere plures ab eorum potestate, & facere sibi immediatos, provt de facto eximit Regulares, & alios sæculares, quos constituit sub cura alicuius Abbatis exempti. Item, Generalis Religionis potest eximere aliquem subditum à potestate Prælati loci, vel loci etiam prouincialis, licèt non possit auferre potestatem, & gradum aliorum Prælatorum. Denique, ipse Episcopus, licèt non possit auferre officium Parochi, potest aliquem parochianum eximere ab eius cura, & facere sibi immediatum: ergo poterit etiam eximere aliqua peccata à Parochi iurisdictione: plus enim videtur eximere aliquam personam totaliter ab eius iurisdictione, quàm aliquorum peccatorum absolutionem. Sicut ergo propter subordinationem debitam est in Episcopo potestas eximendi aliquam personam: sic potuit, & debuit manere, & conseruari potestas eximendi, seu reseruandi aliqua peccata, quæ meritò dicetur manere directè propter Christi institutionem, qui instituit munus episcopale, cui committerentur oues; indirectè verò ex confessione Pontificis non tam positiua, quàm negatiua, qua noluit eximere Parochos ab hac subordinatione, sed reliquit eos, provt essent, si ab ipso Episcopo, vt meri Vicarij sui constituerentur amouibiliter ad libitum.

8. Hinc infertur eum, qui reseruare potest, posse reseruare absolutionem sibi; vel posse etiam reseruare eam alteri, in quo sine causa hæsit Sotus *in quarta, distinctione decima octaua; quæstione secunda, articulo quinto*, dicens, si Episcopus reseruet vnum casum absoluendum à Decano, alium ab Archidiacono, &c. reseruationem esse ridiculam, & inualidam: quem benè impugnat Suarez *dicta sectione prima, numero octauo*, quia sicut poterat Episcopus reseruare sibi soli ea peccata, & postea vnum committere Decano, & aliud Archidiacono; cur non poterit antea ita reseruare, cùm hoc nihil aliud fit, quàm ex nunc committere absolutionem talibus personis? Addo tamen, id intelligi debere, quando peccata illa essent in diuersis personis: nam, si essent in eadem, cùm confessio non posset diuidi inter plures Confessarios; oporteret, quòd ille, cui grauius peccatum reseruatum est, haberet facultatem ad alia, vel certè recurrendum esset ad ipsum reseruantem, atque adeo perinde esset, ac si soli sibi reseruasset absolutionem in eo casu.

Quando

9. Quorum peccata an reseruari possint.

Quando secundam partem: *Quorum peccata reseruentur.* Regula generalis est, eorum peccata posse reseruari, qui subditi sunt reseruanti in hoc foro sacramentali, nisi aliqua specialis prohibitio Prælati superioris obstet. Dubium est de aliquibus personis in particulari. Et in primis dubitari potest de pueris an eorum peccata intelligantur reseruata. Negant aliqui apud Dianam *primo tom. tract. 15. miscellan. resolutione 1.* vbi pro ea sententia affert Paludanum, Graffium, & Bellochium. Affert item ex illis rationem: quia sicut minor ætas in foro externo non excusat à pœna ordinaria; ita & in animæ iudicio. Hæc tamen ratio ad summum probat de reseruatione, quæ statuitur, vt pœna; non de ea, quæ non est, vt pœna; sed vt medicina. Quare ratio illa non probat de casu ibi proposito; quando, scilicet, peccatum Sodomiæ est reseruatum in aliquo Episcopatu: nam reseruatio illa non est pœna; sed est lex determinans casus, in quibus pro meliori remedio applicando debet recurri ad Prælatum pro absolutione: si autem esset pœna, non incurretur ab ignorantibus reseruationem, vt statim videbimus, & docet idē Diana cum aliis *secundo tom. tract. 5. miscellan. resol. 12. & 13.* Certum autem est, illam reseruationē afficere eam ignorantes, vt constat ex praxi omnium Religionum, in quibus ignorantia reseruationis non tribuit facultatem absoluendi pœnitentem, qui reseruationem ignorauit.

10. Loquendo ergo de reseruatione, quæ non sit pœna, non video fundamentum illius exceptionis, vt peccatum mortale commissum à puero non sit reseruatum: quod meritò affirmant Homobonus *de casibus reseruatis, parte prima, c. 3.* Lazarius *tract. de blasphemia, quæstione 9. numero 42.* & Floronus *de casibus reseruatis, parte prima, cap. 3. numero 3.* Quādo verò reseruatio esset pœna, iudicandum erit de illa iuxta diuersas sententias circa illam quæstionem, an, & qua ætate pueri incurrant pœnas Ecclesiasticas à iure statutas: de qua videri potest Sanchez *lib. 1. in Decalog. cap. 12. num. 7. & 8.* vbi alios refert, & Diana *2. tom. tract. 6. miscellan. resolut. 88.*

11. Deo, qui tollat reseruationem.

Secundò dubitari potest de ignorantibus reseruationem pœnalem, an illam incurrant: de quo latè Thomas Sanchez *lib. nono de matrimonio, disput. 32. à num. 15.* vbi refert plures dicentes, ad incurrendam pœnam Ecclesiasticam non requiri scientiam prohibitionis iuris positiui. Alij dicunt eam scientiam requiri: quam sententiam ipse sequitur: & *n. 18.* dicit in terminis reseruationem, quæ imponitur in pœnam delicti, quod prohibetur aliqua Bulla Pontificia, non incurri ab ignorante inuincibiliter illam Ecclesiæ prohibitionem. Denique alij dicunt requiri non solùm scientiam prohibitionis; sed etiā talis pœnæ impositæ: quare ignorans inuincibiliter reseruationem peccati impositam, non illam incurret: quam sententiam ipse Sanchez existimat probabilem, licèt contrariam teneat vt probabiliorem. Cæterùm, quia quæstio hæc generalis est ad omnes pœnas Ecclesiasticas, sufficiat indicasse sententias probabiliores, quæ in hoc puncto sunt, vt vnusquisque in facti occurrentia possit eam doctrinam probabilem ad praxim applicare.

SECTIO II.

Quæ peccata possint reseruari.

12. De venialibus.

PRimò dubitatur de peccatis venialibus, an possint reseruari. Quæ quidem quæstio pendet omninò ab illa alia, an iurisdictio ad absoluendum à venali detur à solo Christo, an ab Ecclesia. Qui enim dicunt dari à solo Christo, consequenter debent dicere non posse reseruari ea peccata, cùm Ecclesia non possit auferre potestatem à Christo in ipsā ord natione Sacerdoti datam: atque ita consequenter Pater Vasquez *quæstione 91. articulo tertio; dubio secundo.* Iuxta aliam verò sententiam, quam *supra* amplexi sumus, dicentem eam iurisdictionem dari ab Ecclesia, & non à solo Christo, Vasquez ibi dicit, adhuc non posse reseruari ea peccata quia reseruare, non solùm est auferre iurisdictionem ad aliquod veniale soluendum, verbi gratia, mendacium; sed est reseruare sibi iudicium, obligando pœnitentem ex institutione huius Sacramenti ad confitendum, & subiiciendum tale peccatum coram reseruante. Sed hæc erit quæstio de nomine: nam reseruatio à multis non sumitur in eo sensu rigoroso; sed solùm provt significat reseruationem potestatis apud se auferendo eam omnibus aliis. Sicut etiam Papa dicitur reseruasse sibi concessionem indulgentiæ plenariæ, quando eā facultatem abstulit aliis Episcopis: nam licèt non obliget fideles ad petendam illam indulgentiam, neque ea sit illis necessaria simpliciter ad expiandum debitum pœnæ, cùm possint aliis remediis iuuari; dicitur tamen reseruasse sibi eam concessionem, quatenus noluit alium, præter ipsum, posse eam indulgentiam concedere. Sic ergo posset reseruare absolutionem à venialibus, si auferret aliis potestatem absoluendi. Quorum ad hoc tamen est quæstio de vocibus: de re autem dicendum est posse validè reseruari à Summo Pontifice, reuocando, quoad aliqua venialia facultatem, quam dedit: non tamen expedire, quia esset ferè inutilis omninò talis reseruatio.

Secundò idem à fortiori dici potest de peccatis mortalibus, quæ iam iterum in confessione sunt clauibus legitimè subiecta; posse quidem reseruari eorum absolutionem validè, cum illam etiam potestatem dixerimus procedere ab Ecclesia; non tamen expedire, cùm esset æquè inutilis talis reseruatio.

13. Peccata interna.

Tertiò dubitatur de peccatis mortalibus merè internis, de quibus certum est, loquendo de possibili, posse reseruari, vt cum aliis tradunt Suarez, & Vasquez *locis suprà citatis*: quia non minùs requiritur iurisdictio in Confessario ad hæc peccata absoluenda, quàm ad externa. Si ergo Superior neget hanc facultatem, non remanet iurisdictio in inferiori. Nec facit ad rem, quòd Ecclesia non habeat facultatem ad præcipiendos, vel prohibendos actus merè internos: quia in præsenti potestas non est ad peccata, sed ad concessionem iurisdictionis in ordine ad absolutionem; quæ absolutio est actus externus. Sicut etiam Pontifex reseruat sibi dispensationem voti meri interni circa aliquas materias.

14. Loquendo autem de facto licèt apud Religiosos aliquando reseruata fuerint peccata etiam interna: Pontifex tamen nunquam ea sibi reseruat; neque etiam Episcopi communiter consueuerunt ea reseruare. Si aliquis autem Episcopus aliquod peccatum internum propter eius specialem grauitatem reseruaret, v. g. hæresim internam, provt aliquis dicitur reseruasse; valida erit reseruatio. Sotus tamen *dicta distinctione 18. quæstione secunda, articulo 5.* reprehendit acriter talem reseruationem? Et quidem rarò expediet, maximè, si non solùm Confessariis delegatis, sed etiam habentibus iurisdictionem ordinariam immediatam negetur potestas

absoluendi. Reseruatio enim exigit, ad hoc, vt prudenter fiat, necessitatem coërcendi; aut adhibendi remedium speciale: quæ ad peccata merè interna communiter non reperitur: quia, si peccator reuera non corrigitur, & emendatur, citò progredietur ad actum externum, ratione cuius reseruari potest.

15. *Qualis actio externa requiratur.*

Aduertendum autem est, aliquando reseruari aliquod peccatum externum, quando est consummatum: & tunc non est dubium, quin non sufficiat quæcumque actio externa, nisi habeat vltimam consummationem: vt reseruato homicidio, vel fornicatione, non sufficit percussio ex animo occidendi, nec tentare fornicationem, & sic de cæteris. Aliquando verò reseruatur peccatum circa castitatem, quoties in actum externum prodit: tunc autem requiritur etiam, quod ipsa actio externa secundùm se habeat grauitatem: nam si aliquis ex intentione mortali, & graui contra castitatem dicat alteri aliquod verbum turpe ex se leue, vel exerceat aliquam aliam actionem externam ex se leuem; licèt hæc actio denominetur mortalis ab intentione grauiter mala, à qua procedit; non erit reseruata: quia sicut sola voluntas interna non reseruatur; ita nec quando non procedit in actum externum, habentem ex se grauem malitiam, & indecentiam. Vt si reseruarentur peccata mortalia contra iustitiam, aut contra charitatem, quoties in actum externum prodeunt, non esset reseruatum peccatum, quando aliquis ex intentione mala, & grauissimo odio leuiter percutit, aut lædit proximum in corpore, fama, vel fortunis. Quam doctrinam immeritò censurauit Pater Luysius Turrianus *in selectis disputationibus, parte secunda, disput. 31. dubio 71.* vt improbabilem, & non tutam: quia illa est doctrina grauissimorum Doctorum, quam amplecti videntur Henriquez *lib. 6. cap. 14. num. 6.* Granado *2. 2. contr. 1. tract. 15. disp. 13. n. 14.* Eámque satis insinuat. P. Suarez *tom. 4. de Religione, tract. 8. lib. 2. cap. 18. num. 12.* vbi dicit, in casu reseruato peccati contra votum Religiosum castitatis opere consummati, per illa verba non intelligi omnia peccata, quæ non sistunt in consensu interno: quia in eo sensu includerentur omnia peccata externa habentia malitiam mortalem ex ipsamet materia, & actione externa, vt sunt tactus impudici, & similes. Addit verò statim *Dixi autem*, ex ipsamet malitia, & actione exteriori, *quia si materia exterior reuerà sit leuis, quamuis ex prauitate intentionis fiat actio exterior peccatum mortale, non erit reseruatum ex vi horum verborum: quia reuerà dici non potest opere consummatum.*

Suarez.

16. *Peccata dubia.*

Quartò dubitari potest de peccato mortali dubio, an possit reseruari. Et quidem, loquendo de possibili, certum videtur posse Superiorem id facere: quia, cùm ad ea peccata requiratur etiam iurisdictio; potest illam Superior negare: quo casu inferior, defectu potestatis, inualidè absoluet. Difficultas esse potest, an quando de facto simpliciter, & absolutè reseruatur aliquod peccatum, possit absolui ab inferiori pœnitens, qui dubitat, an in illum casum inciderit. Distinguendum autem rursus est de dubio proprio, seu negatiuo, & de dubio improprio, seu positiuo, quando vtrimque sunt rationes probabiles. Nam in hoc secundo casu, sicut potest Confessarius amplecti opinionem probabilem circa iurisdictionem; sic poterit amplecti iudicium probabile circa existentiam peccati reseruati, & iudicare practicè, quòd peccatum non fuit reseruatum.

17. Quando dubium est negatiuum, & proprium; multi dicunt esse reseruatum, nec posse inferiorem absoluere. Ita tenent Armilla *verbo, Casus, numero 13.* Frias *tractatu de modo audiendi confessiones, parte secunda, capite octauo, cas. 2.* & dubitat Corduba *in regul. Diui Francisci; cap. 7. 9. 4. punto primo, cas. 5.* Alij distinguunt: nam si in illo dubio præsumptio stet in foro externo pro veritate delicti admissi, debet haberi pro reseruato: quia stante hac præsumptione, possessio est pro certitudine delicti, & illi præsumptioni standum est in vtroque foro, dum non probatur contrarium. Verbi gratia, si dubium sit, an, quando protulisti hæresim externam, eam etiam inter vos credideris, vel, an protuleris animo eam asserendi: quod totum requiritur, vt sit de facto peccatum reseruatum: censebitur reseruata, quia præsumptio est contra te, cùm verba sint signa conceptuum, & nemo præsumatur dicere, nisi id, quod interiùs sentit, & animo asserendi, atque ideò indicaretur ille homo hæreticus in foro externo, ergo etiam in foro interno. Ita docet Thomas Sanchez *libro primo in Decalog. cap. 10. num. 74.* quem sequitur Alphonsus de Leone *de potestate Confessar. parte 1. recollect. 15. num. 25.*

Alij tamen absolutè, & absque distinctione dicunt in dubio non censeri peccatum reseruatum. Ita Suarez *tom. 5. de censuris, disput. 20. sect. 6. numero 5.* & *tom. 2. de religione, lib. 4. cap. 5. n. 15.* Henriquez *libr. 6. de Pœnitentia, cap. 26. n. 7.* Filliucius *tom. 2. tractat. 21. cap. 4. num. 172.* Gaspar Hurtado *de Sacramento pœnitentiæ, difficultate 11. dubio 6. verbo, Casus reseruati, num. 5.* Ochagauia, Homobonus, Laurentius Portel. & Thomas Merolla, quos refert Diana *tom. 3. tractat. 3. de conscientia dubia, resolutione 4.* Et quidem Pater Thomas Sanchez videtur vel discessisse à sententia illa, vel certè non processisse consequenter: nam *lib. 4. in Decalog. c. 44. n. 3.* & *c. 40. n. 26.* tandem concludit, licèt præsumptio stet pro voto castitatis emisso, quia verba prolata fuerunt talia, in dubio tamen de intentione, licèt votum obliget propter illam præsumptionem; non tamen esse reseruatum: quia reseruatio est odiosa, & restringi debet ad casus certos, non ad dubios: atque ideò reseruato voto castitatis intelligi debet votum certum, quod solum est votum castitatis simpliciter & absolutè. Non video autem, quomodo possit hoc cohærere cum superiori doctrina: tam odiosa enim est reseruatio absolutionis, quàm reseruatio voti, & fortasse magis. Si ergo reseruatio voti intelligitur de voto certo, non de dubio, & hoc licèt adhuc votum dubium obliget propter præsumptionem, quæ stat pro illius valore, idem dici debet de reseruatione peccati, vt reseruata hæresi, v. g. intelligatur de peccato certo hæresis, non de dubio, licèt præsumptio stet pro veritate delicti. Quare hæc sententia verior mihi videtur absque vlla distinctione: quod tamen non procedit, quando in iure extenditur pœna ad casum dubium, vt irregularitas ad homicidium dubium.

Nec obstat argumentum illud desumptum à foro externo, in quo reputaretur, & puniretur, vt hæreticus, propter præsumptionem fundatam in verbis: est enim clara differentia: nam in foro externo verba externa probant hæresim internam, & hæc probatio non infirmatur sufficienter, cùm nihil afferatur, quod in foro externo probet contrarium: atque ideò reputaretur hæreticus simpliciter, & absolutè. At verò in foro interno contra præsumptionem fundatam verbis affertur aliquid eius vim infirmans, nempè, conscientia, & testimonium pœnitentis dicentis, se dubitare de consensu interno: quod quidem, licèt in foro externo non crede

crederetur; creditur tamen in foro conscientiæ, in quo stari debet dicto pœnitentis: quare creditur, quòd verè dubitet de cõsensu ad hæresim requisito.

20. *Quid, si post absolutionem esset dubiū.* Petes si propter dubium illud inferior absoluit ab hæresi, v.g. vel alio peccato reseruato, & posteà pœnitens re meliùs examinata, deponat dubium, & recordetur certò peccati commissi, quod erat reseruatum, an censeatur iam legitimè absolutus; an verò debeat recurrere ad Superiorem pro absolutione. Videtur dicendum, ablatam esse iam reseruationem, si iuxta id, quod diximus *suprà disp. 16. sect. 2.* probabile esset, quòd qui confessus est peccatum dubium, licèt posteà recordetur fuisse certum, non teneatur illud iterum, vt certum, confiteri: quia iam fuit ab illo directè absolutus sub conditione, si fuerat commissũ: similiter enim in casu præsenti remanet directè absolutus: quia ille, qui in dubio absoluit ab hæresis peccato, ad hoc maximè absoluit, vt si verè fuit peccatũ, remittatur: ergo, si posteà constat fuisse verè peccatũ, cõstat etiã fuisse absolutum directè: ergo nõ remanet obligatio illud iterũ Superiori confitendi.

21. Aliundè tamen obstare posset, quod, licèt id in peccatis non habentibus censuram posset dici, non videtur tamen habere locum in iis, quæ reseruantur ratione censuræ reseruatæ, qualis est hæresis: nam, si reuerà commissum fuit tale peccatum, quamuis pœnitens sit posteà dubius incurrit tamen re ipsa excommunicationem, & quidem excommunicatione reseruatam: non est enim alia excommunicatio pro tali peccato; vel si sit alia, loqui possumus de peccato non habente nisi vnicam excommunicationem reseruatam: ab hac autem excommunicatione non potuit absoluere inferior: ergo sẽper remanet obligatio recurrendi ad Superiorem pro absolutione illius excommunicationis reseruatæ, quando constat posteà certò fuisse incursam.

22. *Quid de voto dubio.* Adhuc tamen existimo absolutè satis probabile, non esse recurrẽdum ad Superiorem posteà pro absolutione peccati, aut excommunicationis. Ad quod est optima doctrina eiusdem Sanchij *dicto cap. 44. n.* 10. vbi proponit casum similem de illo, qui dubius de voto castitatis emisso, petiit dispensationem ab Episcopo, vel ab alio potente dispensare in votis nõ reseruatis; quia ratione dubij dispensauit, eo quod votum castitatis dubium non sit reseruatum, etiam eo casu, quo propter præsumptionem obliget votũ: posteà verò comperta veritate, & certitudine voti quærit Sanchez, an debeat recurrere ad Papam pro eius dispensatione: & respondet negatiuè: quia recta Ecclesiæ gubernatio hoc exigit: & quia cùm ratione dubij tunc votum non esset reseruatum, potuit tunc in illo inferior dispensare, qui legitimè vsus est potestate, quam habebat dispensandi in votis dubiis. Quod quidem mihi verissimum videtur: quia alioquin dispensatio fuisset vana: non enim dispensatur sub conditione, si non fuit votum; sed potiùs sub conditione, si fuit verè votum: nam, si non fuit votum, non est dispensabile: ergo, si Episcopus potest tunc dispensare, potest tollere obligationem casu, quo fuerit.

23. Ex hoc exemplo arguere possumus ad casum nostrum: quia, sicut votum in dubio non est reseruatũ; sic nec peccatum, vel excommunicatio illa, vt supponimus ex citatis Auctoribus: ergo, sicut in dubio voti Episcopus, v.g. dispensat, & dispensatio manet valida licèt posteà constet de voti certitudine; sic absoluens ab hæresi dubia, validè absoluit, & absolutio valebit, licèt posteà conster de certitudine censuræ incursæ: non enim fuit data sub conditione de futuro scilicet, si postea non constaret de veritate: quia non est in vsu Ecclesiæ talis modus absoluendi ab excommunicatione: ergo, si in dubio tollitur reseruatio, & datur potestas absoluendi à censura; absolutio valida est, quidquid posteà consequatur: si autẽ semel valida fuit, non potest posteà excommunicatio redire sine noua culpa: non enim data fuit absolutio ad reincidentiam, nec dari potuit, nisi in casibus expressis in iure, qualis non est iste: ergo manet pœnitens absolutus ab excommunicatione. Portò validam fuisse ab initio absolutionem durante dubio, negari non potest: quia alioquin ille sic absolutus non esset capax suffragiorum, aut beneficiorum, imò nec licitè Sacramentorum, nisi per accidens propter ignorantiam: quæ omnia absurda sunt. Denique, si semel ablata est censura, eo ipso cessauit reseruatio peccati, quod reseruatum erat ratione censuræ, nec potest redire reseruatio, non redeunte ipsa censura.

24. Hinc constat iam responsio ad rationem dubitãdi *suprà* positam: dicimus enim Sacerdotem inferiorem absoluere quidem ab excommunicatione, quam hæreticus, v. g. incurrebat, & quæ reseruata erat secundùm se; sed cessauit reseruatio propter dubium adueniens, in quo dubio suspenditur reseruatio: ita tamen, vt si durante illo dubio, non absoluatur pœnitens, posteà cessante dubio redeat reseruatio, & iam non possit absolui ab inferiore: nam reseruatio non est sicut excommunicatio, quæ non redit sine noua culpa sed est ablatio potestatis, quæ potestas dari potest pro aliquo tempore, vel circumstantia, & auferri posteà, vt fit tempore Iubilei, quo cessat reseruatio, & transacto illo tempore redit pro iis, qui noluerunt lucrari Iubileum. Sic item aufertur, quãdiu durat dubium, atque ideò tunc censura, & peccatum possunt auferri ab inferiori: cessante autem dubio, redit reseruatio, si non fuit data absolutio tempore præcedenti.

25. *Peccata sine censura an reseruentur.* Quintò quæri solet, an de facto reseruentur peccata sola, quibus est annexa excommunicatio. Dubium autem esse potest solùm de iis, quæ Pontifex sibi reseruat: nam de aliis Prælatis inferioribus non est dubium, cùm Episcopi, & Prælati regulares plura peccata sine censura soleant reseruare. De Summo Pontifice communiter dici solet, non reseruare de facto peccatum, nisi simul cum excommunicatione: hoc tamen non ita esse vniuersaliter verum, vt aliquando non reseruauerit sibi peccata absque excõmunicatione constat ex Bulla Sixti V. contra malè promotos, quam refert Sanchez *in præsenti disput. 29. sect. 2. num.* 5. in qua peccatum illud absque aliqua excommunicatione sibi reseruat.

26. Dubium est, an in iis casibus pontificiis reseruatio cadat immediatè supra solam censuram, & ratione illius reseruetur peccatum consequenter, quatenus non potest aliquis à peccato absolui, manente excommunicatione: quem modum dicendi indicare videntur Durandus, & Caietanus apud Suarez *ibi num.* 7. Ipse tamen Suarez *num.* 8. & Vasquez *q. 91. art. 3. dub. 1. num.* 15. cum aliis meritò docent, reseruationem cadere immediatè super vtrumq; quod nos etiam diximus *disput. 14. de Eucharistia: sect.* 5. quia alioquin in casu necessitatis ad communicandum, vel celebrandum, posset, & deberet aliquis cõfiteri inferiori peccatum illud: & licèt ab excommunicatione non posset absolui; absolueretur tamen directè ab illo peccato, quod secundùm se non esset reseruatum, atque ideò pro absolutione peccati non deberet ampliùs recurrere ad superiorem, sed solùm pro absolutione à censura.

27. Vndè obiter aduerte id, quod in eodem loco diximus: quando reseruatur peccatum externum, non solùm reseruari actum externum; sed etiam ipsum actum internum, provt condistinguitur ab externo: atque ideò eum, qui non habet copiam Superioris,

à quo absoluatur à peccato reseruato, licèt in casu necessitatis ad communicandum extra mortis articulum debeat alia peccata non reseruata cõfiteri inferiori Confessario, qui ab illis directè absoluit; non tamen debere confiteri illi actum internum illius peccati reseruati: quia, licèt voluntas occidendi, v.g. Clericum, non sit reseruata secundùm se; quando tamen conjungitur cum effectu, & subsequitur actus externus, totum est reseruatum, quoad externum, & quoad internum; & neutrum potest directè absolui à Confessario inferiori.

28. *An reseruari possit peccatũ, etiam quoad absolutionem indirectam.*

Vltimò circa hæc quæri potest, an Superior possit ita reseruare peccatum aliquod, vt non solùm non possit ab inferiori tolli directè, sed neque etiam indirectè, absoluendo directè ab aliis peccatis. Distinguendum est: nam, si sermo sit de summo Pontifice, negari non debet in eo talis potestas: cùm enim ab ipso procedat tota iurisdictio in alios, ipso illam suspendente totaliter in aliquo casu, non posset inferior validè absoluere ab vllo peccatõ. Loquendo autem de aliis Prælatis inferioribus, ipsi non possent id facere: quia ad minus inferior retineret facultatem absoluendi à venialibus, à quibus, si in casu necessitatis extra mortis articulum directè absolueret, consequenter absolueret indirectè pœnitentem dispositum ab omnibus aliis: non potest enim Prælatus inferior auferre iurisdictionem ad venialia, cùm hanc non ab ipso, sed à Summo Pontifice Sacerdotes omnes accipiant.

29. An verò posset, saltem Prælatus inferior, auferre Confessario facultatem absoluendi directè ab omni alio mortali eum, qui haberet tale peccatum reseruatum; rursus distinguendum est: nam respectu habentis solùm iurisdictionem ab ipso delegatam, valida esset proculdubiò talis reseruatio: respectu verò habentium iurisdictionem ordinariam, quales sunt Parochi, & alij similes; pendet ab illa quæstione, an nimia, & excessiua casuum reseruatio valida sit, de qua nunc dicendum erit.

SECTIO III.

An possit Episcopus pro libito reseruare casus absque legitima causa.

30. SVppono primò, Summum Pontificem validè reseruare posse omnes casus, licèt illicitè id faceret, quando nimia reseruatio esset potiùs in destructionem, quàm in ædificationem Ecclesiæ: reseruatio tamen valeret, quia iurisdictio omnium inferiorum dependet, vt suppono à Summo Pontifice: quare, licèt ipse peccaret, non relinquendo ordinem debitum, & potestatem necessariam in inferioribus; validè tamen id facere. Videatur Suarez *in præsenti, disp. 29. sect. 4.*

Suppono secundò, Episcopum non posse licitè reseruare casus, ita vt reseruatio esset magis in damnum, quàm in bonum subditorum, quorum saluti consulere debet non solùm ex charitate, sed ex obligatione etiam sui officij, atque adeò ex iustitia: esset autem in damnum subditorum, quando propter nimiam, & frequentem reseruationem quamplures ob absolutionis difficultatem diu iacerent in statu peccati; & Sacramentorum remediis non vterentur. Difficultas est, an eo casu reseruatio non

31. solùm esset illicita, sed etiam inualida.

Prima sententia affirmat forè inualidam. Hanc tenẽt Soto, & Richardus, quos refert, & sequitur Vasquez *quæst. 91. art 3. dub. 4.* & alij quos refert, & sequitur etiam Henriquez *lib. 6. cap. 14. num. 3. littera P.* Nam in Concilio Tridentino *sess. 14. c. 7.* dicitur, Episcopos reseruare posse non in destructionem, sed in ædificationem. Secunda sententia dicit, peccare quidem Episcopum, reseruationem tamen forè validam. Hanc tenẽt Syluester, & Henricus, quos refert & sequitur Suarez *dicta sect. 4.* & alij, quos refert Henriquez *dicto num. 3.*

In hoc puncto controuersia in ordine ad praxim 32.
parum potest deseruire: nam, licèt cum prima sententia dicas, reseruationem esse inualidam; in praxi tamen non potest moraliter occurrere casus, in quo de reseruatione hîc, & nunc facta iudicari posset esse inualidam. Si enim compatemus peccata, & casus, quorum absolutionem sibi reseruarunt Summi Pontifices, siue in corpore iuris, siue in Conciliis, siue in Bullis particularibus, absque proportione excedunt numerum peccatorum, quæ Episcopi sibi vnquam reseruarunt. Et tamen maius damnum timeri posset in genere loquendo, & ex natura rei ex reseruatione facta Summo Pontifici propter maiorem eius distantiam, & propter difficiliorem multò absolutionem, quàm ex reseruatione Episcopali, 33
cùm Episcopus faciliùs adiri posset à pœnitente, vel per seipsum, vel per Confessarium. Si ergo illa non æstimatur nimia reseruatio respectu Summi Pontificis, non apparet, quomodo possit practicè iudicari excessiua reseruatio aliquorum peccatorum, quæ Episcopus sibi reseruet.

Fateor tamen, excessum reseruationis non tam 33.
ex multitudine casuum reseruatorum, quàm ex eorum qualitate pensandum esse. Vndè vt reseruatio Episcopi censeatur nimia, non requiritur quòd plures species peccatorum reseruet, quàm Papa: sed attendendum est ad eorum qualitatem. Nam casus Summo Pontifici reseruati, communiter loquendo, sunt rarò contingentes, & vix in mille pœnitentibus inuenies vnum, qui in eiusmodi peccata inciderit. Vndè, si Episcopus reseruaret duo, vel tria genera peccatorum, v. g. actus & verba lasciua, omissionem Missæ in die festo, furtum rei grauis; multò grauior esset hæc reseruatio, quàm tota reseruatio pontificia: quia propter maiorem frequentiam horum peccatorum, multò difficilius redderetur subditis Sacramentum Pœnitentiæ. Sed neque ex reseruatione alicius peccati frequentis posset statim iudicari excessiua reseruatio Episcopi, cùm videamus reseruatam Pontifici quamlibet percussionem, vel manum violentam in Religiosum, aut Clericum quemlibet iniectam, quod peccatum frequentissimum est. Quare in praxi vix potest moraliter occurrere casus, quo iudicari possit inualida reseruatio Episcopi propter casuum multitudinem, aut frequentiam. 34

Aduertendum etiam est, Auctores primæ sententiæ non loqui de reseruatione Episcopi in ordine ad Confessarios, qui solùm ex meta eius delegatione iurisdictionem haberent. Nam iis sicut potest nullam dare iurisdictionem, sic potest eam pro libito limitare, vel omninò auferre. Sed loquuntur 38.
in ordine ad Parochos, qui licet beneficium ab Episcopo accipiant, non tamen possunt pro libito Episcopi sua potestate, & iurisdictione priuari: quia facta diuisione parochiarum, non potest Episcopus sine Auctoritate Summi Pontificis Parochos amouere, & omnem eorum iurisdictionem ad se aduocare. Vndè eodem modo dicendum videtur in ordine ad Regulares, quos si Episcopus approbet, iam ij non dependent ab Episcopo, quoad iurisdictionem, quam per sua priuilegia accipiunt à Summo Pontifice: quare non magis potest Episcopus eam per nimiam reseruationem casuum limitare, quàm iurisdictionem Parochorum, etiam vbi ex decretis Clementis VIII. Regulares non possunt absoluere à casibus Episcopo reseruatis.

Vndè

35. Vnde idem cum proportione dicendum est de reseruatione facta à Prælatis regularibus: nam ij, seclusa prohibitione Clem. VIII. potuissent procul dubio limitare validè iurisdictionem confessariis suorum subditorum, & reseruare sibi plura peccata: quia tota iurisdictio illorum Confessariorum erat merè delegata, & dependens ab ipsis Prælatis. Non tamen posset Generalis, v.g. vel Prouincialis, reseruare sibi plura, & plura peccata, limitando facultatem Prælatorum localium: quia hi, licèt eligantur à Prælatis superioribus, semel tamen electi sunt Parochi suorum subditorum, & non possunt Prælati superiores auferre illum ordinem per Religionis constitutionem stabilitum. Cæterùm, de facto Clemens VIII. determinauit, quæ, & qualia peccata possint Prælati regulares reseruare ad vitandum excessum omnem, qui in eo genere timeri posset.

36. His suppositis, ad dubium propositum respondere possumus amplectendo primam sententiam, si cum aliqua limitatione explicetur. Puto enim, non omnem reseruationem, quæ propter excessum illicitè ab Episcopo fiat, esse eo ipso inualidam, licet de aliqua id concedi possit. Prima pars probatur: quia nullibi inuenio talem irritationem reseruationis illicitæ, cùm eadem prorsus verba de Summo Pontifice dici possent.

37. Secunda verò pars, quòd scilicet, aliqua reseruatio posset esse inualida, probari potest ex dictis: quia Episcopus non potest pro libito amouere Parochum à suo officio; sed solùm ex causa propter ineptitudinem, vel in pœnam: ergo nec potest pro libito suo auferre illi iurisdictionem necessariam ad exercendum suum officium. Quare sicut ablatio Parochi sine causa, non solùm esset illicita, sed inualida; ita dicendum erit de ablatione iurisdictionis necessariæ ad exercendum suum officium: nam auferre talem iurisdictionem, perinde videtur se habere, ac si auferretur officium, cùm auferatur id, quod necessarium est ad Parochi officium exercendum: quando ergo reseruatio casuum tanta esset, vt moraliter loquendo, videretur non manere ille Parochus simpliciter, quia propter notabilem diminutionem, & limitationem potestatis non videretur iam moraliter idem officium, cùm officium Parochi constituatur per potestatem ad tales, & tales actus exercendos; consequens est, vt facta mutatione notabili in eiusmodi potestate, censeretur facta moralis mutatio in ipso officio: quare sicut Episcopus non potest pro libito auferre illud officium: sic nec poterit sine causa illud ita mutare, aut diminuere, vt iam non censeatur moraliter perseuerare illud officium, sed aliud diuersum.

38. Obiicit Suarez *n.7.* quia propter reseruationem casuum de nouo, ex quibus fit iam nimia, & excessiua reseruatio, non redderetur inualida reseruatio casuum præcedentium, qui iam antea reseruati fuerant. Sed nec fit inualida reseruatio casuum sequentium, cùm non sit maior ratio de his, quàm de illis: nec possit designari numerus casuum, qui validè reseruari possunt. Respondeo, non reddi quidem inualidam reseruationem anteà legitimè factam: quia vtile per inutile non vitiatur. Sicut, si aliquis possit commutare decem vota, & iis commutatis, vellet iterum commutare alia decem, priorum commutatio non redderetur inualida per inualidam commutationem posteriorem. Secùs esset, si simul commutaret viginti: tunc enim tota commutatio esset inualida, cùm excederet facultatem, & non esset maior ratio de his votis, quàm de illis, vt manerent validè commutata. Quod idem dici posset: si vnica reseruatione Episcopus vellet plura peccata reseruare vltra mensuram suæ potestatis: tunc enim tota reseruatio esset irrita, cùm non esset maior ratio de his peccatis, quàm de illis, vt reseruata manerent. Quòd verò ille numerus, qui validè reseruari potest, non possit à nobis certò designari: parum refert: quia nec possumus certò designare quantitatem pecuniæ, vel tritici, v.g. cuius furtum sit peccatum mortale. Sufficit ergo, posse scire in confuso aliquem terminum, ad quem non possit licitè, aut validè perueniri, licèt non possimus metaphysicè designare terminum, ad quem possit perueniri, & vltra quem non possit progredi. Quoad hoc autem eadem ferè est difficultas, licet dicas, illam reseruationem esse validam, sed illicitam: nam eadem interrogatio poterit fieri, an priores reseruationes reddantur illicitæ per posteriores, & an quando simul fierent, designari posset numerus casuum, qui licitè possent reseruari, & qui non possent:

SECTIO IV.

An, & quomodo Prælati regulares possint reseruare peccata.

QVæstio procedit de facto, & de iure nouo, iuxta Constitutionem Clementis VIII. datam *26.* Maij *1594.* qui moderatus fuit potestatem generalem, quæ eadem erat quoad hoc in Prælatis regularibus, ac in aliis omnibus; imò quoad aliquid multò maior: nam Episcopi, vt vidimus; licèt quoad Confessarios, qui ab ipsis habent delegatam iurisdictionem, possint pro libito reseruare casus, & limitare eorum Sacerdotum potestatem: quoad Parochos tamen, qui habent iurisdictionem ordinariam, non possunt pro libito; & sine causa eorum iurisdictionem limitare. At verò Prælati regulares, si de locabus fermo sit, non habent sub se Parochum, qui ex officio habeat iurisdictionem ordinariam ad absoluendos Religiosos: sed dant iurisdictionem delegatam Confessariis ordinariis totius Conuentus, quæ cùm sit merè delegata, posset à Prælato limitari, prout vellet. Cæterùm, Prælati Prouinciales, aut ipse Generalis non possent pro libito reseruare sibi casus, à quibus Prælati locales, qui sunt quasi Parochi suorum subditorum, non possent absoluere: sed quoad hoc haberent se, sicut Episcopi in ordine ad Parochos. 39.

Verùm, quia posset esse periculum, ne Prælati locales excederent in reseruandis casibus: prudenter prædictus Pontifex limitauit hanc potestatem designando vndecim casus, quos Prælati possent sibi reseruare, quos refert Suarez *disp. 29. sect. 3. num. 11.* non obligans ad illos reseruandos, sed permittens Prælatis illos reseruare. Deinde addit: *Si quod aliud peccatum graue pro religionis conseruatione, aut pro conscientia puritate, reseruandum videbitur id non aliter fiat, quàm Generalis Capituli in toto Ordine, aut Prouincialis in prouincia, matura discussione, & consensu.* Tertiò præcipit, *ne liceat Superioribus Regularium confessiones subditorum audire, nisi quando peccatum aliquod reseruatum admiserint, aut ipsimet subditi sponte, aut proprio motu id ab eis petierint.* Quartò addit, *vt Superiores in singulis Domibus deputent duos, tres, vel quatuor Confessarios pro subditorum numero maiori, vel minori: isque sint docti, prudentes, & charitate præditi, qui à non reseruatis eos absoluant, & quibus etiam reseruatorum absolutio committatur, quando casus occurrerit, in quo eam debere committi ipse in primis Confessarius iudicauerit.* Quintò declarat, *licere quidem Superioribus determinare* 40. Clem. VIII.

minare pœnitentias graues quibuſdam peccatis etiam non reſeruatis à Confeſſariis imponendas, quæ ſubditos ab huiuſmodi perpetrandis cohibere poſſint. Addidit poſteà,& declarauit, quòd ſi Superior,inſtante Confeſſario ordinario, negauerit facultatem abſoluendi à caſu reſeruato,ſi Confeſſarius iudicat debere concedi, poſſit pro ea vice abſoluere pœnitentem regularem, etiamſi à Superiore licentiam non habeat ita habetur *in tom* 4. *Bullarij,in Bulla* 26. *ſub Vrbano VIII.*

41. Hinc infertur primò, ſine fundamento dixiſſe P. Fagundez *lib.*3.*de* 3.*Eccleſiæ præcepto,c.*9.*n.*17.*ante medium*, Clementem prohibuiſſe, ne Superior vnquam audiat confeſſionem ſubditi, etiam habentis caſum reſeruatum. Quod quidem expreſsè eſt contra verba decreti ſuprà relata, vbi excipitur : *Niſi quando peccatum aliquod reſeruatum admiſerint,aut ipſimet ſubditi ſponte id petierint.* Quibus verbis duæ exceptiones continentur diſtinctæ, altera, quando ſubditus ſponte vult : altera, quando habet peccatum reſeruatum, in qua non petitur, quòd ſponte velit,alioquin ſufficeret vnica exceptio, nempe quãdo ſubditus ſponte vellet. Non eſt ergo negandum, quòd poſſit Superior aliquando, iuſtis de cauſis, negare facultatem, & cogere ſubditum, vt veniat ad ipſum Superiorem,de quo infrà.

42. Infero ſecundò, non poſſe Prælatum regularem reſeruare aliquod peccatum præter illa, quæ Pontifex ibi enumerauit:aut quæ à Capitulo generali, vel prouinciali determinata fuerint. Vnde nec reſeruationem à Capitulo factam poterit ipſe magis reſtringere : v. g. ſi in Capitulo reſeruatum fuiſſet peccatum aliquod mortale ,quando eſſet certum, & manifeſtum mortale, non poſſet Prælatus etiam generalis poſteà reſeruare abſolutionem illius peccati, non ſolùm quãdo eſſet manifeſtè mortale, ſed etiam in dubio:quia,licèt non eſſet aliud peccatum ab eo, quod Capitulum reſeruauit, eſſet tamen noua reſeruatio,in caſu, quo Capitulum noluit reſeruare, ſcilicet,in caſu dubij. Pontifex autem voluit, vt non fiat reſeruatio ſine diſcuſſione & conſenſu Capituli: cùm ergo Capitulum iudicauerit non eſſe reſeruandum illud peccatum, quando eſſet dubium non poterit Prælatus propria auctoritate illam nouam reſeruationem inducere:imò neque illa eadem peccata,quæ Pontifex nominauit, & in quibus dedit facultatem Prælatis reſeruandi illa, non poterit Prælatus propria auctoritate reſeruare illa, etiam in caſu dubio quia Pontifex ſolùm dedit facultatem illa reſeruandi. Diximus autem *ſuprà*, quando Pontifex reſeruat aliquod peccatum, non intelligi de peccato dubio: ergo:nec quando concedit facultatem reſeruandi tale peccatum, intelligitur de peccato illo dubio, ſed certo, cùm ſit eadem ratio.

43. Similiter, ſi Capitulum generale reſeruaſſet aliquod peccatum nouum præter aſſignata à Clemẽte, ita vt à Prælatis etiam localibus abſolui poſſet;non poſſet Prælatus prouincialis, vel etiam generalis propria auctoritate adimere Prælatis localibus facultatem abſoluendi, vel committendi abſolutionem illius peccati, quibus vellent, etiam in tali caſu,vel in talibus circumſtantiis : quia iam hoc eſſet limitare iuriſdictionem ordinariam Prælati inferioris, quam habet in ordine ad abſolutionem talis peccati, quam iuriſdictionem illis liberam reliquit Capitulum generale, quando liberam eis reliquit abſolutionem talis peccati atque adeo hoc eſſet ex parte reſeruare de nouo, ſeu reſtringere magis reſeruationem talis peccati : tantò enim magis eſt reſeruatum peccatum, quantò minorem habent facultatem alij inferiores circa illud. Si ergo Capitulum generale ſolùm reſeruauit hoc peccatum Prælato locali, aut habenti ab eo licentiam; magis reſeruatum erit, quando nec abſoluere poſſit habens licentiam à Superiore locali : non poteſt ergo propria auctoritate Prælatus prouincialis, vel generalis adimere Prælato locali auctoritatem committendi abſolutionem illius peccati, cui voluerit.

Infero tertiò,poſſe Capitulum generale,(& idem eſt de Capitulo prouinciali in ordine ad Prouinciam) reſeruare aliquod peccatum graue,ſolùm pro vna domo, vel pro aliquibus, & non pro toto Ordine, ſi id ita iudicetur expedire. Nam verba illa Clementis: *Id non aliter fiat, quàm generalis Capituli in toto Ordine, aut prouincialis in Prouincia matura diſcuſſione, & conſenſu*, non inducunt neceſſitatem reſeruandi collectiuè in toto Ordine, vel Prouincia; ſed neceſſitatem non reſeruandi in toto ordine, hoc eſt, in aliqua eius parte ſine conſenſu Capituli generalis; neque in Prouincia,ſine conſenſu Capituli prouincialis, vt notauit etiam Suarez *dicta ſect.*3. *num.*2. Quod rurſus confirmari poteſt: quia poſſet Capitulum prouinciale,v.g,reſeruare aliquod peccatum pro tota Prouincia, & poſtea idem Capitulum, vel Prælatus prouincialis concedere facultatem abſoluendi in hac, & illa domo, & ſic in omnibus, præter vnam : ſicut de facto poteſt concedere facultatem huic,& illi,& illi perſonæ,& poſſet pluribus,& pluribus, relinquendo reſeruationem proaliis. Ergo poterit ab initio reſeruari pro vna ſola domo, vel duabus : nam idem omnino eſt reſeruare pro tota Prouincia, & concedere facultatem aliis domibus, per vnam, ad abſolutionem, ac ſi reſeruetur ab initio pro vna ſola domo, cùm per conceſſionem facultatis re ipſa ablata ſit reſeruatio pro illis, quibus conceditur talis facultas. 44.

Dubitat Pater Suarez *num.*13. an non obſtante prædicto decreto Clementis, poſſint adhuc regulares Prælati præcipere aliquid ſub excommunicatione, cuius cenſuræ abſolutionem ſibi reſeruent : hoc enim perinde eſſe videtur, ac reſeruare illud peccatum,cùm per ſe loquendo,non poſſit pœnitens abſolui à peccato, niſi priùs abſoluatur ab excommunicatione illi annexa; à qua tamen ſolus Superior, vel alius ex eius commiſſione poſſet abſoluere.Reſpondet Suarez non eſſe ablatam hanc poteſtatem Prælatis,quæ eſt quaſi intrinſeca eorum officio,tum, quia verba Clementis ſolùm ſunt de abſolutione à peccato : *Nemo*, inquit, *ex Regularium Superioribus peccatorum abſolutionem ſibi reſeruet, exceptis iis*, &c. Non ergo prohibetur reſeruatio abſolutionis à cenſura : quia hæc diuerſa eſt abſolutione peccati : tum etiam, quia negari non poteſt poſſe Prælatos aliquid ſub excommunicatione præcipere, cùm Prælati ſint : eo autem ipſo excommunicationis abſolutio pertinet ad iudicem proferentem cenſuram, cùm ſit ab homine : maximè ſi Iudex id exprimat. Addit tamen meliùs forè, ſi Prælati id non faciant ſine conſenſu Capituli prouincialis,vt omne dubium tollatur. 45. An poſſint reſeruari caſus à Pontifice reſeruati.

Ego quidem remedium illud petendi conſenſum à Capitulo prouinciali parum conducere credo: quia, licèt Pontifex permiſerit Capitulo poteſtatem reſeruandi aliquod aliud peccatum; non credo tamen, quòd poſſet Capitulum concedere Prælatis facultatem generalem reſeruandi, quæ ipſi vellent: hoc enim eſſet apertè contra intentionem Pontificis, cùm ſtatim redirent res ad ſtatum antiquum, & idcirco ſolùm conceſſit Capitulo poteſtatem reſeruandi peccatum in particulari, vt colligitur ex illis verbis:*Si aliquod aliud peccatum graue reſeruandum videbitur, id non aliter fiat, quàm Capituli matura diſcuſſione & conſenſu* : in quibus de peccato particulari ſermo eſt, circa quod deſideratur diſcuſſio & examen 46. 48. Sanch.

examen ab ipso Capitulo faciendum: non ergo potest committere Capitulum hanc potestatem generalem Prælatis ad omnes casus, quos ipsi voluerint; & per consequens, si Prælatus non potest præcipere sub excommunicatione reseruata, non poterit ex generali concessione Capituli id facere.

47. Adhuc tamen cum P. Suar. existimabam, non esse sublatam Prælatis potestatem ferendi excommunicationem ipsis reseruatam: per accidens autem erit, quod obiter subditus non possit absolui à tali peccato propter censuram: nam ad ea, quæ per accidens, & indirectè fieri possunt, non ita debet attendi, cùm rariùs contingant. Vndè nemo negabit, quòd non obstante decreto Clementis possit Capitulum generale reseruare omne peccatum mortale inobedientiæ, contra præceptum inobedientiæ à Prælatis, impositum: qua reseruatione facta, sequi possent eadem inconuenientia: quia iam Prælatus posset antecedenter prohibere præcepto obedientiæ omnia peccata, quæ vellet sibi reseruare. Cæterùm, hoc per accidens sequeretur: & quia, quæ per accidens sequuntur, rarò sequuntur; non oportuit hunc etiam indirectum modum impedire, cùm possit adhiberi remedium, quando necessitas vrgeat, per aliud pontificium decretum. Sic ergo dicendum erit circa potestatem ferendi excommunicationem, ex qua indirectè, & per accidens, atq; ideò non nisi rarò sequi possunt eadem inconuenientia. Quare hanc sententiam tenent etiam Villalobos, Tamburinus, Coriolanus, Fagundez, quos affert Diana *tom. 2. de dubiis regul. resol. 49.* Contrariam tamen sententiam amplectitur Thomas Sanch. *lib. 6. de statu Relig. cap. 1. n. 16.* Molfesius, Megala, Peyrinus, & alij, quos refert, & sequitur idem Diana *ibi*: quam partem ego etiam amplector propter auctoritatem sacræ Congregationis Cardinalium, quæ respondit hoc decreto. *Cùm à nonnullis Regularibus dubitaretur, an in decreto felic. record. Clement. Papæ VIII. anno 1593. 16. Maij, super qualitate casuum ab eorundem Regularium Superioribus reseruandorum edito, censura etiam comprehenderetur, ita vt iisdē Superioribus absq; Capiculi generalis, aut prouincialis consensu, aliquibus peccatis in decreto huiusmodi non contentis excommunicationem annectere, eiusdemq; absolutionem sibi reseruare liceat? Sacra Congreg. Cardinalium negotiis Regularium Præpositorum, Illustrissimo Bandino referente, censuras in supradicto decreto comprehendi censuit. Romæ 7. Iulij 1617.* A. Mar. Episcopus Astiensis, Cardin. Gallus.

V. Theat. Secret.

§. 1. *Vtrùm, quando in Religione reseruatur peccatum inobedientiæ expressæ, qua quis dicit, se nolle parere, requiratur præceptum obedientiæ ad incurrendam reseruationem.*

48. Sanch. HOc dubium propono propter doctrinā quamdam, quam habet P. Thomas Sanch. *lib. 6. in Decalog. cap. 4. n. 72.* vbi sic ait: *Quando in aliqua Religione reseruatur peccatum inobedientiæ, aut peccatum contra votum obedientiæ, non censetur reseruata inobedientia, quæ non est mortalis contra virtutem obedientiæ, aut contra votum, quæ respiciunt præceptum Superioris obligantis ad mortale, vt quando præcipit in virtute obedientiæ, vel alio simili modo: quòd si esset peccatum mortale per accidens, nempe propter contemptum, vel propter aliam circunstantiam extrinsecam mali finis, non censeretur peccatum illud comprehensum in reseruatione; quia non est inobedientia, nec directè repugnat voto obedientiæ.* Ex qua doctrina intulerunt aliqui primò non incurri casum reseruatum, quando subditus, dum aliquid ei præcipitur, non tamen sub præcepto obedientiæ, diceret clarè: *Nolo parere*, quia tunc non esset peccatum mortale contra obedientiam, cùm non præcederet præceptum obedientiæ. Secundò, minùs incurri posse illam reseruationem, quando subditus non ipsi Prælato, sed eius Vicario, aut Superiori, vel Ministro, qui non possit sub præcepto obedientiæ obligare, respondet eodem modo; *Nolo parere*: quia, cùm præcipiens non posset obligare sub mortali, inobedientia non posset esse mortalis contra virtutem obedientiæ. Tertio, posita reseruatione, quia in Capitulo generali reseruata esset inobedientia, qua aliquis expressè dicat. *Nolo parere*, non potuisse Prælatum aliquem, etiam generalem, extendere illam reseruationem ad casum, quo subditus, Vicario, vel Ministro, prædictis præcipientibus ita responderet, nec etiam potuisse declarare, quòd in illa prima reseruatione hic casus includeretur.

Ergo in primis existimo in illa prima reseruatione inclusum fuisse peccatum dicentis se nolle parere, etiamsi sub obedientiæ præcepto non præciperetur. Pro quo suppono, (id, quod à nemine negatur.) illa verba: *Nolo parere*, posse esse peccatum mortale etiam non stante præcepto obedientiæ, cùm contineant grauissimum contemptum, & irreuerentiam, contra Superiorem, vt Superior est; & per consequens contra eius dignitatem. Vndè licèt Doctores dubitent, an qui violat ordinationem Superioris cum contemptu, peccet semper mortaliter; quibusdam dicentibus, dari posse aliquando leuitatem materiæ in ipso contemptu, quibusdam verò id negantibus; omnes tamen conueniunt in hoc, quòd sæpiùs, vel regulariter sit peccatum mortale; etiamsi non præcedat præceptum obligans sub peccato graui; de quo vltra alios videri potest Pater Suarez *lib. 3. de legibus, cap. 8. numer. 2.* qui fatetur hanc esse communem omnium doctrinam. Difficultas ergo non est, an illud sit peccatum mortale; certum enim est, non esse reseruatum, quando non est mortale; sed an sit peccatum mortale inobedientiæ, quod videtur requiri, vt contineatur in illa reseruatione. 49.

Dico itaque illud peccatum nomine inobedientiæ intelligi quoties de se habet grauitatem sufficientem ad peccatum mortale propter contemptum grauem, quod ex circumstantiis pensandum erit. Probatur autem hoc in primis ex modo communi loquendi Theologorum, & Patrum, qui peccatum illud inobedientiam mortalem vocant, etiam quando non datur præceptum Prælati obligans sub mortali. Bernardus *lib. de præcepto, & dispensatione,* D. Bernard. *capite 14.* optimè hoc explicat: postquam enim dixit violationem mandati leuioris esse quandoque crimen graue propter contemptum: *Quia elatio contemnentis in minimis quoque mandatis culpam facit non minimam, & conuertit in crimen graue rebellionis næuum satis leue simplicis transgressionis,* statim addit hoc esse crimen inobedientiæ propriissimæ: quod ex Scriptura sacra probat his verbis: *Denique, in quo inobedientiæ crimen absque dubio sit, apud Samuelem aduerte. Quasi,* inquit, *peccatum ariolādi est, repugnare, & quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere. Non ait, non acquiescere; sed nolle acquiescere: vt non iussionis ipsa transgressio simplex, sed voluntatis superba contemptio scelus idololatriæ reputetur. Non est enim idipsum nolle obedire, & non obedire. Hoc quippe interdum erroris est, nonnunquam & infirmitatis: illud verò, aut odiosa pertinaciæ aut contumaciæ non ferendæ. Quod & ipsum repugnare est, & resistere Spiritui sancto: & si ad mortem vsque perduranerit, blasphemia est non remittenda,* 50. *Quid significetur nomine inobedientiæ.*

siue in hoc sæculo, siue in futuro. Non ergo qualiscumque mandati præteritio criminalem facit inobedientiã; sed repugnare: sed nolle obedire. Hæc Bernardus, quibus non potuit clarius casum nostrum proponere, & explicare, quomodo aliquando non obedire non sit peccatum graue, & tamen nolle obedire sit graue, *inobedientia criminalis.* Vbi formalissime loquitur de peccato inobedientiæ: hoc enim explicandum susceperat, vt constat ex illis verbis præcedentibus: *Denique in quo obedientiæ crimen sit, aduerte.* Ergo apud Sanctum Bernardum non prærequiritur præceptum obedientiæ, vt dari possit peccatum inobedientiæ, propriè loquendo.

51. Hunc loquendi modum obseruarunt communiter Theologi Scolastici, quando agunt de peccato mortali inobedientiæ: dicunt enim committi contra præceptum graue, vel etiam sine illo quando adest contemptus. Ita loquitur Caietanus *in Summa, verbo Inobedientia.* Syluester *ibidem*, vbi distinguit inter *præceptum*, & *mandatum*, quod appellat consilium reuerentiæ, & addit, contra mandatũ etiam committi peccatum grauissimum inobedientiæ propter contemptum. Antoninus 2. *parte, tit.* 4. *cap.* 2. §. 2. dicit, resistere Superiori, etiam non stante præcepto obedientiæ, si sit cum contemptu, esse propriissimum peccatum *inobedientiæ*, & mortale grauissimum. Eodem modo loquuntur recentiores Theologi. Pater Salas *de legibus disput.* 10 *sect.* 8. *num.* 45. illam appellat *inobedientiam.* Pater Reginaldus *lib.* 17. *n.* 231. & *lib.* 18 *n.* 391. *esse inobedientiam mortalem.* Emanuel Roderiquez *tom.* 3. *quæst. regul. quæst.* 19. *art.* 3. & alij communiter.

52. Ratione item probatur: quia non minùs opponitur virtuti obedientiæ, qui eo modo respondet Superiori, etiam non imperanti sub præcepto, quam qui re ipsa violat præceptum: nam, vt obseruauit benè ad hoc propositum Alphonsus de Castro *lib.* 1. *de lege pœnali, cap.* 5. *documento* 6 lex, etiam quando non obligat sub culpa ad rem præceptam, obligat tamen graniter, ne conremnatur: & posteà *conclusione* 1. explicans, quis sit iuste cõtemptus, quem semper prohibet, & quando erit mortalis, respondet, *Prælatum, quatenus Prælatum, non posse sine peccato mortali contemni; siue sit minùs illum, quam oportet, appretiando; siue illi indignando, aut conuicia inferendo*, &c. Opponitur ergo directè debito obedientiæ; qui hanc subiectionem, & reuerentiam, quam Prælato, vt Prælato, debet, contemnit: nam, sicut obedientia amat illam subiectionem; ita iste odit eandem subiectionem, & destruit illam. Quare Theologi dicunt, hanc esse magis formalẽ, & propriam inobedientiam, quàm violare præceptum. Quando ergo reseruatur peccatum mortale inobedientiæ, debuit hæc etiam comprehendi, quæ à Patribus, & Theologis appellatur grauissima inobedientia; quorum loquendi modum intelligere debemus fuisse vsurpatum à Capitulo reseruãte. Neque obstat, quòd in Regulis, & Constitutionibus aliquando dicatur, non obligari subditum sub mortali, nisi interueniat præceptum: sensus enim est, non obligari subditum sub mortali ad faciendum, quod iubetur: certum tamen est; obligari etiam sine eiusmodi præcepto sub mortali, ad non contemnendum graniter Superiorem, vel obedientiam.

Alphons. à Castro.

53. Adde, licèt sub appellatione generica *inobedientiæ* non veniret ita propriè illa, de qua loquimur; in reseruatione tamen *suprà* posita vide omnino comprehensam: non enim dicitur reseruari *inobedientiã mortalem*; sed *inobedientiam illam, qua aliquis dicit se nolle parere*: quasi diceret, illam quæ constituitur in ratione inobedientiæ per pertinaciam, & contemptum, quo quis dicit, se nolle parere: ergo licèt illa non esset inobedientia propria, (quod vidimus esse falsum,) adhuc intelligeretur in prædictis reseruationis verbis comprehensa.

Hinc vlterius dicendum puto, ex vi illius reseruationis fuisse reseruatum illum alium casum, quo 54.
subditus non principali Prælato, sed eius Vicario, Superiori, vel Ministro dicit: *Nolo parere.* Ex quo aduerto, eiusmodi Vicarium, seu Ministrum, licèt in nostra Religione (& idem fortasse erit in aliis) non possit præcipere sub præcepto obedientiæ; esse tamen Superiorem quasi Vicarium, & delegatum Prælati principalis, à quo non accipit æqualem auctoritatem; accipit tamen, quam prælatus principalis, seu Præpositus, aut Rector habet, quando ordinat, vel iubet sine præcepto obedientiæ. Quare eandem vim habet iussio Vicarij, seu Ministri; quam haberet iussio Prælati, vel Præpositi, aut Rectoris, iubentis sine præcepto obedientiæ: fundatur enim in voluntate eiusdem prælati, vel Rectoris volentis, vt obediatur Vicario, seu Ministro, sicut sibi iubenti sine præcepto obedientiæ. Vnde, sicut illa verba: *Nolo parere*, dicta Prælato, seu Rectori iubenti sine præcepto, sunt inobedientia mortalis, vt vidimus, ratione contemptus, & reseruantur ex vi illius reseruationis; eodem modo iudicandum est de eisdem verbis dictis vicario, seu Ministro, cùm eadem sit ratio cum proportione. Dico, *cum proportione*: nam qui admittunt, posse dari paruitatem materiæ in illo contemptu, faciliùs admittent, posse contingere respectu Vicarij, seu Ministri, quàm respectu Prælati principalis, vel prouincialis, qui grauiùs videbitur contemni per illa verba, quàm Vicarius, vel Minister. Hoc tamen est per accidens, & non tollit, quòd per se loquendo, & regulariter, ea verba dicta etiam Vicario, vel Ministro, possint esse peccatum graue inobedientiæ propter contemptum grauem.

Denique ex his constat, potuisse Prælatum, præ- 55.
sertim generalem, non quidem extendere, sed declarare casum illum fuisse comprehensum sub priori reseruatione. Multò autem certior erit reseruatio illius peccati, si declaratio illa approbata, & confirmata fuit posteà per aliud Capitulum generale: cùm enim penes tale Capitulum sit potestas reseruandi peccatum mortale de nouo, eo ipso, quòd approbauerit talem declarationem, & eam confirmauerit, videtur velle supplere defectum, si quis esset, & comprehendere illum casum in reseruatione facta extendendo, si opus fuerit, reseruationem ad talem casum. Quare, ea declaratione, & confirmatione supposita, non videtur amplius dubitandum de hoc puncto.

SECTIO V.

De eo, qui potestate ordinaria absoluere potest à reseruatis.

56. REgula generalis est, illum qui casum reseruat, posse ab illo absoluere: nam reseruatio, est subtractio iurisdictionis: habet ergo ille, qui reseruat, iurisdictionem in se sufficientem ad dandam, & tollendam aliis; ac per consequens ad absoluendũ, dũmodo non desit illi potestas Ordinis: aliqui enim habent iurisdictionem, quam aliis possunt communicare, quã tamen per seipsos exercere non possũt, absoluendo; quia non sunt Sacerdotes: & hi quidẽ reseruare possunt, absoluere non possunt per seipsos; sed per alios, quibus iurisdictionem concedant.

57. Hoc supposito, dubitatur primò, an Superior non Prælatus ali- posse alios absoluere; sed etiam dare facultatem alteri, qui ipsũ Prælatũ absoluat à reseruato, in quem ipse.

quem incidit. Et quidem, si ipse Prælatus sit, qui peccatum reseruauit, eius peccatum non est reseruatum: quia ipse non potest se ipsum ligare, ne possit confiteri, cui voluerit. Si verò peccatum fuerit reseruatum ipsi Prælato, sed ab alio Superiore, vt à Summo Pontifice; vel alia potestate superiore ipsi Prælato, tunc loquendo de Episcopis, omnes communiter dicunt, posse ipsos absolui à suo Confessario ab iis, à quibus Episcopi possunt alios absoluere: quod *ex cap. fin. de pœnit. & remission.* colligi videtur & probat Thomas Sanchez *lib. 8. de matrim. disp. 3. num. 3.* & extendit ad casus illos, qui in Tridentino *sess. 24. de reformatione, cap. 6.* Episcopo committuntur, licèt sint reseruati Papæ. Videatur etiam ipse Sanchez *lib. 2. in decalog. cap. 11. num. 11.* Suarez *in præsenti, disput. 30. sect. 2. num. 15. & tom. 5. de censuris, disp. 41. sect. 2. num. 10. & 12.* Quis autem ibi intelligatur sub nomine Episcopi, tractat latè Suarez *in præsenti, dicta sect. 2.*

58. Quid de Vicario Episcopi.

Secundò dubitari potest de Vicario Episcopi, an possit facere se absoluere à reseruatis, sicut potest dare facultatem pro aliis. Negant aliqui, Iacobus de Graffis *in Append. de dec. aur. lib. 3. c. 8. n. 22.* vbi id multis argumentis probare conatur, quæ refert Diana *tom. 2. tract. 4. de Sacramentis resol. 147.* quæ omnia redueuntur ad voluntatem delegantis, qui non præsumitur velle ipsum Vicarium comprehendere in facultate illa concessa.

Contrariam tamen sententiam docent Vgolinus, & Floronus, quos refert, & sequitur ipse Diana *ibi*, & mihi etiam verior videtur. Et videor mihi illam colligere ex doctrina Thomæ Sanchez *dict. lib. 8. de matrim. disp. 3. n. 10.* vbi dicit, delegatum ad dispensandum pro aliqua communitate, posse idem circa se ipsum, quod potest circa alios, cùm ipse sit pars eiusdem communitatis: ergo Vicarius, qui accepit eam facultatem, vt suppono, pro tota diœcesi, poterit eadem facultate vti circa se ipsum. Quod rursus à simili probari potest: quia ex facultate, quam Vicarius habet constituendi Confessarios ordinarios cum potestate ad casus non reseruatos, potest constituere Confessarium, cui ipsemet postea confiteatur peccata non reseruata: ergo ex potestate, quam habet constituendi Confessarios qui absoluant à reseruatis, potest constituere Confessarium, cui ipsemet postea confiteatur peccata reseruata: eodē enim modo habet vtramq; potestatem pro tota diœcesi: ergo si prior non excludit ipsummet Vicarium, nec posterior excludet. Pone enim, quòd approbauerit aliquem Confessarium, & concesserit ei totam facultatem ad reseruata, & non reseruata, pro tota diœcesi, cui omnes possunt iam confiteri quælibet peccata, cur non poterit Vicarius eidem confiteri reseruata, cùm eodem modo concesserit facultatem vniuersalem ad omnia?

59. Quid de Prælatis Regularibus.

Tertiò dubitari potest de Prælatis Regularium, an possint ipsi absolui à suo Confessario à peccato reseruato, quod non ipse Prælatus, sed Generalis, vel Capitulum generale reseruauit. Pars affirmans ex dictis videtur apertè sequi: quia, si Episcopus potest circa se, quæ potest circa alios, & hoc etiam in casibus Papæ reseruatis: item, si Vicarius Episcopi potest mediatè sibi consulere per facultatē, quam ab Episcopo accepit pro tota diœcesi: à fortiori id poterit Prælatus regularis, qui non habet potestatem vicariam, sed propriam ex suo munere, & qui non minùs videtur comprehensus in facultate concessa Prælatis *in illo c. fin. de pœnit. & remiss.* cùm ibi non sit sermo de solis Episcopis, sed de Prælatis exemptis, quibus consulit Pontifex, dando eorum Confessariis facultatem, quam ipsi circa subditos habent.

60. Contra hoc tamen stare videtur vsus, & praxis aliquarum Religionum, vt Prælatus inferior non possit absolui à peccato reseruato, nisi à Prælato suo, vt de sua Religione Clericorum regularium testatur Peregrinus *in Comment. ad suas Constitut. part. 1. c. 9. litt. C. §. 1. & in addit. p. 1. q. 1.* non posse Prælatum eligere sibi Confessarium extra suam religionem: quam tamen prohibitionem negat Diana, eiusdem Religionis alumnus, & Prælatus, *2. tom. tract. 2. de dubiis regular. & 3. to. tract. 4. miscell. dub. 1.* In nostra autem Societate certum videtur, quod Superiores locales absolui non possent, nisi à Prouinciali, & Prouinciales, non nisi à Confessario, quem ipsis Generalis assignat, si indigerent absolutione à reseruatis: quia ita declaratum Præpositi generales circa casus reseruatos. Difficile autem videtur, quomodo possint Prælati superiores auferre inferioribus Prælatis facultatem ipsis de iure communi concessam ab ipso Summo Pontifice *in dict. c. vlt. de pœnit. & remiss.* vbi Pontifex concedit omnibus eiusmodi Prælatis facultatem eligendi sibi Confessarium, ne propter pœnitentiæ dilationem periculum sit salutis animarum.

61. Suarez.

Pater Suarez *in præsenti, disp. 27. sect. 2. n. 10.* sensit procul dubio hanc difficultatem, & voluit eam præoccupare: atque ideo, postquam dixit, Prælatos Regulares intelligi etiam nomine Prælatorum *in dicto cap. vlt. de pœnit.* & frui posse illo indulto, addit, *hoc esse intelligendum cum aliqua limitatione, & moderamine; scilicet, nisi iuxta specialia priuilegia, vel institutionem à Pontificibus approbatam Prælatus inferior Religionis habeat Confessorem designatum à suo Prælato superiore, qui iam est veluti ordinarius Iudex & Pastor eius in hoc foro; quia tunc nec ratio huius textus locum habet; neq; est verisimile per hoc generale ius derogari specialia iura spectantia ad conuenientem Ordinem Religionis, argumento c. 2. de pœnit. & remiss. in 6. Quod multò certius erit, si priuilegia Religionis post illud commune ius concessa, vel confirmata sint. Quoties verò contigerit Prælatum Religionis non habere à Superiore Confessorem designatum: siue, quia id non est in more Religionis; siue, quia de facto contingit, vt non habeat: tunc vti poterit hac facultate, in quo etiam seruare debet, vt alia etiam iura seu priuilegia Religionis custodiat, eligendo Confessorem intra ipsam Religionem, & non extra, propter easdem rationes.* Hæc Suarez quæ eò tendunt, vt tacitè responderet ad obiectionem, quæ fieri poterat ex illo textu contra vsum nostræ Religionis, & alterius, si fortè sit, quæ eundem vsum habeat.

62. Cæterùm ex his omnibus, quæ indicat prædictus Auctor, non videtur euacuari difficultas. Primò, quia vsus, si quid probat, probat etiam contra id, quod Suarez concedit, dum fatetur, quòd si Prælatus inferior non habeat Confessarium sibi designatum à Prælato superiori, tunc poterit vti facultate illa Prælatis concessa. Hoc, inquam, est contra vsum: nam licèt Generalis soleat designare Confessarium Prouinciali, qui eum possit à reseruatis absoluere, si fortè indigeret; Prouinciales tamen non solent talem Confessarium designare Superiori locali: qui eum possit à reseruatis absoluere: & tamen Superior localis non habet ius eligendi sibi talem Confessarium, qui eum absoluat à reseruato; sed debet per se, vel per alium facultatem à Prouinciali postulare.

63. Secundò, quia quamuis nostræ Constitutiones à Summo Pontifice approbatæ sint; non est tamen vlla constitutio, in qua explicitè, vel implicitè aliquid contineatur, contra facultatem illam in iure communi prælatis concessam. Imò neque in vllo decreto alicuius Congregationis generalis quidquam de hoc puncto dictum fuit: nam tota reseruatio casuum

facta fuit in ordine ad Superiorem solùm localem, à quo absolui possint, vel ab alio de eius licentia, nulla facta mentione alterius Prælati Superioris, ad quem pro alicuius absolutione recurrendum esset. Solùm in quadam instructione præpositi generalis notatur, quòd Superiores locales debent recurrere ad prouincialem, & Prouincialis ad Confessarium, quem ad hoc sibi Generalis substituerit. Cùm autem Generales non possint reseruare casus, aut magis reseruationem restringere, quàm sit restricta à Congregatione, vel Capitulo generali; videtur difficile, quomodo derogatum fuerit illi indulto iuris communis, cui in nulla Congregatione generali derogatum fuit.

64. Propter hæc ego, saluo meliori iudicio, aliter dicerem nullo modo esse derogatum indulto iuris communis Prælatis concesso: illud tamen indultū non fuisse directè ad absolutionem à casibus reseruatis; sed solùm, vt Prælati eligere sibi possent Cōfessarium, per quem à non reseruatis absolui possent. Ratio, quæ me mouet, hæc est: quia Episcopi inprimis, de quibus potissimùm ibi sermo erat, non habebant casus reseruatos, nisi soli Summo Pontifici: nam alij omnes reseruabantur ipsi Episcopo, qui poterat facilè tollere reseruationem, quę ab ipso pendebat, nec habebat alium Superiorem in hoc foro, nisi Summum Pontificem, vt *suprà* vidimus. Certum est autem, quòd per illud indultum non fuit data illis facultas eligendi Confessarium, qui eos absolueret ab omni censura, & peccato reseruato Sedi Apostolicæ: nam, licèt aliqui post Tridentinum concedant, posse Episcopum absolui à delictis occultis reseruatis Papæ; anteà tamen non poterant, nec possunt etiam nunc à delictis non occultis. Non fuit ergo indultum illud pro absolutione à reseruatis; sed pro confessione ordinaria de aliis peccatis. Quod etiam argumentum procedit in aliis inferioribus Prælatis. Nam, si ipsi incidunt in casus reseruatos ab aliis Prælatis superioribus; non magis possunt absolui ab illis sine licentia reseruantis, quàm à casibus Pontificiis sine licētia Pontificis: ergo sicut indultum prædictum non dat illis posse eligere confessarium, per quem à casibus Bullæ Cœnæ absoluantur: sic nec dabit eligere Confessarium, per quem absoluantur à casibus reseruatis per Superiorem Prælatum; sed tota illa facultas debet intelligi sine præiudicio debitæ subordinationis ad reseruantem in ordine ad peccata reseruata. Pertinet enim ad reseruantem date eam licentiam, cui voluerit, & eo modo, quo voluerit.

65. Ad quod facit textus *in c. Si Episcopus, de pœnit. & remiss. in* 6. ex quo Suarez *dicta disp.* 30. *sect.* 5. *n.* 4. cum aliis fatetur, data licentia eligendi Confessarium, non intelligi datam ad casus reseruatos: ergo licentia data Episcopis, & aliis Prælatis exemptis, eligendi Confessarium, non fuit vllo modo ad casus reseruatos. Fateor, de facto in Tridentino concedente Episcopis licentiam absoluendi subditos à casibus occultis, intelligi etiam datam licentiam, vt possit ipse absolui ab eisdem, iuxta declarationem Eminentissimorum Cardinalium, quam refert Suarez *in præsenti, illa disp.* 30. *dicta sect.* 2. *n.* 15. quia nimirum, reseruans, & concedens postea Prælato inferiori vniuersaliter absolutionem talis peccati, censetur auferre reseruationem pro tota illa communitate, dum ad talem Prælatum recurrant: cùm autem ipse Prælatus sit pars illius communitatis, non censetur ipse exclusus ab illo remedio communi, dum aliunde non constet de contraria intentione Superioris, à cuius sola voluntate pender totaliter quoad substantiam, & quoad extensionem ablatio reseruationis.

Vnde similiter dicendum erit in Ordinibus, in quibus Capitulum generale reseruans aliquod peccatum committit eiusdem absolutionem Prælatis localibus, vel de eius licentia non excludendo ipsos Prælatos ab eo beneficio; intelligi facultatem etiam extendi ad ipsum Prælatum, quando indigebit absolui à tali peccato: in nostro tamen Ordine, in quo constat absolutionem Prælati localis reseruari Prælato superiori, non potest id præsumi. Et quamuis non habeatur in Constitutionibus, vel in Decretis Congregationum generalium exclusio ipsius Prælati à facultate sibi concessa ad absoluendos alios: colligitur tamen apertè illa mens Congregationis generalis V. vbi hæc reseruatio facta fuit ex perpetuo vsu, ab eo tempore vsque ad hunc diem, designandi Confessarium, qui prouincialem possit absoluere, & aliorum Superiorum localium, qui semper putarunt, se debere omnino recurrere ad Prouincialem, si fortè indigerent aliqua absolutione: quæ praxis est optima interpres legis, & intentionis, quam reseruantes habuerunt: præsertim, cùm ipse Generalis, qui potestatem habet à Pontifice interpretandi dubia circa Constitutiones, & Decreta, sic declarauerit.

Per hoc autem, vt dixi, non fuit necesse derogare vllo modo præfato indulto Prælatis concesso *in dicto cap. vlt. de pœnit. & remiss.* quia ibi non agebatur de absolutione à reseruatis, neque eam dixit vllus fuisse de iure communi concessam, vt Episcopi possint absolui ab omnibus casibus pontificiis, etiam publicis: sed sermo erat de eligendo Confessario communi ad peccata non reseruata. Et in ordine ad electionem talis Confessarij, non video etiam in nostro Ordine ablatam esse Prælatis localibus talem facultatem. Nam licèt Regula dicat curandum esse vt sit vnus Confessarius (si fieri possit) omnium, qui in eadem domo sunt, à Superiore designatus: Regula tamen non admit facultatem validè designandi Confessarium subditis: quam Constitutionem ei tribuunt, & Regulæ agnoscunt. Monent tamen, vt; licèt ipse possit Confessarios suis subditis designare, non constituat Confessarium nostrorum ordinarium absque Prouincialis approbatione. Per hoc verò non tollitur, quod possit semel, & iterum alicui dare licentiam confitendi alteri: quam licentiam consequenter poterit sibi assumere, cùm nusquam ipsi prohibeatur. 66. 70.

Hinc oritur quartum dubium: an Prælatus regularis possit confiteri Sacerdoti alterius Ordinis vel dare subdito talem facultatem, non solùm in casu necessitatis; sed etiam extra illam. Hoc tamen facilè ex dictis definitur: nam, loquendo de iure communi, non videtur negandum, quòd si non sit aliquod, statutum speciale id prohibens in sua Religione, vtrumque possint facere, vt tradunt Miranda, Villalobos, Grassius, & alij, quos refert, & sequitur Diana *tom.* 2. *tract.* 2. *de dubiis regul. resolut.* 2. *tom.* 3. *tract.* 4. *micellan resolut.* 1. & 2. Quod intelligendum est iuxta *suprà* dicta, vt non possit ipse Prælatus absolui à casibus reseruatis per Confessarium externum, quando voluntas Prælatorum Superiorum, vel Capituli reseruantis, non fuit, vt ipse posset sibi eligere Confessarium ad peccata reseruata. Ratio autem conclusionis est clara: quia, cùm ipse habeat potestatem ordinariam in ordine ad suos subditos; potest delegare, quos voluerit pro eorum confessionibus. Aliunde, cùm eamdem potestatem habeat ad eligendum sibi Confessarium *ex dicto cap. fin. de pœnit & remiss.* poterit eodem modo eligere, quem voluerit. 67. *Prælatus Regularis, an obligari Confessarium.* 71. 68. *Peregrinus an possit absolui à reseruatis à suo & seruatis.*

Quintò dubitari solet, an peregrinus veniens ad alium Episcopatum bona fide, possit ibi confiteri

& absolui à peccatis reseruatis, & à quo debeat absolui. Distinguendum est: nam casus multipliciter contingere potest. Primò, si Confessarius habeat facultatem absoluendi à reseruatis ibi, vbi audit confessionem. Secundò, si eam non habeat, sed solùm ad non reseruata. Tertiò, si peccatum sit reseruatum in vtroque Episcopatu. Quartò, si solùm sit reseruatum in loco, vnde venit pœnitens. Quintò, si sit reseruatum in loco solùm, vbi confitetur. Supponimus autem, pœnitentem non venisse animo mutandi domicilium, alioquin iam non est regendus legibus loci, vnde profectus est.

69. His suppositis, si peccatum sit in vtroque Episcopatu reseruatum, dicunt omnes, non posse absolui à Confessario non habente potestatem circa casus reseruatos. Deinde, si Confessarius habeat potestatem circa reseruata; concedunt posse absoluere à peccato, quod reseruatum est, in Episcopatu pœnitentis, in quo tamen non omnes fortasse consequenter loquuntur ad suam sententiam. Plures enim negant, posse absoluere Sacerdotem non habentem auctoritatem ad casus reseruatos pœnitentes, licèt illud peccatum non sit reseruatum in hoc Episcopatu, vbi confessio auditur Sotus, Graffius, & Vega quos refert, & sequitur Fagundez *lib. 3. de 2. Ecclesiæ præcepto, c.8. n.20.* quibus adde Paulum Comitolum, Hunnum; & Megalam, quos affert Diana *1.tom..tract.3.miscell. resolut.16.* & Vgolinum, & Bellochium, Floronum, & Capeauillam, quos affert ipse Diana *2.tom tract.4. de Sacram. resol.* 103. quorum aliqui id probant ex Bonifacio VIII. *cap.si Episcopus,de pœnitent.& remiss.lib.6.* vbi dicitur, Episcopum suo subdito concedentem facultatem eligendi sibi Confessarium idoneum non intelligi concessisse facultatem, vt absoluere tur à casibus reseruatis. Addit Fagundez, præsumi illum pœnitentem in fraudem se aliò contulisse, vt fugeret reseruationem peccati commissi.

70. Hæc argumenta facilè soluuntur. Ad primum enim respondeo, pœnitentem in nostro casu non habere facultatem ab Episcopo eligendi Confessarium, sed habere facultatem consuetudine, & approbatione Prælatorum introductam, quam Eugenius Papa IV. approbauit, qua potest, dum in alieno Episcopatu bona fide versatur, gerere se in ordine ad confessionem, sicut alij qui sunt incolæ illius loci. Bonifacius autem loquitur de subdito manente in suo Episcopatu, cui Episcopus non intelligitur dedisse facultatem pro reseruatis. Ad secundum respondeo, in foro interno cessare omnes præsumptiones: quare, si pœnitens certò scit, se non eo animo discessisse ab alio loco neque in fraudem, sed propter alia negotia, quomodo potest habere locum præsumptio illa?

71. Contraria ergo sententia verior est, quòd possit absolui à Confessario non habente potestatem ad reseruata, si tamen illud peccatum in loco confessionis non sit reseruatum. Hanc tenent Caietanus *in Summa, verbo, Absolutio,* 2. Paludanus, & Antoninus, quos affert, & sequitur Suarez *in præsenti, disput.30 sect.1.n.4.* Henriquez *lib.6.cap.14.n.8. Littera Q.* Reginaldus *in praxi,tom.1.lib.8.cap.5. sect.3.n.69.* Homobonus *de casibus reseruatis, p. 1. c.2.* Villalobos *in Summa tom.1.tract.9.diffic.59.n.4.* Diana *locis suprà citatis,* & alij. Et quidem aliqui ex aduersariis, vt dixi, non videntur consequenter loqui: si enim ideo non potest absolui: quia eius Episcopus iter agentibus solùm præsumitur concedere facultatem eligendi Confessarium pro non reseruatis; non pro reseruatis; non poterit absolui à Confessario alterius Episcopatus: etiamsi ibi habeat facultatem ad absoluendum à reseruatis nam suppono, non esse eadem reseruata, sed diuersa; imò licèt essent eadem, si Episcopus pœnitentis non dedit licentiam pro reseruatis, licentia alterius Episcopi per accidens se habebit ad illam absolutionem; & tamen ipsi concedunt, posse absolui ab habente potestatem ad reseruata in loco confessionis.

Melius ergo dicitur cum Suarez, & aliis, peregrinos, & aduenas ex recepta consuetudine æstimandos esse in ordine ad confessionem, sicut eos, qui sunt incolæ eiusdem loci: neq; enim Confessarij huius Ciuitatis debent, aut possunt interrogare singulos pœnitentes de patria, vel an sint peregrini, & multò minùs de casibus reseruatis in sua patria; quos certè nec Confessarius huius ciuitatis, nec ipse pœnitens peregrinus scire possunt. Debuit ergo consuetudo, vt illis esset ad praxim, ita introduci, vt solùm sit attendendum ad locum, in quo fit confessio. Vnde si pœnitens confiteatur aliquod peccatum, quod in loco, à quo discessit, non erat reseruatum; in loco tamen confessionis sit reseruatum, Confessarius, qui in hoc loco non habet facultatem ad reseruata non potest eum absoluere, vt faretur Suarez, licèt in hoc etiam dissentiat Fagundez. 72.

Dices: Si Parochus proprius simul veniret cum hoc peregrino suo subdito posset hîc illum absoluere sine licentia ad reseruata ab illo peccato, quod in eius diœcesi non est reseruatum, licèt hîc sit reseruatum: ergo etiam Parochus huius loci potest eum absoluere, tanquam à non reseruato. Respondeo negando consequentiam. Ratio differentiæ est: quia Parochus ille prior non habet suam iurisdictionem ab hoc Episcopo, sed ab Episcopo proprio, vel dependenter ab illo. Quare eius solus Episcopus potuit per reseruationem auferre, vel limitare eius iurisdictionem; non verò iste alius Episcopus, à quo non dependet; ideò respectu illius Parochi non est reseruatum tale peccatum sui subditi. At verò hic alius Parochus habet suam potestatem dependentem ab Episcopo huius loci, qui potuit illam per reseruationem limitare, provt de facto limitauit: non habet ergo potestatem ad absoluendum à tali peccato: ideo respectu illius, & omnium, qui dependent in sua potestate ab hoc Episcopo, manet reseruatum illud peccatum; idcircò non possunt ab illo absoluere peregrinum, cùm ad illam etiam absolutionem vti debeant potestate dependenti ab hoc Episcopo. 73.

SECTIO VI.

Vtrùm Superior possit audire sola reseruata, & absoluere ab illis pœnitentem.

Dupliciter potest contingere hic casus. Primò quòd pœnitens adeat priùs Confessarium inferiorem, qui non potest absoluere à reseruatis: & tunc certum est, non posse inferiorem absoluere ab aliis, nisi quando pœnitens est in necessitate confitendi vel sumendi Eucharistiam; tunc autem, an possit, & debeat confiteri inferiori, & an debeat confiteri etiam reseruata, an verò sola non reseruata, & an id locum habeat etiam, quando peccatum reseruatum habet excommunicationem reseruatam: diximus latè *disp.14.de Eucharistia.sect.5.* vbi probabile dixi, quòd posset, & deberet confiteri inferiori ante Communionem, & sola non reseruata; & hoc, licèt haberet excommunicationem reseruatam, quæ omnia non oportet iterum in hoc loco repetere. 74.

Secundò ergo potest contingere, quòd pœni- 75.

tens priùs adeat Superiorem;ipse verò nolit audire confessionem integram;se à sola reseruata,& absoluere ab illis, & remittere pœnitentem ad inferiorem pro complenda confessione:in quo casu multi,& graues Auctores dicunt,posse id facere Prælatum, cui propter Prælatorum occupationem non vacat audire confessiones integras subditorum,quæ est causa sufficiens ad diuidendam confessionem. Ita Caietan.*verbo,Confessio,conditione* 10.docens, esse consuetudinem Romanam,quam non licet reprobare. Antoninus, Paludan.Henricus, Nauarr. vterque Soto,quos affert Suarez *in præsenti,disp.*31. *sect.*1. Dicunt tamen, debere pœnitentem postea inferiori confiteri eadem reseruata simul cum aliis peccatis. Addit Nauarrus, ex vtraque absolutione Superioris,& inferioris, fieri vnum integrum Sacramentum, quod habet suum effectum, quando inferior absoluit.Eandem probabilem dicit Ledesma *in Summa,tom.*1.*de Sacramento Pœnitentiæ,c.*20. *concl.*3.*dub.*4.& illam ex parte sequitur Ioan.de la Cruz *in direct.conscientiæ,p.*2.*de Sacramento Pœnitentiæ,q.*3.*dub.*5.*concl.*3. dicit tamen in prima absolutione fieri Sacramentum validum,& dari gratiam, nec esse obligationem confitendi inferiori eadem peccata reseruata, à quibus iam fuit pœnitens directè absolutus.

76. Contraria sententia docet;per se loquendo, id non posse fieri;sed debere Superiorem;vel non absoluere, vel audire confessionem integram. Hanc tenent Adrian.Sylvest.Victoria,Cano,Viguerius, quos affert,& sequitur idem Suarez *loco cit.* Vasq. *q.*91.*art.*3.*dub.* 10. & alij recentiores communiter. Quæ sententia verior est.Et fundamentum contrariæ sententiæ, quod ex praxi Romanæ Curiæ desumebatur, solidum non est, primò : quia Sylvester,qui Pœnitentiarius fuit in Basilica Petri,oppositum testatur esse in praxi.Secundò,quia nunc non est vestigium talis consuetudinis. Tertiò, quia reseruata, pro quibus ad Romanam Curiam venitur,sunt reseruata Pontifici:hæc autem reseruantur ratione excommunicationis, qua sublata;tollitur reseruatio. Ad quid ergo oportebat absoluere sacramentaliter à peccato, cùm sufficeret absoluere ab excommunicatione,qua sublata auferebatur reseruatio peccati?Quare suspicor, hanc fuisse consuetudinem illam, quam Caietanus testatur,nempe,absoluendi ab excommunicatione reseruata,& remittendi ad inferiorem pro confessione,& absolutione sacramentali ; & ideo oportebat inferiori confiteri omnia peccata, vt ab iis omnibus sacramentaliter absolueret.Vnde etiam potuit Nauarrus dicere, ex vtraque absolutione conflari vnam absolutionem integram : loquendo de absolutione prout includit absolutionem à censuris,& à peccatis : quæ, quia vtraque solet de facto dari simul in confessione.& tunc diuidebatur, poterat dici integrari aliquo modo absolutionem,& confessionem ex vtraque parte

77. Loquendo ergo de absolutione sacramentali,duo dicenda videntur. Primum,eam non posse diuidi, aut dimidiari,sicut neque ipsam confessionem sine necessitate,& causa vrgente, cùm confessionis integritas sit de iure diuino. Vnde addit Suarez contra Ioan.Medinam,etiamsi Superior vellet, audita tota confessione, absoluere directè à solis reseruatis,non posse id validè facere;sed vel absoluere ab omnibus peccatis auditis, vel à nullo : quia Christus non dedit talem potestatem.Hoc tamen difficultate non caret,nec facilè probabitur, non posse validè(quamuis non licitè)Sacerdotem velle absoluere ab his, & non applicare directè absolutionem ad alia;sed habere se, sicut si ea non audiuisset. Quidquid tamen sit de hoc,secundò dicendum videtur,ad non audiendam confessionem integram requiri causam,& necessitatem grauem,qualis non reperitur, per se loquendo, in omnibus Prælatis, possunt enim,vel audire totam confessionem: vel si non vacat,committere causam alicui Sacerdoti, cui possint fidere,& taxare,si velint,pœnitentiam, & præscribere alia remedia adhibenda.

78. Non tamen negamus, posse dari causam rationabilem, id aliquando faciendi, & absoluendi sacramentaliter à solis reseruatis:v. g si pœnitens dicat, se indigere absolutione Superioris, vel eius licentia ad confitendum alteri,nec vellet dicere,nisi in confessione sacramentali speciem peccati, quia non vult duobus manifestare idem peccatum : & aliunde Superior non posset ipsum audire,nec pœnitens posset ampliùs expectare propter necessitatem vrgentem ad communicandum,vel quid simile:ac denique Superior iudicaret necessarium personaliter audire reseruatum:quia propter aliquam circumstantiam ita validè expediret : tunc posset dari causa audiendi, & absoluendi dimidiata confessione; qui tamen casus rarissimus est. *Ex casibus fieri ipsse.*

79. Adde illum,qui non est superior,sed ex priuilegio potest absoluere à reseruatis,non habere ex vno capite tantam causam dimidiandi confessionem : quia,si esset vtile,& necessarium pœnitenti, quòd ille Confessarius audiret tale peccatum, vt daret illi consilium,& medicinam opportunam,& Confessarius non posset audire confessionem integram; tunc posset pœnitens, cùm eius interest, ei dicere extra confessionem sub secreto naturali casum; vel certè incipere confessionem cum ipso perficiendam postea,cùm erit opportunitas : si autem pœnitens nollet hoc facere, Confessarius, cùm non sit eius Pastor, nec debeat procurare notitiam peccati ad adhibendum remedium,non videtur habere æqualem rationem ad audiendam confessionem dimidiatam.Aliunde tamen videtur esse maior causa in huiusmodi priuilegiato, quàm in Prælato : quia Prælatus posset committere alteri confessionem, & dare illi iurisdictionem, quod priuilegiatus non potest facere. Vnde,si pœnitens indiget statim absolutione, & confessarius non potest totam audire, nec remittere ad alium priuilegiatum, aut ad Superiorem, qui possit;faciliùs dabitur in eo ratio ad absoluendum à solo reseruato, & remittendum pro alis ad alium Confessarium. Sed neque hoc poterit nisi rarissimè contingere.

80. Hinc infertur primò Quoties Prælatus absoluit sacramentaliter à solis reseruatis, nisi adsit mala fides,vel obex ex parte pœnitentis,fieri verum Sacramentum, & conferri gratiam : quia cùm adsint materia, & forma, & aliunde defectus integritatis confessionis non sit culpabilis, vt supponoi;nihil potest deesse ad veritatem, & effectum Sacramenti;sicut nec quando ob inculpabilem obliuionem, vel ob aliam iustam causam omittit pœnitens aliqua peccata, obstat defectus integritatis valori, & effectui Sacramenti. *Per singula absolutionis Sacramentalis diuisa sum.*

81. Infertur secundò, non fieri vnum Sacramentum, nec vnam absolutionem ex absolutione Superioris, & absolutione inferioris; sed esse duplex Sacramentum diuersum,ita vt singula constent ex materia,& forma diuersis; nempe,ex confessione, & absolutione diuersa, atque adeò causare duplicem effectum gratiæ sanctificantis:quia, posito Sacramento valido, non est, cur differatur eius effectus in subiecto dispositio, qualis est pœnitens, quem supponimus habere dolorem,& propositum circa omnia peccata.

82. Infertur tertiò, pœnitentem absolutum à suo Superiori

Non esset necesse ripetere peccata.

Superiori sacramentaliter à solis reseruatis, non habere obligationem ea iterum confitendi inferiori cum non reseruatis. Hoc probat Suarez *n.*10. quia, quoties pœnitens materialiter dimidiat confessionem, vel propter obliuionem, vel propter aliam rationabilem causam, siue ex parte pœnitentis ortã siue ex parte Ministri, non tenetur ampliùs confiteri peccata, quæ illo modo confessus est, & à quibus fuit iam absolutus: ergo idem erit in hoc casu, in quo iam illa peccata Ecclesiæ clauibus subiecta fuerunt, & absoluta. Quod enim dicit Caietanus, integram confessionem faciendam esse Confessario non Confessariis; & ideò debere omnia peccata dici eidem Confessario: hoc, inquam, probaret, idem esse dicendum, quoties propter obliuionem, vel aliam causam rationabilem aliqua peccata tacẽtur in prima confessione, atque ideo debere postea repeti totam confessionem præcedentem, vt confessio fiat integra Confessario, non Confessariis: consequens autem est omnino falsum. Fatendum ergo est, confessionem debere fieri integram vni Confessario, per se loquendo, per accidens tamen, posse fieri pluribus, quando propter causam iustam non potuerunt dici omnia peccata primo Confessario.

Hæc ratio placuit Recentioribus. Patri Coninch *disp.7.dub.9.n.*80. Ioãni de la Cruz Dominicano *loco suprà citato*, & aliis. Sed nõ placuit Patri Fagundez *lib.*8. *de secunda Ecclesiæ præcepto c.*3. *n.*8. vbi Suarij doctrinam minùs probabilem dicit; & ipsũ non videri *in album collimare, neque eius rationem conuincere: quia in omnibus aliis casibus, in quibus pœnitens, vel ex obliuione, vel ex causa vrgente dimidiat confessionem; nemo dubitat fuisse pœnitentem absolutũ sacramentaliter ab omnibus peccatis, etiam ab oblitis, & ex causa omissis: directè quidẽ à confessis: indirectè verò ab omissis, seu oblitis: & solum pœnitenti mansit obligatio confitendi postea ea, quæ scienter, & ex grauissima causa omisit; vel, quorũ fuit oblitus: at verò in casu præsenti valdè probabilis est sententia, quæ docet, absolutionem Superioris solum esse ablationem quandam ipsius reseruationis ac proinde non tollere ipsam culpam; sed tollere reseruationem, vel excõmunicationem, si forte est annexa, quam tenent multi Doctores.*

Fagund.

83. Hæc Fagundez, in quibus non potest non displicere in primis modus ille loquendi de optimo, ac plane legitimo discursu Suarij. Secundò displicet, quòd, vt illum impugnaret, videtur sibi in eadem pagina contradicere: impugnat etenim, eò quòd probabile sit, absolutionem Superioris in nostro casu esse solùm ablationem reseruationis, vel excommunicationis; nec tollere ipsam culpam: in aliis verò casibus remitti peccata omnia, aliqua directè, & aliqua indirectè, atque adeo non manere obligationem confitendi ea, quibus directè fuit absolutus. Ex quibus verbis videtur apertè colligi à contrario sensu, quòd si in casu nostro absolutio Superioris non fuisset solum ablatio excommunicationis, vel reseruationis: sed absolutio sacramentalis conferens gratiam, ratio Suarij bene concluderet, & de facto concludere debet apud eum, qui hæc concedit. Cùm ergo ipsemet Fagundez *n.* 11. hæc omnia expressè concedat ex propria sententia; consequens est, vt apud ipsum concludere deberet discursus ille, vel propter eius inefficaciam reiicere deberet Suarij sententiam, vt minùs probabilem. Quomodo enim potest existimari minùs probabilis conclusio, eò quòd fundetur in principiis, quæ non solùm vt probabiliora, sed vt omninò vera amplectitur ipsemet, qui conclusionem impugnauit propter debilitatem principiorum?

Tertiò denique debuisset aduertere, argumentum illud solùm adduci, à Suario, suppositâ sua doctrina, nempe, quod absolutio illa esset sacramentalis: si enim non esset sacramentalis, sed ablatio reseruationis, vel censuræ, hoc magis est pro sententia Suarij, qui contendit, non debere esse sacramentalem; addit tamen, & meritò, si sacramentalis fuisset, debuisse conferre gratiam, & per consequens remittere aliqua peccata directè, & reliqua indirectè: quod quidem ipse Fagundez postea fatetur: dicit enim, perfici ex priori confessione, & absolutione verum Sacramentum, & formaliter integrum verè conferens gratiam. Si autem gratiam confert: ergo omnia alia peccata mortalia tolluntur indirectè, cùm non possint cum gratia manere: & peccata reseruata tolluntur directè, cùm tollantur ex vi absolutionis, quæ ad illa sola directè terminatur.

84. Infero vltimò, licèt Superior non absoluat sacramentaliter; sed solùm auferat reseruationem, & absoluat ab excommunicatione, ac mittat pœnitentem ad inferiorem pro absolutione sacramentali obtinenda; adhuc Superiorem debere obseruare totam illam notitiam sub sigillo confessionis: sicut, quando Confessarius ob indispositionem pœnitentis eum non absoluit, debet obseruare sub sigillo, quæ audiuit. Et ratio est; quia iam totum illud spectabat, & ordinabatur ad Sacramentum, vt cum Cano obseruant Vasquez *dicto dubio* 10 *n.* 5. Suarez *dicta sect.* 1. *n.* 8. & alij recentiores.

SECTIO VII.

Vtrùm facta semel confessione cum potente absoluere à reseruatis, censeatur ablata reseruatio pro omnibus, quæ pœnitens propter obliuionem omisit.

85. COmmunis sententia affirmat, quam tenent Gabr. Adrianus, Sylvester, Angelus, Rosella, Nauarrus, Couarruias, Cano, & Ledesma apud Suarez *disp.*31. *sect.* 4. *n.*12. Eamdẽ tenet Coninch. *in præsenti, disp.*8. *dub.*12. *n.* 98. Nunnus *in adatt. q.* 9. *art.*2. *par.*2. *dub.*4. Reginaldus *in praxi, tom.*1. *lib.* 8. *c.*7. *n.*99. Henriquez *lib.*6. *cap.*16. *n.*5. & alij. Addunt aliqui horum Auctorum, id verum esse, si absoluens intẽdebat absoluere, & liberare ab omnibus peccatis, & censuris. Ita Gabr. Angelus, Siluester, & Rosella apud Vasquez *quæst.*92. *art* 3. *dub.*5. *nu.* 5.

86. Hæc sententia difficilis visa est Suario, & Vasquio *locis citatis*, atque ideò vterque eam vel negauit, vel ex parte limitauit. Nam Pater Suarez distinguit de subdito recurrente ad Superiorem, vt ab eo absoluatur à reseruatis, si quæ habet, & hoc ei significante: & tunc dicit, Superiorem velle auferre reseruationem pro aliis, quæ pœnitens oblitus est inculpabiliter. Si verò subditus id non significet, sed recurrat tamquam pro confessione ordinaria, & confiteatur alia peccata non reseruata, non præsumitur Superior velle auferre reseruationem pro aliis, nisi id sufficienter significet. Absurdũ enim videtur, quòd per quamlibet confessionem quacumque occasione factam cum Superiore, nulla mentione facta de reseruatis, sed accusando se de verbis otiosis, eo ipso pœnitens maneat iam liber ab omni reseruatione pro omnibus oblitis; cùm tamen fini, & intentioni reseruationis nullo modo satisfactum sit, quæ erat, quòd Superior peccati notitiam haberet, vt medicinam, & satisfactionem congruam imponeret. Addit tamen Suarez *n.* 20. quando facultas absoluendi à reseruatis concessa est alicui in fauorẽ pœnitentis, vt quando per Iubileũ conceditur facultas eligendi Confessarium, qui absoluat à reseruatis; tunc licèt pœnitens oblitus fuerit peccati reseruati, nec mentio-

nem de reseruatis faciat ; adhuc intelligi ablatam reseruationem: quia per concessionem talis facultatis intelligitur Superior, vel Pontifex abstulisse reseruationem, si subditus tali Iubileo vti voluisset. Hanc sententiam Suarij refert,& sequitur Thomas Sanchez *lib.8.de matrim. disp.15.n.17.*

87. *Excommunicatio non manifestata an auferatur.*

Patet Vasquez *num.18.*& 21.dicit,siue pœnitens aliqua reseruata confessus fuerit, siue non ; adhuc illa,quæ oblitus est,manere reseruata:addit, excommunicationem etiam reseruatam auferri à Superiore, vel eius delegato per absolutionem generalem à censuris, quàm præmittit ; per hoc tamen non auferri reseruationem ab ipso peccato oblito : sed in hoc casu fallere regulam illam communem, quòd, ablata excommunicatione reseruata, iam peccatum cum ipsa connexum, non manet amplius reseruatum.Item *numer.* 32. fatetur,quando subditus fatetur reseruata, tolli reseruationem illorum, si ea integrè confessus fuerit ; licèt confessio,& absolutio aliunde inualida sit, dum tamen Confessarius posset ab iis absoluere : quod idem concedit Suarez *numer.9.*Denique concedit Vasquez *num.* 38. idem, quod dixerat Suarez de subdito, in cuius fauorem data fuerat facultas,vt in Iubileo;auferri,scilicet, reseruationem, licèt in confessione non meminerit reseruatorum.

88. Probat vterque suam sententiam, seu limitationem illam sententiæ communis, eodem ferè argumento : quia, scilicet, reseruatio peccati nihil aliud est, nisi ablatio iurisdictionis Sacerdoti inferiori, ne possit directè absoluere à tali peccato, seu (quod idem est) est, velle, quòd pœnitens non satisfaciat præcepto diuino, confitendi peccata proprio Sacerdoti, nisi peccatum illud Superiori confiteatur. Hac autem reseruatione supposita, licèt per confessionem de aliis peccatis remittatur indirectè peccatum reseruatum oblitum, adhuc non est circa illud satisfactum præcepto diuino confitendi illud proprio Sacerdoti : ergo manet obligatio confitendi illud Superiori, qui per reseruationem designatus fuit, vt proprius Sacerdos, cui illud peccatum confitendum sit. Confirmatur, & explicatur : quia per absolutionem,& remissionem indirectam non tollitur vllo modo obligatio confitendi postea peccatum sic remissum eidem Sacerdoti, cui prius confitendum erat, vt constat in Parocho absoluente subditum indirectè à mortalibus oblitis ; quæ tamen non ideò eximerentur ab obligatione confitendi ea eidem Parocho, vel alteri æquali : neque enim poterit ab eis iam absoluere directè simplex Sacerdos, eò quòd indirectè absoluta fuerint : ergo nec reseruata per illam absolutionem indirectam eximuntur ab eo Sacerdote, ad quem anteà pertinebant. Ratio autem esse potest: quia indirecta absolutio fit propter connexionem necessariam, quam habet ablatio,& remissio huius peccati cum remissione illius, quod directè absoluitur : nullam autem necessariam connexionem habet ablatio reseruationis cum remissione peccati ; potest enim remitti peccatum oblitum manente obligatione confitendi illud Superiori, sicut de facto remittuntur peccata non reseruata oblita, manente obligatione confitendi ea proprio Sacerdoti. Ergo, quòd absolutio indirecta detur à Superiore, per accidens se habet ad tollendam reseruationem ; quæ quidem non indirectè, sed directè, & ex intentione directa auferri debet,si auferenda est.

89. Hæc sententia ingeniosè excogitata est;& argumenta habet satis solida:non tamen cogunt, vt discedamus à sententia communi : quam, si possumus sustinere,non oportet eam deserere:tum, quia communis est;tum,quia magis fauorabilis. Suppono autem, in ea sententia non statim ablata reseruatione peccati obliti, posse illud à quocumque Sacerdote simplici absolui ; sed confitendum esse illi, qui posset ab eo absoluere ab initio, si reseruatum non esset : quia ablatio reseruationis non facit, quòd illud peccatum sit melioris conditionis, quàm alia peccata mortalia non reseruata;quæ tamen si per obliuionem omissa fuerunt, debent postea absolui directè ab eo,ad quem anteà pertinebant. Suppono item, in toto hoc casu sermonem esse de peccato, cuius obliuio, & omissio inculpabilis fuit ; non de illo,quod fuit culpabiliter omissum.

His suppositis, vt communem sententiam defendamus, aduerto, loquendo de possibili, negari non posse,quod per solam absolutionem indirectam peccati possit directè auferri eius reseruatio. Quod Auctores contrariæ sententiæ non negabunt, cùm ipsimet fateantur, vt vidimus, posse aliquando per absolutionem omninò inualidam auferri validè, & directè reseruationem : minùs enim est absolutio inualida, quam absolutio indirecta. Si ergo absoluens inualidè à peccato, potest absoluere validè à reseruatione ; melius posse absoluens indirectè & validè,velle absoluere directè à reseruatione. Ratio autem est : quia peccatum & reseruatio peccati sunt vincula diuersa : potest ergo Superior directè velle auferre vinculum reseruationis, etiam quando indirectè solùm aufert peccatum. Non ergo debet hoc fundari in sola vi indirectæ absolutionis ; hoc enim benè impugnat P. Vasquez : sed in potestate Superioris, qui potest directè auferre reseruationem eorum,quæ indirectè absoluit.

Tota ergo difficultas præsens non est, nec esse debet circa possibilitatem;sed circa factum, seu voluntatem an de facto velit Superior tollere directè reseruationem pro oblitis, quoties absoluit subditum. Et quoad hoc dicimus, probabiliter præsumi à communi sententia voluntatem illam in Superiori Quod possumus aliquibus argumentis,& coniecturis comprobare. Et primò probari potest ex his, quæ admittit P. Vasquez, auferri,scilicet,à Superiore omnem excommunicationem etiam sibi reseruatam oblitam per absolutionem à censuris generalem, quam præmittit. Vnde arguere possumus, quia in peccatis reseruatis cum excommunicatione omnes fatentur, ablata excommunicatione, seu eius reseruatione, eo ipso auferri reseruationem peccati : ergo per illam absolutionem tollitur reseruatio eorum peccatorum, quæ communiter grauiora sunt, quàm illa, quæ sine censura reseruantur : atque ideò non est credibile, quòd Superior velit auferre reseruationem peccati grauioris obliti, non verò leuioris, vt arguit benè P. Suarez *numer.* 16. Ergo sicut vult absoluere directè à vinculo excommunicationis reseruatæ, sic etiam præsumitur velle tollere vinculum reseruationis peccati.

Nec satisfacit responsio P. Vasquez *numer.* 25. quòd Superior intendit tollere excommunicationem, & eius reseruationem, ne impediat absolutionem peccatorum, quæ confessus est pœnitens, non verò intendit tollere reseruationem ipsius peccati obliti:contra hoc enim in primis est communis omnium regula, qui dicunt, in casibus pontificiis & similibus,ablata censura, auferri peccati reseruationem, quam communem regulam coactus tandem est ex parte negare P. Vasquez *num.*31.Secundò reiicitur : quia licet oblatio excommunicationis necessaria sit ad validam,vel licitam absolutionè peccatorũ.Superior tamen non tenebatur in rigore absoluere à censuris reseruatis, dum ipsi non manifestantur : quia non tenetur in primis Confessarius ad

ad ponenda omnia, quæ magis certum, & securum possunt reddere valorem absolutionis; alioquin teneretur ad procurandam, quando commodè posset & eam non habet facultatem absoluendi à censuris reseruatis, vt hoc modo magis certum redderet valorem absolutionis, si fortè oblitus est alicuius excommunicationis reseruatæ, quam habet. Sufficit ergo, si ipse non sciat, ex parte pœnitentis dari censuram, aut impedimentum ad eius valorē; atque ideò, dum subditus dicit, se non habere censuram reseruatam posset Superior ei credere, & non absoluere eum à censura reseruata. Si ergo de facto eum absoluit ab excommunicatione reseruata, hoc ideò facit, quia vult liberare, & soluere pœnitentem, qui bona fide accedit, ab omni prorsus vinculo, quantùm potest, & per consequens vult etiam liberare à vinculo reseruationis peccati, cùm possit, sicut liberat à reseruatione censuræ

93. Pater Suarez *n.19.* sensit hanc difficultatem, & tentat varias solutiones adhibere. Primò, non extendi illam absolutionem generalem ad excommunicationem reseruatam. Secundò, extendit quidem, sed esse solùm ad reincidentiam, ita vt post absolutionem à peccatis, adhuc remaneat excommunicatio. Quæ cùm minùs illi placerent, tandem inclinat ad illam aliam responsionem, quòd auferatur tunc censura, sed non reseruatio peccati. Hoc tamen videtur non parum eneruare vim argumenti, quo ipsemet vsus fuerat *n.16.* ad probandum, quòd quando subditus confitetur reseruata, & ad hunc finem exonerandi omninò conscientiam recurrit ad Superiorem; tunc Superior aufert reseruationem, etiam pro oblitis: quod probat ex eo, quòd per absolutionem à censuris absoluit à censuris reseruatis oblitis: ergo aufert reseruationem peccati obliti, cui annexa erat censura: ergo eodem modo intendit auferre reseruationem peccati obliti non habentis censuram annexam. Hoc autem argumentum posset eodem modo eludi; sicut posteà eludit nostrum: posset enim responderi, quòd Superior tunc aufert censuram reseruatam oblitam; non tamen reseruationem peccati obliti, pro quo vult, quòd recurratur ad se, vt possit remedium & pœnitentiam congruam adhibere. Vel argumentum ergo in neutro casu probat, vel in vtroque.

94. Vnde secundò argumentari possumus ad hominem contra eumdem P. Suarez: quia non videtur esse maius fundamentum, vt præsumatur Superior velle auferre reseruationē pro oblitis, quando subditus cōfitetur aliqua reseruata, quàm quando illa non confitetur: pone enim vnum subditum, qui confitetur vnum solùm reseruatum, & oblitus est alia quatuor grauiora, & specie diuersa; & alium subditum, qui confitetur decem mortalia non reseruata, & relinquit aliud reseruatum fortasse leuius propter obliuionem: nónne hic posterior magis patefecit Superiori statutum suæ conscientiæ, quàm ille prior? Cur ergo magis huic retinebit reseruationem oblitorum, quàm illi priori? Anne, vt quando recordetur, possit accipere medicinam à Prælato? Sed certè magis indiget noua Prælati cura, & medicina ille prior, qui plura, & grauiora oblitus est quàm hic, qui grauiora fassus est, & oblitus est vnum leuius. Cùm ergo Pater Suarez concedat, illi priori auferre Prælatum omnem reseruationem; non est, cur huic alteri eamdem Prælati indulgentiam negemus, qui suam conscientiam melius, & clariùs Prælato patefecit.

95. Tertiò, hinc reddi potest ratio vniuersalis, quia, quoties subditus bona fide, & cum simplicitate confitetur Superioti, & detegit ei latebras cordis sui; iam facit, quantùm est ex se, vt Superior adhibeat eius conscientiæ remedia necessaria, non est ergo, cur non sit contentus Superior eiusmodi manifestatione, & tollat reseruationem, sicut tollit, quando manifestat vnum reseruatum, etiam respectu oblitorum provt fatetur P. Suarez: Vasquez verò, vt consequenter loquatur, id etiam negat. Sed certè non est credibile, quòd si subditus fecit confessionem generalem totius vitæ cum Superiore, velit adhuc Superior obligare illum, vt quoties ei aliquid occurrerit circa illam confessionem addendum, v. g. circa aliquam circunstantiam non satis explicatam, vel quid simile; toties redeat ad ipsum. Quid enim, si cum Pontifice Summo, vel eius Summo Pœnitentiario facta esset confessio; Numquid hi etiam volunt, vt redeat Pœnitens ad ipsos, quoties oritur aliquod dubium circa ea, quę explicari debebant?

96. Confirmatur: quia, si subditus explicitè diceret, se desiderare absolui ab omni vinculo, quantùm fieri posset; iam Superior præsumeretur velle auferre reseruationem, vt fatetur Suarez. Sed quoties confitetur Prælato, desiderat, & petit implicitè absolutionem, & remissionem maiorem, quàm habere possit: ad hoc enim venit omnis pœnitens ad Confessarium, vt soluatur quantùm solui possit. Ergo præsumetur etiam Superior velle soluere, quantùm potest, iuxta desiderium pœnitentis. Cur enim non præsumemus eum velle facere id, quod faceret absque illa difficultate, quoties à pœnitente explicitè peteretur. Certum est autem, quòd si subditus dicat: *Pater, ergo non sum mihi conscius alicuius casus reseruati; sed tamen ad cautelam desidero solui à vinculo reseruationis.* Superiòr nunquam hoc illi in confessione negaret: ergo cum magno fundamento præsumimus, ita velle absoluere semper, vt soluat quantùm potest.

97. Vltimò arguere possumus contra P. Vasquez: quia ipse *n.23.* concedit, si Sacerdos habens facultatem absoluendi à reseruatis, & audiens pœnitentem confitentem duo, vel tria reseruata, haberet intentionem absoluendi ipsum, & concedendi ei facultatem liberam confitendi alia oblita cuicumque Sacerdoti habenti iurisdictionem ad non reseruata: tunc, inquam, non esse dubium quin posset ab aliis oblitis absolui per communem Confessarium: quia ablata esset reseruatio. Hanc autem intentionem videntur de facto habere ad minus omnes Religiosi, qui ex priuilegio absoluere possunt à reseruatis: non minùs enim liberaliter, quantum ex parte sua est extendunt intentionem, quando absoluunt à peccatis, quam quando absoluunt ab excommunicatione: sed in vtrâque absolutione volunt vti tota sua potestate: ergo volunt tollere reseruationem oblitorum, si possunt. Si autem Religiosi absoluentes ex priuilegio hoc faciunt, negari non debet, quòd Prælatus ipse quando absoluit, id intendat: non est enim credibile, quòd sit magis fauorabilis de facto absolutio data à delegato, quàm data ab ipso delegante. Vnde, si alicui neganda esset illa facultas, potiùs denegari deberet absoluenti ex potestate delegata: quia ille actus auferendi reseruationem, videtur esse quædam subdelegatio iurisdictionis, ad quam ille Religiosus non videtur habere potestatem, de quo statim dicam.

98. Ex his ergo infertur primò si Superior habens potestatem delegatam absoluat ab vna solùm excommunicatione reseruata, non manere pœnitentem absolutum ab aliis, quas fortè incurrat, nec ablatam esse reseruationem pro illis: quia absolutionis verba tunc solùm terminantur ad illam excommunicationem, nec vllo modo indicant solutionem ab aliis, aut ab earum reseruatione. Quan-

do

do verò generaliter absoluit ab omni excommunicatione, in quantum potest, iam tunc verba diriguntur ad omnes. Item. quando absoluit generaliter à peccatis, iam tunc ostendit, se velle eorum vincula soluere, quantùm potest: quare, cùm vnum vinculum ex illis sit reseruatio, à qua potest Superior directè soluere; credi debet hoc etiam vinculum soluere per illa verba generalia.

99. *Quid tempore Iubilei.*

Infero secundò à fortiori, quando facultas absoluendi data est in fauorem pœnitentis, cui per Iubileum, vel Bullam, aut aliter datur facultas eligendi Confessarium, qui eum à reseruatis possit absoluere; tunc, inquam, per illam absolutionem censeri ablatam reseruationem pro oblitis; ita vt finito etiam tempore Iubilei, vel Bullæ, possit ab iis absolui per communem Confessarium. Quod concesserunt etiam in hoc casu Suarez *dicta sectione* 4. *n.* 20. & Vasquez *dicto dub.* 5. *n.* 38. & aduertit Suarez *num.* 21. non esse obligationem confitendi postea illud peccatum eidem Sacerdoti, cui priùs confessus fuerat; sed posse illud cuilibet confiteri habenti iurisdictionem communem ad mortalia. Quare nescio, quo fundamento P. Diana *tom.* 2. *tract. de Bulla Cruciatæ, resolutione* 19. citauerit Patrem Suarez, & Vasquez pro sententia contraria, q ùd non possit absolui postea ab oblitis, si nullã mentionem priùs fecisset in confessione de reseruatis: ipsi enim contrarium expresè dicunt in illo casu, sicut & Bonacina *de Sacrament. disput.* 5. *quæst.* 7. *punct.* 5. §. 5. *num.* 8. quem Diana pro contraria etiam sententia ibi citat: nam, licèt ij Auctores in confessione facta Superiori contrarium sentiant: quando tamen confessio fit à pœnitente habente facultatem virtute Iubilei, vel Bullæ, dicunt auferri omninò reseruationem pro oblitis.

100. *Quid, si non lucratur Iubileum.*

Difficultas est, si pœnitens confessus sit tempore Iubilei cum intentione lucrandi Iubileum & postea non lucretur quia non facit, cætera requisita; an tunc maneat ablata reseruatio pro oblitis. Et quidem quoad ea peccata reseruata, quæ confessus est, communiter conceditur non esse obligationem ea iterum confitendi: quia iam fuerunt semel directè ablata per absolutionem, quæ non fuit data sub conditione de futuro, sed omninò absolutè. Ita Vasquez *dicto articulo* 3 *dub.* 6. *n.* 6 Suarez *dicta sect.* 4. *num.* 5. Thomas Sanchez *lib.* 4. *in Decalog. cap.* 54. *n.* 42. quod idem de absolutione à censuris probat contra aliquos ibi relatos, qui dixerunt, reseruationem censuram redire. An verò peccet pœnitens non obseruando reliqua requisita ad Iubileum lucrandum, postquàm virtute illius absolutionem solutionem obtinuit; affirmat Suarez peccare grauiter *n.* 5. *tom.* 2. *de Relig. lib.* 6. *de voto, cap.* 16. *num.* 11. Negat tamen probabiliùs Sanchez *num.* 54. & Henriquez *libr.* 6. *cap.* 16. *num.* 6. quia nullum sufficiens fundamentum inuenitur ad inducendam talem obligationem.

101. Circa oblita verò, an maneant postea reseruata, affirmat Vasquez *dicto dub.* 5. *num.* 40. Probabiliùs tamen negant Suarez *in præsenti, dicta sectione.* 4. *num.* 24. Sanchez *loco, citato, num.* 45. qui, vbi absolutio aliqua absolutè confertur, non debemus interpretari illam esse dependentem à conditione futura: cùm ergo Confessarius tunc absoluat absolutè à peccatis, quantùm potest, sicut & à censuris, atque à censuris non absoluat dependenter ab euentu futuro; idem dicendum est de tota absolutione à peccatis, in qua includitur, vt diximus, ablatio vinculi reseruationis pro oblitis, atque adeò illud etiam vinculum absolutè auferè. Si autem solum sub conditione futura auferre volebat, debuisset id explicare, sicut frequenter id explicatur in dispensatione voti, vel absolutione à censura ad reincidentiam.

Maior difficultas est, an, si tempore Iubilei nullam confessionem fecit, possit postea absolui à reseruatis, quæ habebat. Potest autem hoc multipliciter contingere. Primò, si confessionem non fecit; quia, facto examine, non inuenit peccatum mortale, quod deberet confiteri. Secundò, quia non habuit copiam Confessarij. Tertiò quòd non solùm Confessarius non fuerit; sed nec expleuerit postea opera requisita ad Iubileum, licèt ab initio inceperit ea facere cum animo illud lucrandi. Et quidem in primo casu proponit hoc dubium Diana *tom* 1. *tract.* 4. *de Sacramentis resolutione* 150. & pro sententia negante citat Thomam Sanchez *lib.* 8. *de matrim. disput.* 15. *num.* 21. & Suarez *in præsenti, dicta sectione* 4, *num.* 9. & 24. Sed neuter id dicit: nam Sanchez loquitur in alio casu; quando, scilicet non posuit alia opera ad Iubileum requisita, in quo etiam casu loquitur Suarez *num.* 20. nam in illis aliis locis nihil dicit. Quando verò pœnitens fecit omnia alia requisita ad Iubileum, ipse Sanchez *illa disputatione* 15. *num.* 19. & *dicto cap.* 54. *num.* 41. dicit, retenta opinione probabili, quòd ad Iubileum non requiratur necessariò confessio, quando quis non inuenit apud se materiam necessariam confessionis, dicendum esse, quòd ille talis possit postea virtute Iubilei præteriti absolui à reseruatis oblitis, quod contra Henriquez benè probat: quia ipsum Iubileum lucratum sine interuentu Confessarij tollentis reseruationem dat ius illud lucranti, vt possit absolui à reseruatis oblitis: quod quidem verius est, si illa sententia sit vera, quòd confessio sacramentalis non requiratur ad lucrandum Iubilem, de quo dicemus *inferius, disput.* 27. *sect.* 7. quæ saltem est probabilis & ideò probabile est, posse illum postea absolui ab oblitis.

Dices, repugnare, quòd virtute Iubilei lucrati acquisierit pœnitens tale ius: quomodo enim potuit lucrari Iubileum qui habet peccata mortalia reseruata, quorum erat oblitus: aut quomodo existens in statu peccati potuit Iubileum obtinere? Respondeo, potuisse id fieri primò, si habuit actum contritionis. Secundò, si ante illud tempus confessus iam fuerat; sed oblitus illorum reseruatorum: quare ab illis erat anteà indirectè absolutus; sed remanebat reseruatio, & obligatio confitendi Superiori, à quo indirectè absoluerentur: à qua obligatione liberatus est comparando Iubileum. Tertiò, dubitari posset, an, esto, coram Deo lucratus non fuerit Indulgentiam propter statum peccati; sufficiat tamen fecisse bona fide omnia opera ad Iubileum iniuncta, vt acquisierit alia iura, & facultates, quæ volenti lucrari Iubileum dabantur. Nam Sanchez *dicto capite* 54. *numero* 41. & *dicta disputatione* 15. *numero* 19. solùm dicit quòd si fecit alia omnia opera in Iubileo requisita, acquirit tale ius ad absolutionem à reseruatis: & licèt addat, hoc ius acquiri ratione Iubilei lucrati, posset intelligi de Iubileo, non provt includitur remissionem pœnæ temporalis; sed provt dicit concessionem talium facultatum, quas Pontifex concedit omnibus facientibus talia, vel talia opera.

Infero tertiò, quid dicendum sit, quando pœnitens confessus est non ipsi Superiori, sed habenti facultatem delegatam ex priuilegio, quales sunt multi Regulares, an tunc etiam censeatur ablata reseruatio pro inculpabiliter oblitis. Ratio dubitandi est: quia delegarus ille non potest auferre reseruationem, nisi sacramentaliter absoluen

absoluendo, vt aduertit Suarez *illa sect. 4. num. 3.* & Vasquez *illo dub. 5. n. 34.* nec potest eam facultatem alteri delegare, sicut potest Superior: quare, licèt Superior absoluendo subditum, censeatur auferre reseruationem pro oblitis, id dicendum non est de delegato: nam auferre reseruationem pro oblitis, non est absoluere ab illis; sed dare facultatem inferiori absoluendi ab iis; delegatus autem non potest dare, aut delegare talem facultatem; ergo non poterit auferre reseruationem pro oblitis.

105. Adhoc tamen existimo, idem dicendum esse, quando bona fide confessus est pœnitens habenti auctoritatem delegatam: tum, quia Doctores indifferenter loquuntur de Confessario habente facultatem; tum etiam, quia ipsi Auctores contrariæ sententiæ non videntur, quoad hoc, agnoscere differentiam: nam Suarez, qui concedit subdito confitenti aliqua reseruata, seu dicenti, se desiderare absolutionem à reseruatis, si quæ habet, censeri iam ablatam reseruationem pro oblitis: concedit *n.* 17. id locum habere, siue confessio fiat Prælato, siue habenti iurisdictionem delegatam. Et Vasquez *dub. 5. n. 34. & 35.* dicit, sicut per confessionem, & absolutionem inualidam factam Prælato tollitur reseruatio illorum peccatorum, quæ subditus confessus est, sic tolli per confessionem inualidam factam delegato. Vterque autem respondet ad rationem dubitandi à nobis propositam, quòd licèt delegatus non possit delegare illam iurisdictionem; in hoc tamen casu Superiorem ipsum, qui illam potestatem delegauit, auferre reseruationem: quia iam eius intentioni videtur subditus satisfeciisse, dum se vel Superiori, vel certè eius delegato præsentauit, & manifestauit conscientiam suam. Eodem ergo modo dicere possumus in nostro casu, per confessionem factam cum delegato, etiam non facta mentione de reseruatis, auferri reseruationem pro oblitis: quia, sicut per similem confessionem factam Prælato, ipse Prælatus auferre censetur iurisdictionem, eò quòd iam subditus se illi bona fide aperuit; & manifestauit in illo foro; sic censetur auferre reseruationem, quando subditus se suo delegato bona fide manifestauit in illo foro: nec tunc delegatus auferet reseruationem, delegando propiè iurisdictionem; sed auferendo vinculum, quod Prælatus imposuerat, & destruendo moraliter voluntatem Prælati suspensiuam, statim ablato impedimento, oritur iurisdictio ex prima voluntate, aut potestate data Confessariis, quæ impedita fuerat per voluntatem contrariam: non est enim necessarium, quòd Episcopus det positiuè iurisdictionem Parocho; sed, quòd eam non auferat, aut limitet.

106. Quid, si confessio fuit inualida.

Infero quartò, doctrinam traditam locũ habere, quando confessio facta Prælato, vel habenti potestatem delegatam, fuit inualida: dum tamen nõ fuerit defectus integritatis culpabilis, vel etiam defectus potestatis in absoluente. Id quod concedunt etiam Suarez *d. sect. 4 n. 9.* & Vasquez *dub. 5. n. 33. & seqq.* Addo, licèt defectus fuerit in integritate; nõ tamen circa ipsum peccatum reseruatum, sed circa alia: adhuc reseruationem tolli, saltẽ circa reseruata dicta: quod videntur esse iuxta mentem illorum DD. & ita videntur loqui. An verò tollatur etiam circa oblita, magis dubitare potest: quia tunc ille subditus nõ se manifestauit syncerè, & cum simplicitate suo Superiori: quare non præsumitur Superior magis tunc velle reseruationis vinculum tollere pro oblitis, quàm si scienter, & culpabiliter subditus reseruata taceret. Si defectus autem valoris proueniat ex defectu doloris, vel propositi; tunc dicendum erit in nostra sententia auferri reseruationem pro oblitis, licèt nulla mentio reseruatorum facta fuerit, sicut Suarez, & Vasquez id concedunt, quando subditus se accusauit de aliquo reseruato, vel ostendit, sed ob eum finẽ venire ad confessionẽ.

Addit P. Vasquez *n. 36* debere pœnitentem admonere Confessarium, cui postea valide confitetur illa peccata reseruata, à quibus inualidè Superior eum absoluit, quam pœnitentiam pro eis imposuerit; vt (quia illa confessio inualida fuit, licèt reseruationem abstulerit,) eandem iterum Sacerdos inferior imponat: quia cum hoc onere videtur Superior reseruationem abstulisse, vt talem pœnitentiam pœnitens ageret. Nec sufficit, quòd pœnitens eam propria sponte assumat: quia si non imponitur à Sacerdote in Sacramento valido, non erit satisfactio sacramentalis eleuata virtute clauium, qualem voluit esse Superior, quando eam imposuit. Hoc autem vltimum non æstimat necessarium P. Suarez *n. 2.* quia, licèt Superior non potuerit sine Sacramento eam satisfactionem eleuare, vt habeat effectum ex opere operato; poterit tamen obligare ad illam pœnitentiam exequendam sicut potuit obligare ipsum pœnitentem ad eam manifestandam Confessario inferiori. Quod certè difficile est, cùm tota obligatio debeat procedere à Confessario, vt Iudice, in hoc Sacramento.

107. Difficultas est, an quod diximus, per absolutionem, & confessionem inualidam auferri reseruationem, procedat etiam, quando tempore Iubilæi confessio fit inualida. Multi enim excipiunt illum casum Iubilæi cum Thoma Sanchez *d. lib. 4. in Decalog cap. 54. n. 45.* & *d. lib. 8. de matrim. disp. 15. n. 2.* qui in vtroque loco exigit, quòd confessio, & absolutio fuerit valida, & sacramentalis. Idem docet Petrus Ochagauia *de sacramentis, tract. 2. de confess. sacramentali, q. 22. n. 8.* & alij, quos refert, & approbare videtur Diana *1. tom. tract. de Bullæ Cruciatæ, resol. 18.* & *tom. 3 tract. 4. miscellan. resol. 24.* quia, cùm tunc absolutio à reseruatis concedatur per ordinem ad iustificationem animarum, & ad lucrandam indulgentiam, quam tamen non lucratur, qui inualidè confitetur; non videtur tunc Superior concedere talem facultatem. Quod videtur etiam docere Suarez *num. 22.* & cum eo Bonacina *loco suprà citato, num. 9.*

108. Alij tamen indifferenter loquuntur de omni cõfessione facta inualidè ei, qui habebat potestatem absoluendi. Ita loquitur Pater Vasquez *dub. 5. n. 33.* & *37.* in ordine ad peccata, quæ pœnitens confessus est, & Paulus Comitolus *in respons. moral. lib. 1. quæst. 30. n. 2.* vbi alios adducit. Ego distinguendum puto: & in primis, si sermo sit de facultate per Bullam Cruciatæ concessa, existimo, licèt concessio fuerit ficta, vel nulla, nihil referre: quia facultas, vel ablatio reseruationis non ponitur à Confessario absoluente; sed ab ipso Pontifice, posita illa vnica conditione sumẽdi Bullam, & dandi eleemosynã. Cùm ergo cõditio posita sit, iam pœnitens acquisiuit ius, & priuilegium eligendi Confessarium, qui eum absoluat ab omnib. reseruatis tũc incursis: quod ius remanet in eo ratione cõditionis positæ. Si verò sermo sit de facultate quæ conceditur per Iubilæũ, rursus distinguendũ est. Nam, vel pœnitens aduertit defectũ suæ confessionis, vel non aduertit. Si aduertit, non videtur acquirere vllum ius ad tollenda reseruata: quia nõ est intentio Pontificis dare facultatem, & priuilegium illud, nisi habenti intentionem lucrandi Iubilæum, & ponendi, quæ petũtur: vnum autem ex iis, quæ petuntur, est confessio, & absolutio sacramentalis quam ille non vult ponere, sed confessionem fictam: ergo non obtinet vllam facultatem: atque ideò nec commutatio votorũ in eo, qui talem intentionem haberet, est valida,

&

& multò minùs absolutio à censuris : quia hæc omnia dari possunt iis solùm, qui habent intentionem ponendi requisita ; quam intentionẽ ille non habet.

110. Si autem pœnitens non aduerterit defectum confessionis ; tunc probabile existimo, quòd auferatur reseruatio ; saltem, si posteà cætera requisita ponat: quia probabile est, vt vidimus, non peti necessariò confessionem in eiusmodi Iubileis, si pœnitens, facto examine, iudicat, non esse sibi necessariam ; quia non inuenit peccatum graue non confessum. Sed facta illa confessione inualida, iam pœnitens, facto examine, non inuenit peccatum graue, quod debeat confiteri ; ergo, si ponat alia omnia requisita, facit, quod exigitur ad obtinendam facultatem, & priuilegia, quæ in Iubileo conceduntur.

111. Dixi, *saltem, si posteà cætera requisita ponat*: quia posset aliquis opinari, virtute illius absolutionis inualidæ ablatam esse iam reseruationem, licèt alia requisita posteà non ponantur : nam, licèt Pontifex nollet dare facultatem Confessario tollendi reseruationem à peccatis extra Sacramentum ; non posset enim confessarius seorsim velle auferre solam reseruationem, videtur tamen posse, quoties bona fide vult absoluere à peccatis, tollere reseruationem, licèt ob indispositionem pœnitentis, ipsi pœnitenti ignoram, non posset absoluere à peccatis: sicut etiam Religiosus qui ex priuilegio absoluere potest à reseruatis, aufert reseruationem; licèt absolutio à peccatis sit inualida ob indispositionem pœnitenti.

112. Confirmatur: quia, saltem quoad censuras, non apparet, cur non esset valida tunc absolutio, cùm virtute Iubilei possit aliquis absolui ab excommunicatione, etiam extra Sacramentum, indispositio ergo ad iustificationem non impendit absolutionem ab excommunicatione. Hinc autem argui potest ad ablationem reseruationis ; quia, si validè absoluitur ab excommunicatione: ergo ad minus auferetur reseruatio peccati habentis excommunicationem reseruatam, iuxta communem Theologorum sententiam. Deinde, sicut potest Confessarius tollere validè vinculum excommunicationis virtute Iubilei ei, qui confitetur inualidè ; cur non poterit eadem virtute soluere vinculum reseruationis peccati, non obstante inualiditate confessionis ?

113. Addo, etiam si pœnitens aduertat defectum confessionis; aliquando tamen posse habere intentionem lucrandi Iubileum, & ponendi omnia requisita; si v.g. habeat animum confitendi posteà validè ante finem hebdomadæ : & tunc videtur validè absolui ab excommunicatione, & censuris reseruatis in illa confessione inualida: quia absolutio à censuris priùs datur, quàm absolutio à peccatis; & eius valor non dependet à valore futuræ absolutionis, præsertim cùm dari possit extra Sacramentum: cùm ergo ille habeat intentionem lucrandi Iubileum, iam videtur esse dispositus ad obtinendam absolutionem à censuris, licèt non sit dispositus ad absolutionem à peccatis. De ablatione autem reseruationis peccatorum magis dubitari posset : sed certè probabile mihi videtur, quoties defectus non sit in integritate circa ipsa reseruata, tolli posse reseruationem virtute illius absolutionis, si pœnitens habeat animum lucrandi Iubileum, & confitendi posteà validè, ac ponendi omnia alia requisita. Quia, sicut Confessarius ex priuilegio, & delegatione absoluens validè, tollit reseruationem peccati, licèt confessio sit inualida ob defectum etiam pœnitenti cognitum; dum tamen non sit circa integritatem debitam in reseruatis, non video, cur non possit etiam virtute Iubilei Confessarius soluere vinculum reseruationis peccati in paribus circunstantiis, licèt non absoluat ab ipso peccato propter indispositionem pœnitentis

Infero quinto, ipsam etiam absolutionem ab excommunicatione aliquando irritam reddi propter indispositionem pœnitentis, vt cùm parti non satisfecit, cùm posset: quo casu Confessarius, vel inualidè, vel certè illicitè absolueret: quare, licèt vtatur verbis generalibus *in quantum possum, & indiges*: non comprehendit illum casum, in quo non potest, saltem licitè absoluere, vt obseruat Auila *de censura, p. 2. cap. 7. disp. 3. dub. 9. conclus. 2. in fine.* Coninch. *in præsenti, disp. 8. dub. 12. n. 97.* Quod idem dicendum est, quando pœnitens sponte, & sine iusta causa recitet excommunicationem, quam habet.

Petes, quid, si aliquam manifestet excommunicationem; sed taceat scienter, & culpabiliter peccatum, cui annixa est; tunc ne absoluetur ab excommunicatione ? Si enim ab illa absoluitur validè, iam eo ipso ablata est reseruatio peccati, cùm tamen scienter illud tacuerit. Respondeo, casum repugnare: quia non potest explicari excommunicatio in specie, quin dicatur etiam peccatum, ob quod contracta est: si autem pœnitens solùm explicat in genere excommunicationem reseruatam, & malitiosè tacet causas, perinde erit, ac si taceret etiam excommunicationem.

Vltimò infero, quæ dicta sunt de ablatione reseruationis circa peccatum oblitum inculpabiliter, locum etiam habere circa peccatum reseruatum non oblitum ; quod tamen pœnitens ob iustam causam tacuit, v.g. vt vitaret graue damnum sui, vel alterius, quod ex confessione talis peccati prudenter timebat : tunc enim eodem modo dicendum est de cessatione reseruationis illius peccati, sicut dictum est de cessatione reseruationis circa peccatum oblitum, vt obseruauit Homobonus *in exam. Eccles. part. 1. tract. 5. cap. 6. quæst. 38.* & alij.

SECTIO VIII.

De ministro, qui ex potestate delegata potest à reseruatis absoluere.

FAcultatem hanc delegare possunt ij omnes, qui peccata reseruant, vel qui habent ordinariam potestatem ad eorum absolutionem: possunt autem eam delegare eodem modo, quo *disputatione præcedenti* diximus, iurisdictionem ad alia peccata posse, ipse vel intelligi delegari. Hoc pacto habent iurisdictionem delegatam ad multa reseruata Religiosi, præsertim Mendicantes : item ille, qui eligitur à pœnitente potente virtute Bullæ, aut Iubilei eligere Confessarium, qui eum absoluat à reseruatis. Qui autem, & quantum iurisdictionem delegatam habeant ad reseruata; pendet ex priuilegiis, quæ singuli habent, vel pro sua persona, vel pro sua communitate, quorum notitia ad singulos pertinet. Nunc ergo aliqua magis dubia explicabimus, quæ circa huiusmodi delegationem possunt occurrere.

Primò ergo dubitari potest, an, quando aliquis petit à Prælato eius auctoritatem pro vno subdito suo, pro vna vice; in hac petitione includatur ipsemet, qui petit; ita vt virtute illius licentiæ possit ipse absolui. Affirmatiuè respondet Alphonsus de Leone *de offic. & potest. Confess. tom. 2. recoll. 6. n. 131.* Alij distinguunt: nam, si petens dicat, *Est quædam persona, quæ indiget vestra auctoritate; placetne vobis illam mihi dare* ? tunc videtur ipse petens inclusus in illa generalitate, *argumento legis, Paulus respondit. §. fin. ff. de pignoribus.* vbi quando seruus ex cõsensu domini in aliquo contractu obligat omnia domini bona, comprehenditur in illis bonis obligatis ipsemet seruus, Si verò petens illam facultatem dicat: *Rogo te, vt des mihi tuam facultatẽ pro vna persona* non posset illa pro se ipso vti. Hanc sententiam tenet Diana *2. tom. tract. 4. de Sacramentis, resolut. 142.* & pro ea citat Floronum *de casib. reserv. part. 1. cap. 3. §. 1.* In

119. In hoc tamen non potest dari vna regula generalis: quia pendet omninò ex intentione, & consuetudine, quam concedentes talem facultatem habent. Vndè in nostra Societate Superior nunquam per similem formulam intendit comprehendere petentem; quia semper concedere solet facultatem, determinando personam, cui absolutionem committit: quare, quando concedit facultatem petenti, concedit illi soli facultatem absoluendi; nec posset virtute illius facultatis alius absoluere, etiamsi ille moreretur: cùm ergo ipse non possit absoluere seipsum, non intelligitur ipse inclusus in tali facultate. Quando autem licentia peteretur pro aliquo subdito, vt possit ipse eligere Confessarium pro vna vice, dicendo, v. g. *Vnus subditus indiget facultate vestra pro vna vice, vt faciat se absoluere ab aliquo Confessario.* tunc non videtur exclusus ipse petens, nisi ex aliis circumstantiis significaretur exclusio. Vndè, quando Superior non solet determinare personam, cui dat iurisdictionem; sed dat pœnitenti facultatem eligendi, non videretur exclusus ipse petens, si verba non significant eius exclusionem. Atque ita credo, quòd qui à sacra Pœnitentia peteret pro vno indigente facultatem ad faciendum se absoluere pro vna vice, ex vi horum verborum non esset exclusus ipse petens. Similiter de suo Ordine testatur Villalobos *in Summa, tom. 1. tract. 9. difficult. 64. num. 4.* quando Prælatus alicui concedit, absque restrictione, suam auctoritatem, intelligi de actiua, & passiua: quia hic est stylus, & hæc est mens Prælati, dum aliud non dicit.

120. Quid, si differatur vsus facultatis, & posti fiant alia peccata.

Secundò dubitatur, an facultas, quæ petitur, & datur pro hac vice, extendatur ad peccatum etiam commissum post petitam, & obtentam facultatem, antequàm fiat confessio: v.g. si in illo tempore intermedio subditus lapsus sit in alia duo, vel tria peccata reseruata. Aliqui simpliciter negant, quia eiusmodi concessio daret ansam liberiùs peccandi. Ita Azor 1. *part. lib. 5. cap. 23. quæst. 2.* Alij simpliciter affirmant: quia, vbi concessio est absoluta, & illimitata, non debet à nobis fine causa limitari. Pro hac affertur P. Salas *de legibus, disp. 17 sect. 8. n. 51.* Sed ille loqui videtur de facultate concessa in Bulla Cruciatæ, de qua est multò diuersa ratio, cùm sit facultas pro toto anno, & ad omnes confessiones, quæ durante illo anno occurrere possunt. Eam tamen sententiam tenere videtur Bonacina *de legibus, disp. 1. q. 3. puncto 7. §. 1. n. 11.* & Ioannes Præpositus *in præsenti, q. 9. de reseruatione casuum, dub. 3. n. 22.* vbi sic ait: *Si Parocho petenti per literas potestatem absoluendi aliquem à casibus reseruatis, in quos inciderat, ea facultas concedatur, & pœnitens rursus incidat in similem casum, antequàm confiteatur, videtur etiam posse ab illo absolui: quia petitio, & concessio tacitè intelliguntur de similibus casibus, qui post illam concessionem, clauibus bona fide subiicientur. Quod etiam videtur verum, licèt Parochus scripsisset, non esse periculum relapsus: quia, eo non obstante, concessio est absolutè facta, & independenter ab eo, quòd non relaberetur: neque id adiiciendo Parochus bona fide decepit Episcopum.* Hæc ille, quem pro hac sententia affert, & sequitur Diana 3. *tom. tract. 4. miscellan. resolut. 109.* Sed reuerà non est omninò idem casus, quando Confessarius petit licentiam absoluendi aliquem, ac quando pœnitenti datur licentia eligendi Confessarium pro hac vice.

Præposit.

121. Alij enim distinguunt inter hos duos casus, & dicunt, in priori casu posse absolui à commissis post datam licentiam, in posteriori non posse. Ita Vgolinus *de potestate Episcopi, c. 36. §. 5.* quem allegat & sequitur Barbosa *de potestate Episcopi, allegatione 32. n. 9.* & in hoc sensu videtur loqui Azor *loco citato.* Ratio autem est: quia in secundo casu daretur occasio peccandi, atque ideò illa extensio esset illicita, *iuxta l. Si vnus, §. Illud nulla ff. de pactis.*

Alij distinguunt aliter de peccatis commissis post datam licentiam, antequàm acceptetur à pœnitente, quæ possunt absolui: & de peccatis commissis post acceptationem, quæ dicunt non posse absolui. Alij denique dicunt, posse absolui peccata postea commissa, non tamen si committerentur ea occasione, & propter licentiam datam.

122. Ego aliter distinguerem: nam aliquando licentia datur ad absolutionem pro tali peccato, pro quo petitur: aliquando verò datur simpliciter facultas eligendi Confessarium pro hac vice, & qui possit absoluere. Priori modo solent illam licentiam concedere Superiores in nostra Societate: Confessarius enim (si fortè necessitas occurrat, petit licentiam absoluendi quemdam subditum à quodam peccato, in quod lapsus est, quam petenti Superior concedit; cùm autem licentia intelligenda sit iuxta verba petentis, & ille petat ad absoluendum à peccato commisso; non videtur posse extendi ad nondum commissum, cùm talis licentia petita non sit. Fateor, quòd posset Superior licentiam magis amplam concedere, quàm petatur: vt, si petenti ad absoluendum ab vno peccato dicat: *Ego concedo tibi totam meam facultatem, vt possis illum audire, & absoluere ab omnibus.* Et tunc videretur etiam inclusum peccatum commissum post hanc concessionem ante confessionem. Cæterùm, quando Superior præcisè concedit id, quod petitur; non videtur facultas se extendere vltra id, quod significant verba petitionis, scilicet, ad absoluendum à peccato commisso.

Confirmatur: quia Superior hoc modo licentiam concedens potest, & solet aliquando determinare pœnitentiam imponendam pœnitenti, vt fatentur Doctores: non ergo intendit dare facultatem pro committendis: quomodo enim posset pro illis nunc determinare pœnitentiam, cùm ignoret, quot, & quàm grauia futura sint? Solùm ergo indicat de commissis, ad quæ tribuit suam potestatem: quia de illis habet iam sufficientem notitiam. Pone enim, hodie peti licentiam pro vno lapsu carnis, & cras, ante confessionem, committi 10. vel 12. similia, vel grauiora peccata: quis dicat, intentionem Superioris illa comprehendisse, quibus cognitis fortasse licentiam negasset, vel grauiora remedia adhibuisset.

123. Hinc infero, quando eiusmodi licentiæ in Pœnitentiaria sacra conceduntur cum illa formula *super præmissis*, vel, *à premissis*; videri ex tenore, verborum restringi licentiam ad enarrata: atque ideò, si petita fuit absolutio pro determinatis peccatis commissis, & licentia detur absoluendi *à præmissis*; non videtur extendi ad committenda, nisi aliqua clausula adiungatur, qua significetur ampliatio licentiæ ad casus etiam non petitos.

124. Quando verò facultas conceditur posteriori modo, nempè, vt pœnitens eligat Confessarium, qui pro hac vice eum possit à reseruatis absoluere, vel Confessario datur licentia audiendi illum, & absoluendi hac vice à reseruatis: tunc siue facultas concedatur Confessario, siue ipsi pœnitenti; admitterem, posse absolui à commissis similibus post licentiam concessam, atque etiam à commissis post habitam notitiam facultatis concessæ: in quo casu placet sententia Bonacinæ, & Ioannis Præpositi: quia concessionis verba non significant limitationē: & licèt indè per accidens sequi possit occasio peccandi, id non facit illicitam talem concessionem, vt

volebant Azor, & Vgolinus alioquin illicita esset concessio Bullæ Cruciatæ, in qua datur facultas pœnitenti eligendi Confessarium, qui absoluat à reseruatis committendis pro toto anno. Item, illicita esset concessio Iubilei, in quo Papa concedit similem licentiam pro duabus hebdomadis, cùm possit pœnitens tunc differre confessionem vsque ad finem secundæ hebdomadæ. Denique idem inconueniens esset, licèt licentia non concederetur pœnitenti, sed Confessario; quia pœnitens posset, habita notitia illius facultatis, liberiùs peccare ante confessionem, atque ideò illicita etiam esset facultas, quam à Pontifice habent Regulares absoluendi sæculares à reseruatis, vel quam alij habent ab Episcopo absoluendi à reseruatis ipsi Episcopo: siquidem hæ omnes licentiæ possent dare occasionem pœnitentibus liberiùs peccandi. Omnes ergo debemus fateri, illud malum, si quod est, sequi omninò per accidens, & præter intentionem Superioris, qui prudenter iudicat, maius bonum esse, quod subditus hac occasione liberari omninò possit à suis peccatis, & non incidat in barathrum desperationis, quàm quòd impediatur illa qualiscumque occasio liberiùs peccandi ad breue tempus. Quare hoc modo interpretandæ videntur facultates, quas aliqui Prælati regulares concedere solent suis subditis obtinendi absolutionem ab omnibus reseruatis in certis Festiuitatibus. Si enim illas non limitent ad peccata iam anteà commissa, extendi videntur ad peccata comm ttenda, etiam post datam licentiam; dum tamen fit ante licentiæ vsum, qui ad talem diem, vel festiuitatem alligatur.

125. Petes, quid, si ille pœnitens differat vsum facultatis, quam habet, eligendi Confessarium, *pro hac vice*; & interim committat alia peccata similia? Si enim concedamus, posse differri vlteriùs, & vlteriùs, & semper manere eamdem facultatem ad absolutionem pro omnibus commissis, vsque ad diem, qua pœnitens vtitur facultate; sequitur, posse ad finem vsque vitæ differri, vt in senectute faciat se absoluere semel, & simul ab omnibus peccatis totius vitæ: quod videtur esse contra mentem sacræ Pœnitentiæ concedentis illam facultatem, *pro hac vice*.

126. Respondeo, illa verba, *pro hac vice*, coarctare proculdubiò facultatem; non tamen ita, vt à peccatis solùm ante concessionem commissis possit absolui; sed à commissis, vel committendis ante absolutionem intra certum tempus, quod sufficiat ad verificanda moraliter illa verba, *pro hac vice*. Aliundè tamen videtur ex hoc fieri, quòd, etiamsi nulla peccata noua commisisset post concessionem; non posset tamen vti illa facultate ad absolutionem pro peccatis anteà commissis, si elapsum fuisset iam illud tempus, quod requiritur ad verificanda verba illa, *pro hac vice*: quod etiam nimis durum, & scrupulosum mihi videtur. Cur enim non posset post annum, & biennium vti facultate illa in ordine ad peccata sola, quæ anteà commiserat, si nondum illo priuilegio vsus fuerat? Dici posset, illa verba, *pro hac vice*, verificari posse vtroque modo; & alterum ex illis sufficere ad eorum veritatem. Quando enim tempus esset præsens, ita vt nondum censeretur tanta distantia temporis, quæ sufficeret moraliter ad falsificandam illam loquutionem; tunc, etiamsi alia similia peccata noua commisisset; posset eligere Confessarium; quia adhuc diceretur hac solùm vice absolui. Quantum autem temporis possit illis verbis comprehendi, pendet ex iudicio prudentis, & ex circumstantiis: nam, quando ea licentia conceditur occasione alicuius Festiuitatis, vel necessitatis occurrentis, in qua oportet confiteri, minus tempus videtur includi: quando verò aliquis petit à sacra Pœnitentiaria facultatem semel eligendi Confessarium in ordine ad reseruata, & conceditur *pro hac vice*, videtur ad maius tempus extendi.

Quando verò nulla alia peccata noua post licentiam concessam commissa fuissent, videtur, quòd, etiamsi duo, vel tres anni, aut plures elapsi essent, posset adhuc pœnitens vti illo priuilegio: tunc enim verificarentur illa verba, *pro hac vice*, ratione materiæ, quæ esset eadem. Itaque ad verificanda illa verba alterum videtur sufficere, quòd, scilicet, absolutio fit de his peccatis narratis, & non aliis nouis, vel, quòd fiat hoc tempore, moraliter loquendo, & non alio longè distanti.

Aduerto denique, quando Superior concedit licentiam, provt petitur & in ordine ad illud peccatum, quod narratur commissum, non solùm non extendi ad peccata commissa post concessionem licentiæ, sed neque ad commissa post petitionem. Vndè, si pœnitens heri confessus est duo peccata reseruata, & Confessarius dixit, se velle petere facultatem, & hodie petita, & obtenta facultate, inuenit pœnitentem heri, vel nocte præcedenti post confessionem lapsum fuisse in alia duo reseruata, licèt illa commissa fuerint ante concessionem licentiæ, non videtur tamen licentia ad illa extendi: quia Superior dedit licentiam ad illa peccata absoluenda, quæ Confessarius ei dixit, & pro quibus Confessarius petebat: hic autem non petebat, nisi pro iis, quæ sciebat commissa, nec alia proposuit Superiori, nisi illa: ergo nec Superioris licentia extenditur ad alia, cùm non se extendat magis facultas, quàm intentio concedentis. Vndè prudenter faciet Confessarius, si in simili casu petat ad cautelam licentiam pro omnibus commissis vsque ad illud tempus, vel etiam pro omnibus, quæ tempore confessionis inuenerit: & non restringat petitionem ad peccata, quæ scit iam esse commissa.

Hac occasione solet tertiò dubitari, an virtute Iubilei, vel similis facultatis delegatæ, possint absolui reseruata commissa ob confidentiam talis facultatis, aut priuilegij concessi, vel concedendi. Negare videntur Couaruu. *lib. 2. variar. cap. 2. n. 26.* & alij, quos refert Acosta *in explicatione Bullæ Cruciatæ, quæst. 33.* Et probari posset ex eo, quòd per Bullam compositionis pro debitis incertis, quæ conceditur ab eadem Cruciata, non potest fieri compositio pro debitis illis, quæ aliquis contraxit ob spem compositionis faciendæ per dictam Bullam, vt in eadem Bulla exprimitur.

Contraria tamen sententia verissima est, quam docent communiter omnes: Thomas Sanchez *lib. 4. in Decalog. cap. 54. num 18.* Villalobos *in Summa, tom. 1 tractatu 27. cauſ. 9. §. 2. num. 19.* Ledesma *in Summa tom. 1 tract. de pœnitentia, cap. 13. dub. 10.* Filliucius *tom. 1. tract. 8. capite 10. num. 262.* Sanctarellus *de Iubil. capite 8. dub. 10.* & alij communiter. Quia, vbi lex non distinguit, nos non debemus distinguere. Si ergo in Bulla Iubilei, vel quauis alia facultate datur licentia absoluendi ab omnibus peccatis, non debet restringi ad illa sola, quæ non sunt facta ob confidentiam priuilegij. Quando enim Pontifex voluit illam restrictionem ponere in Bulla compositionis, eam expressit: ergo, vbi non expressit, noluit eam ponere: & meritò, quia fuisset occasio dubiorum, & magnæ perplexitatis: nemo enim ferè est, qui, quando peccat, non reddatur facilior ad peccandum propter spem, quam habet, quòd per confessionem poterit à peccato iustificari; atque ideò implicitè apprehende

apprehenderet ferè semper facilitatem ipsius confessionis per Bullam, aut priuilegia. Quamuis ergo facilitas, & spes remissionis afferat illud periculum maioris facilitatis ad peccandum, non tamen ideò debet tolli facilitas remedij, sicut nec Christus desiit instituere Sacramenta in remedium peccatorum, licèt præuideret, eorum occasione multos homines faciliùs peccaturos, propter facilitatem veniæ, quam per Sacramenta sperant.

131. *De commissis post tempus Iubilei.* Quartò similiter dubitatur, an virtute Iubilei possit pœnitens aliquando absolui à peccatis reseruatis commissis post finitum Iubilei tempus, v. g. si aliquis illo sabbato vltimo accessit ad confessionem faciendam, & quia longa est, & multa oportet extricare ante absolutionem, non potest perfici; sed Confessarius differt absolutionem vsque ad sequentem hebdomadam: an, si posteà inueniat, pœnitentem commisisse de nouo peccatum reseruatum, possit eum ab illo etiam peccato absoluere. Supponimus, potuisse absolutionem differri, & retineri facultatem ad absoluendum à reseruatis præteritis; quia causa cœpta fuerat, quando Confessarius habebat iurisdictionem: quod tradunt Henriq. & Sà, quos refert, & ex parte sequitur Thomas Sanchez *lib. 8. de matrim. disp. 15. n. 17.* nam, licèt illud non admittat quoad commutationem votorum; admitti tamen quoad absolutionem à peccatis: quia, licèt delegata fuerit iurisdictio tempore determinato; potuit tamen ex partium consensu causa ipsa incepta prorogari *ex cap. De causis, de officio delegati.* Quare deberet tunc Confessarius incepta confessione commutare vota, absoluere à censuris, & auferre reseruationem pro peccatis, & reliquam confessionis partem cum absolutione remittere ad hebdomadam sequentem.

132. Et quidem faciliùs posset hoc ipsum iuxta formulam Iubilei, quæ priùs erat in vsu, in qua dabatur facultas Confessario prorogandi in tempus proximum ea, quæ tunc pœnitens facere non poterat: quare, cùm tunc non posset confiteri, & communicare; potuisset Confessarius prorogare ipsam confessionem ad sequentem hebdomadam, sicut ieiunia, vel alia opera, vel certè ea in alia opera pia commutare. Nunc tamen ea facultas prorogandi, vel commutandi non videtur extendi ad confessionem: nam in hoc vltimo Iubileo, quod Vrb. VIII. Sanctissimus Dominus Noster Vrbanus VIII. hoc anno 1636. amplissimè concessit, clausula illa habetur cum restrictione, his verbis: *Quocumque impedimento detentis, qui suprà expressa, scilicet, ieiunium, eleemosynam, Ecclesiaque, seu Ecclesiarum visitationem, ac interuentum in processione, & orationem, vel eorum aliqua præstare nequiuerint, vt illa Confessarius, quem, vt infrà, elegerint, eis in alia opera pietatis commutare, vel in aliud proximum tempus prorogare possit, atque iniungere, quæ ipsi pœnitentes efficere poterunt; pariter concedimus.* Vbi alia opera præter confessionem, & Communionem commutari, vel prorogari posse conceditur. Quam clausulam, & concessionem priores Bullæ habebant sine tali exceptione his verbis: *Quibuscumque quocumque impedimento detentis, qui suprà expressa, vel eorum aliqua præstare nequiuerint, vt Confessarius, quem, vt infrà, elegerint, prædicta omnia, & singula, vel eorum aliqua in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus prorogare possit: pariter concedimus.* Hæc sunt verba Bullæ eiusdem Vrbani VIII. in alio simili Iubileo, concesso anno 1628. quæ verba mutata fuerunt in hac vltima Bulla, vt constat.

133. Hoc ergo supposito, dubitatur, an, quando confessio perficitur post transactum tempus Iubilei, possit Confessarius absoluere tunc à reseruatis commissis, etiam post finitum Iubilei tempus. Affirmat Bartholomæus de sancto Fausto *tract. de Iubileo, lib. 4. q. 133.* & probabile videntur iudicare Sanctarellus *de Iubileo, c. 8. dub. 7.* Alphonsus de Leone *de Iubileo, parte 2. q. 16. n. 189.* Diana *tom. 2. tract. 4. de Sacramentis, resolut. 147.*

134. Contraria sententia vera mihi videtur, quam tenent Sanctarellus, & Alphonsus de Leone *locis citatis*, & indicat Sanchez *dicto num. 17.* dum dicit, in prædicto casu pœnitentem acquirere ius, *vt absoluatur ab omnibus reseruatis, & in quibusdam secum dispensetur; & vt commutentur ei vota vsque ad Iubilei tempus emissa.* Quibus verbis excludere videtur ea, quæ post Iubilei tempus emisisset, quod idem de absolutione à reseruatis dicendum est, cùm eadem sit de illis ratio.

135. Ratio est: quia, licèt propter causam iam inceptam prorogetur iurisdictio: non tamen prorogatur alia iurisdictio; sed illa sola, quæ priùs concessa fuerat, & ad eadem facienda: prior autem iurisdictio fuerat ad absoluendum à peccatis, & censuris contractis intra tale tempus, & non ad aliud: ergo, si manet eadem iurisdictio, manet ad idem obiectum, nempè, ad eadem peccata, & censuras: nam, si esset ad alia, esset alia iurisdictio de nouo acquisita, non eadem prorogata.

136. Confirmatur, & explicatur: quia, causam esse inceptam, non facit, quòd propter connexionem, & vnionem confessionis possit Confessarius absoluere ab aliis peccatis diuersis, eò quòd non possit absoluere ab illis prioribus sine istis nouis; sed solùm dat ius ad perficiendam eamdem solùm causam, quæ cœpta fuerat, & circa idem. Confessio autem cœpta fuerat circa peccata iam commissa, nec potuit incipere confessio, aut iudicium circa nondum commissa: ergo ab illis solùm prioribus potest absoluere, ratione causæ inceptæ. Pone enim, posteà commisisse peccatum hæresis, ad cuius absolutionem non dabatur facultas in Iubileo: poteritne absolui posteà ab hoc peccato, quia confessio circa alia cœpta fuerat? Nemo id concedet: ergo, neque ab aliis reseruatis commissis post tempus Iubilei absolui poterit: tam enim reseruata sunt hæc peccata, sicut hæresis, cùm Pontifex solùm abstulerit reseruationem eorum, quæ committerentur intra tale tempus: ergo, sicut non abstulit etiam concomitanter reseruationem hæresis propter connexionem cum aliis, aut propter confessionem inceptam; sic nec abstulit reseruationem eorum, quæ tempore sequenti committerentur.

137. Concedo tamen, si post cœptam confessionem pœnitens commisit alia reseruata intra tempus Iubilei, ab illis posteà posse absolui: quia, licèt confessio circa illa non fuerit cœpta; per Iubileum tamen acquisiuit priuilegium, & ius, vt absolueretur ab omnibus commissis intra illud tempus; sicut posteà possent commutari vota, quæ de nouo fecit intra illud tempus post commutata alia, & post factam, ac finitam confessionem. Admitto etiam id, quod *suprà* ex Auctoribus citatis supposui, posse Confessarium cœptam confessionem, quam tunc perficere non potest: relinquere perficiendam ad hebdomedam sequentem: per hoc tamen non poterit acquirere iurisdictionem nouam, aut eam extendere ad id, ad quod priùs non extendebatur.

Dices: Vel Confessarius tunc prorogat ipsum tempus Iubilei, vel non prorogat. Si prorogat: ergo absoluere poterit à peccatis posteà commissis: quia illa etiam fiunt intra tempus Iubilæi. Si non prorogat; ergo nec poterit absoluere posteà à commissis

antea: quia pœnitens non potuit acquirere ius ad eorum absolutionem, nisi faciendo, quæ requirebantur ad Iubileum lucrandum: sed hebdomada præcedenti ea non fecit, cùm non posuerit confessionem, & communionem, quæ erant ex requisitis: ergo non acquisiuit ius, & priuilegium ad obtinendam absolutionem, & cætera, quæ concedebantur.

138. Propter hoc dixi *supra*, facilius posse illam sententiam sustineri iuxta formulam antiquam, qua ipsa etiam confessio, & Communio poterant in necessitate commutari, vel prorogari arbitrio Confessarij. Cæterùm, adhuc iuxta nouã formulam possumus respondere, pœnitentem acquirere ius illud, & priuilegium etiam, antequàm faciat omnia opera requisita: sufficit enim, si cum intentione, & animo ea faciendi accedat ad confessionem, & ipsam incipiat: nam, sicut ipsa absolutio, & alia dantur ei, antequàm faciat opera sequentia; ita videtur acquirere ius ad illa habenda solùm per hoc, quòd cum animo lucrandi Iubileum eligat Confessarium: posita enim tali electione, statim Pontifex dat ei facultatem absoluendi, commutandi, &c. vt ex Bullæ verbis colligi videtur, vbi omnibus volentibus lucrari Iubileum, conceditur facultas eligendi Confessarium, qui statim possit absoluere, commutare, &c. Per ipsam ergo electionem Confessarij factam cum tali animo, Confessarius acquirit iurisdictionem: quare, cùm incipiat audire confessionem, durante tali animo in pœnitente, & per consequens durante iurisdictione in Confessario, poterit posteà eadem iurisdictio continuari ratione causæ inceptæ, & non integræ, licèt pœnitens videat, se non posse perficere ea, quæ exiguntur illa hebdomada ad lucrandum Iubileum.

139. *Quid si sine animo lucrandi Iubileum absoluitur.* Quintò dubitari potest obiter circa hoc ipsum, si aliquis sine animo lucrandi Iubileum transegerit vtramque hebdomadam, & die ipso Sabbathi in fine secundæ hebdomadæ, mutato animo, velit illud lucrari; an possit absolui tunc à reseruatis virtute Iubilei. Negatiuam sententiam tribuit Lucæ Pinello *de Indulgentiis, cap.* 23. & Thomæ Sanchez *lib.* 4. *in Decalogum, cap.* 54. *num.* 28. Antonius Sanctarellus *de Iubileo, c.* 7. *dub.* 1. ipse tamen probabilius affirmat cum Lauorio *de Iubileo, part.* 1. *cap.* 21. *n.* 53. quos sequitur Diana 2 *tom. tract.* 4. *de Sacramentis, resol.* 152. Sed illi duo Auctores, quos pro contraria sententia afferunt, nihil ibi tale dicunt. Cæterùm, pars affirmans probatur: quia, cùm possit Confessarius commutare pœnitenti ea opera, quæ ipse quacumque ex causa implere non potest; poterit tunc ei commutare ieiunia, quæ iam obseruare non potest; poterit etiam commutare visitationem Ecclesiæ, si fortè nec hoc facere iam possit; & tunc pœnitens faciendo ipsa die Sabbathi ea opera subrogata, & eâdem die confitendo, ac tandem susceptra Eucharistia die sequenti, poterit lucrari Iubileum: ac per consequens potuit virtute illius absolui die præcedenti à reseruatis, & censuris.

140. *An lucrato iam Iubileo possit iterum absolui.* Sextò dubitatur, an possit feria sexta, v.g. absolui à reseruatis nouis ille, qui feria quinta absolutus fuit, & lucratus est Iubileum: potest enim fieri, quòd aliquis non potens ieiunare, faciat ex consensu Confessarij, loco ieiuniorum, alia pia opera, quæ omnia expleuit feria quinta, atque adeò iam tunc lucratus est Iubileum. Dicendum ergo est, in prædicto casu non posse absolui iterum feria sexta à reseruatis de nouo commissis: quia, cùm ea facultas detur in ordine ad lucrandum Iubileum, quod in eâdem saltem hebdomada bis lucrandum non est; sequitur expirasse iam facultatem pro illo, qui compleuit priùs, & lucratus est Iubileum. Sicut è contra, si aliquis Communionem distulit ad sequentem Dominicam; poterit ante Communionem adhuc iterum absolui à nouis reseruatis, licèt diebus præcedentibus confessus, & absolutus iam fuerit ab aliis: quia, nimirum, facultas illa durat, donec lucratus sit Iubileum, vt obseruauit in vtroque casu Thomas Sanchez *lib.* 4. *in Decalog. c.* 54. *num.* 28. Quare prudenter faciet Confessarius, commutando prædicta opera in aliquid faciendum ipso die Sabbathi, vt longiùs duret facultas pro reseruatis, & pro votis.

141. Septimò dubitatur, an tempore Iubilei, quo Regulares etiam possunt absolui à reseruatis, possint eligere Confessarium non approbatum ab Episcopo, sed à suo Prælato. Communis sententia negat, quam tenent Suarez *in præsenti, disp.* 28. *sect.* 6. *num.* 11. Regin. *in praxi. tom.* 1. *lib.* 1. *c.* 15. *sect.* 2. *n.* 175. Vega *in Summa, tom.* 2. *c.* 7. *caſ.* 32. Molfesius *in Summa, tom.* 1. *tract.* 7. *c.* 16. *n.* 18. & 27. Homebonus *de casibus reseruatis, part.* 1. *cap.* 5 Naldus *in Summa, verbo, Indulgentia, n.* 9. Probat Suarez *n.* 6. ex responsione Cardinalium in hæc verba: *Sanctiſſimus Dominus Noſter declarauit, tempore Iubilei poſſe omnes Regulares confiteri peccata ſua Sacerdotibus approbatis ab Ordinario ad audiendas confeſſiones: in Bulla enim non fit mentio, niſi de Ordinario eorum qui auduturi ſunt confeſſiones; non autem de Ordinario pœnitentium.* Sed hęc verba parum vrgent: quia *ibi* non dicitur; *debere*, sed *posse* Regulares eligere approbatum ab Episcopo. Melius probari potest ex verbis Iubilei: nam licèt nomine *Ordinarij* aliquando posset intelligi Prælatus regularis ipsius pœnitentis, qui est ipsius Ordinarius, in Bulla tamen Iubilei dicitur expresè, quòd possit eligere Confessarium approbatum *ab Ordinariis locorum*: quo nomine non intelligitur Prælatus regularis, sed Episcopus, vel eius Vicarius. Vndè videtur necessariò exigi, quòd Confessarius electus sit approbatus ab Episcopo ad audiendas confessiones, alioquin non est eligibilis ad effectum Iubilei.

142. Contra hoc tamen opinatus est Bonacina *disp.* 5. *Sacram. q.* 7. *p.* 4. *§.* 1. *n.* 25. cui durum videtur, quòd Religiosus non possit confiteri tunc ad effectum Iubilei suo Prælato, vel alteri Religioso de licentia sui Prælati, etiamsi neuter sit ab Episcopo approbatus: cùm enim ante Iubileum Religiosus posset, & deberet illis confiteri sine alia Episcopi approbatione: illa verba Iubilei, quòd Regulares possint eligere Confessarium ab Ordinario approbatum, non debent intelligi priuatiuè, ita vt Pontifex priuare velit pœnitentem iure suo confitendi Sacerdoti approbato solùm à suo Prælato: sed potiùs intelligenda sint accumulatiuè, & ampliatiuè in fauorem pœnitentis: vt, scilicet, non solùm possit confiteri suo Prælato, aut alteri de eius licentia, sicut poterat anteà: sed etiam possit eligere quemlibet alium approbatum ab Ordinario, quem ante Iubileum eligere non poterat. Quod rursus confirmatur: quia multa sunt Regularium Monasteria, in quibus nullus fortasse Sacerdos reperitur ab Ordinario approbatus, eò quòd non attendunt ad confessionem sæcularium, vt Patres Carthusiani, & Cappuccini: quare illi Religiosi, vel fraudarentur fructu Iubilei, vel deberent extra suum Conuentum Confessarium quærere, quod non videtur iuxta intentionem Summi Pontificis.

143. Cæterùm non videtur in hoc recedendum à communi sententia, pro qua stat expressus verborum sensus, quibus dicitur, pœnitentem sæcularem, vel regularem posse eligere Confessarium, qui eum absoluat

absoluat à reseruatis ; dum tamen ille sit à locorum Ordinariis approbatus : quæ verba sine manifesta violentia non possunt aliter explicari. Aliundè verò, si regulares possent eligere Confessarium non approbatum ab Episcopo, sequeretur, quòd possent validè sibi eligere Sacerdotem, etiam secularem simplicem non approbatum, neque idoneum. Quia in primis Prælatus ipse regularis extra Iubileum potest illi confiteri, vt *suprà* videmus; potest etiam cuilibet subdito licentiam dare illi confitendi : quod tamen videtur esse contra Pontificis intentionem, qui noluit hanc potestatem absoluendi à casibus pontificiis dare cuilibet Sacerdoti; & meritò : quia res tanti momenti, & in qua grauissimè errari poterat, non erat committenda nisi iis, qui saltem Episcopi iudicio doctrinam haberent sufficientem ad audiendas confessiones. Quamuis ergo Prælatus regularis possit suam auctoritatem supra subditum committere Sacerdoti simplici : Pontifex tamen Summus non iudicat committendam auctoritatem pontificiam ad casus Pontifici reseruatos cuilibet Sacerdoti, nisi præcedente saltem Episcopi approbatione de eius idoneitate. Nec per hoc grauatur nouo grauamine pœnitens regularis, sed potiùs subleuatur : nam vel indiget facultate Iubilei ad casum reseruatum Pontifici, vel non indiget. Si non indiget, poterit absolui de licentia sui Prælati à quolibet, sicut antea. Si verò indiget, sicut antea debebat recurrere extra Conuentum ad Episcopum, vel ad Nuncium, vel ad Pœnitentiarios; nunc faciliùs poterit recurrere ad quemlibet approbatum ab Ordinario; præsertim, cùm non sit credibile, quod in toto Conuentu non sit aliquis ab Ordinario approbatus ad excipiendas confessiones sæcularium domesticorum, vel alicuius pœnitentis extraordinarij, vel Sacerdotum sæcularium, quos aliquando continget velle in eorum Ecclesia celebrare, & volunt priùs reconciliari.

144. *An facultas Regularium suspendatur per Bullam eoluano sancto.*

Octauò dubitatur, an facultates, quas Regulares habere solent per sua priuilegia ad absoluendum à reseruatis, reuocari censeantur per Iubileum anni sancti, vel per Bullam Cruciatæ, in quibus solet fieri reuocatio generalis similium facultatum. Et quidem per Bullam Iubilei anni sancti reuocari eiusmodi facultates dixit Emman. Rodriquez *in Bulla Cruciatæ*, §. 12. *in addit. dub.* 6. verba enim reuocatoria generalia sunt.

145. Contraria tamen sententia communior, & verior est, quam docet Sanchez *lib.* 4. *in Decalog. c.* 54. *n.*62. Henriquez *lib.*7. *cap.*28. *n.*7. *& cap.* 31. *num.*3. *in Glossa littera R.* Villalobos, & alij, quos affert, & sequitur Diana *tom.* 1. *tract. de Bulla Cruciatæ, resolut.* 100. Filliucius *tract.* 8. *c.* 10. Benzonius *lib* 4. *de Iubileo, cap* 8. *dub.*3. *&* 5. Et quidem stando in verbis Bullæ Gregorij XIII. quam refert Nauarrus *in* §. *in Leuitico, notabili* 33. non est dubium, cùm ibi solùm reuocentur eiusmodi facultates *Indulgentiarum causa* concessæ. Vndè idem Nauarrus ibi testatur se de hoc dubio Datarium Papæ consuluisse, qui respondit intentionem Pontificis fuisse reuocare sola Indulta similia absoluendi, &c. concessa ad lucrandas Indulgentias. Magis dubitari poterat, attenta Bulla Clementis VIII. anno sancto 1600. in qua illa verba, *Indulgentiarum causa*, omnia fuerant. Sed idem Pontifex interrogatus dixit, eamdem fuisse intentionem suam : & ad tollendum dubium edita fuit iterum eadem Bulla, additis eisdem verbis. Denique anno 1625. in Bulla Sanctissimi Domini nostri Vrbani VIII. omissa fuerunt eadem verba ; fortè, quia ex Bulla prima Clem. VIII. transcripta fuit illa clausula. Quare, cùm iterum de hoc dubitaretur ; ego dixi non fuisse reuocatam Regularium facultatem, primò, quia Vrbanus ibi dicit se sequi exemplum Prædecessorum in illa reuocatione : cùm ergo Prædecessores non reuocassent omnes facultates, sed concessas causa Indulgentiarum ; de iis solis intelligendum est. Secundò, quia postea non imponit præceptum, nec excommunicationem, nisi contra publicantes alias Indulgentias : ergo de illis solis agebat. Tertiò, quia non erat credibile, quòd Religiosi Prælati eo anno non possent absoluere suos subditos ab vlla excommunicatione reseruata Papæ ; quod tamen concedendum esset, si verba in ea generalitate acciperentur. Denique postea idèmet Sanctissimus interrogatus hoc ipsum respondit, & dixit hanc solam fuisse suam intentionem : quare de hoc non fuit ampliùs dubitatum.

146. Quod verò attinet ad Bullam Cruciatæ, aliqui dixerunt reuocari ibi facultatem Regularium in ordine ad sæculares absoluendos. Ita Nauarrus, Ludouicus Lopez, & Rodriquez ; quos affert Sanchez *vbi suprà num.* 61. Idem docet Acosta *in explicatione Bullæ Cruciatæ, quæst.* 105. Contraria sententia communis iam est, & verior, quam mutata sententia, tenent idem Rodriquez, & Henriquez, quos refert, & sequitur Sanchez *dicto num.* 62. Ledesma, Grassius, Ioannes de la Cruz, quos refert ; & sequitur Diana *dicta resolut.* 100. Et probari potest : quia in Bulla Cruciatæ non reuocantur facultates concessæ Ordinibus, sed concessæ Ecclesiis, Monasteriis, Hospitalibus, locis piis, Vniuersitatibus, Confraternitatibus, & personis particularibus, in quibus omnibus non videntur comprehendi facultates concessæ Ordini religioso in communi. Quare, cùm illa reuocatio sit odiosa, videtur strictè interpretanda, prout praxis communis, quæ optima legum interpres est, eam interpretata est : omnes enim Regulares eodem modo vtuntur suis facultatibus ad absoluendum, & commutandum ; scientibus ; & videntibus Commissariis Bullæ Cruciatæ, & non reclamantibus, nec contradicentibus. Hanc autem resolutionem, quoad vtrumque punctum, tam circa Bullam Cruciatæ, quàm circa Iubileum anni sancti, docuit etiam P. Ioannes de Salas *in expositione Bullæ Cruciatæ, quæ non est typis edita.*

147. *Quid si Superior malè neget licentiam.*

Dubitatur nonò, quando Superior iniustè negat licentiam absoluendi subditum ab aliquo peccato reseruato : quia subditus, v. g. non potest absque graui damno suo adire ipsum Superiorem, an tunc possit petita, & non obtenta facultate, absolui directè ab alio Confessario. Affirmant aliqui, quos sequitur, & refert Henriquez *lib.* 6 *c.* 13. *n.*4. quorum sententiam probabilem æstimat Diana *tom.* 2. *tract.* 4. *de Sacramentis, resolutione* 29.

148. Contraria sententia est communis, quam tenent Alensis, Soto, Medina, Philiarcus, Nauarra, Llamas, Suarez, & alij, quos refert, & sequitur Layman *lib.*5 *tr.*6. *c.*13. *n.*3. vbi latè eam probat. Et quidem, qui considerat verba Tridentini *sess.*14. *cap.*7. parum potest de hoc dubitare, cùm vniuersaliter dicatur, extra mortis articulum Sacerdotes inferiores nihil posse in casibus reseruatis. Vndè non satisfacit, si aliquis dicat, Tridentinum solùm docere, Sacerdotem inferiorem nihil posse circa reseruata sine auctoritate Superioris, quod verissimum est : in casu autem proposito adesse licentiam Superioris, scilicet, mediati, vt dixit Henriquez *loco citato* nempè, Episcopi, quando Parochus iniustè negat licentiam confitendi alteri, vel Prouincialis, aut Generalis, vel iuris Pontificis, quando Prælatus

regularis negat subdito iniustè talem licentiam. Hoc, inquam, non satisfacit: quia, quando Concilium dicit, extra articulum mortis nihil posse circa reseruata inferiorem, idem est, ac si dicat non esse talem licentiam generalem, nisi pro illo casu. Alioquin nec articulum mortis debuisset excipere: nam in illo articulo Sacerdotes non absoluunt à reseruatis absque facultate Superioris; sed cum facultate Summi Pontificis: ergo, vt illa exceptio non sit omninò extra propositum, regula generalis non erat, quòd absque omni facultate Superioris nihil possent; sed etiam, quòd talis facultas generalis pro nullo casu data esset præter articulum mortis. Videatur Layman, qui latè probat hanc conclusionem. Et nota, nos hîc loqui, quantùm est ex natura rei, & vniuersaliter loquendo, vt omittamus declarationem quamdam, quæ circumfertur Clementis VIII. quòd Confessarius ordinarius Regularium, petita facultate à Prælato ad absoluendum subditum: si tamen Superior eam neget contra id, quod Confessarius iudicat fieri debere, possit pro ea vice absoluere: qui casus particularis erit, & proparticularis personis, vt constat.

149. *De multiplici reseruatione.* Dubitatur vltimò, an possit idem peccatum esse reseruatum multiplici reseruatione; & an tunc ablata vna, possit remanere alia reseruatio. De hoc agit Suarez *disp.* 41. *sect.* 4. *n.* 25. distinguit de peccato reseruato eum censura, vel sine illa: item de reseruationibus factis ab eodem Superiore, vel à pluribus. Nam si reseruatio sit sine censura, & fiat sæpiùs ab eodem, siue ab eius successore in eodem munere; reseruatio est vna, & per vnam facultatem absoluendi aufertur. Si autem reseruetur à diuersis Superioribus, vt à Pontifice Summo, & ab Episcopo, facultas solius Episcopi non sufficit ad absoluendum, vt constat: è contra verò ablata reseruatione papali, an auferatur episcopalis, Nauarrus *in Summa cap.* 27. affirmat: ipse verò Suarez putat suppositionem moraliter repugnare. Nam eo ipso, quòd Pontifex reseruaret sibi peccatum absque censura, iam Episcopus non posset ab illo absoluere: quomodo ergo posset Episcopus reseruare sibi illud peccatum, à quo ipse non potest absoluere, & ad quod non potest dare iurisdictionem? Inutilis ergo, & vana esset talis reseruatio, nisi fortè fingeretur, quòd Episcopus reseruat sub conditione, scilicet, reseruat ex nunc pro tempore, quo cessabit reseruatio Papæ, vel è contra, quod Papa vellet tollere suam reseruationem, non dando iurisdictionem ad absoluendum, sed præcisè non auferendo illam, qui casus ficti sunt, & moraliter non deseruiunt ad praxim: Denique, quando peccatum reseruatur cum excommunicatione, si reseruationes sint pluries factæ, sed omnes tendant ad eamdem excommunicationem, semel ablata excommunicatione, nulla manet reseruatio: secùs verò quando & reseruationes, & excommunicationes sunt plures: vna enim ablata, potest remanere alias. Hæc latè ibi Suarez.

150. Quibus addo, quando Prælatus inferior, v. g. Episcopus prohiberet denuò sub excommunicatione sibi reseruata peccatum iam prohibitum à Prælato superiori, v. g. Papa sub excommunicatione sibi reseruata; tunc, licèt obtenta absolutione ab excommunicatione pontificia, adhuc non auferatur excommunicatio Episcopi; fuisse tamen ablatam reseruationem peccati: quia, cum Episcopus non potuerit reseruare sibi peccatum, quod Papa sibi reseruauerat, consequens est, vt solùm reseruauerit excommunicationem à se latam: quare ablata excommunicatione Pontificis, qui sibi reseruauerat peccatum, aufertur tota reseruatio peccati. Per accidens tamen non poterit absolui à peccato propter excommunicationem Episcopi, qui manet. Cæterùm, in veriori sententia dicere, quod excommunicatus validè absoluitur à peccatis, potèrit contingere, quòd aliquando pœnitens ille absoluatur validè, & directè ab illo peccato, manente excommunicatione Episcopi, & quidem licitè, siue, quia ignorata fuit inuincibiliter illa perseuerantia excommunicationis, siue, quia non erat copia Superioris, & vrgebat necessitas celebrandi, vel communicandi: quo casu diximus posse licitè excommunicatum confiteri peccata non reseruata alicui inferiori, & tunc non esset obligatio confitendi iterum tale peccatum postea, cùm iam directè fuisset absolutum, sed solùm obtinendi absolutionem ab excommunicatione episcopali.

Addo denique, quod dictum est, non posse validè Episcopum reseruare sibi peccatum, quod Summus Pontifex sibi iam reseruauerat, (quod idem est de quocumque Prælato inferiori respectu Prælati superioris,) locum habere, quando etiam Episcopus, vel Prælatus inferior reseruauit sibi priùs aliquod peccatum: si enim postea Papa, vel Prælatus superior illud idem peccatum sibi reseruet; eo ipso cessat reseruatio Episcopi, vel Prælati inferioris: quia tunc etiam per reseruationem Papæ aufertur Episcopo facultas absoluendi ab illo peccato, atque ideò non potest illud sibi reseruare de nouo, nec continuare reseruationem priùs factam quoad culpam, licèt quoad censuram possit. Denique, Sacra Congregatio Cardinalium de mandato Clem. VIII. *in suo Decreto edito anno* 1602. *circa casus reseruatos*, prohibuit, ne de cætero Episcopi reseruarent sibi casus legi solitos in Bulla Cœnæ, nec alios Sedi apostolicæ specialiter reseruatos.

SECTIO IX.

Vtrùm regulares possint virtute Bullæ Cruciatæ absolui à casibus suis Prælatis reseruatis, absque eorum licentia.

RES hæc maiori fortasse contentione controuersa fuit, quàm oporteret propter auctoritatem magis extrinsecam grauissimorum Virorum, quàm propter fundamenta intrinseca, vt constabit. Fuit ergo prima sententia plurium Doctorum affirmans simpliciter, & absolutè, posse Religiosos frui illa facultate Bullæ etiam repugnantibus, & contradicentibus Prælatis regularibus: quia verba concessionis generalia sunt pro omnibus fidelibus; & quia in ipsa Bulla reuocantur omnia priuilegia contraria. Quare ipse Commissarius Cruciatæ, ad quem pertinet Bullæ sensum declarare, sæpè de hoc interrogatus ita respondit. Alij id concedunt, saltem quando Bulla accepta fuit à Religioso, cùm licentia Prælati: tunc enim dicunt, non posse Prælatum posteà restringere eius facultatem: secùs, quando absque Prælati licentia accepta fuit. Auctores huius primæ sententiæ sunt aliqui Doctores, & Magistri, quos suppresso nomine refert Suarez *tomo* 4. *de Religione, tractat.* 9. *lib.* 2. *capite* 16. *num.* 2. Item Ioannes Valerus *in differentiis vtriusque fori, different.* 1. *conclusione quinta* quem affert Diana 1. *tomo, tract. de Bulla Cruciatæ, resol.* 14. & Ægidius Trullench. *in expositione Bullæ Cruciatæ, lib.* 1. §. 7. *cap.* 1. *dub.* 9. vbi illam sententiam latè confirmat. Eamdem etiam, saltem probabilem, iudicat Ioannes de la Cruz *de statu Religionis, lib.* 1. *cap.* 6. *dub.* 12. Ioannes Sanctius *in selectis, disp.* 44. *num.*

num. 10. & 13. Basilius Pontius *de matrimonio, lib.* 5. *cap.* 20 *num.* 7. & *lib.* 8. *cap.* 19. *n.* 2. *num.* 13 & 14. & alij multi Doctores Theologi, & Iuristæ Salmanticenses eam probabilem dixerunt de hoc consulti: & illam latè probat Seraphinus de Freitas, ex Ordine Sanctæ Mariæ de Mercede redemptionis captiuorum Doctor, & Iurisprudentiæ Professor in Vniuersitate Vallisolemne *in Memoriali peculiari de hoc puncto impresso*, imò & Commissarius Cruciatæ in Regno Lusitaniæ die 7. Martij, 1630. publico Edicto declarauit omnes Religiosos sine Prælati licentia posse Bullam accipere, & eius facultate vti ad eligendum Confessarium, & obtinendam absolutionem à reseruatis: ipsisque Prælatis, regularibus sub grauissimis censuris, & pœnis prohibuit, ne subditis talem vsum prohiberent, non obstantibus suorum Ordinum Constitutionibus.

153. Contraria sententia, scilicet, Religiosos, saltem Mendicantes, non posse absque Prælatorum facultate eligere Confessarium, qui eos virtute Cruciatæ à reseruatis absoluat: communis est apud omnes ferè Theologos, propter expressam, & sæpissimè repetitam declarationem Summorum Pontificum, qui contrariam doctrinam, vt omninò falsam, reprobarunt. Hanc docent Corduba, Ledesma, Garzia, Passarellus, quos affert, & sequitur Suarez *tom.* 4. *de Religione loco suprà citato*, Llamas, Coriolanus, Vecchius, Portel, Acosta, Miranda, Reginaldus, quos affert, & sequitur Diana *tom.* 1. *dicta resolutione* 14. & *tom.* 3. *tractatu* 4. *miscellaneor. resolutione* 43: vbi alios affert. Eamdem docuit Henriquez *lib* 6 *capite* 16. §. 7. & latiùs *lib.* 7. *cap.* 22. vbi affert quam plures Doctores Salmanticenses, qui visis Pontificum declarationibus idem affirmarunt. Idem docuit Emmanuel Rodriguez *in explicatione Bullæ*, §. 9. *dub.* 7. *num.* 24. & 25. Et licèt *num.* 6. *dicto* 6. addat, quòd sententia contraria habeat aliquam probabilitatem: id tamen intelligit de Religionibus, in quibus Prælati id tacitè permittunt, vt constat ex contextu, & ex rationibus, quas affert.

154. Potissimum fundamentum irrefragabile huius sententiæ desumitur ex declaratione Pontificum, qui semper declararunt, non esse suam mentem, per Bullæ verba talem facultatem Religiosis concedere. Et, vt omittam Decreta antiquiora Alexandri VI. pro Ordine Cisterciensi, quod habetur *in Compendio priuilegio priuilegiorum eiusdem Ordinis, verbo, Bulla Cruciata*, §. 1. & Innocentij VIII. pro Augustinianis, quod refertur in *Compendio Mendicantium, verbo, Confessiones, & Confessores*, §. 6. & aliud eiusdem Innocent. VIII. pro Fratribus Minoribus, quod etiam refertur *in eodem Compendio Mendicantium, verbo, Absolutio quoad Fratres* §. 12. Sunt alia modernorum Pontificum, quæ omne dubium auferre videntur. Nam Gregorius XIII. Greg. XIII. die 3. Maij ann. 1575. in Bulla, quæ incipit: *Decet Romanum Pontificem*, declarauit, *non esse, nec fore vnquam mentis suæ, aut Sedis apostolicæ vt personæ Societatis, absque expressa Superiorum eiusdem Societatis, licentia, vtantur facultatibus, quæ in Jubileis, Bullæ Cruciatæ, Confessionalibus, aut aliis quibuslibet apostolicis Indultis, siue Communitatis, siue priuatis personis, siue piis locis, aut quomodocumque hactenus concessæ sunt, aut in posterum concedentur; etiamsi in illis expresè indulgeatur, vt omnes Regulares, etiam Mendicantes* Clem. VIII. *huiusmodi facultatibus vti possint.* Hoc ipsum confirmauit, & decreuit Clemens VIII. litteris suis expeditis die 14. Iunij, ann. 1595. vbi decernit, *nulli Religiosorum Societatis licere facultatibus Cruciatæ in quacunque mundi parte publicatæ, vel publicandæ, quoad eligendum Confessarium, & obtinendum absolutionem à casibus reseruatis vti: nec eis, quoad hanc eligendi Confessarium, & obtinendi absolutionem, prædictam facultatem Cruciatæ huiusmodi suffragari: sublata omnibus Ordinariis, & delegatis aliter iudicandi, & interpretandi facultate.* Vnde meritò sexta nostra Congregatio generalis *decreto* 5. grauissimè prohibuit, *ne vllus nostrorum auderet, vel docere, vel in praxi contrariam sententiam tenere, nec Sacerdotes absoluere quemquam ad se cum reseruatis casibus accedentem, præsumerent vi Bullæ Cruciatæ, nec qui accedunt tutos se vllo modo in conscientia, quasi ritè absolutos, arbitrentur. Si quem verò constaret illam doctrinam docere, vel aliis persuadere tanquam probabilem, eum Prouinciales tanquam Societati maximè noxium cœrceant.* Congregat. VI. Societ.

Hoc ipsum pro omnibus vtriusque sexus Mendicantibus regularibus declarauit Clemens VIII. litteris de hoc expeditis in forma Breuis, *confessionem sanctæ Cruciatæ, & aliorum Indultorum, particularium, quantum ad prædictum articulum, eligendi Confessarium, & absoluendi à casibus reseruatis, cum Fratribus, & Sororibus Monialibus; quorumcumque Ordinum, ac Congregationum cuiuscumque Instituti Mendicantium, tam Prouinciæ Hispaniæ, quam extra eam vbilibet, locum minimè habere, neque censeri. sed suæ intentionis fuisse, quod iidem Fratres, & Moniales, quantum ad Sacramentum pœnitentiæ, seu Confessionis administrationem dispositioni suorum Prælatorum subiecti essent. Iisdem tamen Prælatis, vt in vsu huiusmodi potestatis secum subditis faciles, & benignos exhiberent, præcepit.* Quas Clementis Litteras retulit Paulus V. in alio Breui dato 24. Decembris, anno 1608. vbi eas, & earum præceptum, ac decretum, & declarationem perpetuò confirmauit, & approbauit, illisque perpetuæ, & inuiolabilis apostolicæ firmitatis robur adiecit: & ad omnes Religiosos, etiam non Mendicantes extendit. 155. Clem. VIII.

Ad has Pontificum declarationes respondent aduersarij: primò, illam declarationem Gregorij XIII. non esse vniuersalem, sed solùm pro Societate, imò nec pro tota Societate, sed solùm pro Professis professione solemni quatuor votorum, qui pauci sunt. Ita respondet Seraphinus de Freitas *in illo Memoriali, num* 13. Sed nescio, ex quo verbo Bullæ potuit colligere hanc limitationem ad solos Professos quatuor votorum, cùm Pontifex expresè dicat id intelligi de *personis Societatis*, & Clemens VIII. dicat, *nulli Religiosorum Societatis id licere*; vt constat ex eorum verbis *supra* relatis. Certum autem est, omnes, qui Nouitiatu expleto in Societate vota sua emiserunt, etiam simplicia, esse verè, & propriè Religiosos, & de corpore eiusdem Societatis, vt definiit Gregorius XIII. in Bulla, quæ incipit; *Ascendente Domino*, anno 1584. declarans contrariam doctrinam falsam, & temerariam esse. 156.

Secundò, & magis vniuersaliter respondent, Prædicta Priuilegia, & Indulta, quæcumque illa sint, reuocari postea per sequentem Bullam, in qua generaliter reuocantur omnia contraria. Quare non solùm declarationes factæ pro aliis Religionibus; sed etiam illæ, quæ verbis strictissimis factæ sunt pro nostra Societate, suspenduntur à Commissario: & reuocantur à Pontifice per reuocationem contentam in Bulla Cruciatæ posteriori. 157.

Hæc responsio multipliciter impugnari potest, & simul probari nostra sententia argumentis adeò 158.

claris, vt in re morali faciunt demonstrationem. Primò, quia non possunt per illa verba Bullæ Cruciatæ derogari prædicta Iudulta, & Decreta Pontificum, nisi Pontifex habeat animum illa derogandi: hunc autem animum nullus Pontifex habet, vel habuit: ergo per illa verba non derogantur. Consequentia est clara: Minor; de qua solùm posset dubitari, probatur: quia ipsi Pontifices sæpiùs interrogati, & non interrogati dixerunt semper se numquam intendisse, iis verbis comprehendere eiusmodi Religiosos exceptos, vt constat ex Decretis Iulij II. Leonis X. Sixti IV. Innocentij VIII. Alexandri VI. Clementis VII. & Pij V. quæ videri possunt apud Emmanuel Rodriguez *tom. 2. quæst. regular. quæst. 62. artic. 4.* & Ioannem de la Cruz *in Epitome Religionum, lib. 1. cap. 6. dub. 12.* Henriquez *lib 6. cap. 16. in Gloss. littera P,* & *lib. 7. cap. 22. §. 2.* Constat etiam ex verbis clarissimis Gregor. XIII. *suprà* adductis, qui dixit, 159. non esse, nec fortè vnquam mentis suæ, vel *Sedis Apostolicæ*, per eiusmodi concessionem Cruciatæ concedere nostris Religiosis talem facultatem, & Clemens VIII. *in illo Breui suprà citato*, declarauit hoc ipsum contra nonnullos, qui *existimant*, inquit, *ex clausulis Litterarum dicta Cruciatæ, cuicumque ipsius Societatis priuilegio derogari, & propterea ipsis Religiosis huiusmodi facultatibus vti licitum esse.* Quam explicationem omnino tollit declarando *facultatibus huiusmodi Cruciatæ publicatæ, vel publicandæ*: (ecce loquitur de publicanda cum eisdem clausulis,) *non licere eiusmodi Religiosis obtinere absolutionem*, &c.

Hoc ipsum strictissimis verbis declarauit Gregorius XV. in suis Litteris datis 26. Februarij, anno 1622. ibi contra eosdem, qui dicebant, *ex clausulis Litterarum Cruciatæ cuicumque Societatis priuilegio derogari, motu proprio, & ex certa scientia* (inquit) *meráque deliberatione nostra, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine hac nostra perpetuò valitura Constitutione sancimus, nulli Religiosorum eiusdem Societatis licere facultatibus Cruciatæ huiusmodi publicatæ, vel publicandæ, quoad eligendum confessarium, & obtinendam absolutionem, prædictam facultatem Cruciatæ huiusmodi suffragari, minúsque præsentes Litteras sub quibuscumque eiusdem Cruciatæ concessionibus, extensionibus, prorogationibus, & confirmationibus factis, & pro tempore quomodolibet faciendis comprehendi: sicque per quoscunque Iudices ordinarios, & delegatos sublata eis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, iudicari, & diffiniri debere; ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.* Videant nunc Aduersarij, cui in hac re magis credendum sit circa sensum verborum Bullæ, an cuilibet alteri, an ipsismet Pontificibus, qui declarant sensum illorum verborum non esse, nec fuisse, nec fore talem, vt concedatur facultas prædictis Religiosis, vel reuocetur hæc exceptio.

160. Secundò impugnatur illa responsio ex dictis: quia Pontifices, qui ita vniuersaliter declararunt non comprehendi eiusmodi Religiosos in concessione Cruciatæ publicandæ, nec eam fore vnquam *Sedis apostolicæ mentem*; sciebant vtique, Cruciatam in posterum publicandam cum illis clausulis derogatoriis; & tamen declararunt non reuocari, nec comprehendi hanc exceptionem per illas clausulas futuras: quomodo ergo potest sine manifesta iniuria ipsorum Pontificum dicere aliquis Auctor priuatus, quòd per illam clausulam communem Cruciatæ reuocatur id totum: hoc enim manifestè esset dicere, errasse Pontifices, dum dixerunt, per Cruciatam publicandam postea cum illis clausulis, non fore reuocandam prædictam exceptionem.

Tertiò probatur, & confirmatur hoc ipsum exemplo satis simili: nam, licèt in Bulla Cœnæ, 161. quæ singulis annis de nouo publicatur, reuocentur omnes facultates absoluendi ab illis casibus; non censetur tamen reuocata facultas, quæ ad hoc conceditur in Bulla Cruciatæ, quia, nimirum, licèt Bulla Cœnæ postea publicetur, non censetur Pontifex illam Cruciatæ facultatem reuocare, quam paulò antè concesserat sciens, & prænidens, Bullam Cœnæ cum tali clausula generali publicandam. A fortiori ergo in nostro casu, cùm Pontifex sciens, publicandam esse Cruciatam anno sequenti cum clausula generali, ex nunc dicit, & explicat, non comprehendi in ea generalitate Religiosos, non censetur posteà velle eos comprehendere, dum vtitur clausula generali, quam 164. ante prænideral. Hoc ipsum argumentum fieri potest de Bulla Iubilei pro anno sancto, in qua suspenduntur pro eo anno omnes facultates absoluendi, &c. & tamen non intelligitur suspendi pro eo anno facultas in Cruciata concessa: quia Pontifex prænidens futurum annum sanctum in illo sexennio: concessit tamen prius Cruciatam pro illis sex annis sequentibus, atque ideò censetur non velle comprehendere Cruciatam in reuocatione generali subsequenti, quæ fit pro anno sancto.

Quartò probatur, & confirmatur hoc ipsum ex 162. alio exemplo: quia declarationes *suprà* positæ prædictorum Pontificum, iisdem verbis, & eodem tenore factæ sunt, sicut illa alia declaratio, quia idem 165. Gregorius XIII. in quodam proprio motu, quem ad litteram affert Emmanuel Rodriguez *in additione ad Bullam, §. 9. num. 66.* declarauit, quòd non intelligebatur concessa absolutio ab hæresi, etiamsi in Bulla Cruciatæ, vel aliis similibus concederetur facultas absoluendi à casibus contentis in Bulla Cœnæ. Et tamen propter hanc Gregorij declarationem omnes fatentur, semper debere intelligi exceptionem illam, & id certissimum esse fatetur cum communi Thomas Sanchez *lib. 2. in Decalog. cap 12. num. 10.* Ergo propter similem declarationem sæpissimè à tot Pontificibus repetitam, idem omnino dicendum est in casu nostro.

163. Quintò impugnatur apertissimè illa responsio ex nouissimo Decreto Sanctissimi D. Nostri Vrbani VIII. qui, vt de cætero omnem circa hoc punctum dubitationem, vel apparentem euasionem tolleret die 19. anno 1630. motu proprio, & ex certa scientia, déque Apostolicæ potestatis plenitudine. Decretum illud Clementis pro omnibus Regularibus à Paulo V. relatum innouauit, atque ampliauit; & insuper declarauit, *concessionem sanctæ Cruciatæ, quantum ad prædictum articulum eligendi Confessarium, & absoluendi à casibus reseruatis cum Regularibus quorumcumque Ordinum, & Congregationum, Societatisque, & Institutorum Mendicantium, & non Mendicantium vtriusque sexus, locum minimè habuisse,* (nota verbum de 166. præterito,) *neque habere, nec illis vllo modo suffragari potuisse, neque posse: & quod idem Fratres, & Moniales, quantum ad Sacramenti Pœnitentiæ seu Confessionis administrationem, ordinaria, dispositioni suorum Prælatorum, & Sedi apostolicæ quoad sibi reseruata, subiecti sint.* Ablata deindè facultate Nunciis Apostolicis, ac Cruciatæ Commissariis facultatem aliter interpretandi, vt latiùs constat ex tenore eiusdem Bullæ. Ex qua videtur iam omnino corruere euasio illa: declarat enim Summus Pontifex

Pontifex, quòd confessiones factæ ante hanc bullam suam, virtute Cruciatæ validæ non fuerunt non potuisse virtute Cruciatæ fieri: quod est dicere, decepisse pœnitentem eos, qui dicebant posse ipsos validè absolui à reseruatis virtute Cruciatæ, licet essent Regulares: alioquin assertiones contradictoriæ essent veræ, scilicet, illos non potuisse tempore toto præcedenti validè absolui, quod Pontifex docet, & potuisse validè absolui, quod illi Doctores asserebant: sciebat enim benè Pontifex Bullam Cruciatæ, annis præcedentibus, concessam fuisse cum illis clausulis generalibus: & tamen adhuc declarat, earum clausularum virtute non potuisse Religiosos validè absolui: ergo declarat falsam esse assertionem eorum, qui in posterum dixerint, posse validè absolui propter similem clausulam in futuris Bullis apponendam.

164. Vnde rejicitur etiam responsio aliorum, qui ad *suprà* positam Pontificum declarationem dicebant, potuisse quidem Pontifices declarare mentem suam; non tamen suorum successorum, quare fatebantur, viuente Gregorio, verbi gratia, non potuisse Religiosos absolui per Bullam Cruciatæ subsequentem ab eodem Gregorio concessam: quia iam ipse Gregorius explicauerat suam mentem, & intentionem non comprehendi eiusmodi Religiosos in illa generali concessione Mortuo tamen Gregorio, potuisse absolui per Bullam Cruciatæ ab eius successore concessam, cuius non potuit prædecessor manus ligare, nec mentem explicare, vt per verba generalia non intelligeretur omnes comprehendere. Quam limitationem nonnulli ex illis Auctoribus amplexi fuerunt.

165. Ex dictis tamen hæc etiam limitatio, vel responsio facilè rejicitur. Primò, quia Gregorius XIII. in Bulla *suprà* adducta, non solùm de se; sed de successoribus loquitur dum dicit, *non esse, nec fore vnquam mentis nostræ, aut Sedis Apostolicæ*, &c. nam verbum illud, *Sedis Apostolicæ*, facit, quòd Decretum non expiret morte Pontificis, vt cum communi Doctorum tradit Thomas Sanchez *lib. 8. de matrimonio, disput. 23. num. 49.* Secundò constat ex verbis Clementis VIII. & Pauli V. in suis Decretis *suprà* adductis, vt dicitur: *Prædictas Litteras Apostolica auctoritate, tenore præsentium, perpetuò confirmamus, & approbamus, illisque perpetuæ, & Apostolicæ firmitatis robur adjicimus.* Quod idem significauit Gregorius XV. dum dixit: *Hac nostra perpetuè valitura Constitutione sancimus.* Tertiò probatur hoc ipsum ex verbis Clementis VIII. quibus dicit se illud declarare: quia *Religiosi* (inquit) *nonnulli, & iis facultatibus vti præsumebant, illorum prætextu eligebant Confessorem.* Nam verbum illud, *præsumebant*, indicat apertè, quòd illud sine sufficienti fundamento fiebat: quod etiam indicatur illa voce, *prætextu*, quæ significat rationem non solidam, sed solùm apparentem. Cùm ergo illi Religiosi haberent pro se, quòd mortuus iam erat prædecessor, qui mentem suam explicauerat; & tamen Clemens illam appellat *præsumptionem*, & *prætextum*, apertè significat inutilitatem illius fundamenti.

166. Quartò probari potest hoc ipsum ex ratione illa, qua Gregorius XV. in suo Decreto, & alij Pontifices vsi sunt his verbis: *Cùm ratio doceat, & experimento compertum sit, Religionibus valdè pernicioſum existere, vt eorum Religiosis licitum sit Confessarium sibi eligere.* Non debet enim cedi, quòd successores velint ita grauiter nocere disciplinæ religiosæ, cui ex confessione ipsorum Summorum Pontificum valdè pernicioſam constat esse talem concessionem. Ad quam intentionem successorum indagandam multùm confert inductio *suprà* facta omnium Pontificum, qui interrogati de sua intentione negarunt, se habuisse intentionem concedendi talem facultatem pro Religiosis.

167. Quintò, applicari potest argumentum *suprà* factum ex Bulla Cœnæ, & Iubileo anni sancti. Nam in iis, etiamsi postquàm Pontifex, qui vltimò Bullam Cruciatæ concessit, mortuus est, successor publicet Bullam Cœnæ, vel Iubileum anni sancti, (provt plerumque contingere potest;) non tamen censetur reuocare per verba illa generalia facultates, quas prædecessor concessit per Bullam Cruciatæ: quia omnes supponunt, successorem habere eamdem intentionem prædecessoris, & velle excipere eas facultates, quæ concessæ fuerant; taliter, vt per clausulam generalem Bullæ Cœnæ, aut Iubilei anni sancti non reuocarentur: ergo eodem modo in casu nostro successor non habet intentionem reuocandi exceptionem, quam prædecessores fecerunt in ordine ad Bullam Cruciatæ fututam, propter grauissimam religiosi status perniciem, vt ipsi fatentur. Semper enim successor in iis concessionibus, vel Decretis communibus solet concipere rem illam, provt à prædecessoribus fieri solebat, neque habet aliam peculiarem intentionem, sed voluntatem continuandi in eâdem intentione, qua res illa solita est promulgari.

168. Sextò, & vltimò constat hoc ipsum apertè ex prædicto Decreto Sanctissimi Domini Nostri Vrbani VIII. qui de iis Religiosis, qui prætextu Cruciatæ se absolui fecerant, apertè dicit, eos malè, & inualidè id fecisse: & ideò addit, se, *non sine animi molestia* id audisse: & denique declarant, eos omnes nullo modo id potuisse facere. Ex qua declaratione satis apertè constat, mortuo Pontifice, non incipere Bullam successoris prodesse Religiosis: nam, si hoc esset, potuissent vtique Religiosi vti eiusmodi facultate mortuo Paulo V. qui suam intentionem pro omnibus Religiosis declarauerat: Gregorius enim XV. & ipse Sanctissimus Dominus Noster Vrbanus VIII. nullam adhuc fecerant talem declarationem pro omnibus Religiosis: & tamen Pontifex declarat, omnes confessiones illo prætextu factas, & omnes absoluriones obtentas, fuisse inualidas. Ergo apertè supponit, non expirasse morte prædecessoris intentionem illam excludendi Religiosos; sed perseueraſſe in successoribus, etiam antequàm quidquam de nouo declarent, alioquin non debuissent declarari inualidæ absolutiones præteritæ provt ab Vrbano declarantur. Qua declaratione posita, non video, quo modo iam opinio illa possit ampliùs sine grauioris censuræ nota sustineri; cùm iam non agatur de veritate facti, an scilicet, Papa habeat, vel non habeat talem intentionem, sed de veritate doctrinæ, an, scilicet, sit vera doctrina, quam Pontifex sua Constitutione declarauit fuisse falsam, & Religiosos pœnitentes deceptos fuisse ab iis, qui talis doctrinæ prætextu eos absoluebant.

169. Hoc itaque est primum, & potissimum fundamentum huius sententiæ, quod ex declarationibus, & verbis Summorum Pontificum desumitur. Potest tamen vlteriùs probari ex ipsis verbis Bullæ Cruciatæ, cuius prætextu aduersarij prætendunt talem facultatem. Nam verba, quibus Commissarius auctoritate apostolica suspendit omnes facultates, & priuilegia contraria, videntur excipere facultates *suprà* positas, quibus Prælatis regularibus conseruatur ius integrum ad confessiones

nes suorum subditorum : verba enim ex Hispano sermone Latina reddita hæc sunt : *Et nos prædictus Commissarius Generalis apostolicus sanctæ Cruciatæ, in fauorem sanctæ Bullæ, & auctoritate apostolica nobis concessa, & ne tam sanctum opus impeditur, nec cesset propter alias Indulgentias, suspendimus, durante anno publicationis, & prædicationis huius Bullæ, omnes, & singulas gratias, Indulgentias, & facultates similes, vel diuersas concessas à Summo Pontifice, vel eius prædecessoribus, vel ab apostolica Sede, vel eius auctoritate in omnibus Regnis, & dominiis Catholici Regis, omnibus, & quibuslibet Ecclesiis, Monasteriis, Hospitalibus, vel aliis piis Locis, Vniuersitatibus, Confraternitatibus, & singularibus personis, etiamsi prædictæ gratiæ, & facultates concessæ sint in fauorem fabricæ Sancti Petri in vrbe Romana, vel alterius similis Cruciatæ : & licèt omnes, vel aliquæ illarum habeant clausulas huic suspensioni contrarias, ita vt durante anno publicationis huius Bullæ, nemo possit lucrari, vel frui aliis gratiis, Indulgentiis, & facultatibus. nec possint publicari, exceptis, quæ concessæ sunt Superioribus Ordinum Mendicantium quoad eorum Fratres.* Ex quibus vltimis verbis colligi videtur non suspendi, aut reuocari per Bullam Cruciatæ facultates, quas Pontifices sæpiùs concesserunt Ordinibus Mendicantium, vt eorum Prælati possent suos Fratres in disciplina regulari continere per reseruationem grauiorum criminum, & quod præsertim attendisse Pontifices in illis verbis, quæ eorum iussu adduntur in Bulla Cruciatæ, & illa exceptione quoad Mendicantes ; colligi videtur ex eo, quòd tempore Pij IV. in Bulla Cruciatæ concedebatur expressè facultas Regularibus sumendi Bullam, etiam sine Prælati licentia ; & eligendi Confessarium, his verbis : *Concedit sua Sanctitas, vt omnes alij, etiamsi sint Religiosi, & Mendicantes, sine licentia suorum Prælatorum possint accepere hanc Bullam, & fruantur prædicto Iubileo plenissimè, & eligere possint Confessarium sacularem, vel regularem, qui audita confessione possit eos absoluere à peccatis, quantumlibet grauibus, & enormibus,* &c. Et infra : *Et vult sua Sanctitas, vt quoties hanc Bullam acceperint, fruantur de nouo omnibus aliis, quas prius acceperant : & specialiter hac facultate eligendi Confessarium, à quo plenè absoluantur, etiamsi sint, vt prædictum est, Religiosi, vel Religiosæ, & licèt sint Mendicantes sine licentia suorum Prælatorum.* 170. Hæ clausulæ, quæ tunc erant in Bulla Cruciatæ, ablatæ fuerunt 171. tempore Pij V. qui Pontifex anno 1571. in quodam Breui, vt refertur apud Emmanuelem Rodriguez *in explicatione Bullæ*, §. 9. *num.* 24. & Passarellum *in compendio priuilegiorum Minimorum*, abstulit illam facultatem suis Religiosis, his verbis : *Talem concessionem sanctæ Cruciatæ, & aliorum Indultorum particularium, quantùm ad prædictum articulum eligendi Confessorem, & absoluendi à casibus reseruatis cum Fœmineis, & Sororibus Monialibus totius Ordinis prædicti,* (scilicet, Prædicatorum) *tam Prouinciæ Hispaniæ, quàm extra eam vbilibet, locum minimè habere, nec censeri : sed nostræ intentionis existere, quòd iidem Fratres, & Moniales quantùm ad Sacramentum Pœnitentiæ, seu confessionis administrationem, dispositioni suorum Prælatorum subiecti sint, apostolica auctoritate, tenore præsentium, perpetuò declaramus.* Cùm ergo tempore Pij V. illæ priores clausulæ ablatæ fuerint ex Cruciata, & apposita sit illa, qua excipiuntur à reuocatione facultates concessæ Prælatis Mendicantium quoad suos Fratres ; credibile est, Pontificem attendisse potissimùm in iis verbis ad facultatem, quam ipse nuper concesserat iis Prælatis gubernandi plenè suos subditos in ordine ad Sacramentum Pœnitentiæ, quod Indultum noluit reuocari, vel suspendi per concessionem Bullæ Cruciatæ. Fecit autem Pontifex mentionem Ordinum Mendicantium : quia Mendicantes specialiter instabant apud ipsum pro huiusmodi declaratione, præsertim Prædicatores, Minores, & nostra Societas.

Ad hoc fundamentum respondent, per illam 172. exceptionem non intelligi hoc Indultum Ordinum Mendicantium, ne eorum Religiosi possint eligere Confessarium virtute Cruciatæ, sed alia Indulta in ordine ad Indulgentias, & facultates, quas habent Prælati dispensandi, & absoluendi suos subditos. Ita respondet cum aliis Seraphinus de Freitas *loco citato num.* 30. qui id probat ex eo, quòd tempore Pij IV. erat etiam in Bulla illa exceptio facultatum concessarum Ordinibus Mendicantium : & tamen tunc expressè concedebatur in ipsa Bulla facultas Religiosis Mendicantibus 176. eligendi Confessarium virtute Cruciatæ, vt vidimus. Ergo per verba illius exceptionis non excipitur eiusmodi Indultum : quam rationem dicit esse claram. Sed nescio, vndè acceperit id, quod in argumento supponit : nempe, tempore Pij IV. fuisse etiam in Bulla illam exceptionem. Ego magis credo P. Henriquez, & Emmanueli, Rodriguez, quorum ille *lib. 7. cap. 32. §. 2.* hic verò *in expositione Bullæ, §. 12. ante primum dubium,* expressè testantur, illam exceptionem fuisse prima vice additam à Pio. V. ad instantiam Ordinum Mendicantium : vnde corruit totum fundamentum illius argumenti. Aliunde verò non est fundamentum dicendi, quòd illa exceptio non extendatur ad omnia genera *suprà* posita in reuocatione ; sed ad quamdam speciem facultatum, vt benè obseruat Henriquez *loco citato* : exceptio enim semper debet intelligi cum vniuersalitate præcedenti : v. g. si dicas : *Reuocantur omnes facultates dispensandi, exceptis, quas habent Religiosi*, ineptè id diceres, si plures etiam ex facultatibus Regularium ad dispensandum reuocarentur.

Secundò ergo alij respondent, hoc Indultum non comprehendi illa exceptione : quia ibi excipiuntur gratiæ, Indulgentiæ, & facultates concessæ Superioribus Mendicantium, quoad suos Fratres : hoc autem Indultum, quo prohibentur eligere Confessarium, non est gratia, vel facultas quoad Fratres ; sed odium, & prohibitio : ergo non comprehenditur in illa exceptione. Quam etiam responsionem amplectitur idem Freitas *numero* 34.

Hanc tamen responsionem alij impugnant. Primò, quia hoc indultum ad minus est in fauorem 177. Prælatorum, & ipsius Ordinis, ad cuius obseruantiam, & integritatem ordinatur : ergo est verè gratia concessa Prælatis in ordine ad suos Fratres. Secundò, quia in rigore etiam est gratia pro subditis, ad quorum spirituale bonum ordinatur, vt fatentur Summi Pontifices in *suprà* adductis declarationibus. Ad quod facit doctrina Thomæ Sanchez *lib. 1. de matrimon. disp. 1. num. 4.* vbi probat, legem illam debere esse fauorabilem alicui, cuius præcipuus finis non est eius punitio, sed eius bonum, & vtilitas.

Ego tamen libentiùs abstineo pro nunc ab ea 174. quæstione, & aliter retorqueo argumentum contra aduersarios : peto enim, an hoc Indultum sit gratia, & facultas, vel non. Si concedant : ergo comprehenditur in illa exceptione, qua excipiuntur à 178. reuocatione omnes gratiæ, & facultates Ordinum Mendican

Mendicantium, quoad Fratres. Si verò negent esse gratiam : ergo non comprehenditur in reuocatione illa generali : nam ibi solùm reuocantur, vel suspenduntur à Commissario gratiæ, & facultates : hæc autem per te non est gratia, nec facultas ; sed prohibitio,& ablatio facultatis : ergo non comprehenditur sub suspensione facultatum, & gratiarum.

175. Dices, hanc esse gratiam quidem respectu Prælatorum, quorum iurisdictio in foro pœnitentiali retinetur ; non tamen esse gratiam in ordine ad subditos ; sed potius est prohibitio, & neagatio facultatis. Quare, quatenus est gratia, & facultas in ordine ad Prælatos, suspenditur à Commissario per clausulam præcedentium suspensiuam gratiarum, & facultatum ; non tamen excipitur posteà in clausula sequenti : quia ibi solùm excipiuntur illæ,quæ sunt facultates, & gratiæ in ordine ad Fratres.

176. Sed contra hoc est:quia in primis, si hoc Indultum est vera gratia concessa Prælatis ; iam eo ipso videtur comprehendi in exceptione, & clausula sequenti, in qua excipiuntur omnes gratiæ concessæ Prælatis Mendicantium, in ordine ad suos subditos : illa autem est verè gratia concessa Prælato, & in ordine ab subditos : nam verba illa, *in ordine ab subditos*, non significant, quod debeat esse gratia etiam ipsis subditis, sed illæ gratiæ non suspenduntur, quatenus respiciunt subditos. Deinde ex hac responsione ad minus habetur, quòd Prælatus retinet illam gratiam, si ipse Prælatus accipiat Bullam : quod quidem ex ipsis verbis reuocationis apertè colligitur. Nam omnes gratiæ,& facultates, quæ ibi suspenduntur : statim absque vlla limitatione ab eodem Commissario reualidantur pro iis, qui Bullas Cruciatæ acceperint. Si ergo hæc gratia pro solo Prælato, & non pro subditis ; & ideò intelligitur suspensa à Commissario : ergo propter eamdem rationem debet intelligi reualidata ab eodem commissario in verbis sequentibus, quibus reualidat omnes gratias, & facultates, quas priùs suspenderat ; posita solùm hac conditione,quòd accipiat Bullam is, qui eiusmodi facultates,& gratias habebat.Debent ergo concedere Aduersarij, non posse Religiosos subditos eligere Confessarium virtute Cruciatæ, si eorum Prælatus accipit sibi Bullam ; consequens autem non concedent : hoc enim modo facilè frustrarentur subditi illa licentia, quam desiderant : nec Prælati difficilè obseruabunt illam conditionem accipiendi sibi vnam Bullam, vt possint subditos omnes continere in suo officio, & conseruare debitam eorum subordinationem in Sacramento Pœnitentiæ.

177. Objicit contra hanc clausulam idem Freitas *n.* 35. quia ex illis verbis, *quoad Fratres tantum*, colligitur, sermonem ibi esse de illis solis gratiis, & facultatibus, quæ ex se erant indifferentes, vt Prælati regulares possent illas exercere in ordine ad subditos,& in ordine etiam ad sæculares : nam si ex se non erant pro omnibus, sed solùm pro subditis, quorsum in hac exceptione limitarentur in ordine ad solos subditos ? Hæc autem facultas designandi Confessarios, cui subditi debeant necessariò confiteri,non competit Prælatis illis in ordine ad sæculares, quos prohibere non possunt, ne aliis confiteanter, vt constat : ergo hæc non est ex facultatibus illa exceptione comprehensis.

178. Respondeo facilè, ad verificandam illam clausulam non requiri, quòd facultas quælibet esset indifferens, vt posset ea Prælatus regularis vti in ordine ad sæculares : quod manifestis exemplis constare potest. Nam, si Prælati Mendicantes haberent facultatem concedendi Indulgentiam plenariam suis Fratribus solis in articulo mortis, v g. vel in visitatione ordinaria, certum est, quòd hæc facultas intelligeretur excepta in illa clausula Bullæ, sicut facultas etiam, quam habent ad dispensandum cum suis subditis in aliquibus irregularitatibus, non est vllo modo ad dispensandum cum sæcularibus : & tamen intelligitur excepta in illa clausula, vt ipsemet Freitas cum aliis confessus fuerat *numero* 30. imò ad has potissimùm facultates conseruandas apposita fuit illa exceptio : ergo quamuis facultas, de qua loquimur, deputandi Confessarios,& obligandi subditos, ne aliis, confiteantur, non sit in ordine ad sæculares ; non ideo non debet comprehendi in illa exceptione. Nam sensus illorum verborum, *quoad suos Fratres tantùm*, non est, quòd illæ facultates sint tales, vt extendantur etiam de se ad alios ; sed solùm significatur, quòd, si ad alios extendantur, non intelligantur exceptæ, nisi provt pertinent ad suos Fratres, qui est planus, & necessarius sensus illorum verborum.

179. Restat nunc respondere ad argumentum contrariæ sententiæ. Primum desumitur ex concessione generali, qua Pontifex in Bulla Cruciatæ omnibus fidelibus absque vlla exceptione concedit facultatem eligendi Confessarium, &c. Cùm ergo Religiosi sint fideles, comprehenduntur in illa generali concessione. Ad hoc facilè respondetur, sub illa vniuersalitate verborum non comprehendi Regulares, saltem Mendicantes. Primò, quia Pontifex non habet intentionem eos comprehendendi,vt constat ex declaratione,& attestatione tot Pontificum, qui semper declararunt, se non habuisse talem intentionem. Secundò, quia in ipsa Bulla implicitè excluſi sunt, dum dicitur, non reuocari in ipsa facultates concessas eorum Prælatis, ex quibus vna est, quòd non possint vti hac Bulla ad eligendum Confessarium sine eorum licentia. Tertiò, quia per alia Decreta Pontificia sunt iam 180. excluſi expressè ad hac vniuersalitate. Finge ergo, Prælatum, qui aliqua Festiuitatis die solet omnibus subditis concedere licentiam pro casibus reseruatis, vocare priùs aliquem, eique dicere: *Ego hodie concedam omnibus hanc facultatem : sed ob peculiares rationes non habeo intentionem tibi eã concedendi : ideóque te præmoneo,vt sciãs, te non esse ibi comprehensum.* Quis dicet, hunc subditum posse posteà reputare se comprehensum, quia Prælatus posteà generaliter concedit illam facultatem ? Nemò certè id probabiliter credet. Sicut, si è contra Prælatus præceptum impositurus omnibus, dicat priùs alicui : *Nolo te comprehendere in hoc præcepto*, certè subditus ille non æstimabit se comprehensum ob vniuersalitatem verborum. Cùm ergo Pontifex priùs moneat, se non comprehendere Religiosos sub vniuersalitate verborum, quibus Bulla concedenda est anno sequenti, quomodo potest prætextu illius vniuersalitatis existimate Religiosus, se fuisse comprehensum ?

181. Quartò denique non obstat illa verborum vniuersalitas : quia illa concessio ordinatur ad eos, qui capaces sunt, non ad incapaces,nisi id explicetur : cùm ergo Religiosi redditi fuerint incapaces huius confessionis per Constitutiones pontificias non est mirum, quod ab eius participatione excludantur. Exemplum est optimum in excommunicato, qui,licèt Pontifex concedat omnibus suis famulis, v.g. singulis beneficium aliquod Ecclesiasticum ; ille tamen, qui excommunicatus est, non poterit illud recipere validè, nisi priùs absoluatur ad

ad hunc effectum, vel ipse Pontifex dispenset in eo impedimento: quia, nimirum, concessio illa generalis ordinabitur ad capaces; non ad eos, qui ab Ecclesia, vel à Pontifice prædecessore redditi fuerant incapaces per excommunicationem, vel aliam censuram. Similiter ergo concessio illa generalis, quæ fit in Bulla Cruciatæ, dirigitur ad omnes capaces; non ad eos, qui ab Ecclesia, vel Pontifice redditi sunt priùs incapaces illius concessionis participandæ provt redditi sunt Regulares per Constitutiones pontificias.

182. Secundum argumentum contrariæ sententiæ desumitur ex derogatione, vel suspensione facultatum, & priuilegiorum contrariorum, quæ habentur in fine Bullæ; quæ cùm sit posterior, videtur per illam derogari omnibus illis Decretis pontificiis anterioribus contrariis. Respondeo, regulam illam, *quòd posteriori priuilegio derogatur priori*, intelligi, quando cætera sunt paria, vel aliunde non constat de contraria voluntate concedentis, prout in casu nostro constat, Pontificem illa sua derogatione in Bull. Cruciatæ non velle derogare Decretis suis anterioribus *suprà* adductis.

183. Hoc autem constat primò ex verbis Bullæ, quibus excipiuntur ab illa derogatione facultates concessæ Prælatis Mendicantium, vt vidimus. Secundò, quia ipsimet Pontifices ita declararunt, se non habuisse talem intentionem reuocandi per illam derogationem generalem Decreta sua circa Religiosos: & nouissimè Sanctissimus Dominus noster Vrbanus VIII. declarauit irritum, quod prætextu talis derogationis factum esset. Tertiò, quia in Bulla Cruciatæ non derogatur specialiter illi clausulæ derogatoriæ, quæ est in Bulla: dicitur enim, quòd per quascumque clausulas quæ sunt in Bulla, non conceditur talis facultas Religiosis, nec derogatur illis Decretis. Imò Gregorius XIII. addit, quòd, licèt in Bulla Cruciatæ dicatur, quòd omnes Mendicantes eligere possint Confessarium; adhuc non intelligetur sublata prohibitio pro Religiosis nostræ Societatis: certum est autem, quòd specialis derogatio præualet generali. Vnde quartò potest hoc ipsum probari ex eadem Bulla Cruciatæ, cuius concessioni non derogatur per Bullam Cœnæ posteriorem: quia, nimirum, in eadem Bulla Cruciatæ fit mentio Bullæ Cœnæ, & non è contra. Quintò, quia, si Decreta illa suspenderentur per illam clausulam generalem in Bulla Cruciatæ, sequeretur, quòd per clausulam sequentem reualidaretur, si Prælatus regularis accipiat Bullam pro se: quia, vt *suprà* arguebamus, omnes facultates, quæ ibi reuocantur, & suspenduntur; reualidantur absque vlla limitatione posteà ab eodem Commissario pro eo, qui accipit Bullam.

184. Possumus addere ad maiorem abundantiam alias duas solutiones ex sententiis multorum Doctorum. Prima est, quòd in illa clausula Bullæ non suspenduntur facultates concessæ toti Ordini, sed concessæ Ecclesiis, Monasteriis, piis Locis, &c. vt constat ex iis verbis; & docet cum aliis Thomas Sanchez *lib. 4. in Decalogum, cap. 54. num. 62.* Quare, cum facultas de qua agimus, non sit concessa alicui Monasterio, sed toti Ordini, non censetur ibi reuocata. Secunda est, quòd multi Viri docti censent, *ibi* non suspendi omnes facultates, vtcumque, alioquin Indultum etiam ad testandum, vel ad non recitandum Officium, aut non residendum, suspenderetur: sed indulgentias, & facultates, quæ in ordine ad indulgentias concessæ sunt; sicut de simili reuocatione, & suspensione contenta in Bulla Iubilei anni sancti dici solet cum Nauarro *in §. In Leuitico notabili 33. num. 2.* & aliis multis. Quod in suspensione per bullam Cruciatæ docuit etiam P. Salas *in eius explicatione*, cum aliis Viris doctis. Quare, cùm facultas, de qua agimus, non sit Indulgentia, nec concessa intuitu Indulgentiæ, non censebitur comprehensa in illa suspensione iuxta hanc explicationem. 187

Tertium argumentum contrariæ sententiæ de- 185.
sumitur ex declaratione Commissarij Cruciatæ, qui sæpè declarauit, Religiosis Mendicantibus prodesse Bullam Cruciatæ ad illum effectum eligendi Confessarium, & obtinendi absolutionem à reseruatis: & nouissimè Commissarius Lusitaniæ Edicto publico id promulgauit anno 1630. Respondeo, vltimam declarationem factam fuisse à Commissario Lusitaniæ die 7. Martij, anno 1630. eodem autem anno, die 19. Iunij, ob eam fortasse causam Sanctissimum Dominum Nostrum Vrbanum VIII. Constitutione edita declarasse irritam confessionem prætextu illius facultatis factam, ablata Commissario licentia aliter interpretandi, & declarandi. Quamuis in aliquo etiam sensu sustineri quidem potuisset Commissarij declaratio: illa enim non loquitur de Religiosis habentibus specialem prohibitionem Sedis Apostolicæ, sed de iure communi solùm: in quo sensu declarat, posse eos virtute Cruciatæ absolui, non obstantibus quibuslibet Constitutionibus earumdem Religionum; quod quidem sustineri posset: non tamen declarat id procedere, stantibus declarationibus Sedis Apostolicæ, qua redduntur incapaces illius facultatis, propter quas Pontifex declarauit irritas illas absolutiones præteritas. 188

Quartum argumentum sumitur ex Bulla, qua 186.
concedere solet Pontifices Iubilæum extraordinarium, cum facultate eligendi Confessarium, & obtinendi absolutionem à reseruatis: quam facultatem proculdubio habent etiam tunc Religiosi, licèt in Bulla Iubilei non derogentur magis specialiter eorum facultates, aut priuilegia, quàm in Bulla Cruciatæ: quod idem dicendum est de facultate, quæ conceditur in Bulla Cruciatæ. Respondeo, magnum esse discrimen inter vnum casum, & alium. Primò, quia in Bulla Cruciatæ excipiuntur expressè, vt vidimus, facultates concessæ Prælatis Mendicantium in ordine ad suos subditos; à suspensione illa generali; quæ exceptio in Bulla Iubilei non habetur. Secundò, quia valdè diuersa est formula reuocationis in vtraque Bulla; nam in Bulla Iubilei reuocantur expressè pro illa vice, Statuta, & Indulta etiam illa, quibus statutum est à Sede Apostolica, vt per Bullas, aut Iubileum non possit dari absolutio sine speciali mentione illius prohibitionis. Verba Iubilei sunt hæc: *Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus apostolicis, præsertim quibus facultas absoluendi in certis tunc expressis casibus ita Romano Pontifici pro tempore existenti reseruatur, vt nec etiam similes, vel dissimiles Iubilei, Indulgentiarum & facultatum huiusmodi concessiones, nisi de illis expressa mentio, aut specialis derogatio fiat cuiquam suffragari queant, ac quorumcunque Ordinum, & Congregationum, seu Institutorum regularium iuramento, confirmatione apostolica, vel alia quauis firmitate roboratis Statutis, & consuetudinibus, priuilegiis quoque, Indultis, & Litteris apostolicis, eisdem Ordinibus, Congregationibus, & Institutis quomodolibet concessis, approbatis, & innouatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, aut expressio habenda, vel quæuis alia exquisita forma* 189. 190.

ad

ad hoc seruanda foret: illorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis, ac formam eorum traditam pro seruata habentes, hac vice specialiter, & nominatim, & expresè ad effectum præsentium derogamus.

187. Conferantur nunc hæc verba cum verbis Cruciatæ, quæ solùm sunt hæc: *Suspendimus hoc anno omnes, & quaslibet gratias, Indulgentias, & facultates similes, vel diuersas concessas quibuslibet Ecclesiis, Monasteriis, & Hospitalibus, & aliis Locis pijs, Vniuersitatibus, Confraternitatibus, & singularibus personis, licèt quelibet earum habeant clausulas contrarias huic suspensioni.* Hoc est, licèt habeant clausulam, quod suspendi non possint: non tamen dicitur, licèt habeant clausulam, quod per hanc suspensionem generalem apponi solitam in Cruciata non suspendantur, provt habent illæ Constitutiones Pontificiæ, vt *suprà* vidimus: Pontifex enim præuidit clausulam Cruciatæ, & contra eam apposuit illam aliam: at verò concessio Iubilei est posterior, non solùm tempore, sed etiam intentione; & ideò derogatio fit cum reflexione super omnes clausulas anteriores, etiam habentes quaslibet reflexiones.

188. Ratio autem, cur magis Pontifex in Iubileo suspendat prohibitiones illas Regularium, quàm in Cruciata, redditur, optimè à Suario *loco suprà citato*, qui *n.*7. aduertit, numquam solere à Sede apostolica concedi facultatem perpetuam, qua Regulares absolui possint à reseruatis, licèt concedatur aliquando transeunter. Imò in Tridentinò *sess.* 25. *cap.*10. *de Regularibus*, licèt præcipiatur Prælatis, quòd offerant Monialibus bis, aut ter in anno Confessarium extraordinarium: voluit tamen Concilium, quòd ille etiam non à pœnitentibus, sed à Prælato designetur. Cùm ergo concessio Cruciatæ sit permanens, & perpetua, meritò Pontifices noluerunt illam extendere ad Regulares: licèt in Iubileo transeunte, & extraordinario id non reputent inconueniens pro vna vice concedere.

189. Denique hæc differentia inter concessionem Iubilei, & Cruciatæ, constat apertè ex declaratione ipsorum Pontificum, qui meliùs, quàm alij omnes potuerunt suam intentionem scire: qui in Iubileo declararunt, se velle comprehendere quoscumque Regulares, quando illis clausulis vtuntur: è contra verò circa clausulas Bullæ Cruciatæ interrogati, semper responderunt, & declararunt, se noluisse reuocare prohibitiones, quibus Regulares ab vsu illius facultatis prohibiti fuerunt. Quod quidem argumentum irrefragabile est ad ostendendam differentiam inter illos duos casus.

190. Quintum argumentum contrariæ sententiæ est, quòd Cruciata concessa est Regi: non solent autem Pontifices, nec intendunt, derogare priuilegijs, qui Regibus, vel ad eorum instantiam concessa sunt, nisi id exprimant, *arg. textus, in cap. fin. de officio delegati, lib 6. cap. Ne aliqui de priuileg. lib.*6. Trident. *sess.*25. *cap.*9. *de reformatione.* Ita arguit Freitas *num.*11. *loco citato*, vbi alia adducit in confirmationem huius doctrinæ. Respondeo facilè, primò: licèt eiusmodi expressio requireretur, satis id expressisse Pontifices in Constitutionibus *suprà* adductis; in quibus expresè dicunt, nolle se Religiosis concedere facultatem eligendi Confessarium virtute Cruciatæ, quæ in Hispania publicatur. Cùm enim Cruciata illa concessa fuerit Regibus, eo ipso, quòd illam nominat, explicat Pontifex, se derogare illi facultati concessæ ad instantiam Regum. Secundò, supponit falsum ille Actor, quòd, scilicet, hoc sit priuilegium Regibus iam concessum: nam Cruciata concessa fuit pro tempore determinato; quo finito conceditur de nouo pro sex annis, ita vt singulis sexenniis fit, concessio noui priuilegij. Potest ergo Pontifex, licèt non deroget priuilegio iam concesso; nolle tamen illud de nouo concedere, ita amplum, nec nouum, hoc est, in ipsa Cruciata, cùm Pius V. addiderit de nouo illam exceptionem facultatum Mendicantium, quæ antea non erat.

191. Sextum argumentum simile est, quòd concessio Cruciatæ est quasi contractus onerosus, seu concessio remuneratoria: obligat enim se mutuò Rex ad soluenda multa aureorum millia pro fabrica Sancti Petri; eiusmodi autem priuilegia ex contractu oneroso non censentur reuocari per posteriores Constitutiones, & per alia Indulta, præsertim gratuita, vt resoluunt Iuristæ communiter, quos ad hoc affert idem Freitas *n.*13. *loco suprà citato.*

192. Respondeo primò, licèt priuilegium ex pacto oneroso non soleat reuocari: potest tamen Pontifex declarare posteà, qualem intentionem habuerit in concessione: de facto autem declararunt Pontifices, se non intendisse illam facultatem Religiosis concedere. Respondeo secundò, licèt concessio prima fuisset ex pacto oneroso, & ideò eadem non potuerit, vel debuerit reuocari, vel limitari: cæterùm, quando post sexennium fit alia noua concessio: sicut Pontifex potest non concedere amplius Cruciatam, sic potest eam non concedere, nisi cum nouis limitationibus provt eam limitauit Pius V. pactum enim oneroſum præteritum iam habuit totum suum effectum: transacto autem tempore concessionis, cessat concessio, & eius etiam onus & fit noua concessio cum nouo onere: quæ, si non æstimetur vtilis, poterit Rex eam non admittere, nec obligare se ad onus subeundum.

193. Vltimò arguunt, quia negari non potest, contrariam sententiam, quæ tot Auctores pro se habet probabilem esse; atque adeò posse pœnitentem, vel Confessarium se illi conformare, eamque practicè sequi, quo casu ratione probabilitatis dabitur iurisdictio. Respondeo quidquid sit de eorum auctoritate, qui id asseruerunt, qui fortasse, re non satis examinata, nec fundamentis contrariis visis, iudicarunt: iam tamen accedente declaratione Sedis Apostolicæ, quæ, vt vidimus, confessiones illas irritas fuisse declarauit, cessare omnino quamlibet probabilitatis speciem, quæ reuera sit probabilitas: ignorantia enim, vel pertinacia alicuius, qui sine sufficienti fundamento teneat, vel dicat, id esse probabile, quod probabile non est: non sufficit ad acquirendam iurisdictionem.

194. *An Religiosi possint eligere Confessarium in ordine ad peccata non reseruata.*

Restat pro complemento breue dubium; an Religiosi per constitutiones *suprà* adductas prohibiti solùm sint eligere Confessarium virtute Cruciatæ ad absolutionem à peccatis reseruatis; non verò in ordine ad peccata mortalia non reseruata. Ratio dubitandi oritur ex verbis Pontificum; qui solùm videntur loqui de absolutione à reseruatis. Nam in primis Clemens VIII. *in dicto Breui*, expedito pro Religiosis Societatis, anno 1595. videtur solùm absolutionem à reseruatis pro- Clem. VIII.
h bere. *Sancimus*, inquit, *nulli Religiosorum eiusdem Societatis licere, facultatibus Cruciatæ huiusmodi publicatæ, vel publicandæ, quoad eligendum Confessarium, & obtinendam absolutionem à casibus reseruatis, vti nec eis, quoad hanc eligendi Confessarium, & obtinendi absolutionem, prædictam facultatem, Cruciatam huiusmodi suffragari.* Eadem omninò verba habet Gregorius XV. *in suo Breui*, expedito anno 1622. pro eisdem Religiosis Societatis. Denique, eodem modo videtur loqui Sanctissimus Dominus Noster Vrbanus VIII. *in dicta sua Constitutione*, vbi dicit: *Concessionem sanctæ* Vrb. VIII.

Cruciatæ, aliorumque Indultorum huiusmodi, quantùm ad prædictum articulum eligendi Confessarium, & absoluendi à prædictis casibus reseruatis, etiam in Bulla Cœnæ Domini contentis, cum Fratribus, & Monialibus prædictis, quorumcumque Ordinum, &c. locum minimè habuisse, neque habere, neque illis vllo modo suffragari potuisse, neque posse. In quibus verbis solùm videtur prohiberi facultas eligendi Confessarium ad casus reseruatos.

195. Cæterùm dicendum videtur, intentionem Pontificum fuisse, non solùm absolutionem à reseruatis; sed omnem prorsus Cruciatæ vsum Religiosis prohibere in ordine ad Sacramentum Pœnitentiæ. Quod videtur colligi ex ipsorum verbis. Pius V. Nam in primis Pius V. *in prædicto Breui*, ann. 1571. vtitur verbis generalibus, dum dicit: *Sed nostræ intentionis extitere, quòd iidem Fratres, & Moniales, quantum ad Sacramentum Pœnitentiæ, seu Confessionis administrationem, dispositionem suorum Prælatorum subiecti sint, apostolica auctoritate, tenore præsentium, perpetuò declaramus.* Secundò idem Greg. XIII. constare videtur ex verbis Gregor. XIII. *in Bulla suprà adducto*, pro Religiosis Societatis, vbi sic ait: *Non esse, nec fore vnquam mentis nostræ, aut Sedis apostolicæ, vt personæ Societatis, absque expressa Superiorum eiusdem Societatis licentia, vtantur facultatibus, quæ in Iubileis, Bullis Cruciatæ, Confessionalibus, &c. hactenus concessæ sunt, aut in posterum concedentur, &c. apostolica auctoritate, perpetuò declaramus.* Vbi vtramque facultatem apertè comprehendit, cùm vtraque in Bullis Cruciatæ concedatur; scilicet, & eligendi Confessarium, & obtinendi absolutionem à reseruatis. Tertiò, idem Clem. VIII. colligitur ex verbis Clementis VIII. *in illo proprio motu*, edito pro omnibus Religiosis, quem *suprà* retulimus, in quo declarauit etiam, *suæ intentionis fuisse, quòd iidem Fratres ac Moniales, quantum ad Sacramentum Pœnitentiæ, seu Confessionis administrationem dispositioni suorum Prælatorum subiecti essent.* Quæ etiam verba generalia sunt. Quarto denique hæc eadem videtur esse mens Vrbani Vrb. VIII. VIII. quia *in prædicta sua Constitutione*, expresè confirmat, & innouat totam Clementis declarationem, cuius verbis relatis subdit: *Præfata Clementis prædecessoris declarationis inhærentes, illámque tenore præsentium innouantes, ac quatenus opus sit ampliantes.*

196. Ex his ergo generalibus verbis, qui vtraque facultas infertur, indagare possumus sensum aliorum verborum, quibus de sola absolutione à reseruatis videbantur loqui. Nam in iis etiam de vtraque loquuntur: non enim negant copulatiuè solùm facultatem eligendi Confessarium, & obtinendi absolutionem à reseruatis; sed etiam diuisim quamlibet illarum duarum facultatum. Qui sensus non gratis, sed cum necessario fundamento assignatur. Primò, quia iidem Pontifices Clemens VIII. & Greg. XV. qui illa verba habent, præmittunt pro ratione illius Decreti hæc verba: *Sanè, cum ratio doceat, & experientia compertum sit. Religionibus valdè perniciosum existere, vt earum Religiosis licitum sit, Confessarium sibi eligere*, non dixerunt; ad reseruata: sed in vniuersum, *Confessarium sibi eligere.* Ergo totam illam facultatem pernicioſam eligendi Confessarium, voluerunt auferre. Secundò, quia idem Clemens, vt vidimus, in alio Decreto voluit, quòd omnes Religiosi Mendicantes, quoad Sacramentum Pœnitentiæ, subditi essent suis Prælatis, non obstante Cruciata: ergo non habuit in illo alio Decreto intentionem subiiciendi Religiosos Societatis Prælatis, solùm quoad casus reseruatos. Tertiò, quia idem Clemens, & Gregorius XV. *in illo Breui suprà adducto*, pro parte contraria referunt Bullam Gregorij XIII. qua, vt vidimus, tota facultas ablata fuerat: quare contra illos, qui dicebant, per Bullam Cruciatæ, derogari Decreto Gregorij XIII. illud de nouo declarant: ergo idem omninò voluerunt declarare, quod Gregorius XIII. decreuerat: alioquin non concessissent id, quod petebatur. Quartò, quia idem 197. Vrbanus, cuius etiam verba pro contraria parte afferebantur, *in eadem sua Constitutione* innouat, vt vidimus, Decretum Clementis VIII. quod vniuersaliter subiecerat Religiosos Prælatis, quoad Sacramentum Pœnitentiæ: ergo non potuit velle limitare illam subiectionem solùm quoad casus reseruatos; alioquin videretur sibi contradicere, dum dicit, se innouare, & ampliare Decretum Clementis, si ex alio capite illud magna ex parte reuocaret, & limitaret; scilicet, quoad omnia peccata mortalia non reseruata: oportet ergo fateri, quòd illa verba, *facultatem eligendi Confessarium, & absoluendi à casibus reseruatis*, non collectiuè stant, sed distributiuè vt, scilicet, illæ facultates, & earum quælibet non habeat locum pro Religiosis. Qui sensus rursus confirmari potest ex verbis eiusdem Vrbani: declarat enim, *concessionem* Vrb. VIII. *illam Cruciatæ, quatenus ad prædictum articulum eligendi Confessarium, & absoluendi à prædictis casibus reseruatis, etiam in Bulla Cœnæ Domini contentis, &c. in Religiosis locum nomine habuisse.* Quæ verba, sic intelligenda essent in sensu solùm copulatiuo, sequeretur, quòd si Religiosus non fuit absolutus à casu reseruato, etiam in Bulla Cœnæ; sed à reseruato extra Bullam Cœnæ, non fuisset inualida absolutio; quod tamen esset manifestè contra mentem Pontificis: ergo verba illa non sunt intelligenda in sensu copulatiuo, sed etiam in distributiuo. Ratio denique est, quòd si Religiosis relinqueretur facultas eligendi Confessarium pro peccatis mortalibus non reseruatis, magna ex parte deficeret obseruantia, & perfectio regularis, quam Pontifices in prædictis Decretis tueri, & conseruare intendunt. Oportet enim summopere, vt Religiosus habeat Confessarium prudentem, & spiritualem, qualem Prælatus ei designare procurat, & quòd non confiteatur liberè cuilibet socio iuueni, & inexperto, quæ occasio esset multorum defectuum, vt constat.

Solùm obiici possunt verba quædam, quæ subiicit idem Sanctissimus D. Noster Vrbanus: qui ita concludit: *Sed nostræ intentionis fuisse, & esse, quòd, iidem Fratres, & Moniales, quantùm ad Sacramenti Pœnitentiæ, seu Confessiones administrationem, ordinariæ dispositioni suorum Prælatorum, & Sedi apostolicæ, quoad sibi reseruata subiecti sint.* In quibus verbis aliqui mysterium inuenerunt; quasi voluerit Pontifex, quoad hoc, limitare Decretum Clementis, in quo non inueniuntur illa verba, *quoad sibi reseruata*; & declarare, totam hanc prohibitionem solùm esse in ordine ad absolutionem à reseruatis. 198. Vrb. VIII. 199.

Respondeo, alium diuersum esse sensum illorum verborum, *quoad sibi reseruata*: non enim referuntur ad Prælatos, sed ad Sedem apostolicam, cui immediatè apponuntur; ita vt sensus sit, Religiosos subiici debere dispositioni suorum Prælatorum, atque etiam Sedis apostolicæ, quoad reseruata eidem Sedi apostolicæ. Voluit autem Pontifex addere illa verba, *quoad sibi reseruata*: non vt limitaret Decretum Clementis; sed ne daretur causa errandi. Addidit enim etiam illa verba, *& Sedi apostolicæ*; quæ non erant in Decreto Clementis, ne fortasse, dum dicebatur absolutè, Religiosos pendere omnino

omninò à suis Prælatis quoad absolutionem sacramentalem, cogitaret aliquis, eos ita plenè pendere à suis Prælatis, vt sicut sine illorum licentia à nullo peccato mortali possunt absolui, ita de eorumdem licentia possent ab omnibus peccatis absolui; quod cùm de iure communi falsum sit propter peccata aliqua Summo Pontifici reseruata, à quibus sine speciali licentia Pontificis non possunt à Prælatis absolui; ideò addita sunt ad hanc errandi occasionem tollendam, verba illa, *& Sedi apostolicæ, quoad sibi reseruata*: quoad reliqua enim dependent à sola Prælatorum dispositione. Quem sensum, quia non ita exprimebant verba Clementis, ideò prudenter S. D. N. Vrbanus voluit ad maiorem claritatem adiungi. Volui autem ad maiorem certitudinem immediatè consulere, de vero illorum verborum sensu. Illustriss. D.M.A. Maraldum, à quo ex mandato Summi Pontificis Bulla illa subscripta, constructa, & facta fuerat, & qui verba illa apposuerat: qui statim in hoc ipso sensu ea mihi explicuit, & vehementer miratus est, quòd in illo alio sensu potuerint ab aliquo accipi, cùm in eadem Bulla totum Decretum Clementis innouetur. Cùm autem nemo possit meliùs verba interpretari, quàm qui eorum fuit auctor; non video, quæ possit in hoc puncto occasio dubitandi superesse.

SECTIO X.

An possit aliquando absolui directè subditus à reseruatis, sine recursu ad Superiorem.

200. NOn dico, *sine facultate*, quia hoc numquam fieri potest, cùm omnis iurisdictio necessaria ad validè absoluendum debeat promanare ab aliquo Superiori: sed dico, *sine recursu*, quod fieri potest, eò quòd vel ipse reseruans, vel alius eius Superior antecedenter dederit facultatem ab absoluendum in talibus, vel talibus circunstantiis. Non est autem sermo de iis casibus, in quibus propter vrgentem necessitatem, non habita copia Superioris, potest subditus confiteri inferiori, & absolui indirectè à peccatis reseruatis, de quo *suprà*, & *in tract. de Eucharistia*, dictum est: sed nunc agimus de absolutione directa, & tali, vt non sit necesse iterum ab illo peccato directè absolui. Tres autem sunt potissimæ exceptiones. Prima est pro articulo mortis. Secunda, pro casibus pontificiis, à quibus potest inferior aliquando absoluere, quando non potest recurri ad Pontificem. Tertia est de Religiosis iter agentibus, quibus Prælati sui solent dare facultatem cum aliquibus limitationibus, de quibus omnibus sigillatim dicendum est.

§. 1. *De facultate absoluendi à reseruatis in mortis articulo.*

201. QVod attinet ad absolutionem à peccato, non est dubium, quin sit talis facultas, cùm Tridentinum supponat, pro eo articulo omnes Sacerdotes posse absoluere ab omnibus peccatis: quæ quidem absolutio directa est, cùm sit ex potestate, & iurisdictione, quæ ab Ecclesia pro eo articulo confertur. Certum est etiam, posse quemlibet Sacerdotem tunc absoluere directè à qualibet excommunicatione, etiam Pontifici reseruata vt constat ex eodem Tridentino *ibidem*. Item, certum est, eos, qui in prædicto articulo absoluuntur ab excommunicatione reseruata, debere transacto illo periculo, quamprimùm possint, recurrere ad eum,

cui excommunicatio reseruata erat, alioquin in eamdem censuram reincidunt, vt decernit Bonifacius VIII. *in c. Eos, qui de sententia excommunicationis, lib. 6.* Ab hoc autem onere liber erit qui absoluitur virtute Iubilei, aut Bullæ concedentis talem absolutionem in articulo mortis, vt conceditur in Bulla Cruciatæ absolutionis facultas, semel in vita, & semel in articulo mortis, excepto casu hæresis: nam priuilegium non est, vt absoluatur cum onere comparendi in articulo mortis; ad hoc enim non erat necessarium priuilegium: sed conceditur, posse absolui absque vlla alia obligatione, per quam non tollitur obligatio satisfaciendi parti læsæ, & cautionem præstandi. Idem dicendum est, si ille, qui in mortis articulo absolutus fuit cum onere comparendi, elapso periculo, recurrat ad habentem facultatem absolutam absoluendi ab illa censura, & ab illo absoluatur, vel faciat se absolui virtute Bullæ, aut Iubilei: tunc enim aufertur obligatio relicta comparendi, cùm iam compareat coram habente facultatem à Summo Pontifice, & absoluatur ab illo. Quid autem nomine *articuli mortis* intelligi debeat, diximus *suprà disp. 18. sect. 2.*

Aduerte primò, in hoc casu, si pœnitens sit sui 202.
compos, Sacerdotem debere ei explicare hoc onus, quod ei remanet, & petendum esse iuramentum de obseruatione, saltem à pœnitente non puero, vt cum communi Doctorum, quos affert, probat Bonacina *de censuris, disp. 1. quæst. 3. punct. 3. n. 11.* aduertit autem benè Thomas Sanchez *lib. 2. in Decalog. cap. 13. num. 30.* cum Syluestro, & aliis, cùm illud iuramentum solùm exigi debeat à non habente impedimentum perpetuum, sed temporale, recurrendi ad Superiorem, vt colligitur *ex cap. Quamuis de sententia excommunicationis*, si ab aliquo habente impedimentum perpetuum, exactum fuisset iuramentum prædictum, non teneri, etiamsi per miraculum postèà impedimentum cessasset: quia, stante illo impedimento, non tenebatur iurare; & non se intendit obligare, nisi iuxta intentionem Confessarij; nec Confessarius intendit exigere, nisi quatenus ex iure debet obligari.

Aduerte secundò, quando Tridentinum dicit, 203.
posse in illo articulo absolui *ab omnibus censuris*, verba illa intelligi iuxta materiam subiectam de censuris, quæ Sacramentis ab ægro recipiendis obstant: vnde non poterit absolui à suspensione ab Ordine, vel ab officio, & beneficio, vt constat ex ratione à Tridentino reddita, *ne hac occasione aliquis pereat*, de quo dixi *dicta disput. 18. sect. 2.* vbi etiam dixi, præsente Confessario priuilegiato, qui ex priuilegio habet facultatem absoluendi à reseruatis, non posse etiam in mortis articulo absolui infirmum ab eo, qui non potest à reseruatis absoluere. Dixi item, non teneri infirmum ad petendam tunc facultatem per litteras, vel nuncium, nec ad accipiendam Bullam Cruciatæ; sed posse se gerere tamquam non habentem copiam Confessarij, & absolui ab inferiori.

Aduerto tertiò, cum eodem Sanchez, *ibi, n. 17. &* 204.
sequentibus, duplicem cautionem petendam esse ab eo, qui sic absoluitur à reseruatis ob necessitatem: alteram de stando mandatis Ecclesiæ: alteram de satisfaciendo. Prima cautio debet exigi sub iuramento, saltem in criminibus magnis, vt de incendariis, & manifestis Clericorum percussoribus, traditur in iure, quod iuramentum exigitur à fœminis etiam, (non tamen ab impubere; & etiamsi pœnitens patri satisfecerit: per quod tamen iuramentum non contrahitur noua obligatio seruandi omnia Ecclesiæ præcepta;

sed tantùm id,quod iniunctum fuerit ea occasione ab Ecclesia, vel ab ipso absoluente. Secunda verò cautio de satisfaciendo non petitur,quando, vel non debetur alicui satisfactio,vel satisfactum iam est:debet autem esse cautio pignoratitia;vel si hæc non possit,fideiussoria; aut,si neque possit,iuratoria:imò, si ipsa realis satisfactio præmitti potest, præmittenda omninò est.

205. Aduerte quartò cum eodem *num.* 24. *& sequentibus*, vltra hanc duplicem cautionem iniungendum esse onus se præsentandi, vt diximus, ei, cui excommunicatio reseruata erat,cùm primùm commodè possit:quod si non obseruauerit, reincidet in eamdem excommunicationem:quod onus videtur etiam sub iuramento imponendum, vt colligitur *ex c. Quamuis, & ex c. Ea noscitur de sententia excommunicationis.* Debet autem se præsentare; non quidem, vt ab excommunicatione absoluatur, à qua iam erat directè absolutus; sed, vt Superior conuenientem medicinam adhibeat,& satisfactionem imponat.

206. Aduerte quintò cum eodem *n.* 34.& 35.quando infirmus nullam cautionem præstare valet,quia iam iam vsum sensuum amisit, posse, & debere sine cautionibus absolui:imò, licèt Confessarius ob ignorantiam non imposuerit tale onus se præsentandi,adhuc absolutionem validam esse:sicut, licèt omiserit alias duas priores cautiones:quia nullum est verbum in iure,ex quo colligatur irritatio absolutio nialiter exhibitæ.

207. Aduerto tamen sextò: licèt Confessarius illud onus comparendi non imposuerit, non ideò minùs obligari postea pœnitentem ad comparendum sub eadem pœna reincidentiæ in eamdem censuram. Pontifex enim *in dicto c. Eos qui de sententia excommunicationis,lib.6* absolutè dicit,eos omnes, qui à qualibet sententia canonis, vel hominis in mortis periculo, vel propter aliud impedimentum absoluuntur ab alio præter illum, ad quem de iure spectabat, reincidere in eamdem sententiam, si cessante periculo, vel impedimento, quàm citò commodè poterunt, non se præsentabunt Superiori. Vbi nullam mentionem facit de iniuncto priùs onere illo à Confessario. In secunda autem parte illius textus mentio fit de iniuncto priùs onere:quando, scilicet, aliquis à Sede apostolica, vel eius Legatis absolutionem consequitur, iniuncto onere, vt se Ordinarij sui,vel alicuius alterius,pœnitentiam ab eo susceptum, conspectui repræsentet; qui, si cùm primùm commodè poterit, id non fecerit, in eamdem sententiam incidit. Tunc autem requiritur talis iniunctio præcedens, quæ ibi expressè ponitur. Quare, cùm in priori textus parte omissa fuerit, non requiritur ad hoc,vt maneat illa obligatio.

208. *An obligatio comparendi sit solùm pro censuris.* His suppositis, restant aliqua dubia. Primum, an hæc obligatio comparendi sit in omnibus, qui absoluuntur in eo periculo à peccatis reseruatis; an solùm in iis, qui absoluuntur à censura reseruata. Affirmant aliqui idem procedere quando peccata non habent annexam censuram. Vasquez *in præsenti, quæst.* 91. *art.* 3. *dub.* 8. *num.* 7. Gaspar Hurtado *de Sacramento pœnitentiæ, disput.* 11. *difficult.* 13.

Contraria sententia est communis, & verior, quam tenent Suarez *in præsenti. disp.* 30. *sect.* 3. *n.* 6. Thomas Sanchez *loco suprà citato,n.* 24. Coninch. *in præsenti, disp.* 8. *dub.* 2. Henriquez *lib.* 6. *c.* 14. *n.* 3. Reginald. *lib.* 1. *num.* 62. *& lib.* 8. *n.* 14. Corduba *in Summa, q.* 18 *punct.* 2. *dicto* 2. Zambrano cum aliis, quos affert *de casibus articuli mortis, cap.* 4. *dub.* 4. *n.* 21. & ipse tandem Vasquez, re meliùs consideratà priori sententia relicta, huic adhæsit *quæst.* 93. *art.* 1. *dub.* 6. *num.* 15. Ratio est:quia tale onus comparendi non sequitur ex natura rei, nisi imponatur à Superiore, quando datur talis licentia absoluendi;& quidquid sit,an imponi possit semel absolutio directè à peccato, vt iterum illud confiteatur, vel compareat, de quo dixi *disp.* 15. *sect.* 6. non constat tamen impositum de facto esse in absolutione peccati facta in articulo mortis;nec iura citata agunt de absolutione à peccato, sed à censura canonis, vel hominis: ergo non est talis obligatio sine fundamento affirmanda.

209. Obiiciunt: quia facultas in iure concessa ad absoluendum à reseruatis, quibus excommunicatio annexa est,in articulo mortis,aut alio legitimo impedimento existente; extensa est à Doctoribus ad absoluendum à quibuscumque aliis reseruatis, quamuis eis non sit annexa excommunicatio:ergo extendenda etiam est cum eodem onere, cum quo in iure concessa est ad absoluendum ab illis, quibus annexa est excommunicatio. Ita arguit Hurtado *loco citato.* Respondeo tamen, facultatem absoluendi in articulo mortis à reseruatis, sine excommunicatione, non debere colligi extendendo facultatem illã à iure concessam absoluendi à censuris in eo articulo; sed haberi expressam in Concilio Trident. *sess.* 14. *cap.* 7. absque vllo onere,vel limitatione. An verò extra illum articulum possit dari absolutio directa ab eiusmodi reseruatis, videbimus *inferius, hac eadem sect.*

210. *An ipse inferior onus imponere possit.* Dubitatur secundò,an aliquis Prælatus inferior possit reseruare peccata,ita vt in articulo mortis debeat absolui cum onere comparendi postea elapso periculo,si potuerit. Et quidem,si peccatum habeat annexam censuram,non est dubium, cùm de facto in iis omnibus cuicumque Superiori reseruatis remaneat talis obligatio comparendi postea, vt constat *ex dicto c. Eos,qui* Dubium ergo est circa peccata non habentia censuram annexam, de quibus Suarez *disp.* 30 *sect.* 5. *n.* 37. licèt probabile existimet fieri non posse,adhuc inclinare videtur in partem contrariam, loquendo de possibili: fatetur tamen malè facturum Prælatum Summo Pontifice inferiorem, qui id facere rentaret. *onere annexæ.*

211. Ego existimo,nec licitè,nec validè posse Prælatum Summo Pontifice inferiorem talem reseruationem facere: quia potestas facta omnibus Sacerdotibus in mortis articulo, absoluendi ab omnibus reseruatis, procedit ab Ecclesia vniuersali, & eius Capite, Summo Pontifice: potestas autem,& iurisdictio data à Pontifice ad absoluendum à reseruatis, non potest licitè, aut validè limitari à Prælato inferiori: nullus ergo Prælatus inferior potest sua reseruatione limitare illam facultatem, quam omnes Sacerdotes habent absoluendi pro mortis articulo, quæ independenter ab ipsis data supponitur à potestate superiori. Vnde infero, si ipsemet Pontifex non appositset illud onus comparendi, quando absoluitur pœnitens in illo articulo ab excommunicatione reseruata,neque etiam potuisse inferiores Prælatos licitè, aut validè illud onus apponere, etiam pro absolutione à censu a: cùm enim vtraque facultas absoluendi, nempe & à peccatis,& à censuris,meo articulo procedat ab Ecclesia vniuersali, vt indicat Tridentinum *dicta sess.* 14. *c.* 7. non potuisset Prælatus inferior illam facultatem limitare,aut grauare etiam in ordine ad censuras. Solus ergo Pontifex Summus potuit illud onus imponere pro mortis articulo: extra illum tamen casum, facilùs possunt aliquando Prælati inferiores aliqua onera imponere, vt *inferius* videbimus.

Dubitari

212. *An non committens reincidat in eamdem censuram.*

Dubitari tertiò potest, quomodo dicatur reincidere in eamdem censuram ille, qui elapso periculo mortis non obseruat, quod promisit; nec præsentat se Superiori, cùm possit. Pater Suarez *tom. 5. de censuris, disp. 22. sect. 1. num. 62.* dicit, non redire eamdem censuram; sed aliam similem excommunicationem maiorem, & cum eadem reseruatione, quæ non est omnino propter eamdem causam; quia hîc non contumacia, nouúsque contemptus intercedit. Eodem modo loquitur Pater Sanchez *num. 28.* Bonacina etiam *de censuris, disp. 1. quæst. 3. punct. 3. propos. 4. num. 26.* qui dicit non esse eamdem munero, sed aliam eiusdem speciei, quæ incurritur, non ob solam primam causam, sed etiam ob inobedientiam nouam à pœnitente commissam.

213. Ergo existimo, eo modo, quo non est eadem numero, neque etiam esse posse eiusdem speciei moralis: nam species moralis censuræ debet desumi ex obiecto, seu crimine, propter quod fertur; alioquin omnes excommunicationes reseruatæ Papæ essent eiusdem speciei moralis, nec oporteret eas explicare amplius in ordine ad absolutionem; sed sufficerer dicere: *Ego contraxi excommunicationem quamdam non reseruatam*, vel, *Contraxi quamdam reseruatam.* Sed peccatum, ob quod contrahitur talis excommunicatio, non est idem omnino, sed diuersum specie, cum non sit sola percussio Clerici præterita, v.g. sed etiam contumacia, & inobedientia præsens, qua noluit comparere: ergo, si ob eam causam differt numero, differt etiam specie. Dicendum ergo videtur, esse quidem, physicè loquendo, aliam: moraliter tamen, seu per iuris fictionem esse eamdem specie, & numero. Nam, physicè loquendo, sicut datur nouum motiuum ad puniendum hunc hominem, à quo Legislator mouetur; sic datur etiam noua voluntas eiiciendi eum extra Ecclesiam, postquam receptus fuerat.

214. Cæterùm fictione iuris est eadem excommunicatio rediens: vult enim Legislator, vt perinde sit, ac si non fuisset absolutus ab illa alia; & sicut, si excommunicatus esset propter solum delictum præteritum, v.g. propter Clerici percussionem. Vnde retinet eamdem reseruationem, & eandem etiam auferibilitatem, vt ita dicam: nam qui haberet solùm facultatem absoluendi ab excommunicatione ob percussionem Clerici, posset procul dubio absoluere ab ista: ergo moraliter hæc non est excommunicatio propter inobedientiam in comparendo, sed solùm propter percussionem Clerici: alioquin non posset auferri ab eo, qui solùm potest absoluere ab excommunicatione ob Clerici percussionem. Redit ergo moraliter eadem specie, & numero: quia per fictionem iuris censetur eadem omnino rediisse, vel perseuerasse, quamuis physicè sit alia, & propter aliud motiuum.

215. *An incidat in censuram vitandam.*

Hinc dubitari potest quartò, an si ante absolutionem erat excommunicatus vitandus, postea quando recidit in excommunicationem, quia non comparuit, sic etiam vitandus, sicut erat antea. De hoc dubio agit Bonacina *vbi suprà, n. 18.* & respondet affirmatiuè. Primò, quia si post absolutionem mortuus fuisset pœnitens; non potuisset in loco sacro sepeliri, antequam Superiori constaret de absolutione ei data: ergo multò minùs poterit ad participationem fidelium admitti post reincidentiam in eamdem specie censuram, & cum eadem reseruatione. Secundò, quia ratio, quam affert textus *in dict. c. Eos, qui*, vt ligentur de nouo censura, qui elapso periculo non comparent, est ne illudatur Ecclesiæ censuris: si autem ille postea non esset vitandus, sicut priùs; iam ex parte illuderetur censuris: commutasset enim censuram in illam leuiorem. Tertiò denique, quia Pontifex *ibi* non solùm dixit, debere incidere in eamdem censuram; sed *in eandem sententiam*: cum ergo antea per sententiam fuisset excommunicatus, & denunciatus; debet redire eadem sententia quoad vtrumque effectum.

216. Distinguendum puto: nam excommunicatus vitandus hodie debet esse, vel nominatim denunciatus, vel manifestus, & notorius Clerici percussor, qui nulla possit tergiuersatione celari. Vnde, si talis notorius percussor Clerici absoluatur in mortis articulo, & postea suo debito non satisfecerit; videndum est, an sit etiam notoria secunda culpa non comparendi, vel non satisfaciendi, ita vt nulla possit tergiuersatione celari: nam id totum requiritur ad hoc, vt fideles eum vitare teneantur. Similiter, si ob aliam causam erat priùs excommunicatus, denunciatus, & absolutus in mortis periculo, postea suo debito non satisfacit, debebit vitari de nouo, si constet manifestè de hac secunda culpa. Ratio est: quia ille omnis excommunicatus vitandus est, qui vel excommunicatus est ob publicam percussionem Clerici ita notoriè, vt nulla possit tergiuersatione celari; vel si excommunicatus est ob aliud delictum, constat, quòd sit nominatim denunciatus. Sed eo ipso, quòd iste non satisfacit suo debito post absolutionem, recidit in excommunicationem, quæ moraliter sit eadem cum priori, vt vidimus: ergo, si constat, illum culpabiliter non satisfeciisse, ita vt nulla possit tergiuersatione celari; iam constat, quòd sit excommunicatus ob percussionem Clerici sufficienter ad obligationem eum vitandi. Similiter, si constat sufficienter, quòd culpabiliter omisit debitum comparendi & satisfaciendi, &c. atque adeò recidisse in excommunicationem eandem, ob quam erat denunciatus nominatim; iam constat eum esse excommunicatum excommunicatione denunciata, quod sufficit, vt debeat vitari.

217. Quandò verò, licèt reuerà reciderit in eamdem excommunicationem, de hoc tamen non constat, provt constare debet ad obligationem eum vitandi: non est excommunicatus vitandus. Nec mirum est, quòd in hoc casu aliquid lucratus sit, & meliorem statum habeat quoad hoc, quàm ante absolutionem: hoc enim est per accidens propter defectum notitiæ requisitæ. Fatemur ergo ipsum incurrisse in eandem sententiam, & esse excommunicatum vitandum, quantum est ex se: dum tamen hoc ipsum aliis non constat, quantùm de iure constare debet, vt cum vitare teneantur, excusantur per accidens alij fideles ab eo vitando. Sicut etiam ante Concilium Constantiense sæpe contingere poterat, quòd aliquis recidisset in priorem excommunicationem propter hanc culpam non comparendi, & tamen alij fideles non tenerentur ad eum vitandum: quia non constabat eis sufficienter, an culpabiliter non comparuisset. Vnde constat responsio ad secundum, & tertium argumentum Bonacinæ. Ad primum verò facilè respondetur, certum esse, quòd non possint alij fideles cum eo communicare, nisi priùs constet eis de absolutione in mortis articulo data. Dicimus tamen posse eos postea communicare cum ipso, etiamsi reuerà reciderit in priorem excommunicationem, quandiu eis de hac ipsa reincidentia non constat: quæ notitia ad vitandum Clerici percussorem debet esse multò maior: talis scilicet, vt nulla possit tergiuersatione celari: hanc enim notitiam exigit ius nouum Concilij Constantiensis.

§. 2. *De facultate ad absoluendum à reseruatis Pontifici in necessitate extra mortis articulum.*

218. HOc est secundum punctum, in quo est specialis difficultas. Regula enim generalis est, vt qui legitimo impedimento perpetuo, vel temporali prohibetur, ne possit Romanum Pontificem adire pro absolutione excommunicationis Sedi apostolicæ reseruatæ, possit ab Episcopo proprio absolui; ita tamen, vt cessante temporali impedimento, debeat se Romano Pontifici, vel eius delegato præsentare, alioquin in eamdem excommunicationem recasurum. Ita colligitur *ex c. Mulieres. c. Noscitur. c. Quamuis. c. De catero. de sententia excommunicationis. & c. Eos. qui eodem titulo, lib. 6.* in quibus tamen locis sermo est de excommunicatione ob percussionem Clerici contracta. Eam tamen regulam Doctores communiter extendunt ad omnes excommunicationes reseruatas Summo Pontifici, cùm eadem omnium sit ratio: & materialiter se habuerit, quòd casus circa illam materiam contingeret: cùm enim illa fuerit antiquissima reseruatio Summo Pontifici, ad eius imitationem reliquæ omnes factæ videntur. Vnde immeritò Syluester *verbo, Excommunicatio*, 8. *num.* 8. excipit ab hac regula excommunicationes contentas in Bulla Cœnæ, quam exceptionem impugnat benè Suarez *in præsenti, disput. 30. sect. 3. num. 9.* nam verba illa Bullæ, quòd nemo possit ab illis, nisi in articulo mortis, absoluere; eodem modo habentur in aliis censuris Papæ reseruatis extra Bullam Cœnæ: non ergo habent ibi maiorem vim verba illa; sed debent semper accipi iuxta interpretationem ipsius Legislatoris, qui sæpè explicauit mentem suam de non comprehendendo casu necessitatis, & impotentiæ.

219. Hinc absolui possunt ab Episcopo mulieres, impuberes, valetudinarij, pauperes, qui ob paupertatem non possunt iter agere; & denique quicumque legitimo impedimento prohibentur: ita tamen, vt si impedimentum non sit perpetuum, (excepto impedimento pueritiæ,) debeant sub iuramento obligari ad comparendum, cessante impedimento, provt *suprà* dictum est.

220. *An possit absolui ab Episcopo, qui potest adire Nuncium.* Difficultas est primò, an possit ab Episcopo absolui, qui, licèt non possit adire Pontificem, potest tamen adire Nuncium, vel Legatum Pontificis, potentem absoluere. Affirmant Henriquez *lib. 6. cap. 9. n. 7.* Auila *de censuris, 2. parte, cap. 7. part. 1. dub. 6.* Alij dicunt non posse tunc absolui ab Episcopo. Nauarrus *in Summa, c. 27. num. 90.* Coninch. *disp. 14. dub. 16. num. 242.* Corduba *quæst. 18.* Bonacina *de censuris. disput. 1. quæst. 3. punct. 2. n. 4.* Addit tamen Coninch, posse absolui ab Episcopo, etiamsi adsit copia alterius Confessarij habentis, v. g. ex priuilegio facultatem absoluendi ab iis casibus: quia *in dicto c. Quamuis de sententia excommunicationis*, requiritur, quòd adeatur Legatus, quando potest: de aliis tamen priuilegiatis non fit mentio.

221. Mihi sententia Nauarri magis placet iuxta ea, quæ in simili dixi de absolutione in articulo mortis; nec inuenio discrimen inter Legatum, & habentem facultatem absoluendi, cùm ille etiam sit delegatus à Papa quoad illam causam, & ratio sit eadem in vtroque: quia, scilicet, iam potest adiri ille, cui ex voluntate Papæ commissa est illa causa. Et quidem in praxi non est periculum, quòd velit pœnitens recurrere pro absolutione ad Episcopum, cum onere comparendi postea coram Pontifice, quoties poterit sine eo onere absolui ab habente ex priuilegio facultatem absoluendi directè; & quem faciliùs adire potest, quàm Episcopum.

Secundò est difficultas grauior, an prædicta regula locum habeat in peccatis, etiam reseruatis Pontifici, sine excommunicatione: Pater Vasquez *quæst. 93. art. 1. dub. 6. n. 14.* dicit, opus comparendi post absolutionem semel habitam, & facultatem absoluendi cum eo onere non dari, nisi pro casibus habentibus excommunicationem annexam: vnde videtur supponere, facultatem illam Episcopo datam, cùm data sit cum eo onere, solùm extendi ad casus, qui habent excommunicationem Pontifici reseruatam. 222. *An ita intelligenda quæ proxime dixit.*

P. Suarez *in præsenti, dicta sect. 3. num 11.* dicit, certum esse, quòd si Pontifex reseruat aliquod peccatum sine excommunicatione, provt reseruauit aliquando Sixtus V. procedere in eius absolutione eamdem regulam, & facultatem; quod mihi etiam probabilius videtur: quia ratio videtur ferè eadem, nempe, difficultas adeundi Pontificem: & quia incredibile videtur, quòd voluerit Pontifex eam facultatem absoluendi date pro peccatis grauioribus, qualia solent esse illa, quibus annectitur excommunicatio, & negare pro peccatis leuioribus: suppono enim, iuxta communem doctrinam, ablata excommunicatione, auferri etiam reseruationem, quoad ipsum peccatum Papæ reseruatum. Addo tamen, in eius peccati absolutione, quod non habet excommunicationem, non fore iniungendum pœnitenti onus comparendi, & adeundi Pontificem: quia illud onus in iure non imponitur, nisi quando absoluitur à censura; & quia imponitur sub pœna recidendi in eamdem censuram, quod in absolutione à peccato fieri non potest: cùm non possit Papa facere, quin reuocet idem peccatum physicè, vel mortaliter quod semel ablatum est. 223.

Maior est tertia difficultas, an prædicta regula locum habeat in peccatis, etiam reseruatis aliis Prælatis, siue cum excommunicatione, siue absque illa: vt, quoties subditus non potest adire Superiorem, possit etiam extra mortis periculum ab inferiori absolui directè cum onere etiam comparendi, cùm poterit, si peccatum habebat excommunicationem annexam. P. Suarez *dicta sectione 3. numero 11.* rationes pro vtraque parte affert; ipse tandem in patrem negantem magis inclinat, ne in re adeò graui absque sufficienti fundamento tanta facultas tribuatur. Affert autem rationem discriminis, cur magis expediens, & necessaria fuerit illa facultas pro casibus pontificiis, quàm pro aliis. Primò, quia difficilior est aditus ad Pontificem Summum, quàm ad alios Prælatos; ideò oportuit prouidere huic frequenti necessitati. Secundò, quia casus reseruati Pontifici communiter habent excommunicationem, à qua debet pœnitens priùs absolui, vt absoluatur à peccatis: quando verò peccata reseruantur aliis Prælatis: absque censura, poterit pœnitens in necessitate confiteri alia peccata non reseruata, à quibus absoluatur directè & indirectè à reseruatis. Sed tamen Gaspar Hurtado *de Sacramento pœnitentia, disp. 11. diffic. 13.* supponit, ab omnibus admitti communiter eam extensionem ad casus reseruatos aliis Prælatis. 224. *Quid de reseruatis aliis Prælatis.* 225.

Ego quidem in hoc puncto nullum inuenio fundamentum sufficiens dubitandi: & communis sententia talem extensionem non admittit, vt fatetur Suarez *num. 11.* vbi affert Durandum, & Adrianum eam negantes. Ratio autem videtur id conuincere

conuincere: nam videtur clarè satis constare, intentionem Summi Pontificis non fuisse, dare regulam generalem pro omnibus casibus, qui reseruati essent, vel Episcopis, vel aliis Prælatis; sed solùm pro reseruatis Pontifici. Regula enim ab ipso tradita est, quòd in casu necessitatis recurratur ad Episcopum, cui commisit tunc absolutionem: noluit enim prouidere necessitati eorum, qui non possent recurrere ad Episcopum, alioquin debuisset addere, etiam in ipsis casibus pontificiis, vt si non esset aditus ad Episcopum, absolueretur à Parocho; quod tamen numquam dixit; sed semper voluit, quòd absolutio peteretur ab Episcopo, quia, nimirum, supposuit, rarò contingere, vt extra mortis periculum non possit ad Episcopum recurri; & ideò satis prouisum censuit communi necessitati, si concederetur recursus ad Episcopum.

226. Non ergo voluit prouidere pro casibus reseruatis ipsi Episcopo: debuisset enim designare, ad quem tunc esset recurrendum, an ad solum Parochum; an ad omnes Confessarios potentes absoluere à non reseruatis; sicut pro casibus pontificiis designauit solum Episcopum, ad quem deberet recurrere: quia, nimirum, non æstimauit necessarium prouidere de remedio pro necessitate illius, qui non potest recurrere ad Episcopum, alioquin etiam pro casibus pontificiis debuisset prouidere de eodem remedio, quando non potest recurri ad Episcopum.

227. Ratio autem fuit, tum raritas illius necessitatis, vt dixi; tum etiam, quòd ad Papam solùm spectabat immediatè prouidere de remedio pro casibus sibi reseruatis, vt benè notauit Suarez: pro aliis verò reseruatis prouidere de remedio, spectat immediatè ad inferiores Prælatos reseruantes, qui, si in hoc negligentes fuerint, & eorum negligentia afferat periculum animarum; tunc pertineret ad Supremum Pastorem corrigere eorum negligentiam & prouidere de remedio, prout sæpè fecit, communicando aliis facultatem absoluendi à reseruatis Episcopo; & prouidendo etiam aliquando Regularibus, licèt his minùs sit periculi, cùm habeant semper ad manum suum Prælatum: quòd si aliquando absentes sunt ipsi Prælati, eis sufficienter prouident de remedio.

228. Vnde obiter noto primò, non benè retulisse hanc iuris regulam Patrem Suarez *in præsenti, dicta sectione 3. n. 80.* dicendo, generalem regulam iuris esse pro casibus pontificiis, *quoties non patet aditus ad Summum Pontificem, vel Legatum, aut delegatum eius, nisi cum magna difficultate, & mora posse peccatorem absolui ab inferiori Sacerdote cum onere comparendi coram Pontifice.* Hæc regula cum ea generalitate falsa est, neque habetur in iure: sed, quod possit tunc absolui pœnitens ab Episcopo cum illo onere.

Suarez.

Noto secundò contra eumdem, qui consequenter ad suam doctrinam videtur debuisse concedere, regulam esse generalem pro peccatis, quæ reseruantur etiam inferioribus Prælatis.

229. Nam *n. 9. in fine*, explicans, quomodo Papa reseruans aliquem casum de nouo, à quo nemo absoluat, nisi in mortis articulo; adhuc non excludat casum illum necessitatis, etiam extra mortis articulum: respondit, id esse; quia exceptio ipsa mortis articuli videtur includere illam necessitatem diuturnæ moræ, etiam extra infirmitatem, quatenus *in diuturno tempore moraliter imminere potest periculum mortis.* Si hæc autem ratio est bona, probare debet de casibus Episcopalibus, vel aliorum Prælatorum, quando diu expectandum esset: quia tunc etiam in diuturno tempore moraliter imminet periculum mortis: vel ratio ergo illa non satis probat, vel certè de omnibus reseruatis cuicumque Prælato deberet cum proportione probare, quòd in casu necessitatis posset inferior ab eis directè absoluere, quod tamen ipse Suarez non vult concedere.

230 Solùm videntur posse nostræ doctrinæ obstare verba Pontificis *in dicto cap. Eos, qui de sententia excommunicationis, lib. 6.* vbi generaliter dicit, *eos, qui à sententia canonis, vel hominis, (cùm ad illum, à quo alias de iure fuerant absoluendi, nequeunt propter imminentiù mortis periculum, aut aliud impedimentum legitimum, pro absolutionis beneficio habere recursum,) ab alio absoluuntur;* recidere in eamdem sententiam, si posteà non compareant. In quibus verbis supponi videtur, quòd etiam à sententia aliorum Prælatorum aliquando possint absolui propter mortis periculum, vel propter aliud legitimum impedimentum: nam textus ille generaliter loquitur de censuris reseruatis cuilibet Prælato.

Respondeo tamen illa verba non cogere. Primò, quia non est necesse, quòd vtraque illa ratio absoluendi mortis periculi, & alterius impedimenti legitimi, verificetur de singulis membris excommunicationis à iure, vel ab homine *suprà* propositis: nam, licèt ab excommunicatione inferioris Prælati reseruata nunquam absolui possit subditus directè per inferiorem, nisi in mortis periculo; verum adhuc est, loquendo de vtrisque simul, eos, qui à censura Pontificis, vel Episcopi, v. g. absoluuntur per inferiorem, absolui propter mortis periculum, vel propter aliud impedimentum, nimirum, qui à censuris reseruatis Episcopo absoluuntur propter periculum, saltem mortis; qui verò à pontificiis, vel propter illud, vel propter aliud impedimentum. Voluit ergo Pontifex vtrosque comprehendere sub illa disiunctione, vt legem, quam de nouo condebat, communem vtriusque faceret.

231 Secundò possumus aliter dicere, ibi, sub sententia lata ab homine, non solùm comprehendi censuram Episcopi, v. g. sed etiam Pontificum, quæ non feratur per legem, sed ab homine: quare de vtroque membro censuræ, nempe, & *canonis* & *hominis*, verificatur, quòd absoluatur ab alio inferiori aliquando propter periculum mortis, aliquando propter aliud legitimum impedimentum, licèt id non competat omnibus censuris contentis sub illo membro: sed aliquibus ab homine, scilicet, pontificiis, & aliquibus etiam à iure, nempe, solis pontificiis: quia censuræ, etiam à iure Episcopo reseruatæ, non tolluntur ab inferiori, nisi in mortis periculo.

§. 3. *de facultate, quæ Religiosis iter agentibus concedi solet, vt absolui possint à peccatis reseruatis.*

232 DE hoc dicendum hîc esset: sed, quia de hoc puncto diximus satis *supra disput. 15. sect. 6.* non oportet eadem in præsenti repetere: ibi enim diximus, quomodo non præcipiatur subdito duplex confessio sacramentalis eiusdem peccati; & vnde oriri possit obligatio illa comparendi; quando iam semel subditus absolutus fuit directè à peccato non habente annexam aliquam censuram.

§. 4. *An Superior teneatur dare facultatem subdito per se, vel per alium eam petenti vt absoluatur à reseruatis.*

233. DVplex videtur esse sententia in re forasse non diffidens, sed in modo proponendi. Aliqui enim vehementiùs proponunt Superioris potestatem, & subditi obligationem; atque ideò dicunt, subditum debere cedere, cùm Superior negans vtatur iure suo. Pro qua parte afferri possunt Victoria *in Summa, cap 4. num. 147. de confessione*, & Nauarrus *in Summa, cap. 7. numero 8. & in cap. Placuit, de Pœnitentia distinct. 5. art. 249. & 150.* Alij vehementiùs exaggerant obligationem Prælati ad consulendum subdito, qui indiget tali condescendentia, & facilitate, ne in grauiora labatur. Ita Soto, Ledesma, Sylvester, Angelus, Armilla, alij apud Suarez *in præsenti, disp. 30 sect. 4. num. 3.*

234. Ponendum primò, Prælatum posse non solùm per se, sed per alios absoluere validè subditum à reseruatis; imò loquendo de Prælato, & subdito Regulari, potest Prælatus committere id munus Sacerdoti simplici non approbato ab Ordinario loci; quia eiusmodi approbationem Concilium Tridentinum solùm exigit in Confessario ad audiendas confessiones sæcularium: quare non video, quo fundamento id negauerit Alexander Peregrinus, Clericus Regularis, *in Addit. ad comment. Constitut. sui Ordinis, tom. 3. tract. 4. miscellan. resolut. 3.* Nec in hoc videtur esse posse dubium, loquendo de possibili: nam de facto aliqui Prælati concedunt facultatem cum aliqua limitatione: vt si adsit Sacerdos eiusdem Ordinis, hic præferatur externis; & ex ipsis externis approbatus non approbato.

235. Ponendum secundò, quoties subditus prudenter timet sibi damnum graue, & Sacramento extrinsecum, hoc est, præter famæ diminutionem apud Prælatum, quæ extrinseca est institutioni Sacramenti, v. g. timet confessionis reuelationem, scandalum, odium, vel quòd ea notitia vtetur ad alia extra illud forum in eius damnum; pœnitens ius habet petendi alium Confessarium, & Prælatus ex iustitia tenetur illum dare: & in hoc omnes conueniunt. Difficultas est, quando subditus solùm timet ruborem, & verecundiam ex suo crimine patefacto Prælato, atque adeò ex infirmitate sua instat pro facultate confitendi alteri.

236. In hoc puncto non potest vna regula indiuisibilis constitui; cùm omnino dependeat à circumstantiis, & in prudentia Prælati, qui debet attentè eas omnes considerare, ne vel nimia facilitate, vel nimia seueritate peccet: in vtroque enim facilè potest peccare; sed faciliùs in seueritate, & rigore. Certum quippe est, aliquando debere Prælatum facultatem concedere propter subditi periculum vitandum, vt docet S. Thomas *Opusc. 9. contra impugnantes Religionem, & in 4. dist. 17. q. 3. art. 3. quæstiunc. 4. ad 6.* dicens peccare Prælatum, qui difficilem se præbet in danda licentia: multi enim sunt adeò infirmi, quòd potiùs sine confessione moriantur, quàm tale peccatum tali Sacerdoti confiteantur. *Vnde illi* (inquit) *qui sunt nimis solliciti, vt conscientiam subditorum per confessiones sciant; multis laqueum damnationis iniiciunt, & per consequens sibi ipsis.* Certum tamen est, etiam aliquando posse, & debere Prælatum facultatem negare, quando id videt necessarium ad graue damnum pœnitentis, vel etiam aliorum vitandum. Pertinet ergo ad Prælati prudentiam, vtriusque partis rationes ponderare, vt videat, ad quam debeat inclinare in illo casu. Hoc tamen præ oculis habendo, in dubiis semper in benigniorem partem inclinandum, ad quam Decreta Pontificum, præsertim Clementis VIII. hac de re edita inclinare, & ducere videtur: quare, nisi constet de graui pœnitentis; aut aliorum damno, videtur concedenda communiter facultas: non tamen cuilibet confessario, sed prudenti & probo, qui vtiliter, & probè possit animæ pœnitenti consulere. Si autem talis esset ille, per quem facultas petitur, non debet ei negari, ne cogatur iam pœnitens duobus suum peccatum confiteri: quod fortasse aliquando non erit minus difficile, quàm ad Prælatum ipsum recurrere.

Addit Suarez *num. 7. & 8.* quando ex licentia negata timetur graue subditi detrimentum, & ruina, licèt id totum ex pœnitentis fragilitate, & duritie oriatur, peccare quidem Prælatum, si facultatem neget, contra charitatem, vel debitum sui muneris, non tamen contra iusticiam. Quod mihi difficile est: nam licèt priuatus solum ex charitate teneatur ad impediendum graue damnum Proximi, cum commodè potest: Prælatus tamen in ordine ad subditos videtur ex iustitia obligari ratione officij, quod cum eo onere susceperit: nam, sicut ratione officij tenetur ex iustitia impedire, & præcauere detrimentum graue circa fortunas, & bona temporalia; multò magis videtur ex eodem officio teneri ad impediendum graue detrimentum circa salutem, & bona spiritualia subditorum, in ordine ad quæ præcipuè factus est Prælatus, & pastor. Sic enim medicus ex officio, & iustitia tenetur adhibere remedia opportuna, ne pereat ægrotus: multò ergo magis medicus spiritualis debet ex officio, & iustitia procurare, ne pereat eius subditus, cuius ob infirmitatem propriam salus periclitatur.

Ex hoc tamen oritur dubium, quomodo Prælatus debeat condescendere, & dare licentiam subdito, qui obfirmato animo non vult Superiorem adire: tunc enim licentia illa non videtur vtilis subdito, qui certè non est dispositus ad Confessionis Sacramentum, dum habet propositum non adeundi Superiorem, quem adire deberet, vt impleret Christi præceptum, præmittendi Confessionem ante susceptionem Eucharistiæ: suppono enim, non adesse causam iustam ex timore alicuius mali extrinseci, ob quam possit peccatum illud non confiteri. Non ergo subuenitur subdito concessa facultate, cum non detur illi debita dispositio ad Sacramentum, quæ illi deerat, cùm non habeat propositum seruandi illud præceptum Christi, casu, quo Superior licentiam negasset.

Respondeo hoc argumentum nimium probare: reprobaret enim praxim Prælatorum, & ipsius Summi Pontificis, qui ad subueniendum eiusmodi infirmitati subditorum, qui nolunt proprio Sacerdoti integrè confiteri, & ea de causa confessionem sacrilegam sæpe faciunt, & in statu peccati per longum tempus miserè iacent, mittere solent aliquando Confessarios extraordinarios cum plena potestate absoluendi, vel per Iubileum, aut Bullam, vel alio modo subditis facultatem concedunt eligendi Confessarium, cum potestate absoluendi à reseruatis, in quibus procedit eadem difficultas: nam illi subditi, non videntur posse tunc facere confessionem validam ex vi talis facultatis, cùm eis desit dispositio debita, nempe, propositum seruandi illud Christi præceptum, quod de facto non seruarunt, nec seruassent, nisi hanc facultatem habuissent.

Debemus

240. Debemus ergo respondere facultatem illam multùm posse prodesse subdito. Primò, quia plerumque nondum decreuit Christi præceptum violare; sed ob difficultatem vacillat, & instat iterum, atque iterum pro licentia obtinenda: & tunc eius Pastor debet manum vacillanti porrigere, & præcauere ruinam; eius periculum videt, concedendo licentiam, ne Christi præceptum violet. Secundò, licèt iam subditus decreuerit obfirmato animo Superiori non confiteri; adhuc prodest facultas concessa: quia sublata difficultate, animo quieto, & tranquillo, faciliùs concipitur postea dolor, & propositum necessarium ad valorem Sacramenti: faciliùs enim proponit pœnitens proposito in genere, & circa difficultatem non præsentem, nec explicitè propositam; quàm distinctè circa obiectum præsens, arduum, & difficile. Fateor tamen, periculum plerumque esse, ne pœnitens careat dispositione debita, qui proximè antea nolebat obseruare Christi præceptum de confessione præmittenda, & data licentia confitetur alteri: quare accuratè, & suauiter disponendus esset priùs à Confessario ad verum dolorem, & propositum concipiendum: negare enim non possumus deesse illi debitam dispositionem, nisi ex animo doleat efficaciter, quòd Christi præceptum spreuerit, & confessus non fuerit, provt ex præcepto debebat. Sufficiet tamen, vt dixi, dolor generalis (si verus dolor sit) de omnibus peccatis commissis.

250. Addo vltimò, hanc Prælati obligationem non ita consistere in indiuisibili, vt semper vel teneatur concedere licentiam petitam ob vitandum damnum subditi, vel teneatur eam negare ob damnum eiusdem subditi, vel aliorum; quod ex concessione sequeretur. Potest enim aliquando dari status medius, in quo, nec sit obligatio saltem grauis concedendi, nec etiam negandi licentiam. Quia fieri potest, quòd non timeatur graue damnum pœnitentis, vel aliorum ex eo, quòd concedatur, vel negetur. Et licèt aliquando suspicio, vel timor aliquis de illo esse possit: non tamen talis, vt obligetur Superior ad remedium; non enim obligatur ad omne malum possibile præcauendum; sed quod prudenter; & probabiliter futurum timetur. Denique, licèt æstimetur vtilius fortasse pœnitenti, ad eius bonum fore negare, quàm concedere licentiam; non tamen tenetur Prælatus adeò strictè ad procurandum maius bonum subditi, sicut tenetur ad impediendum eius graue damnum; præsertim, quando id non potest absque nota scueritatis, quam vitare aliunde, est satis vtile. Quæ omnia contingere etiam possunt circa illud aliud punctum de danda licentia huic determinato Confessario: potest enim in eisdem circumstantiis contingere, quòd non sit obligatio concedendi, vel negandi, saltem grauis; sed possit alterutrum fieri: in quibus omnibus casibus prudens Prælatus inclinare magis debet ad concedendum, quam ad negandum, vt se suorum Superiorum intentioni magis conformet.

DISPVTATIO XXI.

De approbatione, probitate, & scientia in Confessario requisitis.

SECT. I. *Qui, & ad quorum confessionem, indigeant approbatione.*

SECT. II. *A quo Ordinario debeat esse approbatus Confessarius.*

SECT. III. *Virum approbatio possit negari, vel certe limitari, cùm datur; vel sem. l concessa reuocari.*

SECT. IV. *De probitate, & doctrina in Confessario requisita.*

PRæter potestatem Ordinis & iurisdictionis, de quibus iam dictum est; sunt alia quæ requiruntur in Confessario; imò approbatio ita requiritur, vt sine illa non detur potestas iurisdictionis completa, propter incapacitatem subiecti, de quibus in hac Disputatione breuiter dicendum erit: nam multa, quæ priùs disputari solebant, magna ex parte cessarunt per nouas Bullas, aut declarationes Summi Pontificis.

SECTIO I.

Qui, & ad quorum confessiones, indigeant approbatione.

1. PRæmittendum est decretum Concil. Trident. *sess. 23. c. 15. de reformat.* cuius hæc sunt verba: *Decernit sancta Synodus, nullum etiam Regularem, posse Confessiones secularium etiam Sacerdotum audire; nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium, aut ab Episcopo per examen, si illi videtur esse necessarium, aut alias idoneus iudicetur: & approbationem, quæ gratis detur, obtineat, priuilegio, & consuetudine quacunque etiam immemorabili, non obstantibus.* Vbi Concilium duos modos distinguit, quibus Sacerdos censeatur idoneus: primus est, si habeat beneficium parochiale: secundus, si ab Episcopo sit approbatus ad id munus audiendi confessiones: quorum alter necessarius est non solùm ex præcepto, sed ex necessitate Sacramenti: quia, licèt ad eius valorem solùm requiratur in Ministro potestas Ordinis, & iurisdictionis; Ecclesia tamen in prædictis verbis reddit incapacem iurisdictionis accipiendæ, (scilicet, ad peccata mortalia non priùs confessa) illum, qui neutrum habuerit ex his duobus, atque ideò defectu iurisdictionis absolutio non erit valida. Nec admittenda est exceptio eorum, qui publicum testimonium habent ab Academia, suæ doctrinæ, & scientiæ: nam Concilium omnes illos, qui nec Parochi sunt, nec ab Episcopo approbati, excludit à munere audiendi confessiones. Vnde, nec Episcopi consecrati, qui iurisdictionem nullam habent; nec etiam Cardinales, si nullam animarum curam haberent, apti essent, cùm Decretum vniuersaliter loquatur.

2. Ex prædictis verbis Decreti infertur primò, in eis nihil innouari circa confessiones pœnitentis regularis, siue is sit vir, siue fœmina, cùm solùm id requiratur à Concilio ad audiendas confessiones secularium: quare poterit Religiosus ex licentia sui. Prælati confiteri cuilibet Sacerdoti simplici, etiam sæculari; dummodo peculiari sui Ordinis statuto id non prohibeatur. Secùs dicendum est de confessione Sacerdotis sæcularis; is enim confiteri non potest nisi Sacerdoti habenti alterum ex illis duobus requisitis.

3. Infertur secundò, Prælatos & Episcopos sæculares eo Decreto comprehendi, ita vt licèt à iure habeant facultatem eligendi Confessarium idoneum, non possint eligere, nisi vel Parochum, vel approbatum ab Ordinario: quia omnes alij declarantur ab Ecclesia non idonei. Ita Suarez *in præsenti, disp. 28 sect. 4. num. 7.* qui dicit, ita declarasse Gregorium XIII. cuius verba refert *infrà; sect. 6.*

num.

num.7. Coninch *in præsenti, disp.8. dub.7. num.50.* & alij communiter ; non quia auferatur priuilegium, aut facultas, quam Prælati habebant eligendi Confessarium idoneum ; sed quia declaratur à Concilio, quis sit, & quis non sit de cætero Confessarius idoneus.

4. Infero tertiò, posse Episcopum aliquem approbare ad audiendas confessiones ; & tamen nullam illi conferre iurisdictionem ; sed solùm reddit illum capacem, cui possit iurisdictio conferri: quare, si ille aliunde haberet priuilegium generale sui Ordinis, vel speciale audiendi confessiones; posita approbatione Episcopi posset confessiones audire per iurisdictionem à Papa concessam ; item posset à Parocho accipere iurisdictionem ad audiendas confessiones suorum subditorum.

5. *Parochus an possit delegare facultatem non approbato.* Dubitatum est, an post Tridentinum possit adhuc Parochus iurisdictionem suam delegare Sacerdoti non approbato ab Episcopo, sicut poterat ante Concilium : hoc enim ius Parochorum non videtur esse à Concilio sublatum, in quo solùm dicitur, *non obstantibus priuilegiis, & quacumque consuetudine* : hoc autem ius non competebat Parochis ex priuilegio, aut mera consuetudine ; sed ex officio, & potestate sua. Quare hanc sententiam tenuerunt multi ex Patribus Dominicanis, quos refert, & sequitur Petrus Ledesma *in Summa, tom. 1. de Sacramento Pœnitentiæ, capite 12. concluſ. 5.* & Ludouicus de sancto Ioanne *in Summa de Pœnitentia, quæst.7. art. 2. difficult. 12.* & probabilem dicit Ioannes de la Cruz *in direct. conscientiæ, part.2. de Sacramento Pœnitentiæ, quæst.5. dub.6. conclus.2.*

6. Contraria sententia communis est, & omnino vera, quam cum aliis docet Suarez *dicta sect. 4. n.12.* Villalobos *in Summa, tom.1. tract.9. diffic. 49. num. 9.* Fagundez *de secundo præcepto Ecclesiæ, lib.7. cap.2. num.42.* & alij, quos refert, & sequitur Diana *tom. 2. tract. 4. de Sacramentis, resolut. 46.* quam partem declarauit Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini ; quam declarationem affert, & amplectitur Petrus Fay Dominicanus *in præsenti, quæst.8. art 5. disp.1.* Ratio autem videtur clara : quia in Tridentino vniuersaliter dicitur, nullum esse aptum, vel posse confessiones sæcularium audire de cætero, nisi vel Parochum, vel approbatum ab Episcopo : & hoc potissimùm fuit inductum ad tollendum Parochorum abusum, qui ineptis suas oues committebant. Ergo non debuit manere eadem facultas, sicut anteà, in Parochis : ad quid enim Concilij decretum deseruiret ; Certum quippe est, neque etiam anteà potuisse Sacerdotem simplicem audire confessiones sæcularium nisi ex commissione Parochi, vel Episcopi, vel Pontificis : si ergo nunc etiam possunt ex commissione Parochi eas audire, poterunt à fortiori ex commissione Episcopi, ac Papæ, qui est magis verus Pastor earum ouium ; & per consequens nihil innouatum erit per Tridentinum.

7. Nec obstat ratio in contrarium adducta : fatemur enim, Tridentinum primare voluisse Parochos illa libertate, quam habebant, committendi suas oues ineptis ; & ideò licèt eis reliquerit potestatem, sicut anteà ; fecit tamen aliquos incapaces, quibus delegaretur. Nec ad hoc facere oportuit specialem mentionem de Parochis : nam reddita inhabili persona ad recipiendam iurisdictionem, iam indirectè Parochus non potest ei delegare. Oportuit tamen de priuilegiis contrariis mentionem facere: quia, cùm hæc essent à Summo Pontifice ; videri poterat, quòd iurisdictio ab ipso collata non esset dependens ab Episcopi approbatione, qui Pontifice inferior est : & ideò etiam consuetudines, quoad illam partem, reuocantur : quia illæ etiam poterant videri esse in gradu superiori respectu Episcoporum.

8. Infertur quartò, illum, qui habuit parochiale beneficium, sed iam non habet; indigere approbatione Episcopi ad audiendas confessiones : quia Concilium solùm ab illa necessitate approbationis excepit illum, qui actu habet parochiale beneficium : qui autem habuit, non habet, vt constat. E contrà verò, qui tale beneficium habet, non indiget Episcopi approbatione, non solùm, vt audiat confessiones aliorum extra suam Parochiam in eadem Diœcesi, consentientibus, & demandantibus eorum Parochis ; sed neque etiam in alia diœcesi ; quia Concilium omnes habentes tale beneficium reliquit, sicut anteà ; nec imposuit eis nouum onus approbationis. Cùm ergo anteà posset eligi in alia etiam diœcesi, & vocari ab alio Parocho, vt eum iuuaret ; sic etiam poterit post Concilium, quod contra Ioann. Gutierrez *lib. 1. canon.quæst. cap.27.n.21.* probat latè Suarez *dicta sect.4.num.16.* Vasquez *in præsenti, q 93.art.3 dub.4. n.2.* Henriquez, & alij, quos refert, & sequitur Fagundez *vbi suprà, num.36.*

9. Dubitatur primò, an Prælatus regularis possit absque Episcopi approbatione audire confessiones sæcularium. Ratio dubitandi est : quia ille est Parochus suorum subditorum : ergo, sicut alij Parochi, sic nec ipse indigebit approbatione Episcopi. Vnde non desunt, qui id concedant. Henriquez *lib.7. de Indulgentijs, cap.12. num.3. in Glossa, littera K,* refert Martium, Gallum Medinam, & Bannes in ea fuisse sententia quam tenet etiam Ioannes Valerus *in differentijs vtriusque fori, verb. Nullitas, diff.5. num.3.*

10. Contraria tamen sententia communis est, & vera, quam docet Suarez *vbi suprà, n.21.* Rodriguez *in explicatione Bullæ, §.9. dub.1. n.4.* Diana *tom. 1. tract.2. miscell. resolut.46.* & alij communiter: quia talis prælatura non est propriè beneficium parochiale, nec id erat iuxta mentem Concilij : quod clare voluit in hoc subiicere Episcopis Confessarios regulares quoad examen, & approbationem, non obstantibus eorum priuilegiis. Et quidem quando eligitur Prælatus regularis, non multùm attenditur semper ad eius doctrinam, vt ideò approbatus censendus sit ad audiendas Confessiones sæcularium.

11. Dubitatur vlteriùs secundò, an Parochus dicendus sit simpliciter approbatus ab Ordinario, & ideò eligibilis sit ab eo, qui per Bullam Cruciatæ, vel per Iubileum potest eligere sibi Confessarium approbatum ab Ordinario. Ratio dubitandi est : quia Tridentinum in prædictis verbis distinguit Sacerdotem habentem beneficium parochiale ab illis, qui approbantur ab Ordinario. Cùm ergo sermo est de approbatis ab Ordinario, non intelligitur Parochus, nisi ipse etiam approbatus fuerit ab Ordinario, & iurisdictionem ab eo acceperit ad absoluendum in toto Episcopatu, provt multi accipere solent. Ideò hanc sententiam tenent Gutierrez *in quæst. canon. lib.1. cap. 27.num.21.* & Nunus *num. præsenti, q. 8. addit. art. 5. dub.9. in fine.*

Contrariam tamen sententiam credo in praxi esse receptam, vt per approbatum ab Ordinario intelligatur parochiale beneficium habens. multi tamen Auctores pro ea afferuntur à Diana *1. tom. tract. de Bulla Cruciatæ, resolut.8.* qui reuerà solùm dicunt, Parochum sine alia approbatione posse vbique eligi ab habente licentiam eligendi Confessarium.

fessarium. Potest tamen esse specialis difficultas in nostro casu propter verba Bullæ prætentis, quòd Confessarius sit approbatus ab Ordinario: & in Iubileis modernis additur, quòd sit *ab Ordinariis locorum* approbatus, vt tollatur omnis æquiuocatio. Cæterùm, adhuc loquendo de Bulla Cruciatæ, vel Iubileo, eam sententiam tradunt multi. Henriquez *lib. 6. c. 6. num. 7.* Bonacina *disp. 5. de pœnitentia, q. 7. punct. 4. §. 1. n. 23.* Fagundez *dicto lib. 7. c. 2. n. 35.* & alij, quos affert, & sequitur Diana *1. tom. tract. de Bulla Cruciatæ, resol. 1.*

13. Ratione probare possumus hanc sententiam, & communem praxim, simúlque respondere ad rationem dubitandi: quia Parochus ille eo ipso, quòd beneficium parochiale accipiat, approbatur ad audiendas confessiones, & approbatur quidem ab Ordinario: nam vel accipit beneficium à suo Episcopo, vel à Summo Pontifice, vel ab eius Legatis, vel à Nuncio, vel à Capitulo, Sede vacante: & hi omnes nomine *Ordinarij* comprehenduntur. Nec enim dubium est, quòd si Papa, vel eius Legatus approbaret aliquem ad audiendas confessiones in tali Episcopatu, ille posset eligi ab habente priuilegium, & facultatem eligendi ex approbatis ab Ordinario: nam ij omnes sunt Ordinarij illius loci, vt probat cum aliis Thomas Sanchez *lib. 3. de matrimonio, disp. 28.* non potest ergo reperiri Parochus, qui non sit approbatus ab Ordinario.

14. Dices, esse approbatum ad audiendas solùm confessiones suorum subditorum, quorum Parochus est constitutus. Sed contrà: quia eo ipso, quòd fiat Parochus, potest audire confessiones in aliis Parochijs ex voluntate aliorum Parochorum: ergo eo ipso, quòd fiat Parochus, approbatur ab Ordinario ad audiendas confessiones in toto episcopatu. Credo tamen, quòd virtute talis Iubilei non possit eligi in alia diœcesi: quia in Iubileo non videtur dari facultas eligendi, nisi Confessarium approbatum ab Ordinario loci, id est, illius loci, in quo fit confessio, vt *infrà* videbimus *sect. 2.*

15. *Quid de approbato cum limitatione.* Dubitatur tertiò, vtrùm ille, qui approbatus fuit ab Ordinario ad audiendas confessiones virorum, vel puerorum, vel rusticorum; possit virtute Iubilei, aut Bullæ eligi ab omnibus. Affirmant Henriquez *dicto lib. 6. cap. 6. n. 8.* Fagundez *dicto lib. 7. cap. 2. num. 45.* Petrus Fay *in præsenti, q. 8. addit. art. 5. disp. 3. concluf. 5. ad 4.* Nuñus *eadem q. 8. art. 5. dub. 5.* Bonacina, *vbi suprà, n. 22.* & alij, quos affert Thomas Sanchez *lib. 8. de matrimonio, disp. 34. n. 16.* qui eam sententiam probabilem esse dicit: loquuntur autem, quando limitatio non fuit ex defectu doctrinæ, sed propter ætatem, v. g. quòd iuuenis sit.

16. Alij è contrà dicunt, illum non posse per Bullam, aut Iubileum eligi, etiam ab iis, pro quibus approbatus est: quia per illa priuilegia solùm potest eligi, qui simpliciter est approbatus ab Ordinario: ille autem non est simpliciter approbatus, sed secundùm quid, scilicet, pro talibus personis. Ita aliqui, quos refert Ledesma *in Summa de Pœnitentia, cap. 13. dub. 8.*

Prima sententia probabilis est, saltem propter auctoritatem: verior tamen multò videtur tertia sententia negans, talem posse eligi ab iis, pro quibus non fuit approbatus. Hanc tenent Suarez *dicta disput. 28. sect. 7. numero 3.* Rodriguez *in Summa, 1. tom. in 2. editione, cap. 60. numero 4. concluf. 4.* Ioan. de la Cruz *in director. part. 2. tract. de pœnitentia, quæst. 5. dub. 8. concluf. 3.* Villalobos *in Summa, tom. 1. tract. 27. claus. 9. §. 1. numero 3.* Homobonus *de casibus reseruatis, part. 1. cap. 5.* & alij.

Probatur primò: quia, quando in dictis priuilegiis exigitur ex parte Confessarij eligendi, quòd sit approbatus ab Ordinario, procul dubio intelligitur, quòd sit approbatus iuxta formulam Tridentini, ad quam alludunt illa verba: *Approbatus autem iuxta Tridentinum non est ad audiendam confessionem, qui fuit approbatus pro alia confessione, & reprobatus pro ista: nam approbatio est respectiua ad id, ad quod approbatur.* Requiritur ergo, quòd sit approbatus non approbatione disparata; sed approbatus pro hac confessione: atque ideò, qui pro hac Confessione reprobatus fuit, non est approbatus iuxta Tridentinum approbatione requisita ad audiendam hanc confessionem: duo enim requiruntur, scilicet, iurisdictio, & approbatio, sine qua non est capax iurisdictionis: quod quidem intelligitur de approbatione respectiuè, ita vt sine approbatione pro tali persona non sit capax iurisdictionis ad audiendam eius confessionem. Ergo, cùm Pontifex nolit dare per illa priuilegia iurisdictionem, nisi subiecto capaci, & idoneo per approbationem; intelligi debet de approbatione, quæ reddat subiectum capax iurisdictionis ad talem confessionem, hoc est, de approbatione ad talem confessionem. 17.

Probatur secundò, quia ipsi aduersarij fatentur, quòd si ob defectum doctrinæ fuisset limitata approbatio ad tale genus pœnitentium, quorum confessiones faciliores sunt, non posset eligi per hæc priuilegia Sacerdos ad alias confessiones, pro quibus non esset approbatus. Idem autem dicendum videtur, licèt limitatio ex alio capite processerit: nam Episcopi approbatio non solùm terminatur ad doctrinam, sed etiam ad mores, & ad alia, quæ impedire possunt decentem ministrationem Sacramenti: vnde fatentur communiter Doctores, posse approbationem semel datam reuocari, ob mutationem in moribus. Sicut ergo approbatus cum limitatione, ob defectum doctrinæ, non est eligibilis per priuilegia ad confessiones, pro quibus est reprobatus; sic nec poterit, qui approbatus est limitatè ob alium defectum; quia non minùs est ille reprobatus ad tale genus confessionum. 18.

Probatur tertiò, quia, si ille posset eligi per Bullam, vel Iubileum absque limitatione, posset etiam eligi à Parocho ad confessiones illas suorum subditorum, pro quibus non esset approbatus; atque adeò illa limitatio inutilis omnino fuisset. Probatur sequela: quia Concilium nihil aliud exigit, vt Parochus possit alicui committere confessionem sui subditi, nisi, quòd ille Sacerdos sit approbatus ab Ordinario: hoc autem ipsum eisdem verbis petit Pontifex in Bulla, vel Iubileo, vt ille Sacerdos possit eligi. Si ergo potest eligi per Bullam ille, qui non est approbatus ad hanc confessionem, sed ad alias, quia iam ille est approbatus ab Ordinario; poterit etiam eligi à Parocho ad dandam illi iurisdictionem, cùm ex Concilio nihil aliud ad hoc requiritur, nisi quòd sit Sacerdos approbatus ab Ordinario. 19.

Obiicitur primò: quia si requireretur approbatio vniuersalis, ad nihil deseruiret facultas Bullæ, vel Iubilei, cùm iam haberet iurisdictionem ab Episcopo in ordine ad omnes subditos. Respondeo clarè, idem argumentum posse fortius fieri, vt Parochus illi posset committere iurisdictionem: nam, si prærequireretur approbatio vniuersalis, ad quid deseruiret iurisdictio data à Parocho, cùm iam haberet illam ab Episcopo? Respon- 20.

detur

detur ergo ad multum deseruire. Primò, quia approbatio secundùm se non affert iurisdictionem: & potuit Episcopus approbare, non dando iurisdictionem; sed permittendo, vt à Parochis, vel aliis posset eam accipere, prout plerumque faciunt approbando, vt possit audire confessiones de consensu Parochi. Secundò, quia licèt Episcopus det iurisdictionem; non tamen ad casus sibi reseruatos, ad quos datur regulariter per Bullam, aut Iubileum. Tertiò, quia multò minus Episcopus dat facultatem ad casus reseruatos Pontifici, ad quorum plures, vel ferè omnes datur per Bullam, aut Iubileum.

21. Secundò arguunt quia ex nostra sententia sequeretur non posse tempore Iubilei eligi Parochum alterius parochiæ: quia hic non est approbatus ab Episcopo, nisi pro tali parochia determinata. Ita arguit Bonacina *loco citato*. Sed retorqueri potest clarè contra ipsum: nam ipse non negabit posse Parochum committere alteri Parocho confessionem suorum subditorum; & tamen non concedet, extra Iubileum, posse Parochum confessiones fœminarum committere ei Sacerdoti sæculari, qui solùm est approbatus ad confessiones virorum. Non ergo arguitur benè à Parocho ad alios: quia, vt *suprà* vidimus, Parochus eo ipso approbatur vniuersaliter ad omnes confessiones excipiendas, si ei detur iurisdictio ab iis, ad quos pertinet: nam beneficium parochiale ponitur à Tridentino pro approbatione vniuersali: ij autem, qui non sunt Parochi, pendent ab Episcopo, qui potest eos vniuersaliter, vel partialiter approbare, prout ipse iudicauerit.

22. Tertiò arguit idem Auctor: quia approbatio distinguitur a iurisdictione, neque in Confessario eligendo per talia priuilegia prærequiritur iurisdictio ab Episcopo data; hanc enim confert Pontifex: sed solùm, quòd sit approbatus. Hoc etiam argumentum retorquetur: quia, nec in illo, cui Parochus committit confessiones suorum subditorum, prærequiritur iurisdictio; hanc enim confert ipse Parochus: sed solùm, quòd sit approbatus ab Episcopo: & tamen non concedet, quòd possit Parochus committere confessiones fœminarum ei, quem Episcopus reprobauit ad tales confessiones. Certum itaque est, approbationem distingui à iurisdictione: sed tamen Papa non vult dare iurisdictionem, nisi illi, qui ab Episcopo iudicatus est aptus, & approbatus ad talem confessionem.

23. *Item, si approbatus sit ad certum locum.* Hinc constat, quid dicendum sit ad simile dubium, an, qui approbatus est ab Episcopo pro vno solùm oppido, possit per Bullam, aut Iubileum eligi in toto episcopatu. Prima sententia affirmat, quam probabilem dicit Fagundez *dicto cap. 2. n. 12.* & eam tenet Fernandez *in exam. Theolog. mor. part. 3. cap. 9. §. 8. num. 6.* Henriquez *lib. 6. cap. 6. n. 7.* quam aliqui limitant, dummodo non sit limitata approbatio defectu scientiæ necessariæ: quam limitatione adhibet Rodericquez *in explicatione Bullæ Cruciatæ, dub. 5.* Acosta *ibidem, q. 39.* Petrus Fay *dicta quæst. 8. disp. 3. concl. 4. ad 4.* Ledesma *dict. c. 13. dub. 9.*

Contrariam sententiam tenent Nuñus *in addit. ad 3. quæst. 8. dub. 9. ad 9. argum.* Filliucius *tom. 1. tract. 7. cap. 9. num. 62.* Alphonsus de Leone *de Iubileo, part. 2. quæst. 9. nn. 20.* & alij. Quæ nobis omnino amplectenda est propter eadem argumenta *supra* posita, quæ pariter in hoc casu militant, cùm verè ille Sacerdos non sit approbatus ab Ordinario ad hanc confessionem, sed ad illas alias: ad quam limitationem potuit Episcopus optimam rationem habere, eò quòd in tali oppido propter incolarum conditionem confessiones faciliores essent; vel quia alibi, & in confessione aliarum personarum haberet fortasse periculum, quod non subest in tali loco, vel tali familia personarum honestarum, &c. Requiritur ergo approbatio, vel vniuersalis, vel certè respectiua ad talem confessionem, vt ad illam possit eligere per Bullam, aut Iubileum.

Dubitatur quartò, vtrùm, si aliquis approbetur ab Episcopo, sed tamen interiùs Episcopus non iudicet eum idoneum ad illud munus, possit validè audire confessiones, & absoluere. Ratio dubitandi est: quia Tridentinum vtrumque videtur requirere ad valorem, & vt quis validè absoluat, dum dicit, neminem posse, nisi vel Parochus sit, *aut aliàs idoneus iudicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat.* Vbi duo videntur requiri, nempe, iudicari idoneum, & approbari: ergo, sicut non sufficeret iudicari ab Episcopo idoneum, nisi eum approbet; neque etiam sufficiet approbare, nisi eum iudicet idoneum. Propter hoc Bonacina *dicta quæst. 7. punct. 4. §. 1. n. 29.* dicit, illum non posse validè absoluere: quam sententiam non improbat Suarez *disp. 28. sect. 5. num. 7.* 24. *An in approbante simplici requiratur iudicium de sufficientia.*

Contrarium tamen affirmat idem Suarez, *ibi* & videtur omnino verum; & iuxta mentem Concilij, in quo planè non agitur de iudicio interno; sed de externo, quod per approbationem profertur: nam Iudex, licèt fortasse aliquando contra conscientiam, verè tamen exercet iudicium, cùm iudicet in fauorem alterius ex litigantibus, & in omni rigore iudicat causam applicandam esse huicalioquin numquam posset iniustè iudicare, vel contra conscientiam, quod est contra omnes Theologos, & Iuristas. *Iudicium* ergo solùm significat prolationem sententiæ, quæ certè sententia est, & actus iuridicus, licèt fiat contra conscientiam: quare Episcopus approbans Confessarium eo ipso profert sententiam, & iudicat illum habendum esse pro idoneo. Vnde à fortiori fit, illum omnino validè absoluere, qui reuerà idoneus est, & approbatus ab Episcopo, licèt Episcopus putaret eum non esse idoneum. 25.

Addo, licèt requireretur iudicium internum Episcopi vltra approbationem externam, non esset idem dicendum de examinatore: nam, licèt hic interiùs non iudicaret idoneum, quem contra conscientiam approbat; adhuc accedente Episcopi approbatione, ille haberet totum, quod à Concilio requiritur: nam Concilium non petit, quòd iudicetur idoneus ab aliis, sed ab Episcopo: tunc autem Episcopus ita iudicaret, etiam interiùs, licèt deceptus ab examinatore; ergo haberet totum, quod Concilium requirit, vt validè absoluat. 26. *An qui approbatus a Vicario foran.*

Dubitari potest quintò circa eadem verba Concilij, an sit validè approbatus, qui non gratis, sed accepto pretio approbatur. Tridentinum enim id etiam videtur exigere. Respondetur tamen cum Suarez *ibi*, id exigi ex præcepto; non tamen essentialiter ad valorem, quod indicat ille loquendi modus, *quæ gratis detur*, quæ verba significant præceptum; neque ad finem Concilij id necessarium erat: itaque ex vi Concilij illud pretium non redderat inualidam approbationem. Dico, *ex vi Concilij* dicit inualidam approbationem. Dico, *ex vi Concilij* quia aliunde posset fortasse reddi inualida: si v. g. pretio accepto approbaretur aliquis ad beneficium accipiendum: tam enim ipsamet collatio beneficij videretur esse simoniaca, & per consequens inualida, atque adeò non conferretur iurisdictio: similiter, si approbatio obtineretur à Vicario

Vicario Pontificis Summi in Curia, vbi omnia, quæ à Sede apostolica obtinentur pro pretio, redduntur inualida ex Bulla Gregorij XIII. de datis, & acceptis. Cæterùm, dum illud vitium esset occultum, adhuc validæ essent absolutiones propter communem errorem, & titulum coloratum beneficij, vel approbationis acceptæ, quo casu Ecclesia confert iurisdictionem propter communem errorem, vt suppono, quod in Parocho simoniaco omnes communiter admittunt. Et idem dicendum esset propter eamdem rationem in illo, qui approbationem à Vicario Pontificis simoniacè obtineret: siquidem non minùs iste haberet titulum coloratum. Denique multò minùs requiritur, quòd approbatio fiat in scriptis, cùm id à Concilio nullo modo exigatur; sicut neque id requiritur ad facultatem, quæ concedi solet in ordine ad casus reseruatos. Non loquimur tamen de illis, quæ concessæ fuerant à Sede apostolica ante Decretum Sanctissimi Domini Nostri Vrbani VIII. quo eiusmodi gratias per viuæ vocis oracula concessas reuocauit,

SECTIO II.

A quo Ordinario debeat esse approbatus Confessarius.

27. QVæstio hæc difficilie est, & perplexa propter varia responsa Congregationis, quæ circumferuntur. Supponamus priùs, quæ faciliora sunt. Certum ergo est, Episcopum solùm electum, & nondum confirmatum, non posse approbare, quia nondum iurisdictionem habet. Idem dicendum est de Episcopo consecrato, sed iurisdictionem non habente: quia renunciauit Episcopatum. E contra verò Episcopus confirmatus à Pontifice, licèt nondum sit consecratus, potest approbare; sicut potest etiam cætera, quæ non ad ordinem, sed ad meram iurisdictionem pertinent. Idem dicendum est de Capitulo, Sede vacante, ob eamdem rationem; ac denique de Abbatibus, vel Prioribus exemptis diœcesim habentibus, & episcopalem iurisdictionem in illa: alioquin non esset vllus, qui pro ea diœcesi posset approbare, nisi Papa.

28. Difficultas tota est in assignando Episcopo, vel Ordinario, ad quem singulorum approbatio spectat, & decernendo, cuius Episcopi approbatio requiratur: in quo variæ sunt Doctorum sententiæ. Prima dicit, cuiuscumque Episcopi approbationem sufficere, vt Sacerdos possit vbique confessiones audire, si ei iurisdictio conferatur à potente eam conferre, siue eligatur per Bullam, aut Iubileum à potente eligere Confessarium ex approbatis. Ratio est: tum, quia Concilium solùm petit, quòd sit approbatus ab Episcopis: nec dicit ab hoc, aut illo determinatè; quare, cùm lex ipsa sit odiosa, non debet magis restringi, quàm verba sonant: tum etiam, quia non potest cum fundamento assignari, cuius Episcopi approbatio determinatè exigatur propter difficultates, quæ contra singulas sententias id determinantes insurgunt, vt videbimus. Hanc tenent Henriquez *libro 7. de Indulgentia capite 12. §. 4. & libro 6. de pœnitent. capite 6. numero 7. & in glossa, Litt. A*, & multis adductis Diana *1. tom. tract. de Bulla Cruciatæ, resolutione 6. & tom. 2. tractat. 4. de Sacrament. resolut. 110.*

29. Hanc sententiam impugnat latè Suarez *in præsenti, disput. 28. sect. 6.* & acriter Vasquez *quæst. 93. art. 3. dub. 4.* quia reducit approbationem requisitam à Concilio ad meram cæremoniam, si sufficiat pro toto mundo approbatio vnius Episcopi, quicumque ille sit; & quilibet Episcopus posset omnes Sacerdotes totius mundi approbare. Cæterùm, quidquid sit de huius sententiæ probabilitate tempore præterito: nunc iam non videtur posse vllum habere locum post Decretum Sanctissimi Domini Nostri Vrbani VIII. editum anno 1628. quo reuocauit omnia priuilegia, & licentias audiendi confessiones sine approbatione ab Episcopis diœcesanis, & absque examine facto ab Ordinario: & si quæ erant priuilegia contraria cuiuslibet Ordinis, vel Congregationis, omnino abstulit: quia aliqui fortasse prætendebant per communicationem se habere tale priuilegium, vt semel approbati in vrbe à Vicario Papæ, censerentur approbati in toto orbe absque nouo examine. Quod quidem priuilegium ego numquam apud aliquem Ordinem inueni: apud Congregationem verò Oratorij de vrbe, de qua rumor sparsus fuerat, inueni Bullam Sixti V. quam refert ad litteram Antonius Naldus, Clericus Regularis *in Summa, verbo Confessio, num 39.* in qua inter alia priuilegia, pro quorum perpetua confirmatione instabat Sanctus Philippus Nerius, erat hoc, vt approbati in vrbe, non indigerent alia approbatione extra vrbem: quod quidem concessit Sixtus V. sed talibus verbis, quibus gratia redditur ferè inutilis, nempe, vt semel, præuio examine, in vrbe approbati possint absque alio examine audire vbique confessiones *de consensu Ordinariorum*. Nostra etiam Societas facultatem habuit, vt semel approbati possent audire confessiones in itinere, & transitu in iis locis, in quibus non adesset Episcopus, nec eius Vicarius: quæ non erat facultas illa, ad quam Pontifex alludere videtur in illo Decreto audiendi confessiones liberè vbique, absque noua approbatione. Ex illo autem Decreto arguitur iam efficaciter, & à fortiori, si etiam ex priuilegio non licèt id facere, quantò minus de rigore iuris sufficiet vnica approbatio pro toto orbe iis, qui nullo priuilegio potiuntur?

30. Secunda sententia docet, requiri approbationem Episcopi loci, in quo fit confessio: quam tenet Gutierrez *lib. 1. can. 1. cap. 27. n. 6. & seqq.* quia ad Episcopum loci pertinet prouidere Confessarios idoneos commorantibus in eo loco. Hanc sententiam impugnat Suarez *d. sect. 6. n. 4.* quia, si ciuis Romanus, v. g. existens Tusculi, inueniat ibi Confessarium Romæ approbatum, & habentem licentiam, & iurisdictionem à Vicario vrbis, poterit ibi ei confiteri, sicut posset etiam ibi confiteri suo Parocho Romano, si ibi eum inueniret, & sicut quilibet potest confiteri suo Episcopo, etiam extra suam diœcesim: non ergo requiritur approbatio semper Episcopi loci, in quo fit confessio.

31. Ideò alij tertiò dicunt, requiri approbationem Episcopi non loci materialis, sed pœnitentis, cuius confessio auditur. Magis enim pertinet ad Episcopum cura de subditis, quàm de loco; atque ideò oportuit dare illi auctoritatem approbandi, & reprobandi Confessarios pro suis ouibus. Pro hac sententia affert Suarez *n. 5.* Auctores, & argumenta multa; & ostendit se in illam valdè propensum, nisi ab ea ipsum deterrerent aliqua responsa Congregationis, quæ illi videntur aduersari, & quæ ibi affert *n. 6. & 7.* quorum primum tale est: *Sanctiss. D. Noster declarauit, tempore Iubilei posse omnes Regulares confiteri peccata sua Sacerdotibus approbatis ab Ordinario ad audiendas Confessiones: in Bulla enim non fit mentio, nisi de Ordinario eorum, qui audituri sunt confessiones, non autem de* Congreg. Concil.

Ordinario pœnitentium. Vbi Pontifex videtur declarare, quòd verba illa, *approbatus ab Ordinario*, vbicunque inueniantur, intelligi debent de Ordinario, non pœnitentis, sed Confessarij: nam eadem verba sunt in Concilio; & in Bulla Iubilei: ergo, si in Bulla Iubilei debent ita intelligi, eumdem sensum habebunt in aliis locis Secundum responsum Congregationis est in hæc verba: *Sanctiss. D.N. audita relatione Congreg. declarauit, Episcopum vigore priuilegij, de quo in cap. fin. de pœnit. & remiss. non posse eligere Sacerdotem sibi non subditum, qui à proprio Ordinario non fuerit adhuc ad formam huius Decreti admissus, seu approbatus ad audiendas confessiones.* Ex quibus verbis à fortiori argui videtur, semper requiri approbationem Ordinarij ipsius Confessarij: nam, si Episcopus ipse non potest confiteri ei, qui à proprio Ordinario non est approbatus, minùs poterunt id facere alij inferiores. Si autem sufficeret approbatio Ordinarij pœnitentis, posset Episcopus illum Sacerdotem priùs approbare pro tota sua diœcesi, & tunc confiteri illi, cùm ipse sit vnus de diœcesi, pro qua est iam approbatus.

Ead. Congreg.

32. Propter hæc ipse Suarez quartò opinatur, à Concilio exigi approbationem Episcopi, qui sit Ordinarius Confessarij: quod hæc Romana responsa conuincere videntur. Addit tamen, nomine Ordinarij non intelligi Prouincialem, aut Prælatum ipsius Religiosi, sed Episcopos, quibus Concilium subdit quoad hoc ipsos etiam Regulares: ille autem dicitur Regularium Episcopus, in cuius Diœcesi Regulares habent suum domicilium. Hinc infert Sacerdotem approbatum à suo Ordinario habere totum, quod Concilium requirit, vt vbique possit ei demandari iurisdictio in foro Sacramentali; quod latè explicat *sect.* 7. quod tamen intelligit, quandiu manet subditus illius Ordinarij: nam, si mutato domicilio, iam non esset sub illo Ordinario, sed sub alio, à quo non esset approbatus: iam non diceretur approbatus ab ordinario, vt docet *n.* 8. Vnde Religiosus etiam approbatus ab ordinario, sub quo habebat domicilium, si domicilium mutet, iam non potest audire confessiones sine approbatione illius ordinarij, sub quo domicilium sortitus est: si verò domicilium non mutet licèt contingat, quòd in aliena diœcesi reperiatur, poterit ibi absque alia approbatione, eligi per Bullam, vel Iubileum: quia verè approbatus à suo ordinario: non tamen poterit ex vi præcisa priuilegij, quo Regulares possunt audire confessiones sæcularium, hoc enim priuilegium concesserunt Pontifices cum limitatione, nempe, si approbati sint in illa diœcesi, in qua audiunt confessiones, quod dixit *sect.* 7. *n.* 14 propter priuilegium, quod Gregor XIII. concessit nostræ Societati, vt *suprà* diximus audiendi Confessiones, dum iter agunt, absque noua approbatione in illo episcopatu: ergo, secluso hoc priuilegio, id fieri non posset.

33. Hæc est sententia Suarij, quem malè citat Bonac. *disp.* 5. *de Sacrament. q.* 7. *punct.* 4. *§.* 1. *n.* 21. pro prima sententia: cùm Suarez eam non teneat, sed aliam diuersam. Dicit enim non sufficere approbationem à quocunque Episcopo; sed à proprio Episcopo Confessarij, eámque tandiu solùm durare, quandiu Sacerdos manet subditus illius Episcopi: quæ omnia Auctores primæ sententiæ non requirunt; sed dicunt sufficere approbationem Episcopi, siue qui sit Episcopus Confessarij, siue pœnitentis. Quare hæc sententia, licèt ex vno capite videatur esse benigna, & ampla, ex altero tamen est stricta: nam ex ea videtur sequi, quòd si Sacerdos sæcularis, vel etiam regularis, qui domicilium suum Romæ habet, negotij causa commoretur Neapoli per mensem, non possit ab Archiepiscopo Neapolitano approbari, & licentiam accipere, vt ibi audiat confessiones suorum subditorum, saltè si priùs non fuerat Romæ approbatus à suo ordinario: quia Concilium exigit approbationem ab ordinario confessarij, qui (vt vult Suarez non intelligitur esse ordinarius loci, in quo auditur confessio. Consequens autem est incredibile, & contra praxim. Nam Episcopi, vt dent licentiam audiendi confessiones, etiam Sacerdotibus exteris, & hospitibus, non attendunt, nec quærunt, an sint priùs approbati, vel an venerint cum animo permanendi, vel reuertendi; sed solùm, an sint, vel non sint sufficientes.

Secundò affertur contra eandè sententiam aliud responsum Congregationis, consulente Archiepiscopo Valentino in hæc verba: *Congregatio Concilij respondet, approbatum ab alio quàm à Valent. Episc. in Diœcesi Valent. non censeri approbatum ab Ordinario.* Quæ verba Emman. Rodrig. *in expositione Bullæ Cruciatæ. §.* 5. testatur, se legisse in epistola missa ad prædictum Archiepiscopum, & Patriarcham. Propter quam responsionem Bonac. *vbi suprà*, tenet requiri approbationem ordinarij loci, in quo fit confessio: sed non respondet ad difficultates *suprà* positas contra illam sententiam. 34. Congreg. Concil.

Ego existimo omnia hæc vera esse, & requiri approbationem Ordinarij ipsius Confessarij, eamque approbationem solùm durare, quandiu manet sub illo Ordinario; atque adeò, si domicilium mutet, requiri nouam approbationem non Ordinarij; imò etiamsi, vt hospes, ibi peregrinetur, non posse eligi per Bullam, aut Iubileum sine approbatione Ordinarij illius loci, nec quoad hoc differentiam esse inter regulares absoluentes virtute Iubilei, aut virtute suorum priuilegiorum, vt contendebat Suarez; neque his aduersari aliquod responsum Congregationis, si eius verba benè, & in sensu formali, vt ita dicam, vel iuridico intelligatur. Debet itaque intelligi Ordinarius, iuxta subiectam materiam, non ille, cui ratione domicilij; aut originis Sacerdos subest; sed, cui subest in ordine ad hoc ministerium audiendi Confessiones talium personarum: plerumque enim peregrini, & hospites subduntur Iudici ordinario territorij, in quo versantur, & eius legibus, vt latè probat cum communi ipse Suarez *tom.* 1. *de relig. lib.* 2. *c.* 14. *n.* 9. Et licèt alij dicant peregrinos non ligari legibus loci, in quo versantur, quod sequitur Thom. Sanch. *lib.* 1. *in Decal. c.* 12. *n.* 38 ipse tamen *n.* 36. & *n.* 38. *in resp. ad septimum arg.* fatetur, eos ligari legibus illis, quarum transgressio cederet in peculiare damnum illius loci, in quo versantur, & quoad hoc esse subditos Iudicis, vel Prælati illius loci. Quare, cùm multum interest, quòd oues huius Episcopi habeant Confessarios idoneos, pertinet ad ipsum iudicare, & prohibere in hac materia pro bono sui gregis; & in hac materia peregrini etiam Sacerdotes possunt illi subijci, atque ideò subduntur illi, tanquam ordinario, ad quem pertinet iudicium de sufficientia Confessarij pro suo grege destinandi. Vnde licèt Sacerdos peregrinus approbatus sit ab Ordinario sui domicilij, non tamen est approbatus à suo Ordinario, si non approbatur ab Ordinario huius loci: quia Ordinarius suus in ordine ad confessiones huius diœcesis audiendas est solus ille, cui in ordine ad hoc munus subditur: & à quo, si in hac materia deliquerit, poterit puniri, tanquam à suo Iudice, & Ordinario in hac seueritate causarum. Meritò ergo responsum fuit à Congregatione, non posse audire confessiones in episcopatu Valentino eum, qui ab Episcopo Valentino approbatus 35.

approbatus non est quia ille non est approbatus ab Ordinario, id est, ab illo, qui in ordine ad tale ministerium est eius Iudex ordinarius. Nunc iam videamus, quomodo iuxta hæc principia benè cohæreant, & concilientur omnia, quæ videbantur difficultatem ingerere.

36. *Episcopus, cum est in suo Episcopatu, potest confiteri Sacerdoti alterius episcopatus & quomodo.*

Hinc ergo infero primò, Episcopum Ostiensem, v. g. posse confiteri Sacerdoti Romano, dum est in suo episcopatu: quia potest eum ibi approbare pro toto suo Episcopatu: quare, sicut est aptus ad accipiendam iurisdictionem supra omnes alios ibi commorantes; sic poterit eligi ab ipso Episcopo in suum Confessarium. Nec huic doctrinæ aduersatur illa responsio *suprà* adducta: nam *ibi* solùm dicitur non posse Episcopum eligere Sacerdotem sibi non subditum in Confessarium suum, qui à proprio Ordinario non fuerit approbatus: quod quidem verissimum est. Sed in casu proposito non eligeret non subditum; sed subditum: quia dum est in suo episcopatu, est suus subditus in ordine ad audiendas confessiones; atque ideò non eligit cùm ipse sit eius Ordinarius tunc in ordine ad audiendas confessiones in illa diœcesi.

37. Respondeo ergo illa habet locum; vel quando Episcopus non habet territorium; vel quando est extra illud in territorio alieno; tunc enim, licèt possit approbare suos subditos, imò etiam non subditos in ordine ad suam diœcesim, & vt in ea possint audire confessiones; cum hoc tamen discrimine, quòd approbando suum subditum, ille iam est approbatus ab Ordinario suo: atque ita si ibi inueniat aliquos subditos sui Episcopi, poterit etiam ibi eorum confessiones audire, absque alia approbatione ordinarij illius loci, in quo est: quia, sicut Episcopus ipse extra suum episcopatum potes suos subditos absoluere absque approbatione alterius: sic subditus Episcopi potest ex eius commissione, & approbatione, eosdem absoluere: quia in ordine ad eorum confessiones Episcopus Ostiensis est ordinarius, atque ideò Sacerdos Ostiensis iam audit eas confessiones approbatus à suo Ordinario, scilicet, ab eo, qui est suus Ordinarius in ordine ad illas confessiones. Quando verò Episcopus Ostiensis approbaret Romæ Sacerdotem Romanum pro suo territorio Ostiensi: ille Sacerdos posset quidem in Ostiensi episcopatu audire confessiones, non tamen posset Romæ audire confessiones ciuis Ostiensis, qui ibi esset: quia dum Sacerdos ille Romæ commoratur, non est subditus vllo modo Episcopi Ostiensis, nec potest ab illo puniri, vel iudicari; sed solùm, dum est in Ostiensi episcopatu: non est ergo tunc approbatus à suo Ordinario ad illas Confessiones, nisi sit approbatus ab Ordinario Romano: sed quando veniet ad episcopatum Ostiensem, tunc incipiet esse approbatus à suo Ordinario, ex vi approbationis præteritæ Romæ factæ ab Episcopo Ostiensi, & adhuc virtualiter manentis: quia tunc incipit esse subditus illius, & subiacere eius foro, & correctioni, atque adeò habere illum pro suo Ordinario in ordine ad illud ministerium.

38. *Episcopus extra suum Episcopatum non potest confiteri Sacerdoti sibi non subdito, nisi sit approbatus à suo Ordinario.*

Vndè infero secundò, neque ipsum Episcopum Ostiensem, dum est Neapoli, posse confiteri Sacerdoti non subdito, nisi sit approbatus à suo Ordinario: quia sicut non dat illi approbationem pro tempore præsenti pro suis ouibus, sed pro tempore, quo fuerit in episcopatu: sic nec potest dare pro se ad hoc tempus, cùm nunc ille Sacerdos non sit approbatus ab vllo suo Ordinario: scilicet, neque à Neapolitano, vt supponitur: nec Ostiensi, quia ille nunc non est vllo modo suus Ordinarius posset tamen Episcopus Ostiensis Neapoli confiteri Sacerdoti Tusculano ibi ad breue tempus commoranti, licèt non esset approbatus ab Ordinario Neapolitano: sed solùm ab Episcopo Tusculano: quia ille verè esset approbatus à suo Ordinario, cùm non desinat esse subditus Episcopi Tusculani ex eo, quòd ad breue tempus Neapoli commoretur: Episcopus autem Ostiensis vigore facultatis, quæ Episcopis conceditur *in d. c. fin. de pœnit. & remiss.* potest sibi eligere Confessarium idoneum, qualis est, qui est approbatus à suo Ordinario: cùm aliundè non sit alius Ordinarius, ad quem pertineat prouidere Episcopo Ostiensi de Sacerdote idoneo, cùm Episcopus Ostiensis non sit quoad hoc subditus Episcopi Neapolitani.

39. *Licèt, dum erat in suo episcopatu, approbasset Sacerdotem alterius episcopatus.*

Infero tertiò, idem dicendum esse, licèt Episcopus Ostiensis approbasset Sacerdotem Romanum, dum erat in suo episcopatu: nam Sacerdos egressus, & reuersus Romam non posset Romæ absoluere ciuem Ostiensem ibi commorantem, sine approbatione Ordinarij Romani; neque etiam ipsum Episcopum Ostiensem Romæ postea commorantem: quia eo ipso, quòd Sacerdos Romanus sit extra territorium Ostiense, iam non est subditus vllo modo Episcopi Ostiensis: ergo iam non est approbatus à suo Ordinario, quatenus approbatus fuit ab illo: quia iam ille non est ipsius Ordinarius. Idem dicendum est de Sacerdote Ostiensi approbato ab Ordinario Ostiensi, qui, si mutet domicilium, & transferat se Tusculum, iam non est approbatus à suo Ordinario, nisi approbetur ab Episcopo Tusculano: atque adeò neque ciuem Ostiensem Tusculi commorantem posset audire: quia, neque in ordine ad illum habet approbationem à suo Ordinario, cùm Ordinarius Ostiensis per mutationem domicilij iam non sit ampliùs eius Ordinarius.

40. *Confessarius vnius Episcopatus non potest audire pœnitentes alterius cuiuscunque absque approbatione Ordinarij.*

Infero quartò, Sacerdotem Ostiensem approbatum ab Episcopo Ostiensi, si Tusculi commoretur, non solùm non posse ibi audire ciues Tusculanos sine approbatione Episcopi Tusculani, sed neque Albanenses sine eâdem approbatione Episcopi Tusculani: & hoc etiamsi virtute Iubilei, vel per Bullam possent eligere sibi Sacerdotem approbatum ab Ordinario. Ratio est: quia, licèt ille Sacerdos posset Tusculi audire ciuem Ostiensem, eò quòd est approbatus à suo Ordinario: id tamen ideò est, quia manet adhuc subditus Ordinarij Ostiensis, ad quem pertinet iure suo approbare suos subditos in ordine ad confessiones suorum subditorum, qualis est ille ciuis Ostiensis. At verò in ordine ad cõfessiones ciuis Albanensis, Ordinarius est, vel Episcopus Albanensis, qui est propriùs Pastor: vel Episcopus Tusculanus, dum ipsi Tusculi versantur, siue ex delegatione tacita proprij Pastoris, siue ex consuetudine approbata à Prælatis. Ille autem Sacerdos, neque est approbatus ab Episcopo Albanensi, vt suppono, imò etiamsi fuisset ab eo approbatus, iam nihil prodesset, quia egressus ex Albanensi territorio, eo ipso desinit esse subditus illius, vt dictum est: neque etiam est approbatus ab Episcopo Tusculano: ergo in ordine ad hanc confessionem non est approbatus à suo Ordinario, nisi approbetur ab Episcopo Tusculano, ad quem nunc spectat cura huius peregrini in defectum proprij Pastoris prouidentis illi Confessarium idoneum: Iubileum autem, vel Bulla dat solùm facultatem pœnitenti eligendi sibi Confessarium approbatum ab Ordinario Confessarij, scilicet, cuius subditus sit Confessarius, & ad quem spectat cura de illo subdito in ordine ad confessionem.

41. *Quid ad confessiones Regularium.*

Infero quintò, idem cum proportione dicendum esse de approbatione requisita ad audiendas confessiones

fessiones Regularium, quando ipsi ex Iubileo, aut facultate à suis Prælatis concessa, possunt sibi eligere Confessarium approbatum ab Ordinario: debent enim considerari, perindè ac si essent sæculares, & licèt ipsi sint exempti ab Episcopis; in ordine tamen ad hoc ille debet reputari Ordinarius ad approbandum talem Confessarium, qui esset, si pœnitens esset sæcularis. Quare ad audiendam confessionem Religiosi, qui domicilium suum habet Tusculi, requiritur approbatio Episcopi Tusculani: vel certè, si Religiosus ille esset Romæ, vt hospes, per aliquot dies, posset absolui, vel ab iis, qui sunt Romæ approbati, vel ab iis, qui sunt subditi Episcopi Tusculani, & ab ipso approbati, sicut dictum est de sæculari. Nam quemadmodum Regularis, qui subdere sè vult Episcopo, vt absoluatur ab eo, vel dispensetur in iis casibus, in quibus Episcopi possunt absoluere, vel dispensare cum suis subditis, debet adire eum Episcopum, quem adiret, si esset sæcularis: sic in ordine ad approbandum pro eius confessione, quando potest eligere Confessarium approbatum ab Ordinario, debet seruari eadem omninò proportio.

42. *Quis debeat approbare. Regulares.* Infero sextò, Confessarium regularem eodem etiam modo, ficut sæcularem, indigere approbatione illius Episcopi, in cuius territorio vult audire confessiones: quare, si ipse domicilium suum habitationis habeat in illo episcopatu, potest approbari, sicut Clerici sæculares subditi illius Episcopi: & postea, dum illud domicilium retinet, poterit etiã extra episcopatum absoluere subditos illius Episcopi: quia in ordine ad illos est approbatus à suo Ordinario, cùm adhuc retineat domicilium sub illo Ordinario. Si verò mutet domicilium, indiget noua approbatione illius, ad quem vadit: quia, cùm ille prior desinat esse suus Ordinarius, non manebit virtute prioris approbationis approbatus à suo Ordinario. Denique, si solùm obiter, & vt hospes transit per alium episcopatum, adhuc indiget approbatione noua illius Episcopi, vt ibi possit audire confessiones. Quia licèt approbatus à suo Ordinario, hoc est, ab Episcopo sui domicilij, non est tamen approbatus ab Ordinario, cui nunc subest, & ad quem pertinet approbare in ordine ad suum gregem: quare pro hoc loco non est approbatus à suo Ordinario qui est solus Episcopus huius loci. Vndè meritò responsum fuit à Congregatione, non posse in episcopatu Valentino audire confessiones eum, qui non est approbatus ab Episcopo Valentino: quia non est approbatus à suo Ordinario, quem scilicet, habet vt Ordinarium, & cui subditur nunc in ordine ad tale ministerium. Hoc tamen responsum intelligi debet iuxta intentionem interrogantis; quæ erat ad confessiones illorum, qui subduntur Episcopo Valentino: quare non est contra id, quod diximus, quòd, scilicet, si Religiosus manens adhuc subditus Episcopi Ostiensis, commoretur Tusculi, vt hospes, poterit ibi absoluere subditos Episcopi Ostiensis, à quo est approbatus absque alia approbatione Tusculana: de quo casu peculiari ibi non agebatur; sed de audiendis confessionibus vniuersaliter in episcopatu Valentino, quæ ferè omnes erant de iis, quorum cura pertinet ad Episcopum Valentinum, vel ad alios Episcopos, à quibus non est approbatus, vel certè quibus non manet adhuc subditus ille Religiosus Confessarius.

43. *Societatis Iesu Sacerdotes cur possint in itinere audire confessiones.* Infero septimò, cur fuerit necessarium priuilegium illud Greg. XIII. vt Sacerdotes nostræ Societatis possent in itinere audire confessiones cum illis limitationibus: quia scilicet, eo ipso, quòd ingressi essent territorium alterius Episcopi, incipiebant esse illius subditi, & habere illum pro suo Ordinario in ordine ad audiendas confessiones illius gregis: quare de rigore iuris, & secluso priuilegio speciali, indigerent noua approbatione, vt possent ibi censeri approbati ab Ordinario suo, cum reuerà iam haberent alium Ordinarium, à quo in hoc puncto iudicati deberent.

Infero octauò, Religiosum approbatum ab aliquo Episcopo, dum in eius episcopatu versatur, siue vt hospes, siue cum domicilio; licèt, mutato domicilio; vel reuersus ad suum domicilium, si hospes erat, iam non maneat subditus illius, & per consequens non possit in virtute illius approbationis aliquem absoluere; si tamen postea redeat ad eundem episcopatum recuperare approbationem, (nisi forsan interim fuissent reuocatæ licentiæ, & approbationes in eo episcopatu,) & in virtute illius, absque noua approbatione, posse audire confessiones: quia iterum sit subditus eiusdem Episcopi, à quo, vel ab eius prædecessore fuit prius approbatus; atque ideò est iam approbatus ibi à suo Ordinario. 44. *Religiosus approbatus in uno loco non potest in alio audire confessiones, nisi &c.*

Huic doctrinæ nostræ obiici adhuc posse videtur declaratio illa Congregationis *supra* adducta, qua dicitur, posse tempore Iubilei Regulares confiteri approbatis ab Ordinario: quia in Bulla non fit mentio, *nisi de Ordinario eorum, qui audituri sunt confessiones, non autem de Ordinario pœnitentium.* Quibus verbis significatur, quando Concilium petit in Confessario, quòd sit approbatus ab Ordinario, non esse sermonem de Ordinario pœnitentis. Nos autem magna ex parte recurrere videmur ad Ordinarium pœnitentis: diximus enim Confessarium aliquando posse audire hos pœnitentes, & non illos; quia est approbatus ab Episcopo horum, & non ab Episcopo illorum: malè ergo negatur Concilium agere de Ordinario pœnitentis. 45.

Respondetur verissimè ita responsum fuisse: quia Bulla Iubilei, & Concilium non loquuntur immediatè de Ordinario pœnitentis, sed Confessarij, quando petunt approbationem Ordinarij. Cùm hoc tamen stat, quòd ex diuersitate pœnitentium oriatur, tanquam ex radice, quòd hic potiùs, quàm ille dicendus sit Ordinarius Confessarij ad talem actum. Regula tamen immediata ad valorem confessionis non est Ordinarius pœnitentis: sed Ordinarius, cui Confessarius subordinatur in ordine ad tale ministerium. Prudenter autem, & meritò dictum est, non fieri ibi mentionem de Ordinario pœnitentis: quia sæpè pœnitentes nullum habent Ordinarium potentem approbare, quales sunt pœnitentes regulares, & exempti. Aliquando habent Ordinarium, non propriè, sed æquiualenter, vt pœnitentes peregrini, quorum proprius Ordinarius abest, & subrogatur eius loco Episcopus illius loci. Non poterat ergo per illa verba significari propriè Ordinarius pœnitentis: maximè cùm aliquando eius approbatio non sufficeret, vt vidimus, quando Regularis approbatus ab Episcopo Ostiensi, cuius iam non est subditus, vult, & non potest audire confessionem eiusdem Ostiensis Tusculi, vbi non est approbatus ab Episcopo Tusculano. Melius ergo fuit loqui de solo Ordinario Confessarij, qui semper habet proprium Ordinarium, cui propriè subditur in ordine ad talem confessionem audiendam, tanquam proprio Iudici, & gubernatore indesignandis Confessariis pro suis ouibus. 46. *Confessarius debet esse approbatus à Ordinario sui, non pœnitentis.*

Dices adhuc: Verba Bullæ, vel Iubilei solùm exigunt, quòd sit approbatus à suo Ordinario ille, qui eligendus est: sed Regularis, vel Sacerdos Ostiensis, qui adhuc manet subditus Ostiensi Episcopo, 47.

Episcopo, verè est approbatus à suo Ordinario, si approbatus est ab Episcopo Ostiensi, cui adhuc est subditus: ergo poterit eligi Tusculi à ciue Tusculano virtute Iubilei absque alia approbatione, cùm habeat totum, quod Bulla requirit. Respondetur ex dictis illum in casu proposito, habere duos Ordinarios, quibus subest; nempè, Ostiensem, cuius subditus est ratione domicilij; & Tusculanum, cui subest, tamquam suo Superiori, quandiu commoratur Tusculi in ordine ad omnia, quæ concernunt bonum Tusculanorum, atque ideò in ordine ad audiendas eorum Confessiones. Sicut miles Hispanus, quando transit per Bohemiam, habet duos Superiores; nempè, Regem Hispaniæ, cui tenetur obedire; & Regem Bohemiæ, à quo puniri potest propter delicta ibi commissa, & cuius leges obseruare tenetur, ex quarum violatione damnum regno, vel eius incolis sequeretur. Sic Sacerdos ille, quandiu est Tusculi, habet duos Superiores, quibus obedire tenetur, vnicuique in propria materia. Vndè, si esset lex pontificia, & vniuersalis prohibens, ne vllus Dux militiæ posset cogere aliquem ad militandum sine licentia sui Regis; Tunc Dux ille Hispanus, dum transit per Bohemiam, posset de licentia Regis Hispani cogere suos milites Hispanos: milites verò Bohemos non posset sine licentia Regis Bohemiæ, ad quem pertinet consulere suis subditis, & cui soli subditur Dux Hispanus in ordine ad cogendos, & regendos milites Bohemos. Sic ergo lex Ecclesiastica prohibens ne aliquis audiat confessiones sine approbatione Ordinarij, intelligitur de Ordinario Confessarij; qui si habeat plures, eò quòd commoretur in alieno territorio; debet intelligi de illo actu, & ad quem pertinet gubernare, quod expediat circa talem actionem: qualis est Episcopus Tusculanus circa Tusculanos, & vterque Episcopus, Ostiensis, & Tusculanus circa ciues Ostienses Tusculi commorantes.

48. *Quid de Confessario commorante per æquales anni partes in duplici episcopatu,*

Hinc infero vltimò, quid dicendum sit, quando Confessarius haberet domicilium per æquales anni partes in duplici episcopatu, v. g. Religiosus habitans hyeme in vno; æstate verò in altero episcopatu; vel alius alio modo haberet duos Episcopos, quibus subesset: tunc enim si approbatus esset ab vno, & in eo loco haberet iurisdictionem ab Episcopo; non ideò posset in alio audire confessiones, nisi eorum, qui pertinerent ad primum episcopatum; ab aliis verò non posset eligi virtute Bullæ, vel Iubilei, quia, licèt esset approbatus à suo Ordinario, non tamen à suo Ordinario, cui subditur in ordine ad illud ministerium exercendum in tali territorio. Ex quo exemplo confirmari potest, quod dicebamus de Sacerdote hospite, qui licèt sit approbatus à suo Ordinario: indiget tamen approbatione Ordinarij loci, in quo nunc est: quia, sicut ille alius habens duos Ordinarios debet esse approbatus non solùm ab Ordinario, sed à tali Ordinario suo, cui subest in tali genere causarum: sic hospes, qui habet etiam duos Ordinarios, debet esse approbatus à tali Ordinario suo, ad talem confessionem: ita vt Ordinarius, cuius approbatio requiritur, debeat quidem esse Ordinarius Confessarij: non tamen quicumque, sed ille, cui Confessarius subest respectiuè in ordine ad talem causam.

***

P. Ioann. de Lugo de Pœnitentia.

SECTIO III.

Vtrùm approbatio possit negari, vel certè limitari, cùm datur, vel semel concessa reuocari.

QVoad primum punctum, certum videtur primò, Episcopum ex iusta causa negare posse approbationem, si defectus sit ex parte personæ, siue in doctrina, siue in moribus, siue in aliquo alio: approbatio enim non debet limitari solùm ad doctrinam, cùm possit aliquis habens doctrinam, adhuc non esse idoneus ad audiendas confessiones propter scandalum, vel propter alia pericula, quæ ex tali persona timeri possunt. Secundò certum est, licèt Episcopus possit pro libito dare, vel non dare suam iurisdictionem iis, quibus voluerit: non tamen posse pro solo libito negare approbationem personæ dignæ eam petenti: in hoc enim non videtur procedere per viam gratiæ, sed magis vt Iudex, & per iustitiam. Nam, sicut habens beneficium, vel electus ad ipsum habet ius, vt approbetur ab Episcopo, si est sufficiens: nec potest ei approbatio licitè denegari: sic omnes alij Sacerdotes, qui ex ipso Sacerdotio eligibiles sunt ad audiendas confessiones à Parochis, & per Iubileum, aut Bullam habent iurisdictionem à Summo Pontifice, si approbentur ab Episcopo, videntur habere ius ad petendam approbationem. Quod multò magis locum habet in Religiosis, qui ex priuilegiis Pontificum habent iurisdictionem, si approbentur: atque ideò, sicut Parochus ex ipsa electione ad beneficium habet ius ad approbationem: sic Religiosi, qui ex priuilegiis Sedis apostolicæ sunt quasi Parochi delegati, habent ius ad illam approbationem petendam, nec potest hæc iustè sine sufficienti causa eis negari.

49. *Approbationem ex iusta causa negare potest Episcopus.*

Hinc oritur primum dubium, an si iniustè negetur, negatio non solùm sit iniusta, sed etiam inualida: ita vt perindè se habeat, ac si fuisset concessa. Ratio dubitandi est: quia sententia iniusta non aufert in foro conscientiæ ius, quod vnusquisque habet ad rem suam: ergo reprobatio iniusta non habebit effectum coram Deo, atque ideò non reddet inualidas absolutiones. Cæterùm, loquendo de Sacerdotibus sæcularibus, omnes fatentur, approbationem positiuè, & re ipsa habitam, esse requisitam essentialiter ad valorem Sacramenti: quia absque illa, nec Pontifex intendit dare iurisdictionem, nec alius inferior eam dare valide potest, cùm Concilium absolutè, & generaliter decernat, sine tali approbatione non posse confessiones audiri, aut ad hoc iudicari idoneum Ministrum. Vndè, licèt sententia sit iniusta, & non auferat ius, id non sufficit, quia necesse erat dare Sacerdoti ius aliquod quod ipse nondum habebat, vt posset audire confessiones, quod ius per sententiam iniustam non acquisiuit, licèt per illam nullum ius perdiderit.

50. *Negatio iniusta an sit valida.*

De Religiosis verò Mendicantibus, & iis, qui eorum priuilegiis fruuntur, est specialis difficultas propter quædam priuilegia eis concessa à Bonifacio VIII. *in Extrauganti, super cathedram, de sepulturis*: vbi conceditur, quòd, postquam Generalis, vel Prouinciales peterent facultatem ab Episcopo ad eligendos Confessarios, & electos Episcopo præsentarent: si tamen Episcopus eos nollet admittere, haberentur pro admissis, Pontifice eos ex tunc admittente: quòd Clemens V. in Concilio Viennensi, relato *in Clement.*

51. *Quid si negetur Religiosis.*

Dudum, de sepulturis, de nouo confirmauit, ablata quadam magis ampla concessione Benedicti XI. quæ habetur *in extrauaganti, inter cunctas, de priuilegiis*. Quare Nauarrus *in Summa, cap. 27. num. 264. & 265.* existimat, etiam post Tridentinum durare hoc priuilegium, & sufficere licentiam petitam, etiamsi negetur: quia illud priuilegium concessum in duobus Conciliis generalibus, & contentum in corpore iuris, nondum videtur sufficienter reuocatum. Quam sententiam sequuntur alij non pauci moderni, quos refert Diana *tom. 2. tract. 2. de dub. regul. resolut. 24.*

52. Hæc Nauarri sententia communiter reiicitur, & meritò: quia est contra sensum fidelium, & contra praxim Ecclesiæ, & mentem Concilij Tridentini, in quo proculdubio intentio fuit reformandi has Regularium facultates; & ideò dictum fuit: *Nullus Sacerdos sæcularis, vel regularis*, &c. & postea: *Non obstantibus quibuscumque priuilegiis*: alioquin nunc liceret adhuc Regularibus audire confessiones, licèt Episcopus ex iuxta causa approbationem negaret, cùm in illo priuilegio solùm requiratur, quòd se Episcopo præsentent: quod tamen nemo concedit. Vndè hanc communem sententiam tenent Suarez *in præsenti, disp. 28. sect. 5. num. 13.* Vasquez *quæst. 93. art. 3. dub. 3.* Coninch. *disp. 8. dub 7. num. 58.* Filliucius *1. tom. tract. 7. cap. 9. num. 257.* & alij multi, quos refert Diana *loco citato.*

53. An illud ergo antiquum priuilegium respondent Suarez, & alij, reuocatum esse in Tridentino: quia, cùm Decretum etiam Tridentini sit lex conciliaris, & Pontificia, quæ vim habet corrigendi superiorem legem, etiamsi in iure contineatur; & licèt non fiat specialis mentio illius, quando verba posterioris legis hoc requirunt, vt constat *ex c. 1. & 2. de Constit. lib. 6.* & in nostro casu, lex illa Tridentini nullius esset momenti pro Regularibus, nisi reuocatum esset antiquum priuilegium. Facilùs fortasse responderi potest cum Vasquez, & aliis, non fuisse necessarium, quòd illud priuilegium antiquum reuocaretur: quia illud solùm erat in ordine ad iurisdictionem, ad quam obtinendam ab Episcopo, ipsi præsentabantur Religiosi, quibus si Episcopus nolebat iurisdictionem concedere, Summus Pontifex illam concedebat: hoc autem non est reuocatum, quia Pontifex iam illam concedit, & concessit multis Religionibus independenter ab eo, quòd concedatur ab Episcopis: Tridentinum verò addidit conditionem requisitam ex parte Sacerdotis, vt ei iurisdictio concedi intelligatur; scil., vt sit idoneus ad hoc, vt ei, siue à Papa, siue ab aliquo alio iurisdictio delegetur, nempè, approbatio Episcopi, quæ si non præcedat, Papa protestatur, se ex indispositione subiecti non concedere ei iurisdictionem: quæ conditio introducta fuit de nouo à Concilio Tridentino, & circa eam non habent Religiosi eiusmodi priuilegia.

54. Aduerto tamen primò, si Episcopus absque causa sufficienti eiusmodi Regulares non approbet, vel nolit ad examen admittere, iniustè procedere contra ius, quod prædicti Religiosi habent ad audiendas confessiones: quod immeritò negasse videtur Fagundez *lib. 7. de secundo præcepto Ecclesiæ, cap. 2. num. 14.* & expressè concedit Vasquez *dicto art. 3. dub. 5. num. 5.* vbi addit non esse causam sufficientem ad negandum approbationem, sed superfluitatem, si alias Religiosus esset idoneus. Et potest à posteriori probari: quia non solùm regularis, sed sæcularis etiam, quem Episcopus sine causa nollet approbare, posset ad Metropolitanum appellare, iuxta regulam generalem, quòd negligente Episcopo, iurisdictio deuoluitur ad Archiepiscopum, quam cum aliis latè probat Thomas Sanchez *lib. 3. de matrim. disp. 10. numero 20. & seqq. & disp. 28. num. 3. & 4.* quod in Religiosis, vt dixi, magis strictè procedit, qui per sua priuilegia sunt quasi Parochi delegati à Summo Pontifice ad audiendas confessiones. Quare, sicut Parochus electus potest appellare ab Episcopo nolente eum approbare absque causa sufficienti; sic Religiosi ob eamdem rationem possent ab Episcopo ad Archiepiscopum appellare.

Aduerto secundò, sententiam illam Nauarri, & aliorum *suprà* relatam, etiamsi probabilis esset; ad praxim tamen parum, aut nihil posse conducere: quia facultas illa Prælatis regularibus concessa exponendi ad confessiones eos, quos præsentatos Episcopus nollet acceptare; concessa quidem fuit cum multis limitationibus, quæ habentur *in dicta Clementina, Dudum, de sepulturis*, præsertim, quòd renuente Episcopo aliquem ex sibi præsentatis admittere, Prælatus regularis alium illius loco debeat subrogare. Item, quòd non plures præsententur Episcopo, quàm sint necessarij; *Sed numerus*, inquit, *personarum assumendarum ad huiusmodi officium exercendum, esse debet prout vniuersitas Cleri, & populi, ac multitudo, vel paucitas exigit eorundem.* Quæ limitatio, licèt solùm procedat quoad priuilegium ibi concessum, & non de facto, quia de facto Religiosus idoneus ius habet, vt approbetur, licèt non sit necessarius, vt *suprà* vidimus; qui tamen volunt vti priuilegio illius Clementinæ, deberent illo vti cum illa limitatione ibi posita. Potest autem Episcopus semper, aut ferè semper dicere se nolle approbare illos Regulares, quia pro numero pœnitentium illius loci non sunt necessarij plures pro nunc: cuius contrarium in praxi probare difficillimum erit, atque adeò in praxi non video, quomodò possit vtilis esse illa sententia, cuius assertio aliundè non deseruit, nisi ad irritandos, & acerbandos Episcoporum animos contra personas regulares, quæ quò magis excutere à se volunt iugum Episcoporum hac in parte: eò magis ab ipsis Episcopis adstringuntur experiri eorum potestatem: è contra verò, quò magis se Episcopis hac in parte subiiciunt, & ostendunt se ab illis dependere, eò experiuntur illos magis benignos, & maiori cum libertate, & pace sua ministeria possunt cum maiori proximorum fructu, ac ædificatione exercere.

§. 1. *An possit approbari Confessarius cum limitatione ad tempus, ad personas*, &c.

55. Negant aliqui, Vega *in Summa, tom. 1. cap. 62. cas. 7.* Portel. *in dubijs reg. verb. Confessor, n. 13.* & probabile dicit Villalobos *in Summa, tom. tr. 9. diffic. 53. n. 2.* qui omnes loquuntur de Regularibus, quos dicunt, non posse cum limitatione approbari, nec posse communiter dari causam iustam talis limitationis: quia vbique eligitur in Parochum Sacerdos sæcularis vigesimoquinto ætatis anno, & consequenter approbatur sine limitatione ad confessiones virorum, & fœminarum, & pro tota vita: cur ergo Sacerdos regularis non erit idoneus ad audiendas fœminas ante quadragesimum ætatis annum.

56. Contraria sententia communis est, quam praxis Episcoporum approbat, & sequuntur Suarez *disp. 28. sect. 7. n. 19.* Vasquez *q. 93. art. 3 dub. 5. n. 4.* Nauarrus *in Summa, c. 4. n. 10. & 11.* Fagundez *dicto c. 2. n. 1.* Diana *tom. 2. tract. 2. de dubijs reg. resol. 25.* Et quidem, suppositis iis, quæ dicta sunt, certum

certum videtur, limitationem illam, siue iustè, siue iniustè apponatur, validam esse, ita vt qui approbatus est pro hoc solùm anno, v. g. transacto anno; non possit validè audire confessiones sine noua approbatione. Ratio est: quia approbatio requiritur essentialiter, vt vidimus, ad valorem Sacramenti: hic autem non est verè approbatus anno sequenti, cum Episcopus solùm iudicauerit eum idoneum pro hoc anno, & non pro sequenti. Idem est, quando approbatus fuit ad confessiones virorum, & non fœminarum. Porrò non esse idem approbare pro hoc anno, vel ad confessiones virorum, ac approbare simpliciter, probatur: quia loquendo de possibili, potest aliquis idoneus esse ad audiendos viros, & non fœminas propter minorem grauitatem, aut propter inuenilem aspectum, aut propter aliquam suspicionem de ipso conceptam: ergo potest iudicari aptus ad illas confessiones, & non ad istas; ergo non est idem approbare ad aliquas, ac approbare ad omnes. Item potest aliquis aptus esse ad confessiones puerorum, vel rusticorum, & non ad confessiones mercatorum, vel Iudicum, qui difficiliores casus habent: non ergo consistit ita in indiuisibili iudicium approbationis, vt non possit diuidi, & approbari aliquis ad vnam familiam, vel ad vnum genus personarum, quin approbetur ad omnes.

58. Magis difficile hoc esse videtur in limitatione ad certum tempus: quomodo enim potest esse, vt ille, qui hodie aptus est, cras non sit aptus ad audiendas confessiones? Cæterùm, neque hoc repugnat, loquendo saltem de possibili. Primò, quia fieri potest, vt propter necessitatem, & concursum pœnitentium iudicetur idoneus pro hac hebdomada aliquis, cui propter morum leuitatem, aut alium vitæ defectum, non posset prudenter Episcopus fidere longiori tempore: sic enim Ecclesia pro mortis periculo prudenter confidit omnibus Sacerdotibus absolnendi facultatem, quibus sine illa necessitate non fideret. Secundò, quia potest esse persona talis, de qua prudenter timeatur, quòd habita semel approbatione, non ampliùs curabit de studio necessario ad illud ministerium, vnde post aliquod tempus obliuione, & aliis curis obruetur illa doctrina, & notitia, quam nunc habet, & redibit ad pristinam ignorantiam: non potest ergo ille prudenter nunc iudicari aptus ad audiendas confessiones per totam vitam; sed pro hoc anno, quandiu non perdit doctrinam moralem, quam nunc habet in promptu: neque hic casus metaphysicus est, sed quem experientia ipsa frequentiùs probat, quàm oporteret. Tertiò, quia potest etiam contingere, quòd Episcopus habeat notitiam de probitate, & idoneitate alicuius sufficientem quidem ad probandum, & ad experiendum illum; non tamen sufficientem ad approbandum in perpetuum. Certum enim est, minùs requiri ad primum, quàm ad secundum: minùs enim requiritur, vt aliquem in famulum recipias, quem, si non placeat, possis postea rejicere, quàm vt in coniugem, quem semel acceptum relinquere non possis. Minor etiam notitia sufficit ad recipiendum Nouitium, quàm ad dandam ei professionem. Sic minor notitia sufficit ad probandum Confessarium per aliquod tempus quàm ad confirmandum illum in perpetuum: non ergo repugnat, loquendo de possibili, talis modus approbandi ad tempus limitatum.

59. *Approbatio data ab Episcopis cum limitationibus, non damnanda.* Hinc infero primò, non debere damnari approbationem cum eiusmodi limitationibus ab Episcopis datam tanquam iniustam, etiam respectu Regularium: possunt enim de facto interuenire, vel omnes, vel aliqua ex rationibus adductis, vel aliæ similes, quibus prudenter moueatur Episcopus ad non approbandum absolutè, & vniuersaliter; sed cum aliqua limitatione. Nec obstat exemplum illud de Parocho, qui vigesimo quinto ætatis anno approbatur absque vlla limitatione. Responderi enim potest, maius examen procul dubio debere præcedere, per se loquendo circa probitatem, & mores Parochi, vt illi committatur animarum cura, & beneficium parochiale; quàm regulariter præcedat ad approbandum Confessarium. Vnde non mirum, quòd parochus approbetur ad omnium, etiam fœminarum, confessiones, & non Religiosus iuuenis, quem Episcopus non cognoscit. Sic etiam Episcopus eligetur trigesimo ætatis anno, atque eo ipso approbatur ad absolutiones, & dispensationes grauissimas, quas Pontifex, & Concilia non possent prudenter confidere omnibus Religiosis, etiam sexagenariis, quia nimirum, Episcopi Electionem præcedit magnum examen circa doctrinam, prudentiam, probitatem, & mores ipsius; qualem notitiam Pontifex non habet de omnibus Religiosis, etiam senibus.

60. *Limitationes non videntur apponi absque iusta causa.* Infero secundò, quando in particulari circa aliquam personam, maximè religiosam, non procederent prædictæ rationes; sed Episcopus haberet notitiam sufficientem, vt eam absque limitatione approbaret; non videntur posse absque alia iusta causa apponi eiusmodi limitationes. Nam ille habet ius, vt petat approbationem simpliciter, & absolutam præuio examine, cui se offert: ergo supposita plena notitia, quæ de ipso habetur, non potest Episcopus pro solo libito negare approbationē simpliciter, & dare solùm semiapprobationem, alioquin liceret illi pro libito dare approbationem pro vna hebdomada, vel pro centum personis: quæ omnia essent in fraudem priuilegiorum Regularium, vt constat. Quando autem sit de facto iusta causa ad apponendas eiusmodi limitationes, hoc arbitrio, & conscientiæ Episcopi relinquimus: dicimus autem, siue iustè, siue iniustè apponantur, obseruandas omninò esse: quia ille Sacerdos reuerà non est approbatus ab Episcopo pro tali tempore, vel ad tales confessiones, quæ approbatio necessaria omninò est ad valorē absolutionis post Conc. Trid.

§. 2. *An approbatio semel data possit ab Episcopo validè, licitè reuocari.*

DE hoc variæ sunt sententiæ. Prima negat; posse reuocari: quia approbatio non est gratia, aut facultas, sed sententia iuridica, quæ semel prolata transit in rem iudicatam, & reuocari non potest. Secunda sententia affirmat, posse ad libitum reuocari. Tertia distinguit, & dicit, posse reuocari respectu sæcularium Sacerdotum: quia hi accipiunt iurisdictionem ab Episcopo, quam ipse potest pro libito reuocare: non potest verò respectu Regularium, qui iurisdictionem accipiunt à Summo Pontifice. Ita P. Vasquez *dicto dub. 5.* qui tamen addit, posse aliquando Episcopum ex rationabilissima causa approbationem Religiosi reuocare. Quam doctrinam meritò impugnat P. Suar. *dicta disp. 28. sect. 8. n. 1.* quia nunc non agimus de concessione iurisdictionis, sed de mera approbatione, quæ etiam respectu Sacerdotis sæcularis distinguuntur, & potest ablata iurisdictione ab Episcopo concessa, retinere approbationem, qua per Iubileum, aut Bullam, capax sit iurisdictionis ad absoluendum.

Alij ergo dicunt, Religiosi approbationem non posse reuocari ab eodem Episcopo, nec etiam à Ca-

pitulo, Sede vacante, posse tamen ab eius successore propter Mortuum propitium Pij V. in quo id decreuit. Alij addunt, etiamsi Episcopus approbauerit *ad beneplacitum suum*; non posse reuocare ad libitum approbationem, sine iusta causa. Ita Peirinus, *super priuilegia Minim. tom. 1. const. 2. Sixti IV. §. 2. n.* 44. Denique P. Suarez *illa sect.* 8. dici reuocari posse ex causa iusta approbationem etiam pro Regularibus; sine causa non posse licitè, neque etiã fortasse validè. Quod etiam tenet Coninch *disp. 8. dub. 7. n.* 49.

63. *Approbatio Parochi, an & quomodo possit ab eo auferri*

In hoc puncto in primis dicendum videtur approbationem Parochi non posse ab eo auferri, nisi vel priuetur, vel suspendatur ab officio: quia approbatio illa non procedit immediatè ab Episcopo; sed ab Ecclesia, quæ posita conditione beneficij parochialis, statim confert ei approbationem vniuersalem, vt vbique possit audire confessiones si ei iurisdictio conferatur: ergo dum non priuatur officio Parochi, vel suspenditur ab ipso, debet perseuerare approbatio.

Approbatio ad beneplacitum an possit licitè, & validè reuocari

Secundò dicendum videtur, si approbatio data fuit ad beneplacitum, posse reuocari licitè ex causa, & validè etiam absq; causa, non solùm sæcularibus, sed etiam Regularibus. Ratio est: quia approbatio data cum limitatione, & ad certum tempus trãsacto illo tempore cessat, vt diximus & potest aliquando approbatio cum tali limitatione conferri ex causa iusta. Quando autem approbatio datur ad beneplacitum, est approbatio limitata ad certum tempus vagum determinandum pro arbitrio approbantis: ergo aliquando licitè dabitur cum illa clausula, quando, scil. sunt causæ *suprà* adductæ ad dandam approbationem cum limitatione: semper autem valida erit limitatio; ita vt cessante beneplacito approbantis, approbatio eo ipso intelligatur cessare.

64. *An sine iusta causa, & pro solo arbitrio, & libito Episcopi.*

Dicendum tertio, sine iusta causa non posse pro solo arbitrio, & libito Episcopi reuocari licitè approbationem semel collatam. Hoc constat à fortiori ex *suprà* dictis: quia, si non potest iustè & licitè negari approbatio sine causa sufficienti; multò minùs auferri poterit, postquam semel collata est, & ius acquisitum Confessario. Vnde satis probabile est reuocationem talem sine causa approbationis iam priùs sine limitatione collatæ, non esse validam: quia, cùm sit sententia Iudicis iniusta, non videtur posse re ipsa auferre ius, quod iam Confessarius habebat ex approbatione priùs posita, & per consequens reuocatio nullum sortietur effectum.

65. *Religiosis etiã reuocari potest approbatio absque limitatione, quam ob causam*

Dicendum quartò, ex causa iusta, & rationabili posse etiam Religiosis reuocari approbationem priùs absque limitatione concessam: quod quidem quando saltem rationabilissima causa intercedit, non potuit negare P. Vasquez: erit autem controuersia parui momenti, an causa debeat esse rationabilis, vel rationabilissima: nam, si causa rationabilis est, sufficiens est; si enim sufficiens non est, erit insufficiens, & per consequens irrationabilis. Potrò posse intercedere causam sufficientem reuocandi approbationem, non videtur posse negari; siquidem potest intercedere causa sufficiens auferendi beneficium semel ritè, & absolutè collatum, quod multò magis radicatum ius confert, quàm approbatio, quæ cùm sit sententia testimonium perhibens de idoneitate alicuius, non apparet, cur mutato obiecto non possit licitè, & iuridicè reuocari. Nam, sicut ille, qui hodie idoneus est, potest postea corruptis moribus, vel obliuione doctrinæ fieri ineptus; ita, qui eum hodie declarat idoneum, poterit postea eum declarare ineptum, & retractare reuocationem pro tempore sequenti. Et certè, si Episcopi hoc non possent facere, non possent satis consulere suo gregi, cum non possent prohibere illi, Confessarium ineptum semel approbatum, etiamsi clarè constaret de eius ineptitudine.

Aduerto tamen, exemplum Parochi, quoad aliquid, esse æquale, licèt quoad aliquid aliud non sit æquale. Non enim requiritur tam grauis causa ad reuocandam approbationem, sicut ad priuandum beneficio semel collato: tum quia beneficium non ordinatur solùm ad bonum gregis; sed etiam ad bonum beneficiarij, cui dat ius ad redditus, quibus sine grauiori causa priuari non debet, tum etiam, quia damnum, quod infert reuocatio approbationis, est facilè reparabile, cùm statim per nouum examen possit iterum approbari, si autem non est aptus ad examen, non est aptus ad illud ministerium. Vnde meritò dixi, exemplum illud esse æquale quoad aliquid: quia minor etiam causa requiritur ad suspendendum Parochum, ne audiat confessiones, donec iterum examinetur: quàm ad auferendum illi suum beneficium: ad illud enim primum sufficiet, quòd sit rumor, & timor prudens de eius insufficientia, vt possit Episcopus prohibere, ne audiat confessiones, donec examinetur: quod tamen non sufficeret ad priuandum beneficio. Similiter ergo ad reuocandam approbationem sufficiet, quòd prudenter timeatur de insufficientia illius: nam reuocatio illa nihil aliud est, quàm quædam quasi suspensio, donec iterum examinetur. Cur ergo non sufficiet ad hoc, id quod sufficit ad suspendendum, seu ad prohibendum Parochum, donec examinetur?

66. *Remissio. Probatur. & primum. Beneficij, in quo fit. non sit æquale.*

67. *An possit Episcopus reuocare approbationem.*

Difficultas ergo tota est, an in particulari quando Episcopus reuocat licentias, & approbationes concessas, intercedat de facto causa sufficiens. In quo dubio id solùm dicere possumus, præsumendum in dubio esse pro Prælato, qui multa nouit, quæ latent subditos, propter quæ necesse sit Confessarios iterum ad examen vocare. Sicut autem Prælatis consulendum est, ne propter vnius, vel alterius insufficientiam onus commune omnibus imponant, præsertim cùm facilè possint illi, de quorum insufficientia suspicio est, sine tanto rumore examinari, & probari: sic subditis, & maximè Religiosis, vt *suprà* dixi, honestissimum, & consultissimum est Prælatorum intentioni se promptos, & faciles exhibere, alioquin suspicionem dabimus æmulis nostris, quòd non tam ob zelum tuendi nostra priuilegia, quàm ob alias causas obedientiam Prælatis adhibere nolimus.

SECTIO IV.

De probitate, & doctrina in Confessario requisita.

68. *Quæ primo requirantur ad valorem Sacramenti.*

DVpliciter possunt hæc requiri: primò ad validè; secundò ad licitè absoluendum, & conferendum hoc Sacramentum. De probitate ergo ad valorem Sacramenti requisita, certum est, nec statum gratiæ, nec fidem requiri, per se loquendo, & ex institutione Sacramenti: dum enim Minister habeat intentionem, & applicet formam præcedente confessione, & dispositione pœnitentis; Sacramentum erit validum, si nihil aliud desit: potest enim contingere, quòd aliud desit, eò quòd defectus fidei, v.g. afferat excommunicationem talem, ratione cuius Minister fuerit priuatus iurisdictione requisita, qui defectus si publicus: vel, quòd status peccati attulerit etiam secum talem censuram, quæ iurisdictionem abstulerit: in quibus casibus Sacramentum erit inualidum immediatè ex defectu iurisdictionis, non ex defectu probitatis. Solùm posset dubitari, quando defectus probitatis

bitatis esset publicus, & talis, vt redderet ministrum indignum beneficio: nam tunc collatio beneficij redditur nulla eò quòd fiat indigno; & per consequens ille non accipit iurisdictionem, & potestatem, atque ideò Sacramentum erit inualidum; neque enim Ecclesia confert tunc iurisdictionem propter titulum coloratum: nam ad hoc requireretur, quòd vitium esset occultum: in eo autem casu defectus probitatis supponitur esse publicus, & per consequens non intercedit error publicus, cui Ecclesia debeat subuenire. Sed totum hoc dependet ex illa quæstione, an collatio beneficij facta indigno sit ipso facto irrita, an solùm irritanda, de quo agitur in materia de beneficiis. Ad nostrum autem propositum parùm refert: quia, si supponatur electio irrita, defectu probitatis immediatè, sed ex defectu iurisdictionis requisitæ, vt *paulò antè* dicebamus.

69. *Quæ ad licitè ministrandū.* Probitas necessariò requisita ad licitè ministrandum hoc Sacramentum est status gratiæ, qui debet priùs procurari à ministro, vel per confessionem proprij peccati, vel saltem per contritionem de illo. An verò status gratiæ requiratur toto tempore, quo Confessarius audit confessionem; an solùm, quando profert formam absolutionis: P. Vasquez *in præsenti, disp.* 28, *sect.* 1 *n.* 3. affirmat requiri, antequàm incipiat audire peccata. Contrariam tamen sententiam tenui, & probaui latè *disp.* 8. *de Sacr. in genere sect.* 9. vbi etiam *n.* 151. dixi posse aliquando ob necessitatem infirmi, ne moriatur sine absolutione, si Confessarius priùs velit conari ad habendam contritionem ob temporis angustias, excusari à præmittenda contritione ante absolutionem: in quo scrupulosè loquitur Suarez *dicto n.* 3.

70. *De doctrina.* Quod attinet ad doctrinam, & scientiam in Ministro necessariam, videri possunt Dominicus Soto *in* 4 *dist.* 18. *q.* 4. *art.* 2. *in fine*, P. Soto *lect.* 6. *de Confess.* Nauarrus *de pœnit. dist.* 6. *c.* 1. §. *Caueat. n.* 21. & *in Summa, c.* 4. *n.* 8. & 9. Suarez *in præsenti, disp.* 28. *sect.* 2. Vasquez *q.* 93. *art.* 3. *dub.* 1. qui, & alij, quos afferunt, conueniunt ferè in omnibus: quòd scilicet, aliqua requiratur scientia, sicut ad omnia alia ministeria grauia debito modo exercenda; alioquin exponet se Confessarius periculo grauiter errandi. Hæc tamen scientia non debet esse tanta, vt de omnibus, quæ pœnitens dicit, possit discernere, an sint mortalia, vel venialia, sæpè enim id nec doctissimi possunt; partim, quia non possunt scire perfectè ipsum factum, an consenserit pœnitens cum plena deliberatione, vel non: partim, quia nec ipsum etiam ius in omnibus sciri potest. Satis ergo est si sciat in iis, quæ communiter occurrunt, an sint mortalia, vel venialia: item quæ habeant excommunicationem annexam: quæ peccata sint reseruata: in quo melioris conditionis sunt qui habent facultatem absoluendi à reseruatis per Bullam, vel aliud priuilegium. Item, non est necesse, quòd in dubiis, quæ occurrunt possit ipse omnia resoluere: satis est, si communia sciat, & de difficilioribus sciat saltem dubitare, aut libros vel peritiores consulat. Debet etiam scire, qualis dispositio in pœnitente exigatur, vt possit absolui. Vnde apparet, scientiam, quæ in Confessario requiritur, non esse eamdem pro omnibus: aliquibus enim minor sufficit ad audiendas confessiones puerorum vel rusticorum, in aliis maior requiritur ad audiendos mercatores, Iudices, &c. qui casus habent difficiliores. Ad confessiones verò hominis docti multò minor requiritur, quidquid Nauarrus dubitet: quia potest Confessarius instrui ab ipso pœnitente, de grauitate peccati, & de aliis circumstantiis necessariis: nam, sicut posset homo doctus confiteri Sacerdoti, quem ipse priùs instruxisset, & docuisset Theologiam moralem, qua doctrina instructus postea audit eius confessionem; cur hoc in ipsamet confessione fieri non poterit?

71. *Quod iudicium requiratur de grauitate, & leuitate peccatorum pœnitentis.* Hinc infero primò, non requiri, quòd Confessarius de omnibus, quæ audit à pœnitente, iudicet, an sint peccata grauia, vel leuia; imò, neque an sint, vel non sint peccata, sed de communibus; reliqua verò audiat, & intelligat, ac postea absoluat cum debita intentione. Quando verò dandum est consilium in futurum, vel imponenda restitutio, aut prohibendus contractus dubius vel quid simile; si ipse Confessarius non potest scipso id resoluere, erit bonum consilium petere à pœnitente, an sit paratus ad consulendos homines peritos, & standum illorum iudicio circa illud dubium: quòd si pœnitens promittit, absoluat dicendo illi obligationem, quam habet consulendi aliquem, vel aliquos de illo dubio.

72. *Peccat grauiter audiens confessiones sine scientia requisita.* Infero secundò, peccare grauiter eum, qui sine scientia respectiuè requisita exponit se ad audiendas confessiones: in quo non est differentia inter Confessarium regularem, & sæcularem, formaliter loquendo, cùm vterque obligetur præcepto naturali: poterit tamen esse differentia materialis, quatenus Religiosus, qui dubitat de sua aptitudine, & sufficientia ad illud ministerium; faciliùs poterit deponere illud dubium, quando Prælatus, qui eum benè nouit, indicat illum aptum, & imponit ei tale munus. Similiter peccat qui ineptum elegit ad hoc officium, & non solùm Prælatus; sed etiam pœnitens, qui habet facultatem eligendi Confessarium, & scit hunc non esse idoneum, licèt sit approbatus, peccat eum eligendo, nisi talis sit pœnitens, qui sua doctrina possit supplere insciti am Confessarij, vt dictum est.

73. *Quid in casu necessitatis.* Excipitur casus necessitatis, vt in articulo mortis, in quo licèt Sacerdos sit ignarus, & indoctus, debet audire confessionem, & absoluere: quia scientia Confessarij requiritur ad integritatem confessionis: cùm autem in illo periculo non requiratur materialis integritas; sed sufficiat percipere aliquod peccatum, vel etiam peccatum in genere; non obstabit Confessarij insciti a in eo casu. Vnde idem dicendum erit, quando Christiani, qui apud infideles in seruitute detinentur, non habent, nisi vnum Sacerdotem ignarum, & indoctum, vt docet Suarez *num.* 6. quia illa etiam reputatur necessitas moraliter extrema.

74. *Quid de Prælatis præficientibus Parochos indoctos oppidis exiguis.* Addo, ex hoc capite excusari sæpè Prælatus, qui in aliquibus oppidis exiguis, & remotis præficiunt Parochos indoctos, & rudes: hoc enim plerumque faciunt, quia propter exiguum stipendium, & penuriam rerum, ac pauperiem incolarum, non inuenitur homo doctus, qui velit curam illam suscipere. Vnde, cum aliter non possit illis ouibus subueniri, vt suppono; melius est, quòd habeant Confessarium indoctum in tali necessitate, quàm quòd omni remedio prorsus destituantur. Deberet tamen Prælatus admonere Parochum de defectu scientiæ, quem patitur; & de obligatione, quam habet, comparandi, si possit, doctrinam necessariam ad suum ministerium obeundum. Hanc enim obligationem semper habet Parochus, & Confessarius, licèt Prælatus ob necessitatem ouium excusetur aliquando mittendo ministrum minùs sufficientem. Restabat dicere, an ex ignorantia Confessarij possit reddi irrita confessio, & haberi obligatio eam repetendi. De hoc tamen dictum *supra sect.* 16. *sectione* 15.

DISPVTAT

DISPVTATIO XXII.

De aliis obligationibus Confessarij.

SECT. I. *Quis, & quando teneatur Confessiones audire.*

SECT. II. *De obligatione interrogandi, docendi, corrigendi, & disponendi pœnitentem.*

SECT. III. *Quomodo debeat Confessarius supplere defectus in Confessione commissos.*

PRÆTER potestatem Ordinis iurisdictionem, approbationem, & scientiam, quæ omnia prærequiruntur in Ministro huius Sacramenti, sunt aliæ obligationes, quasi concomitantes, vel consequentes, de quibus nunc breuiter dicendũ est. Possunt autem hæc ad tria capita reduci. Primũ, quis, & quando teneatur confessiones audire. Secundum, quam obligationem habet Confessarius circa integritatem, & dispositionem pœnitentis inuestigandam & procurandam. Tertium denique, quam, & qualem obligationem habeat, posteà supplendi defectus, si qui in ipso Sacramento commissi sunt.

SECTIO I.

Quis, & quando teneatur Confessiones audire.

1 *Obligatio ex obedientia.*

OBligatio hæc potest esse, vel ex obedientia; vel ex officio, seu iustitia; vel ex charitate. Ex obedientia obligantur ij, qui sub obedientia viuunt, & quibus id à Prælato imponitur, de quibus nihil peculiare occurrit, cum sit eadem ratio de hoc & de aliis, quæ per obedientiam præcipiuntur.

Ex officio. De iis, qui ex officio tenentur, est quæstio communis, an Parochus teneatur audire confessiones subditorum, quoties ipsi volunt confiteri.

Prima sententia negat, & dicit, solùm obligari ad hoc, quando ipsi tenentur confiteri, nempe, semel in anno, & in mortis periculo. Ita Ioannes Medina *C. de confess. quæst.* 37. Richard. *in* 4. *dist.* 18. *art.* 2. *quæst.* 2. Syluester *verb. Confess.* 1. *n* 14 Armilla *verb. Absolutio*, *num.* 28. Reginald. *tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 8. *num.* 81. & probabile putat Diana 1. *tom. tract.* 2. *miscellano*, *resol.* 2. Addit tamen Reginaldus, teneri etiam, quando confessio esset necessarium remedium pœnitenti ad aliquod peccatum mortale vitandum.

Ratio communis horum Auctorum est: quia non tenetur ex charitate, alioquin teneretur etiam ad audiendas confessiones aliorum, qui non sunt subditi: sed neque tenetur ratione officij, quia officio satisfacit, si quæ sibi à iure, vel à Prælatis imposita sunt, præstet: solùm autem illi impositum est, vt necessitatibus subditorum prouideat: ergo tempore solius necessitatis obligatur ex officio: quamuis enim sit constitutus Pater spiritualis subditorum; carnalis tamen pater in rigore satisfacit, si filiis necessaria prouideat.

Secunda sententia communis, & verior affirmat, teneri Parochum frequentiùs audire subditum, si ipse confiteri velit. Hanc tenent Adrianus, Soto, Nauarrus, quos refert, & sequitur Suarez *dict. disp.* 28. *sect.* 1. *num.* 3. quiprimam sententiam acriter reprehendunt, tanquam parum piam, Eandem tenent Azor. 1. *part. lib.* 2. *cap.* 17. *quæst.* 10. Vasquez *quæst.* 93. *art.* 3. *dub.* 6. *num.* 3. Coninch. *disput.* 8. *dub.* 17. *num.* 129. Molfesius *in Summa tom.* 1. *tract.* 7. *cap.* 22. *num.* 36. Bonacina *in præsenti, disp.* 5. *quæst.* 7. *punct.* 4. §. 2. *num.* 23. & alij o mnuniter.

Probatur retorquendo argumentum: pater enim non solùm tenetur filiis prouidere in necessitate extrema, ne moriantur; sed etiam circa alia commoda, quæ necessaria sunt ad viuendum cum decore, & honestate competenti: similiter ergo Parochus non debet solùm prouidere subditis in necessitate extrema, in qua quilibet alius teneretur; sed etiam debet prouidere de iis, quæ necessaria existimantur ad piè, & Christianè viuendum, inter quæ vnum, & valdè necessarium est frequentiùs confiteri: cùm difficillimum sit, eos, qui semel solùm in anno confitentur, profectum aliquem facere in Christiana pietate. Imò cùm experientia constet, eos, qui annuam solùm confessionem faciunt, labi communiter in plura peccata, non potest Parochus subdito hoc medium negare, quod tantam habet connexionem cum animæ salute, & fuga peccatorum. Denique, si cætera omnia deessent, ipsa perseuerantia in peccato mortali habituali grauissimum malum est: cùm ergo Parochus constitutus sit spiritualis Medicus Subditorum; consequens est, vt sicut Medicus corporalis, qui stipendium à Communitate accipit, debet curare omnes grauiter ægrotantes, qui curari volunt: sic Parochus debeat Sacramenti medicinam adhibere omnibus grauiter ægrotantibus, ne vulnera putrescant, si in illo periculoso statu mortalis peccati diu insordescere sinantur; præsertim, cùm ipsemet status afferat secum carentiam gratiæ, iacturam meritorum, periculum damnationis æternæ, & similia.

Limitant hanc doctrinam eius Auctores. Primò, vt non teneatur Parochus ad audiendum subditum, quando illi prouidet de alio bono, & apto, cui possit confiteri; nisi fortè aliqua specialis subditi necessitas exigat, vt ab ipso Parocho audiatur. Ita Suarez *num.* 5. Vasquez *num.* 3. Bonacina *num* 25. Vndè immeritò Ioannes Baptista Posseuinus *de offic. Curati*, *cap.* 5. *quæst.* 7. quem affert Diana *loco citato*, distinguit de confessione in Paschate, aut in mortis articulo, quam dicit Parochum debere per se ipsum audire; & de confessione ex deuotione, quam dicit posse alteri committere: quam distinctionem probabilem putat idem Diana. Sed quoad hoc non video aliquod fundamentum probabile ad sic distinguendum: nam, sicut extraillos casus prouidet sufficienter subdito, dando illi alium probum Confessarium; sic in Paschate, vel in mortis articulo censebitur sufficienter prouidere.

Secundò limitant, vt id habeat locum, quando tanta confessionis frequentia expediret saluti, & profectui spirituali ipsius subditi: aliquando enim id non expedit; quia & confessionis virtus contemnitur; imò & aliquando expedit conscientiæ subditi cessare à confessione propter scrupulorum perturbationem. Ita P. Vasquez *loco citato*.

Tertiò limitant, & dicunt Suarez *num.* 5. & Nuñus *in præsenti*, *qu.* 8. *art.* 4. *dub.* 3. non semper peccare grauiter Parochum, si semel; aut iterum neget, vel differat confessionem; dummodo non sit dilatio nimia, vel nisi grauis causa vrgeret, vt si esset tempus Iubilei, vel longum iter aggredere-

retur

retur pœnitens, vel graui tentatione vrgeretur. Hanc tamen limitationem impugnat Bonacina *loco citato*: quia, si omissio vnius confessionis esset materia leuis, sequeretur, eum, qui semel in anno confessionem pretermittit, quam debet ex præcepto Ecclesiæ, vel quam ex voto, aut ex pœnitentia debebat singulis mensibus facere, non peccare mortaliter: quod constat esse absurdum. Ad hoc tamen facilè respondetur ex doctrina communi in materia de legibus, quam cum aliis obseruat Tho. Sanchez *in lib. 1. in Decalog. c. 4. n. 6.* nempe, eandem materiam posse esse grauem respectu vnius præcepti, seu vnius subiectionis, quæ sit materia leuis respectu alterius, v. g. auditio vnius Missæ est materia grauis respectu præcepti Ecclesiastici de audienda Missa: & eadem esset materia leuis, si in sæculari Republica, & litteraria Vniuersitate idem præciperetur: quia in ordine ad bonam ciuitatis, vel Collegij gubernationem, quam illa politia sæcularis intendit, non est res magni momenti, omissio vnius Missæ. Similiter ergo dici potest, in ordine ad finem, & obligationem Parochi de prouidendo necessitatibus spiritualibus subditorum, non esse materiam grauem, dilationem vnius confessionis: quia non ideò subditus cogitur graue detrimentum pati: licèt confessio illa in ordine ad aliud præceptum, & ad finem procurandi perfectionem, & puritatem, posset grauis materia esse, quod in aliis multis exemplis facilè inuenietur.

5. *Quoties teneatur Parochus audire subditum.*

Restat tamen difficultas, an teneatur Parochus toties, quoties subditus vult confiteri, an verò pluries quidem, quàm semel in anno; non tamen absque vllo limite: tunc autem difficile erit assignare regulam, vel numerum determinatum. P. Suarez *num.* 5. dicit, si subditus importunè, & nimis frequenter confiteri velit, non teneri Parochum ad audiendum illum: oportet enim habere etiam rationem aliarum occupationum, seu obligationum ipsius Parochi, præsertim, quia non tenetur summam diligentiam adhibere, vel laborem: sed moderatam, & prudentem sollicitudinem. Alij dicunt, debere eum audire in anno septem, vel octo vicibus, dum tamen id fiat cum moderatione, quando Parochus non est aliis grauioribus negotiis impeditus. Ita dixit P. Ioannes de Salas *in suis manuscriptis.*

6. Existimo, non posse vnam indiuisibilem regulam assignari, sed attendendum esse ad multitudinem pœnitentium, ad emolumentum, & stipendium Parochi, & potissimùm ad necessitatem illius, qui confessionem petit. Nam, si ille sit in statu peccati, & desiderat remedium confessionis ad suam iustificationem puto, regulariter debere Parochum illum audire, si non habet alium, cui eius confessionem possit committere. Quia eiusmodi pœnitentes, qui lapsi in peccatum mortale, remedium confessionis statim quærant pauci sunt: qui enim facilè in mortalia labuntur, non solent esse molesti nimirùm Confessario, nec adeò solliciti in procuranda breuiter confessione; quare ex hoc capite, & horum occasione non cogetur Parochus graue onus subire. Aliunde verò cùm Medicus sit suorum subditorum, videtur teneri ad curationem eorum, qui graui vulnere percussi eius operam implorant sicut Medicus corporalis ad hoc ipsum officium stipendio statuto electus non posset negare suam operam infirmis grauiter ægrotantibus, etiam cum aliquo incommodo, & labore suo.

7. *Quid, si propter deuotionem, aut Festum confiteri velit pœnitens.*

Si verò pœnitens non veniat propter statum peccati mortalis denuò commissi, in quo sit; sed propter deuotionem, aut Festum, in quo confiteri solet tunc attendendæ videntur illæ aliæ circumstantiæ: nam, si in oppido magno vnicus Parochus, exiguo stipendio accepto, deberet septem, vel octo vicibus in anno audire mille subditos; grauissimum onus haberet, & improportionatum illi exiguo stipendio, quod ex beneficio habet. E contra verò, si in oppido paruo, vel etiam in magno pauci essent illi, qui confessionis frequentiam peterent, & redditus beneficij pingues essent: non solùm octo, sed pluribus quidem vicibus teneretur audire pœnitentes: quia hoc onus non est considerandum seorsim respectu singulorum; sed respectu totius Communitatis, à qua tota accipit stipendium ad inseruiendum Communitati: quare debet considerari stipendium, quod accipit, non à singulis, sed à Communitate, & obsequium, quod præstat, non singulis, sed toti Communitati. Vnde si essent multi, qui frequenter vellent confiteri absque necessitate, & peccato mortali, vt dictum est, & stipendium esset tenue reputaretur illud onus grauius: si verò in Communitate sint pauci, qui ita frequenter confiteantur, non est graue onus, nec superat obligationem. Sicut in exemplo adducto Medici corporalis conducti à Communitate stipendio communi, & determinato, quod quidem si pingue esset, maiorem operam deberet exhibere & inuisere frequenter singulos infirmos, licèt ij essent multi; si verò stipendium esset tenue, & infirmi essent pauci, adhuc eos deberet frequenter inuisere; quia illud totum obsequium Communitati exhibitum non superat stipendium à Communitate datum. Denique si stipendium esset tenue, & infirmi multi, non teneretur ad exquisitam diligentiam adhibendam, frequentius inuisendo, & assistendo: quia obsequium Communitati præstitum superaret nimis stipendium acceptum; & quia tenuitas stipendij supponit Medicum alia via, negotiatione, vel agricultura procuraturum sibi reliqua ad victum necessaria: sic etiam de Parocho. & Medico spirituali cum proportione iudicandum videtur, in quo etiam tenuitas stipendij supponere videtur, quòd debet sibi reseruare tempus ad procuranda; quæ sibi ad vitam necessaria sunt, non neglecta salute subditorum in necessariis, & adhibita mediocri diligentia, & assistentia ad iis inseruiendum.

8.

9. *Confessarium sibi eligere pœnitens non potest, Parochum audire nolentem.*

Demum duo obseruanda sunt primum est, licèt Parochus requisitus à subdito nolit eum audire, etiam quando tenebatur, non ideo subditum posse pro libito eligere sibi, quem voluerit, Confessarium: nam illa non est commissio iurisdictionis, sed negatio actus debiti, vt notat benè Pater Vasquez *dicto dub. 6. n. 4.* Secundò obseruandum est, quæ dicta sunt de Parochi obligatione ad audiendum subditum, magis habere locum in Prælato regulari, qui multo magis tenetur audire per se, vel per alios idoneos suum subditum volentem frequenter confiteri. Nam, licèt non accipiat proprium stipendium à sua Communitate; tenetur tamen ex officio, ad quod non conducitur pretio, vel stipendio, sed eligitur vt totus ad bonum subditorum attendat, & inuigilet: & ideò assumitur homo ab eadem Communitate accipiens omnia necessaria, vt ad alia negotia non distractus, plena cura, & diligentia procuret bonum subditorum. Quare, dum ex parte subditi non sit excessus ita, vt timeatur irreuerentia, vel nocumentum aliquod propter nimiam frequentiam, maximè si scrupulosè fiat: non videtur neganda confessio frequens subdito religioso, etiam quotidiana, & multò minùs Sacerdoti, qui quotidie solet celebrare.

Quod magis procedit in subdito regulari respectu Prælati.

§. 1. *Qui teneantur ex charitate audire confessiones.*

10. *Proprij Pastores tenẽtur non solùm ex charitate, sed ex officio, & quando.*

REstat de tertio capite obligationis ex charitate, de qua supponenda nobis sunt principia magis recepta in materia de charitate, quæ hoc loco non sunt examinanda: quibus suppositis, dubium commune in præsenti est, an cum periculo propriæ vitæ teneatur aliquando Sacerdos audire confessionem pœnitentis. Et quidem, si sermo sit de propio Pastore, quales sunt Episcopi, Parochi, & similes; ij non solùm ex charitate, sed ex officio tenentur audire subditum constitutum, non solùm in extrema, sed etiam in graui necessitate cõfitendi: appellatur autem necessitas extrema, à qua non potest homo suis viribus, sine meo adiutorio, se liberare: grauis verò est, à qua potest, sed cum magna difficultate se liberare. Vtraque potest contingere circa confessionem: nam, si aliquis morti proximus sit in peccato mortali, & putet, non esse sibi remedium aliud præter confessionem quia nihil vnquam de contritionis remedio audiuit, nec venit illi in mentem, quomodo habenda sit contritio: hic videtur esse in necessitate extrema confitendi, cùm non suppetat ei hic, & nunc remedium alium ad obtinendam salutem. Ille autem, qui in simili periculo constitutus, potest quidem habere contritionem, sed cum magna difficultate, dicitur esse in necessitate graui. Et in vtraque proprius Pastor debet cum periculo vitæ suo subdito succurrere: quia bonus Pastor animam suam pro ouibus suis ponit, & magis obligatur Pastor, quàm alij. Ergo si alij tenentur omnes in necessitate extrema, tenebitur Pastor etiam in necessitate graui. Videantur Valentia 3. *tom disp.* 3. *q.* 4. *punct.* 3. *post quartam assertionem.* Regin. *lib.* 4. *cap.* 45. *n.* 336. & 348. & 357. Bonacina *disp.* 3. *de primo præcepto Decalogi, quæst.* 4. *punct.* 4. *n.* 5.

De aliis verò qui non sunt proprij Pastores, suppono cum communi, & veriori sententia, teneri eos in necessitate extrema spirituali subuenire proximo, etiam cum periculo vitæ propriæ, verbi gratia baptizare puerum morientem iam sine baptismo: de quo videri possunt Valentia *loco citato*, Lorca 2. 2. *sectione* 3. *disputat.* 28. *numer.* 32. Suarez *de charit. disp.* 9. *sect.* 2. *num.* 3. Tanner. 2. 2. *disput.* 25. *quæst.* 3. *dub.* 4. *num.* 61. Coninch *de fide, disput.* 25. *dub.* 7. *num.* 88. & alij, quos affert Lorca *loco citato.* Quare occurrente simili necessitate extrema Sacramentum Pœnitentiæ, eodem modo tenerentur alij, qui Pastores non sunt, cum periculo propriæ vitæ.

11. *Ij qui non sunt proprij pastores, tenentur in necessitate extrema.*

Difficultas est, quando non est necessitas extrema, sed grauis, quia aliquis in mortis articulo, propter difficultatem, quam timet ad contritionem habendam, petit confessionem; an teneatur Sacerdos, qui non est eius Pastor, exponere se periculo vitæ, vt eum audiat. Affirmant Valentia, & Lorca *locis citatis:* Suarez etiam *loco citato*, & *in præsenti disp.* 32. *sect.* 1. *num.* 1.

12. *Quid in necessitate grauis.*

Alij tamen probabiliter id negant. Nauarrus *in Summa, capit.* 24. *num* 9 quem affert, & sequitur Coninch *dicta disp.* 25. *num.* 89. qui limitat obligationem ad causam, quo moribundus existens in peccato mortali ignorat omninò sibi necessariam esse contritionem, aut quid sit contritio, & quomodo debeat se ad illam excitare; & ideò non cogitat de illa habenda: quam sententiam sequitur etiam Bonacina *loco supra citato*, *numero* 4. Malderus 2. 2. *quæst.* 26. *art.* 5. & à fortiori eam tenent Boto *de tegendo secreto*, *membr.* 2. *quæst.* 2. *post* 6. *conclus.* & Emmanuel Sà *verbo*, *Charitas*, *num.* 4. Ratio est: quia, dum proximus absolutè potest seipsum à periculo liberare; non ita meo auxilio indiget, vt debeam ego cum tam ingenti meo damno ei succurrere, qui cum minori expensa potuisset sibi subuenire.

Ab hac regula excipi solet indigentia, & necessitas grauis totius Communitatis, quæ licèt non sit extrema, quia tamen communis est, debet præferri damno priuato. Ratio autem esse potest, quia in necessitate graui Communitatis vix fieri potest, quod non sit necessitas extrema respectu aliquorum. Vnde, quando peste grassante, ob carentiam Sacerdotis morerentur communiter absque confessione, non videtur excusandus ab obligatione graui ob periculum vitæ Sacerdos priuatus, licèt non esset Pastor, si alij non subuenirent: quia necessitas communis grauissima est; & vix fieri potest, vt respectu aliquorum non sit extrema. Quod ad alios casus similes ob eandem rationem extendi debet.

SECTIO II.

De obligatione interrogandi, docendi, corrigendi, & disponendi pœnitentem.

HÆ sunt præcipuæ obligationes Confessarij in ipso actu confessionis, de quibus, partim in superioribus dictum est, partim, in præsenti dicemus. Et in primis aduertendum est, apud Summistas inueniri plures interrogationes, quas debet Confessarius præmittere ante confessionem peccatorum in particulari, v. g. an fecerit examen diligenter ab vltima confessione; an impleuerit pœnitentiam sibi iinpositam: an afferat dolorem, & propositum requisitum; an debeat restitutionem pæcuniæ, honoris, vel famæ, an habeat casus reseruatos, an excommunicationem aliquam & qualem. Nauarrus tamen *c.* 10. dicit, hoc sibi olim placuisse: sed iam displicere: quia non est obligandus pœnitens dicere peccata sua extra, vel ante confessionem; quod etiam dicere videtur Medina *in Summa, lib.* 2. *cap.* 18. Sed illa ratio parum vrget: certum enim est, illa omnia cadere sub sigillo confessionis, vt fatetur idem Medina *lib.* 1. *cap.* 7. Melius tamen probari potest: tum; quia, vt in plurimum erunt inutiles illæ interrogationes; tum, quia ex ipsa confessione cognosci illa possunt, & aliunde sæpè erit vtile confessionem audire, licèt postea non sequatur absolutio: quia ipsamet confessione emollietur cor pœnitentis, & concipiet dolorem, ac propositum, quo carebat, præsertim superata iam illa difficultate, & labore confessionis. Vnde hac de causa *c. Quod quidam de pœnit. & remiss.* præcipitur recipi confessio horum, licèt ad absolutionem non sint dispositi. Illud tamen iudico vtilissimum, quòd pœnitens ignotus communiter interrogetur initio de tempore elapso ab vltima confessione: nam id multùm iuuat ad numerum peccatorum postea melius percipiendum.

Quod verò aliqui monent, ne confessarius pœnitentem interrumpat interrogationibus; sed si quid interrogandum, reprehendendum, vel monendum sit, reseruetur in finem, ne terreatur, vel turbetur ab iis dicendis, quæ præmeditatus fuerat; hoc in vniuersum non probo, quia plura memoria Confessarij excident, præsertim si confessio breuis non sit. Quare, si aduertatur obligatio restituendi, si ignorantia culpabilis, atque etiam conscientia erronea circa aliqua, vel quid simile;

simile; satius erit suauiter eum successiuè adiuuare: quod idem magis expedit circa numerum, species, circumstantias peccatorum, quæ dicit: quæ omnia, si in finem referuentur, confusionem, & obliuionem plerumque afferunt Confessario.

Difficultas est, an Confessarius obligationem habeat interrogandi pœnitentem circa alia peccata, quæ non dicit; an verò possit contentus esse iis, quæ dicit ex se, non quærendo de aliis. Ioannes Medina *C. de conf. quæst. de confess. dimidiat. iterand.* docet, quando Confessarius videt pœnitentem diligenter examinasse conscientiam; sed tamen videt, illum oblitum vnius peccati, quod fecit; non teneri illud in memoriam reuocare, nisi peccatum esset in damnum proximi: quia confessio illius

16. *An Confessarius obligationem habeat interrogandi pœnitentem.*

peccati, neque est tunc necessaria ad integritatem, cùm confessio sit formaliter integra, & præcesserit diligens examen, vt suppono, neque est necessaria propter veniam illius peccati, cùm illud simul cum aliis indirectè remittatur in illa confessione. Quam sententiam non facilè posse falsitatis conuinci dicit Vasquez *q. 3. art. 3. dub. 7. n. 2.* & videtur eam probabilem æstimare, cùm contrariam solùm probabiliorem esse dicat.

17. Eam tamen sententiam reiiciunt alij Theologi cum Magistr. *in 4. dist. 19.* & Sancto Thoma *ibi, in fine litteræ*, Syluester, Antonin. Angelus, Nauarrus, Cano, quos affert, & sequitur Suarez *in præsenti, disp. 32. sect. 3. n. 7.* Et in primis conueniunt omnes, quòd quando omissio alicuius peccati prouenit ex defectu diligentis examinis, debet Confessarius illud in memoriam reducere; siue negligentia examinis fuerit culpabilis; siue etiam inculpabilis, & orta ex ignorantia, & tarditate pœnitentis, qui non scit melius se examinare, prout oportet, vt fatetur Vasquez *vbi suprà, num. 4.* Rursus, quando Confessarius aduertit, pœnitentem scire, & posse ex se adhibere debitam diligentiam in examine, & de facto adhibuisse, non debet Confessarius aliam interrogationem addere, si nesciat, aliquid per obliuionem esse omissum.

18. Ex quibus probari potest, debere etiam Confessarium interrogare eum, qui diligenter se examinauit, si peccatum oblitus illud prætermittit: quia, si non esset interrogandus, qui satisfecit obligationi examinandi diligenter suam conscientiam; neque etiam esset interrogandus rusticus, qui multa omittit ob ruditatem, & ignorantiam; nam hic etiam diligenter se examinauit: quòd autem peccata taceantur propter obliuionem, vel propter ignorantiam, parum refert, cùm in iure obliuio, & ignorantia inculpabiles semper æquiparentur, & cum illa ignorantia potuit stare diligens examen iuxta capacitatem suam: & tamen omnes fatentur, rusticum interrogandum: ergo & ille alius interrogandus erit, cùm eadem sit ratio de vtroque.

19. Ratio autem à priori desumi videtur ex officio Confessarij, qui Iudex est proferens sententiam, non solùm circa illa peccata, quæ audit, sed circa personam quam dum sacramentaliter absoluit, iudicat illam debere reconciliari cum Deo, & quantùm ex se est, reconciliat: ad hoc autem oportet, quòd cognoscat plenè totum statum conscientiæ pœnitentis, ad videndum, an sit aliquid, quod obstet eiusmodi reconciliationi. Quare, quoties videt, non plenè manifestari ab ipso pœnitente, debet ille ex officio inquirere: alioquin, si non haberet hanc obligationem inquirendi, & interrogandi, non solùm non deberet, sed nec posset interrogare de aliis peccatis, sed solùm deberet proferre sententiam iuxta ea, quæ audit, nihil aliud interrogando. Certum est autem, posse Confessarium, quia iudex est, interrogare, imò debet id facere, vt constat *ex c. Omnis vtriusque sexus, de pœnitent. & remiss.* vbi dicitur: *Sit Sacerdos discretus, & cautus, more periti Medici, diligenter inquirens peccatorum circumstantias*, &c. Et potest, non solùm circa illa peccata, sed de aliis interrogare, vt plenè informetur, antequàm proferat plenam absolutionem personæ: ergo debet ita facere; quia iudicium prudens semper prærequirit plenam informationem, & examen testium circa ea, quæ pertinent ad sententiam proferendam.

Circa hoc tamen debitum interrogandi obseruat 20.
prudenter Vasq. *n. 5.* licèt rustici inueniantur negligenter examinari, non esse communiter dimittendos, vt se examinent, & redeant: quia de iis præsumitur, licèt millies se examinent, non fore magis aptos, quàm si ab ipso Confessario breuiter interrogentur, & examinentur: id, quod nos *suprà* notauimus *disp. 16. sect. 14. n. 593.* vbi etiam latè probauimus, hoc examen, & interrogationem Confessarij debere fieri iuxta regulam prudentiæ, & non metaphysicè, sed moraliter, ac humano modo, ita vt Sacramentum non fiat onerosum, sed sit facile remedium iuxta debilem hominum conditionem, prout à Christo fuit institutum.

Dubitari solet, quid facere debeat Confessarius, 21.
qui scit, pœnitentem commisisse aliquod peccatum, quod neque ex se, neque etiam interrogatus confitetur. Doctores communiter dicunt, quando Confessarius id euidenter sciret, & sciret etiam euidenter quòd non fuerit priùs alteri peccatum illud confessus, non posse illum absoluere, cùm constet de defectu integritatis formalis. Ita Suarez *dicta sect. 3. n. 9.* Henriquez *lib. 6. cap. 20. num 6.* Fagundez *lib. 6. de secundo præcepto Ecclesiæ, cap. 4. num. 38.* & alij communiter. Contrariam tamen sententiam tenere videtur Megala *1 part. lib. 1. cap. 2. n. 12.* quia sæpè contingere potest, quòd pœnitens habeat causam rationabilem, saltem in sua apprehensione, tacendi illud peccatum ad vitandum, v. g. damnum suum, vel alterius: poterit ergo sæpè Confessarius existimare quòd pœnitens ex rationabili causa id neget, saltem existimata; atque adeò non esse defectum formalem, sed solùm materialem integritatis requisitæ.

Quid, si pœnitens negat peccatum.

In hoc non potest esse controuersia, nec Suarez 22.
& alij negant, quòd quando dubitat Confessarius, an pœnitens licitè neget, saltem iuxta suam existimationem, peccatum, quod commisit; possit illum absoluere. Suarez enim expresè, dicit, non posse absolui, quando euidens est Confessario, pœnitentem mentiri contra integritatem confessionis: in prædicto autem casu non mentiretur, nec faceret contra integritatem confessionis; cùm posset vti æquiuocatione licita, & non violaret præceptum integritatis, cùm haberet legitimam causam excusantem, saltem iuxta suam existimationem. Omnes ergo debent conuenire, quòd si Sacerdos sciat euidenter, pœnitentem sacrilegè negare peccatum, non potest eum absoluere; posse verò, si hoc non sciat.

Petes, quid, si Confessarius ex aliorum confessione euidenter sciat, Petrum commisisse tale peccatum, quod ipse posteà in confessione negat? Respondetur, repugnare, quod aliorum confessione id euidenter sciat, cùm tota illa notitia resoluatur in testimonium alterius pœnitentis: quare magis debet credere ipsi Petro in sua causa, quàm aliis.

§. 1. *An debeat Confessarius pœnitentem corrigere, & ei auferre ignorantiam circa peccata, quæ facit.*

23. HOc est secundum Confessarij munus, docere, & corrigere pœnitentem: cuius est Medicus, & doctor. De quo; vltra alios, latè, & optimè agit Thom. Sanch. *lib. 2. de matrim. disp. 38. per totam.* Aliqui enim distinguunt de ignorantia iuris naturalis, & diuini, quam dicunt semper debere auferri à Confessario. Alij distinguunt de ignorantia circa ea, quæ omnes scire tenetur; vel de iis, quæ non omnes scire tenentur: quas distinctiones benè impugnat Suarez *in præsenti, disp. 32. sect. 4.* Videri etiam potest Vasquez *quæst. 93. art. 3. dub. 9.*

Ignorantiam ex conscientia erronea debet Confessarius à pœnitente auferre.

Dicendum ergo breuiter est, quoties ignorantia est contra ipsum pœnitentem, qui ex conscientia erronea putat esse peccatum id, quod reuerà non est peccatum, debere omninò Confessarium eiusmodi ignorantiam auferre, quæ maximum detrimentum pœnitenti affert. Similiter, quoties ignorantia est vincibilis, & culpabilis, debet eam auferre: quia, dum perseuerat, pœnitens est indispositus ad absolutionem, & non vitat, sed causat peccatum, & eius perseuerantiam. Debet autem prudenter examinare statum, & qualitatem ignorantiæ, an sit culpabilis; ita tamen vt ipso examine, ac interrogatione non det occasionem dubitandi pœnitenti, & inferat ei malam fidem, quam anteà non habebat: quare solùm in communi, & quasi aliud agens debet interrogare, an habeat conscientiæ remorsum circa aliquam materiam grauem.

24. *An debeat auferre ignorantiam inuincibilem.*

Quando ergo ignorantia est inuincibilis, siue sit facti, siue iuris humani, siue diuini, vel naturalis, debet cautè procedere: nam si præuidet ignorantiam ablatam redundare debere in nouum peccatum pœnitentis, qui prosequetur faciens cum peccato, quod priùs licitè faciebat; debet potiùs dissimulare, dum non interrogatur. V. g. si videt pœnitentem esse in coniugio cum impedimento irritanti facto, non debet illud aperire, si ex hoc scandalum sequetur, & maius damnum pœnitentis, cuius maius bonum procurare debet. Quod locum habet etiamsi aliquando pœnitens dubitauerit: si tamen postea, propter aliorum consilium, vel propter aliam causam, dubium deposuerit, & iam nunc in bona fide inuincibiliter reperiatur. Item, licèt pœnitens confiteatur peccatum commissum in ipso coniugio, v.g. contrahendo cum tali impedimento; si tamen non putet esse inualidum, non debet nullitatem aperire; sed absoluere à peccato commisso. Denique idem contingere potest, si ignorantia sit circa matrimonium nondum contractum, sed iam contrahendum: quod totum permittere potest Confessarius, quando ex manifestatione veritatis timet, quòd prosequetur cum mala fide ad faciendum id, quod absque peccato nunc facit.

25. Dubium est, quid facere debeat Confessarius: quando coniux, cuius matrimonium est nullum, non vult reddere debitum viro, putans esse validum. Nam Soto *in 4. dist. 18. q. 2. art. 4. ad 2.* dicit, non posse Confessarium dicere vxori absolutè, quòd reddat debitum, cùm id sit consulere fornicationem; sed debere dicere in genere, quòd coniuges tenentur reddere debitum. Hanc tamen distinctionem impugnat Sanchez *ibi n. 8.* cum aliis: quia illa verba in iis circumstantiis eandem vim habent, ac si diceret: *Redde debitum.* Potetit ergo absolutè dicere: *Tu teneris reddere debitum*, quod verissimum est: quia in eo statu, & cum tali bona fide tenetur sub peccato reddere debitum.

Limitant aliqui primò *suprà* dictam doctrinam, vt Confessarius teneatur docere pœnitentem, quando eius ignorantia redundat in detrimentum proximi: v.g. si bona fide possideat hæreditatem, quam Confessarius nouit ad alium pertinere: si exerceat contractum vsurarium, quem inuincibiliter ignorat esse talem. Sed Sanchez, & alij meliùs dicunt, etiam in hoc casu debere tacere, quando non sperat profectum, cùm eadem sit ratio, & nihil profuturum sit creditori, quòd Confessarius aperiat veritatem.

Addit Sanch. *n. 10.* hæc omnia procedere, etiamsi Confessarius speret pœnitentem libenter monitionem susceptum; sed tamen videt, remedium esse difficillimum, vt si scandalum, & infamia notabilis sequatur. Quod etiam videtur sentire Suar. *dicta sect. 4. n. 3.* exemplum afferens de detrimento, quod filiis aduenire potest ex separatione, v.g. matrimonij. Ratio autem esse potest: quia officium docendi, quod Confessario competit, sicut non obligat cum grauissimo detrimento proprio; sic nec cum tali detrimento alieno, quando res ipsa propter ignorantiam inuincibilem sit sine peccato. Cùm enim doctrina ipsa ordinetur ad bonum pœnitentis; considerare oportet, & ponderare vtrumque malum, nempe, illud malum violationis legis Dei materialis, & absque peccato; & illud aliud malum ac detrimentum temporale, quod incurretur ex monitione, & ex ablatione ignorantiæ: potest enim hoc aliquando illi præponderare; & tunc omittenda erit admonitio. Extra hos verò casus, quando speratur profutura admonitio sine scandalo, & detrimento graui, debet Confessarius pœnitentem docere, siue ignorantia sit facti, siue iuris diuini, vel humani, vel naturalis: quia Confessarius, vel est Pastor ex officio, vel tunc saltem tenet locum proprij Pastoris ex eius delegatione: ad Pastorem autem pertinet docere subditos, quæ necessaria sunt ad seruandam legem Dei.

Hinc infertur, idem dicendum esse, quando pœnitens sub peccato mortali tenetur ad aliquid adeò difficilè, vt non credatur tunc æquo animo recepturus, & alia vice meliùs susceperus iudicetur: poterit enim tunc relinqui in sua bona fide, quæ à peccato excusat, & admonitio seruari in meliorem opportunitatem, ne deterritus abstineat à confessione, & maius detrimentum patiatur.

Addunt aliqui secundò, quando Confessarius verisimiliter credit, ipso tacente, alium non ita cautum rem manifestaturum, qui imprudentiùs medebitur illi malo; tunc meliùs facturum Confessarium suauiter nunc admonendo, nisi remedium sit intolerabile. Ita Cano *relect. de pœnitent. part. 5.* *Id verò intelligendum est.* Quæ tamen limitatio non placet Thomæ Sanchez *numero 13.* quia casus non continget: moraliter: & licèt moralis esset, Confessarius faceret, quod in se est tacendo: culpæ autem alterius Confessarij imprudentis imputabitur posteà admonitio malè facta. Cæterùm, adhuc existimo veram Cani limitationem: quia, cùm tota hæc admonitio, vel eius omissio ordinari debeat ad bonum pœnitentis; consequens est, vt quando attentis omnibus circumstantiis iudicatur vtilior admonitio, quàm silentium fieri debeat. Sic autem iudicaretur in illo casu: quia inter circumstantias debet etiam attendi ad periculum illud maioris mali ex sequenti admonitione imprudenti: ergo meliùs satisfacier muneri suo primus Confessarius admonendo, quàm tacendo.

Quid

29. *Quid quando interrogatur Confessarius?*

Quid verò, si pœnitens interroget Confessarium, vel Doctorem de re illa? Respondetur, tunc debere veritatem aperiri: quia iam illa taciturnitas esset erroris approbatio, quod nunquam licèt. Ita Soto, Ledesma, Corduba, Angles, Henriquez, Aragon, Medina, & alij, quos refert, & sequitur Sanchez *num.* 14. Idem docet Suarez *dicta sect.* 4. *n.* 2. Addit verò Sanchez cum aliquibus: quando pœnitens non cum dubio, sed ex scrupulo interrogaret, posse Confessarium tacere, vel respondere, quòd deponat scrupulum: quia scrupulus non impedit bonam fidem, nec ignorantiam inuincibilem, quæ illum excusat. Hoc tamen non videtur satis consequenter dici: quia, etiamsi pœnitens ex scrupulo interroget, non potest Confessarius affirmare licitum, quod est illicitum: ergo nec poterit tacere; quia silentium Confessarij, proposita interrogatione, pœnitens interpretatur affirmationem, & per consequens Confessarij auctoritate faceret, quod priùs ex ignorantia faciebat. Vnde alij meritò etiam in casu scrupulosæ interrogationis idem dicunt, Soto, Angles, Barthol. à Ledesma, Ludouic Lopez apud Sanchez *dicto n.* 14. Posset quidem Confessarius in illo casu fingere, se non audiisse, vel non attendisse, vel oblitum fuisse respondere, vt sic remaneat pœnitens in eadem bona fide, quam priùs habebat; non tamen ipsius auctoritate confirmata.

30. *Quid, si ignorantia sit contra commune bonum.*

Limitari etiam solet tertiò, quando illa ignorantia non redundat in malum contra bonum commune: quia bonum publicum præponderat bono priuato pœnitentis. Exempla sunt, quando Parochus inuincibiliter habet opiniones erroneas, quas subditis ingerit circa mores. Idem esset, si aliquis bona fide putat, se esse Sacerdotem, cùm non sit, cuius ignorantia redundat in damnum commune eorum, qui ab eo Sacramenta irrita suscipiunt. Item, si esset publica fama, & scandalum de nullitate matrimonij; coniux autem ipse eam ignoraret.

Vel contra fidem.

Hoc ipsum dicendum videtur, quoties ex silentio Confessarij pœnitens inferret aliquod dogma falsum contra fidem, vel mores, vt, si inde colligeret, possideri posse licitè plura beneficia curata; vel posse sine iusta causa non residere cum dispensatione; vel licere fornicationem, aut debellare infideles sine alio titulo legitimo: quæ omnia, si semel haberentur ex tacita approbatione Confessarij, iam redundaret illud silentium in damnum commune, cùm omnibus nocere posset illa opinio, si paulatim spargeretur.

Quid, si scandalum pœnitentis breue sit.

Limitatur quartò, quando scandalum pœnitentis, quod timetur, breue, & momentaneum sit; & spes sit, quòd licèt tunc non habeat effectum; breui tamen admonitionis fructus habebitur. Sic Adrianus, Ioan. Medina, Cano, & Corduba, quos refert, & sequitur Sanchez *n.* 16. quorum aliqui addunt, melius esse admonere pœnitentem post absolutionem, ne impediatur fructus Sacramenti.

31. *Quid, in dubio de profectu.*

Restat difficultas, quando Confessarius, nec scit profuturam admonitionem, nec etiam scit obfuturam, an in dubio debeat nocere pœnitentem: de quo nihil inuenio apud prædictos Auctores. Et quidem, si dubitat de profectu, sed non timet damnum, certum est, quòd teneantur admonere, tam ex charitate, quàm ex officio Magistri, & Pastoris, vt in simili docet Iacobus Granado 2.2 *contr.* 3. *tract.* 12. *disp.* 1. *num.* 6. de eo, qui dubitat, an correctio fraterna sit profutura. Quando verò dubium esset, an profutura, vel obfutura sit admonitio; tunc videtur bona illa regula, quam circa eandem correctionem fraternam adhibet Filliucius cum aliis *tom.* 2. *tract.* 28. *c.* 6. *n.* 335. vt comparetur vtilitas, & damnum: & gradus timoris, ac spei: ac omnibus pensatis illud eligatur, quod præponderare iudicatur. Cùm enim finis admonitionis, vel silentij, sit bonum pœnitentis, vel etiam bonum publicum, quando illud interuenit: in illam partem debemus inclinare, quæ secundùm præsentem statum eligibilior est: quod tamen non est metaphysicè considerandum, ita vt, si paruus sit ex altera parte excessus sit culpa grauis oppositum facere.

32. *An Confessarius metu irregularitatis, debeat non docere pœnitentem.*

Ad hanc eandem obligationem docendi pœnitentem pertinet aliud commune dubium, quando pœnitens, cùm sit Iudex non satisfacit debito suo condemnandi reum pœna capitis, an debeat Confessarius illum docere, & hortari ad id faciendum: an verò propter irregularitatem debeat tacere. Aliqui enim dicunt, esse irregularem; si in casu aliquo particulari dicat, debere occidi aliquem reum, vel id pœnitenti consulat: sed debet tunc respondere, vt consulat Iureconsultos, & videat, quid leges præcipiant. Ita Henriquez *lib.* 14. *de irregul. c.* 16. *n.* 4. Auila *de censur. p.* 7. *disp.* 5 *sect.* 2. *dub.* 6. *concl.* 2. Alij dicunt, Confessorem posse dicere, quid dictent leges in communi, nihil aliud præcipiendo, aut consulendo in particulari, nec dicendo, quid ipse sentiat. Ita Molina *de iustitia, tom.* 4. *tr.* 3. *disp.* 74. *numero* 4. Ioan. de la Cruz *in direct. conscientiæ, part.* 2. *de irregul. dub.* 5. *conclus.* 4. Bonacina cum aliis, quos refert *disp.* 7 *de censuris, quæst.* 4. *punct.* 1. *n* 7. quibus consentit Suarez *de censuris, disp.* 47. *sect.* 1. *num.* 8.

33.

Hoc tamen difficile est: quia reuerà illa verba generalia in illis circumstantiis, & præsertim in actu confessionis æquiualent consilio, vel præcepto occidendi hunc reum: quare probabile mihi videtur, quod alij dicunt, non incurri irregularitatem à Confessario propter tale consilium, vel præceptum: quam sententiam tenuit P. Vasquez, vi refert Luisius Turrianus *de censuris, lib.* 9. *disp.* 66. *dub.* 4. qui eandem ibi sequitur: & 2.2. *tom.* 1. *disp.* 93. *dub.* 2. & Diana 2. *tom. tract.* 5. *miscell. resol.* 80 Quæ opinio redditur magis secura ex alia, quam ex eodem Vasquez refert, & sequitur idem Turrianus *dicta disp.* 66. *dub.* 3. quæ dicit, irregularitatem ex defectu lenitatis non incurri à personis priuatis: sed à solis iis, qui spectant ad iudicium, & Ministris iustitiæ, vt Iudice, tabellione, Aduocato, Procuratore, accusatore, teste, &c. non verò ab aliis, qui sunt extra iudicium: quia in iure non inuenitur pro illis talis irregularitas imposita. Ex qua doctrina, quæ probabilis est, cessat omninò scrupulus in casu nostro.

34. *An possit Iudicem relinquere in bona fide.*

Sed tunc redit difficultas, an, si Confessarius videat, Iudicem non peccare: sed bona fide, & cum inuincibili ignorantia velle absoluere reum, quem damnare debet ad mortem, debeat illum admonere de suo debito: an verò possit illum relinquere in bona fide. Certum mihi est, debere eum corrigere, si scienter, vel cum ignorantia crassa, vel vincibili procedit, & absoluit, quem licitè non potest absoluere: quia iam non esset dispositus Iudex ille ad absolutionem Sacramentalem. Quando verò procedit bona fide, & cum ignorantia, vel inaduertentia inculpabili: rursum distingendum est iuxta *supra* dicta. Nam si pœnitens habebit magnam difficultatem in proferenda sententia capitali, atque adeò timeatur maius malum pœnitentis, vel scandala, aut perturbationes, &c. dissimulare debet Confessarius. Si verò è contra ex ignorantia illa Iudicis, & omissione iustæ sententiæ sequitur damnum publicum, v. g. absolutio talis delinquentis, qui multùm nocebit populo,

vel scandalum publicum de contemptu iustitiæ ; debet moneri pœnitens, quidquid ex monitione consequatur. Denique, si ex illa ignorantia, & omissione iustæ sententiæ non consequitur aliud damnum : dubitari potest, an Confessarius debeat Iudicem admonere de sua obligatione, quam inuincibiliter non aduertit, si credit eum admonitionem benè accepturum, & facilè obtemperaturum. Nam ex vno capite videtur semper ex monitione sequi damnum alicuius, nempe ipsius puniendi : quare sicut propter damnum liberorum dicunt aliqui posse Confessarium tacere pœnitenti impedimentum, & nullitatem matrimonij ; cur propter damnum rei puniendi non poterit tacere iniustitiam sententiæ, quam Iudex cum ignorantia inuincibili vult proferre? Ex alio tamen capite vrget regula generalis, quòd Confessarius debet corrigere pœnitentem in iis, in quibus per ignorantiam peccat, saltem materialiter. Damnum autem, quod inde resultat delinquenti non videtur excusare : quia illud ipsum est bonum reipublicæ, cui multum expedit, quòd delinquentes puniantur, & iustæ leges obseruentur. Neque enim quodcunque damnum alicuius excusat; alioquin nunquam Confessarius deberet monere pœnitentem de obligatione restituendi, quàm inuincibiliter ignorat, etiamsi sciat, profuturam admonitionem : quia, nimirum, inde consequitur damnum ipsius pœnitentis in iis, quæ bona fide possidet : quod tamen nemo concedit. Ergo similiter in casu nostro dicendum est.

35. Ego quidem existimo, casum illum vltimum moraliter contingere : nam, vel res est clara, & certa, quòd debeat reus puniri; & tunc Iudice non satisfaciente suo debito, scandalum publicum oritur, ratione cuius Confessarius deberet admonere pœnitentem de sua obligatione propter bonum commune. Si verò res non sit clara, & certa, non pertinet ad Confessarium partes accusatoris suscipere, vt agat contra reum; sed debet seriò admonere Iudicem, vt consulat bene Doctores, & leges, nec facilè procedat ad absoluendum intuitu clementiæ, nisi fundamenta habeat ad probabiliter saltem iudicandum, quòd possit absolui. Si denique fingamus certam esse obligationem condemnandi reum, eamque latere Iudicem, & alios præter Confessarium; tunc seruanda esset regula generalis de instruendo pœnitente in iis, quæ ob ignorantiam delinquit. Sed meo iudicio prudentiùs ageret Confessarius, si, dum ab illo non interrogatur, aliquantulùm differret confessionem, quæsito aliquo prætextu, vel certè fugeret occasionem audiendi pro tunc Iudicem, donec reus esset absolutus, ne susciperet odiosum illud munus admonendi, & instruendi Iudicem contra reum, quem volebat absoluere; neque enim extra confessionem obligaret præceptum meræ fraternæ correctionis ad corrigendum Iudicem in ea materia, in qua ob ignorantiam inculpabilem ipse non peccabat, & cum tanto damno delinquentis capite damnandi.

36. *Quid de Confessario rei.* Hinc infero obiter primò, eodem ferè modo loquendum esse de Confessario, qui reo consulit, vt fateatur crimen, quod licitè non potest negare, licèt ea de causa interficiendus sit; vel, quòd non appellet à sententia capitali, à qua licitè non potest appellare. De quo dicendum similiter est, non incurrere ea de causa irregularitatem, licèt pœnitens ob eius consilium moriatur, vt obseruat Cornejo *in 3. part. S. Thomæ, tract. de irregul. disp. 11. dub. 1. quæst. 4.* Debet etiam dissimulare cum pœnitente, quando videt illum in bona fide, qua putat se non teneri ad confitendum crimen, nec imponere illi tale onus, dum non interrogatur ab ipso, si præuidet, eum difficilè reducendum ad confitendum crimen, provt regulariter præsumi potest : præsertim cùm sit multorum sententia negans talem obligationem crimen confitendi cum periculo vitæ, vel mutilationis membrorum, de qua *in tract. de iust. & iure.* Denique, quando Confessarius iudicaret, reum obligari ad confitendum crimen; prudenter ageret si dum ab illo non interrogatur, pro tunc confessionem differret, & relinqueret eum in sua bona fide; donec, negato crimine, & transacta iam illa occasione adeò vehementi, posset illum audire absque obligatione docendi eum, qui, vt suppono, non esset iam amplius à Iudice examinandus.

Infero secundò, quid dicendum sit de obligatione, quam habent Confessarij Prælatorum, Principum, Gubernatorum, & similium, quando vigent dent, aut sciunt ipsos non satisfacere reuerà suo debito circa collationem beneficiorum, electionem ministrorum, subditorum gubernationem, circa eleemosynas ex superfluis faciendas de redditibus Ecclesiasticis; & alia similia : de quibus illud notandum est, rarò contingere, quòd ignorantia sit inuincibilis, & inculpabilis : item, rarò contingere, quòd ignorantia illa non afferat secum scandalum in subditis, qui facilè putant licita, quæ à Prælatis, & Principibus fieri vident vel certè non affert damnum commune : quare regulariter Confessarius tenetur admonere pœnitentem, quicumque ille sit, de sua obligatione; nec satisfacit suo muneri, absoluendo à peccatis, quæ pœnitens dicit; sed potiùs imponit suis humeris peccata cætera, & errores, quos in pœnitente dissimulat, & cæco cæcum ducente, ambo in æternam foueam cadent. Si formidat ergo potentis faciem, non assumat sibi Pastoris officium; sed modestè se excuset, tanquàm minùs aptus ad illud onus portandum. Hæc autem dicta sunt de Confessario, qui scit, pœnitentem non satisfacere reuerà suo debito. Si autem hoc non scit, sed habet rationem dubitandi, interroget pœnitentem, qualiter se gerat in his : si verò dubium Confessarij sit circa ipsum ius, & obligationem pœnitentis, consulat Auctores, atque etiam homines doctos, & pios, saluo tamen sigillo confessionis & tunc, si errorem pœnitentis inueniat, modestè moneat rationem in promptu habens suæ monitionis. Denique, si viderit ignorantiam pœnitentis esse inuincibilem, neque ex illa sequi scandalum, aut damnum commune; è contra verò admonitionem futuram in maius malum pœnitentis, aut allaturam scandala, vel incommoda *suprà* enumerata; poterit dissimulare iuxta regulas *suprà* traditas.

Restat, circa hanc ipsam obligationem corrigendi pœnitentem, aliud vulgare dubium, an debeat Confessarius sequi opinionem pœnitentis, qui dicit, sibi licere aliquid quod Confessarius illicitum opinatur. Contingit enim sæpè, quòd Confessarius pœnitentem moneat, hic verò se excuset, dicendo, se consuluisse alios, qui dicunt, id esse licitum, sub quorum auctoritate ipse securè operatur.

§. 2. *An possit, vel debeat Confessarius sequi opinionem pœnitentis contra propriam sententiam.*

PLures fuerunt sententiæ antiquiores de hoc puncto. Prima, & satis communis distinguit de Sacerdote proprio, & delegato : hunc dicit, non debere sequi sententiam pœnitentis contra propriam, illum verò dicit debere. Hanc tenent Conradus,

radus, Antonius, Angelus, Sylvester, quos affert Thom. Sanch. *lib.* 1. *in Decalog. c.* 9. *n.* 27. qui ferè omnes addunt, neque etiam posse delegatum se conformare opinioni pœnitentis.

Secunda sententia est Ioannis Medinæ *Cod. de confess. quæst. de confessione dimidiata iteranda, vers. Sequitur iam.* qui dicit, quando agitur de damno tertij, observandam esse illam distinctionem de Confessario proprio, vel delegato: quando verò non agitur de damno tertij, vtrumque debere se conformare opinioni probabili pœnitentis.

39. Tertia sententia communis iam, & vera est, vtrumque Confessarium posse, & debere semper sequi opinionem probabilem pœnitentis. Hanc tenent Suarez *in præsenti*, *disp.* 43. *sect.* 5. Vasquez *in* 1. 2. *disp.* 62. *c.* 7. *n.* 39. & 40. Salas *ibid. tract.* 8. *disp. vnica, sect.* 9. *à num.* 82. Victoria, Sotus, Nauarrus, Ledesma, Henriquez, Azor, Rodriguez, Salon. Valentia, & alij, quos afferunt, & sequuntur Sanchez, *vbi suprà*, *num.* 28. & Diana *tom.* 1. *tract. de opin. probab. resol.* 11. Et quidem, quòd possit, non videtur, dubium, cùm vnusquisque possit in sua causa sequi opinionem probabilem; quantò magis in causa aliena poterit permittere, illum alium eam sequi; Quòd autem debeat se conformare, probatur: quia, licèt Confessarius delegatus posset non audire confessionem; ea tamen audita, non potest non proferre sententiam, si pœnitens est legitimè dispositus ad absolutionem: est autem dispositus pœnitens quia iuxta opinionem probabilem operatur; cùm nemo teneatur in operando sequi opiniones probabiliores, sed possit sequi probabiles, regulariter loquendo: ergo non potest Confessarius negare ei absolutionem.

40. Obiiciunt aliqui: Iudex non potest proferre sententiam secundùm opinionem probabilem relicta probabiliori: sed Confessarius est Iudex: ergo non potest iudicare secundùm opinionem probabilem pœnitentis; relicta sua probabiliori. Respondetur, concessa maiori de Iudice in humanis, de qua dixi *in tract. de iustit.* & concessa minori negando consequentiam: quia Iudex in humanis habet illam obligationem, eò quòd à Republica, vel à Principe sit constitutus ad diligenter inuestigandam veritatem in litibus occurrentibus, cui debito non satisfacit, si relicta securiori via inueniendi veritatem, eligit minùs securam. At verò Confessarius constituitur ad inuestigandam veritatem circa ius, sed circa factum; an, scilicet, ipse pœnitens peccauerit, & ad absoluendum, quem inuenit rectè dispositum; quare debet illum absoluere, quem inuenit habere dolorem, & propositum seruandi omnia mandata Dei eo modo, qui sufficit ad non peccandum, quod sufficit operari iuxta opinionem probabilem.

41. *Quid, si opinio non probabilis æstimetur probabilis.* Contra hæc tamen videtur esse difficultas non leuis: quia, si Confessarius tenetur sequi opinionem probabilem pœnitentis, eò quòd pœnitens tunc est dispositus sufficienter ad absolutionem: ergo debebit Confessarius pœnitentis opinionem sequi, quam pœnitens æstimat esse probabilem, licèt Confessarius sciat, vel indicet, non esse probabilem: quia tunc etiam pœnitens est sufficienter dispositus ad absolutionem, parum enim refert, quòd opinio in se non sit probabilis; si tamen in existimatione pœnitentis sit probabilis; nec ipse obligatur ad sequendas opiniones re ipsa probabiles; sed quas ipse existimat esse probabiles: si ergo vult seruare legem Dei iuxta sententiam, quam putat esse probabilem, non peccat; & per consequens erit sufficienter dispositus ad absolutionem. Potest autem hic casus frequenter occurrere: imò hic est est casus, qui in ordine ad praxim difficultatem habet: nunquam enim Confessarius pœnitenti dissentit, eò quòd pœnitens velit sequi opinionem probabilem; sed, quia Confessarius contendit, non esse probabilem, nec tutam, quam pœnitens è contra contendit esse probabilem, & securam. Contingit autem sæpe, quòd Confessarius dicat, aliquid non posse absque peccato fieri, debere restitui, abstinendum à tali contractu vsurario, vel alia similia; pœnitens autem respondet: Ego scio, qui debeam in hoc agere: consului homines doctos, & scio, me posse licite hoc facere. Tunc ergo videtur esse perplexitas pro Confessario: quia debet credere in eo foro pœnitenti pro se, & contra se: cùm ergo pœnitens affirmet, se fecisse, quantum debebat, vt obseruaret legem Dei, & haberet iudicium prudenter probabile, quòd licitè faciat id quod facit; debet hoc Confessarius credere: si autem id credit, iam poterit, & debebit absoluere eum, quem legitimè dispositum inuenit ad absolutionem recipiendam. 42.

Videntur autem afferri posse pro hac parte, quæ Doctores obiter dicunt in hoc puncto: nam Palatius *distinct.* 17. *disp. penult. prope finem*, indicat quòd si Confessarius non potest conuincere pœnitentem, nec persuadere illi suam sententiam, alioquin sibi certam; tunc Parochus tenetur eum absoluere: delegatus autem tunc solùm, quando non est in præiudicium tertij. Mercado *de contract. cap.* 15. dicit, si opinio pœnitentis sit error, non debere Confessarium se illi conformare: quare videtur in aliis casibus supponere, quod possit se conformare. Soto *distinct.* 18. *quæst.* 2. *artic.* 5. *ad* 5. & Valent. 3. *tom. disp.* 5. *quæst.* 7. *punct. vlt. in fine*, quos refert, & sequitur Sanchez *vbi suprà*, *n.* 30. dicunt contra Emman. Rodriguez, quamuis Confessarius putet falsam opinionem pœnitentis, si probabilis reputetur inter Doctores probatæ auctoritatis, debere se illi conformare; quia tunc tenetur dicitur Confessarius se illi oppinioni conformare, quatenus illam permittit pœnitenti; non autem quasi sequatur eam. In qua ratione videtur Sanchez supponere, quòd Confessarius non posset ipse sequi illam opinionem, sed solùm alteri permittere, atque adeò quòd Confessarius non existimet illam verè probabilem: alioquin posset ipse etiam illam sequi.

43. *Opinio non solùm sufficit, quòd sit pœnitenti probabilis; sed debet esse talis.* In contrarium vero est, quod communiter tenent Doctores, qui, quando dicunt Confessarium posse, & debere conformare se cum opinione pœnitentis, addere solent: *dummodo illa probabilis sit.* Sic addit Sanchez *paulò antè* allegatus, dicens, debere se conformare, licèt falsam existimet illam sententiam: *Si probabilis reputetur inter Doctores probatæ auctoritatis.* Quam limitationem ex aliis Auctoribus refert, & approbat Diana *dicto tract. at. de opinione probabili*, *resol.* 11. Eodem modo loquitur Suarez *dicta sect.* 5. *numero* 3. proponens quæstionem solùm, quando pœnitens adhæret opinioni probabili: & Victoria *in Summa* vbi de confessione, *n.* 177. (in alia editione *n.* 164.) dixit, si opinio pœnitentis est improbabilis, non debere absolui à Confessario. Ratio etiam videtur clara: quia si sufficeret, quòd pœnitenti apparet probabilis sua sententia, licèt Confessarius sciret esse improbabilem: ad hoc, vt posset pœnitenti eam permittere, sequeretur, quòd posset etiam eam permittere, licèt Confessarius sciret esse eroneam, quando non potest pœnitentem conuincere; atque adeò deberet etiam eum absoluere: quia posset etiam contingere, quòd pœnitens ab aliquo,

quem ipse æstimat magis doctum, quam Confessarium, acceperit suam opinionem, atque ideò non teneatur magis credere Confessario, quàm illi alteri, ac per consequens non carebit dispositione debita ad absolutione. Pone ergo, pœnitentem in eo esse errore inculpabiliter, quòd vsura sit licita, quia id audiunt, aut credidit, se audiisse ab homine docto, cuius auctoritati non præponderat auctoritas Confessarij, tunc pœnitens non tenetur credere magis Confessario: ergo, licèt non proponat vitare vsuram, habet dispositionem debitam ad absolutionem: quod idem dicendum esset, si crederet licitam simplicem fornicationem, vel alia similia. Consequens autem videtur manifestè absurdum: ergo non sufficit, quòd pœnitenti sit probabilis opinio; sed requiritur, quòd verè sit talis propter auctoritatem, aut rationes, quas pro se habet, vt æstimetur communiter probabilis.

44. Confirmatur: quia, quando Doctores dicunt, eum, qui absoluit iuxta opionem probabilem, validè absoluere, licèt opinio falsa esset, Ecclesia concedente tunc iurisdictionem, & supplente defectum; non hoc intelligunt de absoluente iuxta opinionem, quam Confessarius propter suam ignorantiam existimabat probabilem, cùm reuerà probabilis non sit; sed de absoluente iuxta opinionem, quæ verè sit probabilis, & talis debeat existimari: alioquin omnes ferè, qui absoluunt, putantes falsò, se habere iurisdictionem illam acciperent ab Ecclesia; quia fere omnes existimant, quantùm ex se est, probabiliter, imò & aliquando firmiter credunt, se habere iurisdictionem: ergo similiter, quando dicunt Confessarium debere se conformare sententiæ probabili pœnitentis; intelligunt de sententia, quæ verè probabilis sit, non quæ probabilis appareat pœnitenti propter suam ignorantiam, cùm probabilis non sit.

45. In hoc distinguendum in primis est de opinione, quæ versatur circa ipsum Sacramentum Pœnitentiæ conficiendum, vel quæ versatur circa alias obligationes pœnitentis: nam, si versatur circa hoc ipsum Sacramentum, certum est, quòd quantumcunque pœnitens iudicet, vel opinetur posse fieri Sacramentum; si Confessarius non putet saltem probabilem esse talem opinionem, non poterit se conformare opinioni pœnitentis: v. g. si Confessarius iudicat, pœnitentem non habere sufficientem dispositionem, vel non fecisse sufficiens examen, vel se non habere iurisdictionem; non poterit absoluere, licèt pœnitens contrarium opinetur, nisi Confessarius saltem existimet, opinionem pœnitentis esse probabilem. Ratio est clara: quia tunc non solùm agitur de permittenda pœnitenti sua opinione; sed de amplectenda illa in operatione propria, vt Confessarius operetur iuxta illam: quod non potest facere, nisi iudicet, illam esse probabilẽ.

46. Deinde, quando agitur de corrigendo pœnitente, qui vult retinere rem alienam, vel pluralitatem beneficiorum, vel quidquam aliud agere iuxta opinionem, quam putat esse probabilem; debet prudenter aduertere Confessarius, ne sine maturo examine, & debito consilio, iudicet improbabilem sententiam, quam ipse non tenet. Rursus contingit aliquando, quòd vir doctus, qui vim argumenti attento studio magis penetrauit, videat, quòd fundamenta contrariæ sententiæ ex æquiuocatione procedunt, vel ex falso fundamento; & ideò apud se illam iudicet improbabilem, & sine fundamento: non tamen ideò debet pœnitentem obligare ad eam deserendam: quia, licèt illa sententia apud ipsũ sit improbabilis; apud alios tamen multos, & doctos, qui rem ita accuratè non penetrarunt, existimatur adhuc vera, & per consequens est verè probabilis: quare pœnitens illam sequendo, amplectitur opinionem verè probabilem. Et in hoc sensu intelligo, quod ex Thoma Sanchez, & aliis retulimus *supra, n.* 42. pro parte contraria: loquuntur enim de opinione, quæ verè est probabilis apud multos, & doctos, licèt apud ipsum Confessarium, nec veritatem, nec probabilitatem habeat.

47. Denique, quando clarè sciret Confessarium illã pœnitentis opinionem, & apud se, & apud alios esse omnino improbabilem, debet seruare regulam *supra* positam circa improbabilem auferendi ignorantiam pœnitentis. Si enim videt, esse ignorantiam culpabilem; debet omninò docere pœnitentem, & repugnantem non absoluere. Si verò sit ignorantia inculpabilis, & videat ex eius ablatione maius malum sequuturum; debet dissimulare, nisi in casibus *suprà* exceptis, in quibus, & in aliis, quibus debet auferre ignorantiam inuincibilem à pœnitente, debet etiam cum docere de improbabilitate illius opinionis: quem si viderit adhuc repugnare, & nolle Confessario credere, sed retinere suam sententiam; Confessarius non debet conniuere; quia hoc esset eum in suo errore positiuè fouere: sed debet vrgere, vt consulat homines doctos, & pios, & proponat Confessarij motiua, vt iudicent: & si hoc admiserit, & proposuerit stare eorum iudicio, poterit eum absoluere: sin minùs, Victoria *loco suprà citato* dicit, nullo modo esse absoluendum: quia iam illa est ignorantia vincibilis, & culpabilis, imò videtur esse affectata, & ad minùs præsumptio videtur esse contra pœnitentem, qui remedium ita facile non vult acceptare: quid enim facilius, quàm consulere homines doctos, præsertim si ipse Confessarius sese offerat ad eos consulendos; Meritò ergo poterit, & debebit iam tunc Confessarius præsumere pœnitentem non esse legitimè dispositum, negare absolutionem. Per quod patet responsio ad ea, quæ pro contraria parte adducta sunt: nam in hoc casu pœnitens non præsumitur dispositus ad Sacramentum, cùm ignorantia illa cum tanta obstinatione retenta non possit regulariter esse inuincibilis.

48. Duo restant circa hoc punctum breuiter aduertenda. Primum, hanc esse differentiam inter Parochum, & Confessarium non proprium, quòd ille debet pœnitentem absoluere, & conformare se cum eius probabili opinione toties, quoties ad illum recurrerit: hic verò, licèt hac vice, audita confessione debeat eum absoluere, & conformare se cum eius opinione probabili; potest tamen eum monere, ne redeat ad ipsum iterum, nisi eam opinionem velit relinquere: in hoc enim Confessarius vtitur iure suo, cùm nullam habeat obligationem audiendi eius confessionem. Secundum aduertendum est, aliquos asserere, quòd, licèt Sacerdos non proprius possit, & debeat conformare se cum opinione probabili pœnitentis; non tamen est adeò grauis hæc obligatio, vt obliget ad mortale: quod etiam docet Montesinus *in* 1. 2. *tom.* 1. *disp.* 62. *c.* 7. *n.* 40. Contrarium tamen docet Suarez *dicta sect.* 5. *n.* 2. Sanchez *n.* 29. & alij, quos affert, & sequitur Diana *dicta resol.* 11. quod verius videtur: quia est materia grauis contra ius, quod penitens confessione acquisiuit, vt absoluatur, si inueniatur legitimè dispositus ad absolutionem. Quamuis, vt notant iidem Suarez, & Sanchez, posset aliquando ex leuitate materiæ esse culpa venialis, vt si confessio fuisset de solis venialibus; aut ita brevis, & de tali materia, vt eius repetitio apud alium Confessarium non censeatur graue onus, & sufficiens ad iniuriam mortalem.

§. 3. *De*

§3. *De obligatione disponendi pœnitentem ad absolutionem.*

49. HOc est tertiam, quod proposuimus præstandum à Confessario in ipso actu confessionis: de quo nihil speciale notandum occurrit: in genere autem certum est, Confessarium non posse absoluere, quem iudicat, non esse sufficienter dispositum: dispositio autem consistit potissimùm in dolore de peccatis, & proposito non peccandi: præsumitur verò dolor, & propositum, quando in confessione ipsa signa doloris apparent: frequenter tamen rudiores excitandi sunt à Confessario ad hanc dispositionem, quia non satis aduertunt ad eius necessitatem. Difficultas est, quando sunt motiua ad præsumendum eius defectum, v. g. quòd sæpiùs admonitus pœnitens non restituit, cùm posset; vel non reliquit occasionem proximam peccati, quam poterat relinquere. Tunc autem erit optimum consilium, & aliquando necessarium differre absolutionem, donec restitutio priùs fiat, vel occasio relinquatur, si fieri potest, de quo Suarez *disp.* 32 *sect.* 2. Quando verò occasio proxima debeat, vel non debeat relinqui, & quando ex reincidentiâ arguatur defectus propositi requisiti, diximus *suprà*, *disp.* 14. *sect.* 10. quod non oportet in præsenti repetere.

SECTIO III.

Quomodo debeat Confessarius supplere defectus in Confessione commissos.

50. *Defectuum confessionis tres species.*

AD tres classes reduci possunt eiusmodi defectus. In prima sunt defectus, qui pertinent ad substantiam, & valorem Sacramenti, vt si absoluat sine iurisdictione, vel sine dispositione requisita ex parte pœnitentis, sine intentione, &c. in secunda defectus in damnum tertij, vel ipsius pœnitentis, vt si non obligauit ad restitutionem debitam, vel obligauit ad indebitam. In tertia denique possunt esse defectus sine alterius præiudicio, sed solùm contra integritatem confessionis, vt si non interrogauit circumstantias, vel numerum; vel non examinauit circa alia præcepta, quando oportebat examinare.

51. *De defectu circa valorem.*

Circa primum classem defectum circa valorem Sacramenti, prima sententia dicit, Confessarium, qui sine iurisdictione absoluit, debere posteà obtenta facultate, absoluere eum in absentia, si præsentem non potest, expectando tempus, quando credat, pœnitentem esse dispositum, & in statu gratiæ. Priùs tamen deberet, si sine scandalo, & damno potest, eum monere de defectu commisso, vt iterum confiteatur: quando verò id fieri non potest, debet absoluere, vel præsentem, vel etiam absentem eo modo, quo dictum est. Ita docet Antoninus 3. *part. tit.* 17. *c.* 12. Syluester *verbo*, *Confessor.* 3. *in principio.* Nauarrus *in Summa*, *c.* 26. *n.* 14. Hanc sententiam, quod attinet ad absolutionem ab excommunicatione, approbant Suarez *disp.* 32. *sect.* 6. Vasquez *q.* 93. *art.* 3. *dub.* 8. *n.* 6. & alij recentiores communiter. Quoad absolutionem verò à peccatis, omnes reiiciunt absolutionem in absentia, cùm constet eam dari non posse. Quinimò, neque in præsentia debere iterum absolui, nisi priùs moneatur, probant Suarez, & Vasquez *locis citatis*: quia absolutio non est valida sine intentione ex parte pœnitentis: debet ergo admoneri, vt habeat talem intentionem de nouo.

52. Hoc argumentum non videtur mihi satis efficax quia, quando pœnitens confessus est, habuit intentionem recipiendi semel absolutionem validam à Confessario; quam cùm nondum acceperit, & illa voluntas non sit retractata, non apparet, cur non posset posteà illam recipere. Dicunt prædicti Doctores, intentionem pœnitentis terminatam fuisse ad primam absolutionem, non ad hanc posteriorem, de qua nihil cogitauit. Sed contrà: quia, si Sacerdos prima vice absoluat sine debita intentione, & statim animaduerso errore, repetat absolutè, vel sub conditione formam absolutionis; nemo dicet; hanc secundam non esse validam ex defectu intentionis in pœnitente: ergo intentio pœnitentis non terminabatur ad priorem prolationem materialem illorum verborum, sed ad absolutionem formalem, & validam, quam cùm nondum acceperit, non est, cur non perseueret.

53. Dicit P. Vasquez, non perseuerare: quia, cùm pœnitens putet, se iam absolutum, non expectat nouam absolutionem. Sed contrà: quia etiam in primo casu pœnitens, qui audiuit semel proferri verba absolutionis, putat se absolutum: imò, licèt prolata sint cum aliquo errore circa ipsa verba, pœnitens, qui errorem non aduertit, putat se absolutum; & tamen Sacerdos, animaduerso defectu intentionis suæ, vel errore, potest incontinenti absoluere: ergo, quòd pœnitens putet se absolutum non retractat priorem intentionem; sed est error priuatus, à quo non pendet intentio. Sicut si Sacerdos, quando ordinatur, putet characterem imprimi in aliqua actione antecedenti, & non in porrectione calicis, & Hostiæ, atque ideò iam tunc putaret, se esse ordinatum; adhuc validè ordinaretur, & reciperet characterem suo tempore; quia ille error priuatus non destruit intentionem, quam habuit, recipiendi ordinationem, quando ei daretur. Similiter pœnitens, si putet se absolui, quando dicuntur illa verba: *Dominus Iesu Christus te absoluat*, &c. non verò per verba subsequentia, atque ideò putaret, se iam absolutum; non ideò esset inualida forma absolutionis subsequens: quia error priuatus non destruit intentionem, quam habuit recipiendi absolutionem validam: ergo etiam in casu nostro, quòd pœnitens putet iam se absolutum, non destruit intentionem, quam habuit, recipiendi semel validam absolutionem ab hoc Confessario.

54. Meliùs ergo reiicitur illa sententia: quia tempore sequenti Confessarius non poterit prudenter proferre formam absolutionis super confessione præterita, hoc ipsum ignorante pœnitente, qui fortasse nouum peccatum commisit, vel non est dispositus iam ad effectum Sacramenti. Addit Suarez, & benè, si in Confessario defuit priùs iurisdictio, repetendam esse confessionem, cùm confessio prior fuerit inualida, vtpote facta non iudici: non potest ergo conferri absolutio, nisi monito pœnitente, vt se breuiter accuset de omnibus, quæ dixit in priori confessione, cuius confusam memoriam adhuc habet Confessarius. Quare, si pœnitens ipse de se veniat ad confitendum iterum, expediet, eum interrogare, an doleat de omnibus, etiam anteà confessis in præcedenti confessione; & an se iterum de illis accuset; & tunc absolutio directè terminabitur ad illa omnia: quod remedium placet communiter recentioribus, quos congerit Diana 1. *tom. tract.* 1. *misc. ll. resol.* 60.

55. Secunda ergo sententia est aliorum, qui dicunt: in tali casu nihil faciendum esse à Confessario; sed dolendum de culpa præterita, & relinquendum pœnitentem in bona fide; quia illa peccata per sequentem absolutionem in alia confessione indirectè remittentur: & aliunde Confessarius non

potest sine graui honoris, & famæ detrimento pœnitentem monere. Pro hac opinione citantur Antonin. Sylvest. & Nauarr. apud Suarez. *vbi suprà, n.*5. quibus adde Ioan. Valerum *indifferent. vtriusque fori, verbo, Pœnitent. differt.* 9. *n.* 2. *in fine.*

56. Hanc sententiam impugnat Ioannes de Medina *Cod. de confessione, q.*39. *de alieno, sine licentia proprij, quemquam absoluente*: quia illa carentia gratiæ, quam afferret vera absolutio eorum peccatorum, est graue damnum pœnitentis, cuius iacturæ Sacerdos erit causa, si illum non moneat, vt iterum absoluatur. Hoc tamen argumentum reiiciunt alij, & meritò: quia illud damnum, & iactura gratiæ non tanti est, cùm possit mille aliis modis reparari, nec pœnitens ipse censetur grauiter inuitus circa illud, cùm possit potius, & sæpiùs eadem peccata confiteri. Vnde, quando confessio fuit de solis venialibus à pœnitente frequenter confiteri solito, putarem facilè excusari Confessarium à supplendo defectu, si fortè ex aliqua causa inualidè absoluit: quia pœnitens communiter non erit grauiter inuitus; sed potiùs præsumi potest, quòd ratum habebit manere pro illa die cum absolutione non valida, vt liberet suum Confessarium ab illa molestia, & rubore in manifestando defectu commisso.

57. Cæterùm, adhuc sententia illa vniuersaliter defendi non potest: quia, vt benè arguit Medina *loco citato*, qui causa est alteri violandi aliquod præceptum graue propter ignorantiam, quam in illo causauit, debet auferre illi ignorantiam, vt possit seruare legem Dei: v. g. si dixisti alicui, non esse obligationem audiendi Missam, vel fornicationem esse licitam; debes hæc retractare, ne sis proximo causa violandi illa præcepta: sed Confessarius malè, & inualidè absoluendo est causa, quòd pœnitens non obseruet legem diuinam confitendo iterum illa peccata, à quibus non est validè absolutus, prout reuerà, & secluſa ignorantia teneretur: ergo debet illum admonere, ne Confessario imputetur illa violatio diuinæ legis.

58. Propter hæc ipse Medina docet obligari Confessarium ad pœnitentem de defectu admonẽdum: quod etiam docent Soto, & Corduba apud Vasquez *dicto dubio* 8. *n.*1. quod Corduba limitat, si possit sine scandalo admonere: cum qua ferè limitatione idem dicunt Suarez, Vasquez, & alij Recentiores communiter, hoc est, quando sine graui nocumento proprio, vel alterius, id fieri potest.

Ego tam pro hoc puncto, quàm pro aliis; quæ in hac sectione dicenda restant, distinguendum puto: nam, licèt P. Suarez *n.*6. dicat, nullam esse differentiam; ego magnum discrimen agnosco inter eum, qui inculpabiliter, & eum, qui scienter, vel culpabiliter errorem commisit, & multò maiorem credo esse huius, quàm illius obligationem. Quod quidem in aliis materiis manifestum est, præsertim in materia iustitiæ: nam, si culpabiliter aliquem infamasti, debes etiam cum incommodo tuo illius famam resarcire: si verò inculpabiliter, quia, v. g. credebas publicum, quod erat secretum; vel credebas verum crimen, quod audieras à fide dignis, cùm esset falsum; tunc teneris quidem, si absque incommodo potes, reuocare, quod dixeras; non tamen cum incommodo tuo graui, vt cum aliis docet Lessius *lib.* 2. *de iustitia, cap.* 11. *dubit.* 22. *num.* 116. quod idem est de quocumque, qui damnum inculpabiliter intulit. Idem ergo dicendum videtur in materia præsenti, cùm procedat eadem ratio in ipsa, quæ in aliis.

59. Nam, sicut iure ipso naturæ multò strictiùs obligatur aliquis ad restituendum ex iniusta acceptione, quàm ex iusta & inculpabili, cùm ille prior teneatur ad resarcienda omnia damna, etiam cum graui damno proprio; hic autem posterior solùm ad restituendam rem ipsam, si existat apud se; alioquin ad id solùm, in quo factus est locupletior: sic, qui causa fuit iniusta, vel iniqua irritandi absolutionem, debet multò strictiùs reparare illud damnum, quod intulit pœnitenti, & quod quasi intulit præcepto diuino, quod, vt violaretur, materialiter saltem, à pœnitente, non confitendo illa peccata, occasionem culpabilem dedit, & ideò violatio ipsi imputatur: qui verò inculpabiliter id fecit, non videtur esse causa moralis illius damni, & ideò multò minùs strictè tenetur ad reparationem illius. Vnde existimo, licèt hic secundus non teneatur cum graui detrimento suo, vel alterius admonere, nisi forte, quando subesset periculum damnationis infirmi, qui moritur cum illa inualida absolutione, vel in casu simili; illum tamen primum, nempe, qui cum culpa graui, & mortali, siue scienter, siue ignoranter ignorantia grauiter culpabili illum errorem commisit, debere etiam cum graui suo damno illum corrigere. Quod tamen intelligo cum proportione debita: nam, sicut in materia iustitiæ non tenetur aliquis restituere bona inferioris ordinis cum detrimento maiori bonorum ordinis superioris, v. g. famam alienam cum periculo vitæ, sic in præsenti non esset obligandus Confessarius ad reparandum illud damnum, quod culpabiliter causauit, & ad monendum pœnitentem, quando deberet id fieri cum damno suo, vel alieno, quod in morali æstimatione non sit comparabile cum damno, quod sequitur ex eo, quòd Sacramentum irritum perseueret, & peccata illa non nisi indirectè remittantur per subsequentem confessionem.

Vnde facilior erit iam resolutio secundi puncti *suprà* propositi; quando, scilicet, Confessarius commisit errorem, non circa substantiam, & valorem absolutionis; sed circa obligationes pœnitentis, quem, verbi gratia, non obligauit ad restituendum, quod debebat; vel obligauit ad soluendum, quod non debebat. De quo multi dicunt, Confessarium non solùm teneri ad corrigendum errorem, sed etiam ad restituendum, quod pœnitens restituere debebat, si eum non potest admonere. Et idem dicendum est, si admoneret tempore, quo iam non potest restituere, cùm priùs potuisset. Ita Sylvester, Gabr. Nauarr. Angel. Rosella, quos affert Suarez *dicta sect.* 6. *numero* 8. Nuñus, Zanard. Sylvius, & alij, quos affert Diana 1. *tom. tract.* 2. *miscellaneor. resolut.* 1. Quorum aliqui distinguunt inter Sacerdotem proprium ex officio, vt Parochum, & delegatum, qui voluntarie se immiscet: & dicunt, Parochum teneri ex culpa graui, vel lata; delegatum verò etiam ex leuissima; quia ipse sine necessitate se immiscuit, quam distinctionem reiiciunt meritò Suarez, & alij.

Distinguendum in primis est, nam, vel Confessarius causat illam ignorantiam in pœnitente positiue, quia, v. g. dixit illi: *Debes*, vel, *non debes restituere*. vel solùm omissiue, quia non præcepit illi restitutionem, sed tacuit. In primo casu rursus distinguendum est iuxta *suprà* dicta de errore culpabiliter, vel inculpabiliter commisso. Quo supposito dicendum in primis est, quando Confessarius positiuè dixit, non restituendum contra ius alterius, & id ex culpa graui, hoc est, mortali contra iustitiam; debet admonere pœnitentem de errore, vt restituat; alioquin, si non admonet; vel,

vel, si admonitus iam non possit restituere, cùm priùs posset; ille Confessarius debet restituere, si pœnitens alioquin restituisset. Ratio est clara: quia consulens furtum, si ex malitia, vel culpa graui id faciat, cooperatur furi, & tenetur ad restitutionem, fure non restituente: ergo, qui suo consilio iniusto impediuit restitutionem rei alienæ, non minùs tenebitur: nam dominus rei habet ius contra me, ne impediam furem à restitutione facienda. Idem est, si culpabiliter pœnitenti restitutionem præcepit, quando restituere non debebat: quia iam sua actione iniusta causa fuit illius damni decipiendo pœnitentem. Denique idem est, si culpabiliter ei aliquam opinionem falsam persuasit, ex qua, vel ipse, vel alius detrimentum pati possit, vel cuius occasione violabit pœnitens præcepta Dei, vel Ecclesiæ, &c.

62. Quando verò consilium illud non restituendi debitum, vel restituendi non debitum, vel aliquod aliud eiusmodi, dedit absque graui culpa, tunc iuxta regulam *supra* positam dicendum est, debere, si commodè possit, admonere pœnitentem de errore, alioquin incipiet iam illi imputari ignorantia pœnitentis: si verò non potest commodè, excusabitur, nec tenebitur ad damna resarcienda. Ratio prioris partis est: quia vnusquisque tenetur ex iustitia, non solùm ad non inferendum directè, & ex industria malum proximo; sed etiam ad procurandum, quantùm commodè possit, ne ex sua actione proueniat proximo damnum contra ius illius: v.g. si inaduertenter aceendisti domum alienam, teneris, cùm primùm aduertis, ex iustitia extinguere ignem, si commodè potes; licèt alius, qui non accendit ignem, non teneatur ex iustitia, sed ex charitate illum extinguere. Nam, licèt, actio illa fuerit inculpabilis; fuit tamen tua & teneris procurare, ne ex tua actione patiatur aliquod detrimentum proximus in rebus suis, si commodè possis: minor enim est hæc obligatio, quàm illa alia non lædendi positiuè; & ideò ad hoc non teneris, nisi cùm commodè possis impedire. Similiter, si bona fide infamasti aliquem, putans esse verum crimen, quod audieras de illo; debes postea, si commodè potes, cognito errore, reparare illius famam, & extinguere incendium famæ, quod inculpabiliter accenderas. Sic ergo Confessarius, licèt bona fide consuluerit retentionem rei alienæ, debet cognito errore reuocare, quod dixit, & manifestare pœnitenti obligationem, quam habet.

63. Ratio posterioris partis est: quia, cùm hæc obligatio non oriatur ex iniusta læsione, vel actione; minor est, vt diximus; & ideò non obligat, nisi cùm commodè potest reparari, & impediri illud damnum. Cæterùm, in hoc casu commodum, & incommodum Confessarij debent accipi respectiuè ad damnum, quod ex illo errore consequi potest: nam, si inculpabiliter dixit non esse obligationem restituendi regnum, cùm reuera esset; non excusabitur à monendo pœnitente, eò quòd debeat expendere decem nummos aureos, & tres, vel quatuor dies in itinere: quia respectiuè ad rem, de qua agitur, satis commodè potest admonere: sicut, qui inculpabiliter accendit ædes alienas, quæ valeant centum mille aureos, non excusabitur ab extinguendo incendio, si possit vno aureo vocare sibi socios, qui illud extinguant: commodè enim potest illud extinguere respectiuè ad damnum, de quo agitur.

64. Denique aduerte circa hanc obligationem Confessarij, siue culpabiliter, siue inculpabiliter errorem commiserit, satisfacere postea suæ obligationi, si pœnitentem potentem adhuc restituere, doceat, quid debeat facere; nec ad aliquid teneri, licèt ille non restituat. Nam, licèt in aliis materiis dici soleat, consulentem, etiam reuocato consilio, manere obligatum ad damna, & contrahere posse irregularitatem; in hac tamen materia id locum non habet: nam, quando ea obligatio perseuerat reuocato consilio, ideò est; quia motiua, quæ attulit consiliarius, perseuerant in mente alterius, qui consilium accepit, atque ideò consilium præteritum influit, quantumcumque reuocetur. In nostro autem casu hoc non procedit: quia, cùm ex errore datum fuerit consilium, solùm influebat propter auctoritatem confessarij, quæ omnino aufertur, reuocato consilio, & facta protestatione de veritate contraria: quare non potest iam influere ampliùs error prior in negationem restitutionis. Solùm posset dubitari casu, quo pœnitens habuisset verè intentionem restituendi tunc, quando confessus est, & postea mutato animo in peius nollet, quo casu videtur Confessarius, qui malitiosè, & culpabiliter dissuasit restitutionem, manere obligatus postea, non solùm ad reuocandum consilium, sed ad restituendum, cùm sua culpa fuerit causa, ne fieret restitutio, quæ iam facta fuisset, & modò non fiet. Hoc tamen commune est ad omnes consiliarios, vel impedientes, an eo casu satisfaciat, auferendo impedimentum à se positum, de quo *in tractatu de iustitia, & iure.*

Nunc dicendum est de secundo membro principali distinctionis, quando non positiuè, sed omissiuè errauit Confessarius, non præcipiendo, v.g. pœnitenti restitutionem: quo etiam casu redit distinctio *suprà* posita de culpabiliter, vel inculpabiliter omittente monitionem debitam. De vtroq; autem credo teneri postea admonere pœnitentem, quando pœnitens ex illa omissione, & silentio Confessarij moueri potest ad credendum licitum, & faciendum id, quod est illicitum, & in damnum tertij: secùs verò, si pœnitens ex illo Confessarij silentio non moueatur. In neutro autem casu credo, teneri Confessarium ex iustitia, nec obligari ad restituendum. Porrò ex vtroque casu obligari ad pœnitentem admonendum, probari potest: quia vnusquisque tenetur procurare, ne ex sua actione, vel etiam ex sua omissione scandalum accipiant alij, hoc est, incitamentum ad peccandum: quare non solum peccat, qui scandalum præbet, comedendo carnes, quæ est actio positiua, sed etiam, qui scandalum præbet, non audiendo Missam, quæ est omissio, nam ex hac etiam omissione moueri potest proximus ad peccandum. Imò non solùm est obligatio procurandi, ne ex nostris actionibus, vel omissionibus alij moueantur ad peccandum, sed etiam ne moueantur ad violandum materialiter mandata Dei, vel Ecclesiæ. Quare debeo procurare, ne ex mea omissione Missæ, alij moueantur ad non audiendam Missam, putantes, non esse festum; quia ego non audio Missam: sicut debeo procurare, ne ex mea comestione carnium alij comedant carnes, putantes non esse prohibitionem. Quando ergo ex illo silentio Confessarij pœnitens mouetur ad non restituendum, eò quòd Confessarius nihil illi dixerit, debet Confessarius procurare, ne ex illa sua omissione oriatur tale scandalum, & occasio violandi saltem materialiter præcepta diuinæ legis.

Quid quando non positiuè, sed omissiuè errauit Confessarius. 65.

66. Cæterum, sicut ex iustitia magis obligatur homo ad impediendum damnum, quod consequitur ex sua actione iniusta, quàm quod consequitur ex actione sua inaduertenter facta; sic ex charitate etiam magis strictè obligatur ad procurandum, ne ex sua actione, vel omissione culpabili sequatur scandalum,

scandalum, & violatio etiam meterialis legis Dei, quàm ne sequatur ex actione, vel omissione inculpabili, & inaduertenter facta: quare cum maiori incommodo tenebitur Confessarius impedire ignorantiam, & occasionem errandi, quam dedit pœnitenti per omissionem culpabilem: quàm illam, quã dedit per omissionem inculpabilem: in hoc tamen casu tenebitur aliquando cum aliquo incommodo, quando respectu illius damni, quod consequitur, non reputaretur moraliter incommodum, vt dicebamus de illo, qui inculpabiliter contuluit non restituere regnum, quod debebat restitui. Idem cum proportione dici potest de eo, qui per inaduertentiam non dixit, restitui debere regnum quando debebat dicere: tenebitur enim cum aliquo, incommodo procurare, ne ex hac eius omissione pœnitens scandalum patiatur, & accipiat occasionem retinendi regnum alienum.

67. *Non est obligatio ex iustitia supplendi defectum inculpabiliter causatum.*

Quòd autem hæc non sit obligatio ex iustitia, est communis iam sententia, quam tenent Suarez *dicta sect. 6.* Coninch *in præsenti, disp. 8. dub. 17. n. 144.* Rebellus, Malderus, Filliucius, Bonacina, & alij, quos referunt ipse, & Diana *dicta resol. 1.* Et ratio est: quia Confessarius non habet ex officio suo procurare vtilitatem aliorum, & quod ius suum vnicuique seruetur, sicut Iudex temporalis; sed solùm intendit bonum sui pœnitentis, contra quod formaliter peccat, non contra alios, quando omittit facere quod debebat: quare omittens monitionem de restitutione, non omittit aliquid, quod creditoribus pœnitentis deberet; sed, quod debebat suo pœnitenti ad bonum suæ animæ.

68. Obiiciunt aliqui ex aduersarijs: quia Confessarius tenetur ex officio docere pœnitentem: ergo, cùm non docet, omittit id, quod ex officio debet; qui autem tacet, quando ex officio tenebatur loqui, virtualiter dicit, non esse obligationem restituendi: ergo est causa moralis, quòd pœnitens non restituat, & per consequens tenebitur ipse ad restitutionem. Respondetur, Confessarium teneri ex officio ad monendum; non ex officio in ordine ad creditores, sed solùm in ordine ad pœnitentem, cui soli, & non aliis obligatur ex officio: tunc autem negatur, omnes, qui ex officio quocumque modo tenentur monere, & tacent, virtualiter docere contrarium; possunt enim tacere ex obliuione, ex metu, ex verecundia: non ergo est causa moralis Confessarius illius retentionis, nisi valdè impropriè.

69. Dices: Si non docet postea, cùm possit, peccat, quia dat scandalum pœnitenti: sed dare scandalum, est esse causam peccandi alteri: ergo si non admonet, causat vel è retentionem pecuniæ alienæ, & per consequens tenebitur ad restitutionem. Respondetur eum, qui dat scandalum, non intendendo, nec volendo directè ruinam proximi, non esse causam peccati alieni, nisi impropriè, quatenus, qui non impedit, cùm deberet, dicitur causa. Fateor, aliquando hoc sufficere, vt obligetur ad restitutionem: nam gubernator, qui non impedit furta, prout ex officio debebat, peccat contra iustitiam, & tenetur ad restitutionem: id tamen, vt dixi, solùm procedit, quando tenebatur impedire ex officio respiciente bonum illorum, qui damnum patiuntur, quale est officium gubernatoris, quod respicit pacem, & securitatem ciuium: tunc enim gubernator peccat contra ius quod ciues habent aduersùs illum; & ideò tenetur ad restitutionem, & dicitur causa imputatiuè: quia propter obligationem iustitiæ, quam habet, censetur, perinde ac si positiuè causasset illud damnum.

70. Vrgebis: Prælatus non impediens subditum detrahentem famæ alienæ, peccat contra iustitiam, & tenetur ad restitutionem, licèt eius officium respiciat solùm bonum subditorum: ergo, licèt officium Confessarij respiciat solùm bonum pœnitentis, peccabit contra iustitiam, non impediens retentionem alieni. Respondetur, quidquid sit de antecedenti, quod aliqui negant, negando consequentiam. Et ratio discriminis est, quòd Prælatus est etiam caput politicum suorum subditorum: quare tenetur eos gubernare in ordine ad bonum commune aliorum ciuium, sicut dominus tenetur gubernare suos seruos, & procurare ne inferant damna aliis ciuibus: illi enim, qui caput est politicum, tribuuntur, & imputantur damna à subditis illata: Confessarius autem non est caput politicum pœnitentium; sed solùm Medicus spiritualis ipsius, nihil aliud respiciens, nisi bonum solius pœnitentis sine ordine ad alios, quibus ipse nihil debet, sed soli pœnitenti. Sicut, si infirmus, ob Medici negligentiam, qui medicinam opportunam non dedit alij; incidit in amentiam, & furiosus aliquem occidit; Medicus non tenetur restituere: quia ipse non se obligauerat aliis, sed soli infirmo, cuius solius bonum debebat procurare: & licèt omiserit id, quod ex officio debebat, non tamen ex officio respiciente alios propter infirmum. Aliud esset, si dedisset positiuè, & culpabiliter medicinam contrariam, quæ furorem, & infamiam attulit: tunc enim, si præsum fuisset homicidium, fortasse teneretur Medicus ad restitutionem. Sic ergo dicendum est cum proportione de Confessario, qui est Medicus spiritualis, & Pastor solùm in ordine ad bonum pœnitentis.

Restat iam tertium punctum, quando Confessarius errauit, non in damnum tertij, sed solùm contra integritatem confessionis, non examinando, vel non interrogando sufficienter numerum, vel species, aut alias circumstantias necessariò explicandas. Affirmant aliqui debere Confessarium postea pœnitentem admonere de illo defectu, si absque scandalo, & graui detrimento fieri possit. Ita sentit Antonius Fernandez *in examen. Theolog. moral. part. 3. c. 4. §. 11. num. 3.* & videtur esse sententia Ioannis Medinæ *Cod. de confessione, loco supra citato*: nam eius ratio vniuersaliter probat etiam in hoc casu: quia, scilicet, Confessarius est causa, quòd pœnitens violet præceptum confitendi illas circumstantias, vel illa peccata, quæ ex diuino præcepto deberet confiteri: ergo debet certiorem facere pœnitentem, ne amplius transgrediatur illud præceptum. Quam rationem approbare videtur Vasquez *dicto dub. 8. n. 2. & 7.* Vnde *ibi n. 6.* videtur eandem sententiam docere in præsenti casu.

Contrariam tamen sententiam docet Suarez *dicta sect. 6. n. 8.* vbi vniuersaliter dicit, quando ex errore, etiam scienter commisso, non pendet damnum tertiæ personæ, & absolutio non fuit nulla; regulariter ad nil teneri Confessarium, nisi ad pœnitentiam agendam. Dicit autem *regulariter*: quia, si decepit pœnitentem in re aliqua pertinente ad salutem eius animæ, ex qua, v. g. pendet, vt maneat in occasione proxima peccandi, tenebitur illum admonere iuxta regulam charitatis, & prudentiæ vitando scandalum, quoad fieri possit. Eamdem sententiam tenent Filliucius *tom. 1. tract. 3. c. 12. q. 7. n. 374.* & *ibidem in instructione pro confessionibus excipiendis, c. 4.* Nuñus item, & Regin. quos affert, & sequitur Diana *1. tom. tr. 1. misc. ell. resol. 7.*

Distinguendum etiam in hoc puncto videtur: nam vel Confessarius positiuè fuit causa, quòd pœnitens non confiteretur integrè, dicendo, v. g. non oportere explicari aliter numerum, nec alias species,

ſpecies, vel circumſtantias; vel ita omittendo interrogationes, vt perinde eſſet, ac ſi diceret, non eſſe neceſſarium alia, vel magis explicare, ita vt pœnitens eius auctoritate motus, non curet ampliùs de confitendis iis, quæ relicta ſunt, vel ſolùm purè omiſſiuè ſe habuit non interrogando, quæ interrogari deberent. In primo caſu, ſiue culpabiliter, ſiue inculpabiliter id fieri Confeſſarius, videtur poſtea debere admonere pœnitentem, ſi abſque ſcandalo, vel graui detrimento poſſit: ita tamen, vt magis ſtrictè ad id teneatur, quando præceſſit culpa grauis Confeſſarij; minùs, quando non præceſſit. Ratio autem ſumitur ex *ſuprà* dictis: quia ille, qui cauſa eſt alteri violandi præceptum graue, violatione etiam materiali; debet, ſi commodè poteſt, admonere de errore, vt ille præceptum non tranſgrediatur, vt *ſuprà* vidimus: ſi ergo Confeſſarius ſua auctoritate, cauſa eſt, quòd pœnitens non confiteatur illa peccata, quæ ex Chriſti præcepto confiteri debet, obligationem habet auferendi illum errorem à ſe poſitum, vt pœnitens non violet diuinum præceptum.

74. *Excuſatur Confeſſarius ex eo, quod ſufficeret ad excuſandum pœnitentem ab integritate confeſſionis.*

Cæterùm, quia præceptum de integritate confeſſionis tale eſt, vt ſolùm obliget, quando ſine graui detrimento obſeruari poteſt; conſequenter dicendum eſt illud ſufficere ad excuſandum Confeſſarium, ne admoneat poſtea pœnitentem de illo defectu, quod ſufficeret ad excuſandum ipſum pœnitentem ab integritate confeſſionis, cùm non habeat maiorem obligationem Confeſſarius, quàm pœnitens, ad ſeruandum illud præceptum. Et hoc intelligo, quando defectus procedit ex culpa graui Confeſſarij. Quando verò non procedit ex eius culpa graui, multò minor cauſa ſufficit ad excuſandum Confeſſarium: quia ipſe poſtea non adſtringitur præcepto integritatis; ſed alio præcepto procurandi, ne ex ſua actione pœnitens moueatur ad violandum præceptum integritatis; quæ obligatio minor eſt, quàm obligatio ad integritatem. Quod in aliis præceptis manifeſtum eſt. Nam, ſi inculpabiliter dixiſti alicui, non eſſe obligationem audiendi Miſſam, vel ieiunandi tali die; minor cauſa ſufficit, vt excuſeris ab illo poſtea admonendo, quàm vt excuſeris ab audienda Miſſa, vel à ieiunio. Sicut etiam in materia iuſtitiæ, minor cauſa requiritur, vt excuſeris ab admonendo aliquo, cui bona fide dixiſti, licitum eſſe talem contractum, vel à reſtituēda fama alterius, quam inculpabiliter læſiſti, quàm vt poſſis retinere alienum, vel lædere ſcienter alienam famam. Maius enim ius habet proximus aduerſus me, ne lædam directè illum, quàm vt procurem, ne ex mea actione, bona fide poſita, ſequatur eius læſio. Quare rarò teneretur fortaſſe Confeſſarius qui bona fide decepit pœnitentem circa integritatem confeſſionis, ad illum poſtea extra confeſſionem admonendum: quia regulariter abſque incommodo, & detrimento ſuo id non poteſt facere.

75. *Quid, ſi negatiuè, vel purè omiſſiuè aliquiſſet Confeſſarius.*

Quando verò negatiuè, ſeu purè omiſſiuè commiſiſſet Confeſſarius illum defectum, ſiue culpabiliter, ſiue inculpabiliter id fecerit, credo, poſtea nō teneri extra confeſſionem admonere pœnitentem: quia præceptum integritatis non obligat directè Confeſſarium, ſed pœnitentem: Confeſſarius autem tenetur interrogare, & examinare: quia eſt Iudex, & non poteſt licitè proferre ſententiam, niſi priùs plenè informetur de toto ſtatu cauſæ, & perſonæ, quam debet abſoluere. Vnde, poſtquam ſententiam protulit, & functus eſt officio ſuo, non obligatur ampliùs illo præcepto interrogandi, & examinandi. Aliundè verò ipſe non eſt cauſa, quòd pœnitens poſtea non confiteatur illa peccata, vt ſuppono: quia, nec ipſe id dixit formaliter, nec virtualiter, ita vt pœnitens ab eius auctoritate moueatur ad illa non confitenda, ſed à ſua obliuione, vel imperitia: & licèt debuerit ex officio eum docere in actu confeſſionis, non tamen poſtea: imò, licèt eſſet Parochus eius, & magiſter ex officio; id tamen munus non eſt ad docendum ex notitia confeſſionis extra illud iudicium: nam extra confeſſionem non debet paſcere, nec gubernare ſubditos ex notitia confeſſionis; ſed ſicut, ſi eorum peccata non audiſſet.

Dices: Quilibet debet docere proximum, quem videt propter ignorantiam violare aliquod diuinum præceptum, ſi commodè poſſit: cùm ergo Confeſſarius ſciat, pœnitentem propter ignorantiam violaturum præceptum diuinum circa integritatem confeſſionis, deberet eum monere. Reſpondetur illam obligationem eſſe tenuiſſimam circa aliqua præcepta, quando ſine peccato violantur quare illud incommodum, & tædium, quod ſecum affert loqui cum pœnitente poſt confeſſionem de rebus confeſſionis, & admonere de defectu commiſſo, videtur ſufficiens ad excuſandum in hoc caſu ab ea obligatione, ſi quæ eſt, cùm aliunde nihil detrimenti patiatur pœnitens ex illo defectu; & illa peccata remiſſa iam ſint indirectè per abſolutionem directam ab aliis. 76.

Petes, quid, ſi poſtea redeat idem pœnitens iterum ad confeſſionem; debetne illum in confeſſione admonere Confeſſarius de defectu commiſſo in confeſſione præcedenti? Reſpondetur affirmatiuè: quia iam tunc eſt Iudex iterum; & ad proferendam ſententiam legitimè, debet interrogare de iis, quæ videt à pœnitente per obliuionem, vel ignorantiam omitti. Cùm ergo ſciat omitti ea, de quibus in præcedenti confeſſione debebat interrogare: conſequens eſt, vt nunc debeat inquirere de illis, non tam ad ſupplendum defectum confeſſionis præcedentis, quàm ad procurandam integritatem huius confeſſionis præſentis, & præmittendum examen requiſitum ante abſolutionem. 77. *Pœnitens eſt admonendus de defectu, ſi redeat.*

DISPVTATIO XXIII.

De ſigillo confeſſionis.

SECT. I. *An, & quale ſit præceptum de ſigillo confeſſionis.*

SECT. II. *Quas perſonas obliget hoc ſigillum.*

SECT. III. *Quæ ſit materia huius ſigilli.*

SECT. IV. *Quomodo loqui debeat Confeſſarius ad vitandam reuelationem.*

SECT. V. *Quomodo poſſit Confeſſarius vti ſcientia habita ex confeſſione.*

DIximvs de obligationibus Confeſſariis in ipſo actu confeſſionibus: nunc de illa, quæ conſequitur poſt confeſſionem de ſeruando ſecreto; de qua plura, & vtiliſſima dubia examinanda occurrunt hoc ordine. Primò, de ipſo præcepto, & obligatione. Secundò, de perſonis, quas obligat. Tertiò, de materia, quæ cadit ſub ſigillo. Quartò, quibus modis violetur, vel non violetur.

SECTIO

SECTIO I.

An, & quale sit præceptum de sigillo confessionis.

1. *Confessarius obligatur ad secretum.*

COnstat apud omnes, Sacerdotem debere seruare sub secreto, quæ in confessione audit, ita vt neque Hæretici hoc vnquam negauerint, & ideò non fuerit necessaria peculiaris definitio Tridentini in hoc articulo. Colligitur autem ex vsu, & traditione perpetua Ecclesiæ, & ex Gregorio Papa *in c. Sacerdos, de pœnitentia, dist. 6.* vbi ait, propter nullum scandalum vitandum frangendum esse hoc sigillum, & *ex cap. Omnis vtriusque sexus, de pœnit. & remiss.*

Quæ sit radix huius obligationis.

Controuersia est circa rationem, & radicem huius obligationis. Aliqui primò dicunt rationem esse: quia, si Sacerdos reuelaret confessionem, mentiretur: ipse enim non scit vt homo; sed vt gerens vicem Dei, quæ postea, vt homo manifestat. Hæc ratio reiicitur communiter, & meritò. Primò, quia, licèt id sciat, vt gerens vicem Dei; ipse tamen id scit. Secundò, quia, si diceret saltem, se illud scire vt gerentem vicem Dei, non mentiretur. Tertiò, quia, si ea esset ratio, nec de licentia pœnitentis posset illa reuelare sine mendacio. Quartò, quia non reuelata persona, potest aliquandò reuelare peccatum auditum absque peccato: ergo non mentitur, dicendo illud, quod solùm scit ex confessione. Quintò possumus addere, quia, si malitia mendacij esset radix huius tam strictæ obligationis, illa non refunderet malitiam grauem in hoc peccatum: nam dicere, se scire, quod non scit; non est ex se mendacium graue. Si autem dicas desumi malitiam grauem ex damno graui, quod infertur pœnitenti, vel Sacramento; iam de hoc ipso reddenda est alia ratio, cur, scilicet, semper sit tale, & tam graue damnum, vt non possit compensari aliquando ex vtilitate reuelationis.

2. Aliqui secundò dicunt, rationem esse: quia reuelatio apponeretur significationi ipsius Sacramenti: nam Deus in hoc Sacramento tegit peccata pœnitentis, iuxta illud: *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tectæ sunt peccata*, & hoc ipsum significatur per secretum, quod Sacerdoti imponitur. Quam rationem iudicauit S. Th. *in 4. dist. 21. q. 3. art. 1. in quæstiunc. 1. corpore.* Alij eam impugnant, alij defendunt: sed est mera congruentia moralis: alioquin, neque ex licentia pœnitentis posset reuelari confessio, si hoc esset contra significationem Sacramenti. Nec vllo modo probatur, talem significationem esse essentialem huic Sacramento, cùm verba formæ solùm significarent absolutionem, & remissionem; & aliunde non sit contra substantiam huius Sacramenti, quòd confessio sit publica, vt *suo loco* visum est.

3. Alij ergo hoc deducunt ex obligatione iuris naturæ ad seruandum secretum in rebus sub secreto commissis Sed hæc ratio, licèt probet obligationem secreti; non tamen talem, ac tantam quæ sit quasi super omnia, & in nullo casu relaxari possit, cùm secretum naturale in aliis materiis non obliget cum tanto rigore. Alij dicunt scientiam ex confessione habitam esse sacram, & superioris ordinis, quæ ad solam salutem pœnitentis ordinatur; atque ideò non posse licitè ordinari ad alios fines extrinsecos, & inferioris ordinis. Sed contra hoc est, quòd non est intrinsecè malum, rem superioris ordinis ordinare ad res alioquin bonas, & honestas inferioris ordinis, maximè vt ad finem inadæquatum, & secundarium, sicut Eucharistia, & Missa ordinantur ad impetrandum remedium necessitatis temporalis. Denique, quia iam liceret reuelare confessionē alicui quando, saltem propter bonū superioris, vel æqualis ordinis, v. g. propter conuersionē alicuius regni, aut propter eius conseruationem in fide catholica.

Ratio ergo præcipua, & magis communis est, quæ desumitur ex reuerentia debita Sacramento, cui fieret iniuria reuelando confessionem: nam, si homines scirent, Confessarium posse confessionem reuelare, retraherentur ab illa: constat enim, de facto excusari pœnitentem à confessione sui peccati, quando prudenter timet Confessarium non obseruaturum sigillum; & memini me legisse, quòd apud Abissinos, vel Æthiopes hoc Sacramentum ferè abiit in desuetudinem propter malitiam Sacerdotum, qui sigillum religiosè non obseruabant. Quare, cùm Christus voluerit obligare omnes fideles ad manifestandam integrè suam conscientiam apud Sacerdotem, nihil ei celando: oportebat, vt ex parte Sacerdotis esset obligatio talis, quæ omninò adimeret pœnitenti metum publicationis, & reuelationis, ne ab huius Sacramenti vsu adeò necessariò retraherentur.

Hinc oritur difficultas, an hæc obligatio oriatur ex iure naturæ, suppositā institutione, & obligatione huius Sacramenti, an verò ex præcepto Christi positiuo superaddito. Supponimus nō oriri ex solo præcepto humano: alioquin Papa posset dispensare in hac obligatione, & pœnitētes formidare possent, an hic Confessarius haberet tale priuilegium, quod tamē neq; vnquā factū est, nec aliquis Catholicus cōceder fieri posse. Dubiū ergo est, an sicut ex institutione Eucharistiæ oritur iure naturæ obligatio non sumendi eam in peccato, ne Sacramentum fraudetur suo effectu, sic ex institutione Sacramenti pœnitentiæ oriatur obligatio sigilli, ne homines meritò retrahantur ab hoc Sacramento: an verò, sicut obligatio confitendi ante Communionem non oritur ex ipsa institutione vtriusque Sacramenti, sed ex alio positiuo diuino præcepto superaddito; sic hæc obligatio sigilli adeò stricta oriatur ex nouo Christi præcepto superaddito, & non ex sola institutione Sacramenti Pœnitentiæ.

Pater Vasquez *q. 93. art. 4. dub. 1. n. 10.* dicit, necessarium fuisse præceptum superadditum Christi ad talem obligationem inducendam: cui consentit Pater Coninch *in præsenti, disp. 9. dub. 2. qui n. 34.* affert pro Henriq. *lib. 6. c. 19. n. 3.* Sed immeritò: quia ipse contrariam sententiam ibi tradit, vt vidimus. Probant: quia ex institutione Sacramenti Pœnitentiæ solùm oriebatur obligatio seruandi secretum in gratiam pœnitentis, quando ipse dignus esset, quòd seruaretur; & hoc propter reuerentiam Sacramenti: quòd autem non seruaretur, quando ipse pœnitens non esset dignus, v. g. quia non vult desistere à proditione reipublicæ, quam machinatur; non esset contra reuerentiam Sacramenti; nec enim de hoc possent pœnitentes rationabiliter conqueri, aut ea de causa retrahi ab hoc Sacramento.

Contrariam sententiam supponunt Theologi antiquiores, qui ideò varias rationes conantur adducere ad fundandum hoc naturale præceptum. Eamdem tuetur Pater Suarez *illa sect. 1. n. 10.* & Pater Henriq. *loco suprà citato* eamdem supponit: dicit enim præceptum hoc esse, sicut præceptum non mentiendi, vel non fornicandi, quæ propter nullum merum mortis, aut alind damnum, desinunt obligare, eò quòd mendacium, & fornicatio non sunt media ex se ordinata ad cauenda illa damna: sic etiam violatio sigilli nunquam licet: quia ex se non est ordinata ad cauenda damna, quæ sequi possunt,

possunt. Et licèt appellet illud præceptum positiuum Christi; ideò id dicit, quia ipsa ratio Sacramenti est ex positiua Christi institutione, vt ipse explicat *in principio illius* §. 3.

8. *Obligatio naturalis non semper obligat.*

Pro explicatione huius sententiæ, quam veriorem existimo, supponendum est, loquendo in genere, obligationem naturalem circa aliquam materiam aliquando esse talem, vt non semper obliget, sed exceptiones aliquas in certis casibus admittat: talis est obligatio non accipiendi alienum, quæ non obligat in necessitate extrema. Similiter obligatio non occidendi non obligat in casu defensionis necessariæ: & eodem modo obligatio naturalis seruandi secretum commissum non obligat quando reuelatio necessaria est ad tuendum innocentem, vel rempublicam ab iniuria illius, qui secretum commisit. Aliquando verò obligatio naturalis talis est, vt in nullo casu exceptionem patiatur: talis est prohibitio pollutionis voluntariæ, fornicationis, mendacij & alia eiusmodi, quæ in nullo casu, etiam necessitatis extremæ, vel propter bonum totius reipublicæ, vel vniuersi, licita sunt. Ratio autem differentiæ à priori desumitur ex ipsa materia præcepti, quæ aliquando talis est, vt in aliquibus casibus non afferat præcepti obseruatio maius bonum, quàm cessatio obligationis: maius enim bonum est humano generi, quod in necessitate extrema vnusquisque fruatur bonis aliorum, quàm quòd etiam in illo casu seruetur illæsum ius domini in res suas; & sic de aliis exemplis adductis: è contra verò in aliis materiis magis expedit pati aliqua incommoda in casu particulari, quàm exceptionem aliquam admittere in præcepto, v. g. in fornicatione, maius bonum est, quòd nunquam liceat, quàm illa, quæ aliquando in particulari casu sequi possent ex licito illius vsu. Grauiora enim mala sequerentur, si semel admitteretur exceptio huius obligationis, eò quòd homines ad sensualitatem proni facilè sibi fingerent, vel procurarent eas circumstantias, quod in magnum prolis detrimentum cederet: cui damno communi non præponderat illud, quod in aliquo raro, & particulari casu sequi potest alicui priuatæ personæ ex eo, quòd non sit licita fornicatio. Quod idem de pollutione, mendacio, & similibus dicendum est. Sic etiam legislator humanus propter rei grauitatem, & necessitatem aliquando prohibet, absque vlla prorsus exceptione, provt in Concilio Tridentino matrimonium clandestinum absque vlla prorsus exceptione prohibitum, & irritatum fuit: quia, licèt in aliquo peculiari casu vtilius fortasse fuisset ad vitandum aliquod grauissimum malum, quòd fieri posset matrimonium validè absque Parocho; in genere tamen magis expedit, quòd nunquam possit fieri; quia ex vna exceptione illius præcepti, & prohibitionis, grauiora sequerentur mala in aliis casibus. Quod ergo legislator humanus facere potest, poterit etiam aliquando facere lex ipsa naturalis, & de facto facit in multis materiis: & in hac ipsa materia Sacramentorum, aliqua sunt talia præcepta, quæ supposita eorum institutione, iure ipso naturæ oriuntur, v. g. non suscipiendi Sacramentum Baptismi sine dispositione debita, ne fraudetur suo effectu: non dandi Sacramentum Eucharistiæ peccatori publico, & similia. Difficul, tas ergo est, an obligatio sigilli cum tota illa vniuersalitate, & rigore potuerit prouenire ex ipsa institutione huius Sacramenti absque alio præcepto nouo superaddito.

79. Dicimus itaque, potuisse, provt Theologi videntur communiter supponere, & Ecclesiæ vsus ex ipsa rei dignitate, & necessitate potiùs, quàm ex alio positiuo præcepto, quod certè non constat, collegisse videtur hanc obligationem. Ratio autem esse potest eadem, quæ reperitur in aliis materiis: nam, sicut pollutio voluntaria, v. g. nullo vnquam casu licita est, etiam cum propriæ mortis periculo, etiam cum dispendio, & ruina reghi, cuius salus dependet ex vita huius hominis, qui tali remedio indiget; & hoc totum ideò creditur, quia bonum prolis maioris momenti est, cui maximè aduersaretur licentia possibilis ad pollutionem voluntariam, etiam pro aliquo raro casu: quia homines fingerent sibi, vel procurarent illam casum. Et quidem, cùm casus ille rarissimus sit, satius est, quòd ille particularis patiatur aliquod detrimentum, quàm quòd bonum commune prolis humanæ patiatur in aliis casibus detrimentum ex possibilitate illius licentiæ. Similiter fornicatio in nullo vnquam casu licita est, quia, quamuis in aliquo raro casu certum esse posset, prolem non passuram vllum detrimentum in educatione, vel rebus necessariis, maximè si iam hæreditas opulenta relicta fuisset, & educatores destinati pro filio, quia ex tali concubitu nasceretur: oportuit tamen in re tanti momenti præcauere radicitùs damna illa, quæ poterant prouenire, nulla prorsus spe relicta licentiæ pro aliquo casu.

10. *Cur non liceat confessionem reuelare.*

Hoc ergo ipsum in nostro casu reperiri videtur: nam, si semel, vel in aliquo raro casu liceret confessionem reuelare, daretur occasio dubitandi sæpiùs, an interueniret ratio sufficiens ad reuelandum, & pœnitentes formidarent, ne Confessarius apprehenderet, licere in hoc casu: & quò grauiora essent crimina, eò magis timerent propter maiorem necessitatem, quæ posset esse illa reuelandi ad bonum reipublicæ, vel ad tuendum innocentem, vel ad alia grauissima damna impedienda: quo timore deterrerentur à confessione adeò integra, & sincera suorum criminum: nec poterat hoc aliter impediri, nisi restringendo obligationem secreti naturalis, ita vt omnis prorsus timor licentiæ, vel reuelationis licitæ possibilis auferretur: si enim hæc obligatio relinqueretur, sicut obligatio secreti naturalis, & cum eisdem exceptionibus, vix vllus auderet crimina grauiora confiteri: quis enim vir prudens audet crimen graue suum manifestare, nisi confidentissimo fortasse amico pro remedio necessario postulando? Quomodo ergo auderent crimina grauiora commissa manifestare homini, nec amico, nec aliquando noto, nisi intercederet auctoritas diuina claudens omninò Sacerdotis os absque illis exceptionibus, quas secretum naturale permittit? Oportebat ergo iure ipso naturæ, supposita institutione, & obligatione huius Sacramenti, multò magis restringere huius sigilli obligationem, quàm in secreto naturali: supposita autem necessitate maioris restrictionis, non poterat mortaliter assignari eius terminus, nisi per totalem prohibitionem reuelationis, vt omnia inconuenientia vitarentur: summa enim necessitas huius Sacramenti, in quo potissimè salus fidelium consistit, exigebat non minorem prohibitionem eius reuelationis, quæ confessionem maxima ex parte impediret, quàm sit in pollutione, fornicatione, & mendacio, propter damnum, quod afferunt contra prolem, aut humanum commercium.

11. Objicit Pater Coninch *vbi suprà, n.* 33. quia licèt Confessarius posset reuelare peccatum, quando id necessarium est ad impediendam reipublicæ euersionem; non ideò confessio redderetur odiosa, nec homines ab ea deterrerentur: quia in tali casu pœnitens, vel non debet absolui, vel debet permittere, quòd Confessarius reuelet, quod ne-

cessarium est ad impediendum illud damnum: ergo ex timore reuelationis licitæ non posset magis tunc à confessione abstinere, quàm nunc: siquidem nunc etiam scit, si confiteatur, obligandum esse a Confessario ad permittendam reuelationem peccati ob bonum reipublicæ, & tamen, hoc non obstante, vult confiteri: ergo, licèt sciret à confessario reuelandum, non ideò magis fugeret Confessionem, quàm nunc eam fugere debeat.

12. Hoc tamen argumentum retorqueri potest contra ipsos: quia si non redderetur magis odiosa confessio, nec magis eam fugerent pœnitentes, si Confessarius ipse posset eo casu reuelare, quàm nunc ex eo, quod possit pœnitentem obligare ad reuelandum, vel permittendum reuelare: cur ergo Christus de facto in fauorem Sacramenti prohibuit Confessario, eo etiam casu, reuelare? Certè hæc prohibitio etiam pro eo casu facta apertè ostendit, multò magis odiosam reddi confessionem ex facultate, quam Confessarius haberet ad reuelandum propria auctoritate, quàm ex eo, quòd possit non absoluere pœnitentem, nisi reuelet, vel permittat reuelari. Ratio autem est clara: quia in primo casu pœnitens posset timere, ne confessarius, vel passione, vel zelo, vel ignorantia ductus iudicaret reuelandum, quando poterat suauiori modo remedium aliud adhiberi, vel quando necessitas non exigebat tam extraordinarium remedium: in secundo autem casu, cùm non possit sine ipsius pœnitentis consensu reuelatio fieri, non est vlla ratio timendi à confessione; quia adhuc retinet in se potestatem examinandi obligationem, & cogitandi, an possit faciliori via prouidere sine manifestatione sui peccati:

13. Vnde constat etiam responsio ad fundamentum *suprà*, adductum pro sententia contraria, quæ contendebat, non reddi odiosam confessionem, licèt in illo casu, quo pœnitens non esset dignus, cui seruaretur secretum, eò quòd nollet desistere à machinanda reipublicæ euersione, Confessarius posset illam reuelare: hoc enim ipsum retorqueri potest: siquidem in fauorem confessionis de facto Christus prohibuit, ne illo etiam casu reuelaretur: ergo verè illa facultas reuelandi pro eo casu redderet eam aliquo modo odiosam, & per consequens esset contra eius reuerentiam, si in illo etiam casu absque pœnitentis consensu reuelarentur: quia, licèt ipse de se non esset dignus, quòd seruaretur secretum: reuerentia tamen Sacramenti exigit, quòd etiam indigno seruetur secretum, ne vllus etiam indignus eo timore arceatur à confessione, & ne cæteri timeant, quòd Sacerdos eam licentiam extendat, vel zelo, vel passione ductus: non est enim facile discernere casum veræ necessitatis à casu apparentis, faciliúsque Confessarij omnes scire possunt prohibitionem reuelandi vniuersalem pro omni casu, quàm discernere vnum casum ab alio. Quare, vt ille metus auferretur à pœnitentibus, oportuit toraliter reuelationem prohiberi.

14. Dicet aliquis: Iure naturæ obligamur ad seruandum secretum naturale, & tamen in aliquibus casibus possumus illud reuelare, licèt ex hoc timidiores reddantur homines ad conferendas res suas secretò: ergo, stando præcisè in iure naturæ, nisi accedat nouum præceptum positiuum superadditum, non obligaretur Confessarius ad secretum adeò strictum, & vniuersale, licèt homines redderentur ea de causa timidiores ad manifestanda sua peccata Confessario. Respondetur, negando consequentiam. Ratio discriminis est clara: quia in secreto naturali damnum, quod sequitur ex eius reuelatione, est, quòd aliquis priuetur iure, quod adquisierat ad illud secretum: huic autem damno præponderat bonum publicum, vel ius innocentis, ad cuius defensionem reuelatur secretum: sicut etiam ob bonum publicum priuatur aliquis domo, vel fundo suo, non obstante iure, quod ad illa bona habebat. At verò in reuelatione confessionis, damnum, quod sequitur, non est, quod pœnitens priuetur iure suo, sed, quod Ecclesia careat vtilitate huius Sacramenti; quod quidem est maius damnum quam illud, quod moraliter consequi potest ex retentione sigilli. Nam minus malum est, quod aliqua Respublica, vel regnum euertatur ob conseruationem sigilli, etiamsi casus ueniret, qui tamen nunquam euenit, quàm quòd ab initio data fuisset facultas Confessario reuelandi confessionem in grauissima necessitate; quia ex illa licentia ab initio data, Ecclesia magna ex parte caruisset fructu, & vtilitate huius Sacramenti, quod fuisset grauius malum, quàm euersio vnius regni, etiamsi casus accideret: sicut minus malum est, quòd regnum aliquod euertatur ex eo, quòd non liceat in aliquo casu fornicatio, quàm quod ab initio fuisset licita in aliqua necessitate grauissima: nam ex illa licentia sequuta fuissent grauissima mala contra prolem: quod idem clariùs constat in exemplo *suprà* adducto pollutionis voluntariæ.

Addi potest ratio congruentiæ: quia Christus 15. voluit hoc Sacramentum instituere, quasi quod- *Christus*
dam tribunal visibile ipsius Dei, in quo per suos *fecit hoc*
Ministros iudicaret ea, quæ per semetipsum iudi- *Sacramen-*
caturus erat. Oportebat ergo, vt homo accederet, *tum in*
tanquam ad tribunal ipsius Dei, apud quem quan- *imitatio-*
do in lege veteri, vel naturæ homines confitebantur sua peccata, & deprecabantur veniam, effundebant cum securitate cor suum absque periculo manifestationis. Cùm ergo loco illius tribunalis inuisibilis Deus voluerit subrogare tribunal hoc visibile in terris, expediebat, vt cum eadem securitate ad ipsum posset pœnitens accedere, sicut si accedere ad ipsum Deum; atque adeò, quòd scientia Confessarij intermedij perinde omnino sit, ac si non esset; sed res tota maneat inter Deum, & pœnitentem, perinde se habente omninò Confessario, ac si nihil sciret.

Ex dictis infertur primò, peccatum hoc violatio- 16. *Manifesta*
nis sigilli semper habere malitiam contra religio- *peccatum*
nem, quatenus est contra reuerentiam, & bonum *sit contra*
Sacramenti, vt dictum est: frequenter etiam, sed non *iustitiam*
semper, habere malitiam etiam grauem contra iustitiam, quatenus est contra ius naturale secreti, quod violatur, & quod etiam secluſa ratione Sacramenti obligaret Confessarium. Potrò, non semper contrahere hanc malitiam contra iustitiam, probat Pater Vasquez *num.* 14. quia aliquando contingit, quòd secluſa ratione Sacramenti, Confessarius non teneretur seruare secretum naturale pœnitenti, eò quòd redundat in damnum innocentis, quem pœnitens iniustè lædit: quo casu violatio sigilli erit quidem contra religionem; non tamen contra iustitiam: quia pœnitens non est dignus, quòd ipsi seruetur secretum. Quod videtur etiã approbare Pater Suarez *dicta sect.* 1. *n.* 14. Melius tamen ipse Suarez addit, probabile esse, & meo iudicio probabilius) etiam eo casu peccari contra iustitiam: quia ille, qui rem accipit sub secreto, obligat se ad illam non reuelandam, quandiu non fuerit necesse, seu quandiu necessitas non obligat ad reuelandum: sed Confessarium nulla necessitas obligat, cùm ratione Sacramenti non solùm sit liber à reuelando, sed etiam

etiam sit obligatus ad non reuelandum: ergo tenetur ratione pacti impliciti, quod fuit vniuersale non reuelandi, quandiu potuerit non reuelare. Quod maximè videtur habere locum in hoc Sacramento in quo pœnitens videtur totum illud secretum à Confessario exigere, quod à Christo Domino in hoc Sacramento institutum est.

17. *Sigilli violatione contrahitur aliquando malitia grauis sacrilegij, sine malitia grauis iniustitiæ.*

Cæterùm, licèt ex hoc capite non desit malitia iniustitiæ: potest tamen aliquando contrahi malitia grauis sacrilegij in hoc peccato sine malitia grauì iniustitiæ: quando, v. g. id quod reuelatur, est res parui momenti; nempè, aliquod peccatum veniale, cuius reuelatio paruum, vel nullum nocumentum pœnitenti affert, atque ideò parum inuitus in ea reuelatione est: quare non est materia sufficiens ad culpam moralem contra iustitiam; est tamen sufficiens ad culpam grauem contra reuerentiam Sacramenti, cui grauiter opponitur reuelare etiam peccata venialia pœnitentis, vt videbimus; atque ideò habebit peccatum illud malitiam grauem sacrilegij, absque malitia grauì iniustitiæ.

18. *Malitia grauis contra iustitiam in sigilli violatione interuenit in confessione explicanda.*

Vndè infero secundò, debere in confessione explicari, quando interuenit malitia grauis contra iustitiam, & quando non interuenit in hoc peccato: cùm enim possit reperiri reuelatio sacrilega iniusta grauiter, & non iniusta grauiter; neque ex ipsa confessione reuelationis sigilli colligi possit malitia grauis contra iustitiam debet explicari, quando reperitur: imò etiam, quando non reperitur, ne forte Confessarius intelligat fuisse fractionem sigilli in materia grauì contra iustitiam: præsertim cùm possit aliquando contingere, quòd, reuelatio vnius certi peccati venialis sit etiam grauis contra iustitiam: magis enim aliquando displicet pœnitenti, quod publicetur aliquod peccatum veniale, quàm aliquod aliud mortale, de cuius publicatione non ita curaret

19. *Episcopus potest dicere, quod in confessione audiuit, & in qua.*

Obiici solet ex Concilio Carthagin. VII. *n.* 5. relato *in c. Placuit 9. quæst.* 2. vbi Episcopus supponitur posse aliquando dicere, quod in confessione audiuit. Sed ibi non est sermo de confessione sacramentali; sed de alia externa facta ad Episcopi interrogationem. Similiter opponi solet ex Concilio Moguntino *c.* 10 & 21. vbi significatur, olim fuisse in vsu, vt quædam peccata in confessione audita tacerentur, alia in publicum[a] proferrentur. Respondetur illam publicationem fieri solitam aliquando ex consensu ipsius pœnitentis, qui volebat agere pœnitentiam publicam propter illa peccata. Alias obiectiones affert Suarez *dicta sect.* 1. *n.* 16. & *seqq.* Sed illæ continent varios casus, de quibus *infrà* videndum est, an in eis possit licitè reuelari peccatum in confessione auditum.

SECTIO II.

Quas personas obliget hoc sigillum.

20. DE Confessario ipso non est dubium, cùm pro ipso præcipuè latum sit hoc præceptum sigilli. De pœnitente etiam certum videtur, non obligari sigillo, cùm in eius fauorem impositum sit, & ab eo possit dari licentia reuelandi: tenebitur tamen ad secretum, sicut in aliis materiis, circa ea, quæ Confessarius illi sub secreto dicit; non tamen tenebitur sigillo sacramentali, quidquid dixerit Nauarrus cum aliis, quos affert Suarez *disp.* 33 *sect.* 4. *num.* 2.

Circa alias personas est magna opinionum varietas apud Theologos, quæ oritur præcipuè ex diuersitate fundamenti, quo singuli vtuntur ad fundandum hoc sigillum, vt constabit discurrendo, per singulas personas in particulari. Primò ergo dubitatur de interprete, quo vtitur aliquando pœnitens ad confitendum; de quo Caiet. & Sotus apud Suarez *ibi num.* 4 negant obligari sigillo, sed secreto arctissimo, quod fatetur Sotus, in nullo casu licere reuelare. *De interprete*

21. Contraria sententia est communis, quam tenent Nauarrus, Ioannes Medina, Gabriel, Petrus de Soto, Syluester, Richard. Palud. Adrian. Vignerius, Victoria, Ledesma cum aliis, quos afferunt, & sequuntur Suarez *vbi suprà*, & Vasquez *quæst.* 93. *art. quart. dub.* 2. *n.* cum S. Thom. *in* 4. *dist.* 21. *quæst.* 3. *art.* 1. *quæstiunc.* 3. Et probari potest primò ad hominem: quia aduersarij fatentur obligari secreto strictissimo, quod nunquam liceat reuelare ad hoc autem non potest obligari solùm ratione secreti naturalis, quod in multis casibus reuelari licitè potest: ergo intuitu Sacramenti, atque adeò peccât non solùm contra iustitiam, sed etiam contra religionem. Alioquin, quando nullum, vel exiguum nocumentum afferret pœnitenti, liceret saltem absque peccato graui reuelare confessionem, vt *suprà*, dicebamus: quod tamen aduersarij non concedunt: ergo fatendum est esse obligationem ex virtute religionis: ergo erit obligatio sigilli, vel certè erit quæstio de vocibus: hanc enim appellamus obligationem sigilli, quæ oritur ex reuerentia Sacramenti, & obligat ita strictè, vt nullo vnquam casu liceat reuelari.

22. Ratio à priori, tam pro interprete, quàm pro aliis, desumenda est ex fundamento proprio huius sigilli, quod quidem, vt vidimus, imponitur propter reuerentiam Sacramenti, & ne Sacramentum confessionis teddatur onerosum, & inutile: ideò quæcumque manifestatio peccati, quæ fit ad finem seruandi præceptum, vel certè faciendi eam confessionem, quam Christus instituit, affert secum illud sigillum adeò firmum, & priuilegiatum, vt omnes perindè se habeant, ac si nihil scirent, vel audiuissent. Cùm ergo interpres non habeat aliam notitiã nisi quam accepit, vt organum medium, per quod pœnitens loquutus est, & per quod Confessarius audiit: non poterit vti illa notitia, quæ tota sacramẽtalis est: sicut, si ipsæ aures Confessarij, vel pœnitentis lingua haberent facultatem intelligendi, & libertatem ad dicendum aliis, quod per illas auditum, vel dictum est, independenter à voluntate pœnitentis, non liceret eis id facere: quia tota illa fuerat notitia sacramentalis.

23. *Non minùs obligat ad sigillũ confessio peccatorum venialium, quàm mortalium.*

Dicet aliquis: Christus non obligauit ad confitendum per interpretem: ergo confessio illa, & notitia, quæ interpreti datur, non est ad seruandum preceptum Christi: & per consequens non debuit dari sigillum pro illa notitia, quæ necessaria non est ad præceptum confessionis obseruandum. Sed contra: quia neque etiam Christus: præcepit confessionem peccatorum venialium & tamen eorum confessio non minùs obligat ad sigillum, quam confessio mortalium. Ratio autem est: quia sigilli obligatio, vt diximus, ponitur, ne Sacramentum à Christo institutum, & remedium tanti ponderis reddatur inutile, & odiosum propter periculum reuelationis: ad hoc autem necesse est, vt tota notia, quæ necessaria est, non solùm ad implendum præceptum, sed etiam ad suscipiendum illud remedium, habeat eiusmodi indemnitatem, & securitatem secreti inuiolabilis. Vndè confessio etiam secunda eorumdem peccatorum, quæ certè necessaria non est, nec ad iustificationem, nec ad præceptum Christi obseruandum, non minùs affert obligationem sigilli, quàm prima confessio, per quam Christi præ-

ceptum obseruatur. Quod dictum est de interprete, dicendum esset de internuncio, si per internuncium confessio fieri posset, vt notat Suarius *dicta sect. 4. num. 5.* quia eadem est ratio de illo, & locum habere potest in nuncio, per quem petitur facultas à Superiore ad absolutionem à peccato reseruato, vt *infrà* videbimus.

24. *De confiliario.* Secundò dubitatur de consiliario, quem Confessarius consulit, ad sciendum, quid debeat cum pœnitente facere in aliquo casu. Ioan. Medin. *Cod. de Confess. quæst. de his, qui confessionem celare tenẽtur. in fine*, absolutè negat, teneri ad sigillum, siue Confessarius ex licentia pœnitentis, siue iniustè illum consuluerit: Vasquez verò *dicto dub. 2. n. 10.* negat casu, quo ex consensu pœnitentis, vel iustè notitiam acceperit: sub qua distinctione in eam sententiam validè inclinat Coninch. *in præsenti disp. 9. dub. 3. à n. 40.* vbi pro ea affert etiam P. Henriquez *lib. 6. cap. 20. n. 3.* Sed Henriquez, & ipse Coninch *num. 50.* fatentur Consiliarium, licet non teneatur sigillo; teneri tamen ad seruandum secretum strictissimum, quod nullo prorsus casu reuelandum sit quare videtur iam reduci controuersia ad quæstionem de nomine, vt *suprà* notaui, Denique eandem sententiam defendit Diana *1. tom. tract. 1. miscellaneo resol. 14.* vbi pro ea affert Nusium, Onuphrium, & Mogalam.

25. Contrariam sententiam affirmantem teneri sigillo, vt omninò certam tradit Suarez *dicta sect. 4. n 6.* vbi affert Paludanum, Nauarrum, Adrianum, Petrum de Soto, Ledesmam, & Viguerium. Eandem tenent Filliucius, Bonacina, Syluius, Pitighianus, & alij, quos affert Diana *loco citato*, & communem esse ferè omnium fatetur Coninch. *dicto. n. 50.* Quæ nobis etiam amplectenda omninò est. Probat primò Nauarrus *in Summa, c. 8. & in c. Sacerdos de pœnitentia, dist. 6.* quia res, ad quemcumque transeat, cum suo onere transit, *c. ex Litteris, de pignoribus*, vt si res erat pignorata, vel hypothecata, semper transit cum eodem onere: res autem in confessione manifestata habet hoc onus, vt taceri debeat, quod onus priùs afficit rem ipsam, & deindè personam: ergo semper transit cum eodem onere. Hanc rationem latè impugnat Vasquez *numero 12.* probans hanc obligationem sigilli: cùm sit obligatio ex præcepto, priùs afficere personam, cui imponitur præceptum: quare non est, sicut in pignore vel hypotheca. Aliundè etiam impugnari potest: quia res sub naturali secreto manifestata alicui non transit semper cum illo onere: nam, si ille iniustè eam deferat ad Iudicem, Iudex procedit ad inquirendum iudicialiter: ergo nec in confessione deberet res transire ad alios cum eodem onere.

26. Secundò probant Suarez, & alij: quia consiliarius ille habet se ex parte Confessarij complens cum illo, quod Confessario deerat, quoad clauem scientiæ: quare videtur participare eamdem sigilli obligationem, quasi complementum Ministri. Hæc etiam ratio non videtur efficax: quia consiliarius verè non habet clauem ad Sacramentum, cùm possit esse merus Laicus; sed habet scientiam, qua instruit Confessarium, vt ipse habeat clauem scientiæ sufficientem: ex eo autem, quòd aliquis sit Magister Confessarij, nullo modo est Confessarius, aut participat eius claues

Meliùs probatur tertiò ab absurdo: quia, si consiliarius, cui ex licentia pœnitentis manifestatur peccatum, non tenetur sigillo, sequitur, Sacerdotem, postquam illud consiliario reuelauit non teneri sigillo cùm sciat iam illud peccatum tali notitia liberiori, qualem consiliario dedit. Ad hoc argumentum respondet Pater Coninchus *numero 49.* negando sequelam: quia Sacerdos narrans illud peccatum conciliario, id facit, vt merum instrumentum pœnitentis: quare non potest excedere intentionem ipsius, atque adeò non potest per illam narrationem vlli, nec sibimetipsi dare nouam illius peccati cognitionem, nisi quatenùs hoc ei pœnitens concessit, qui nullo modo intendit Sacerdoti dare nouam cognitionem.

Sed contra hanc responsionem vrgeri potest illud argumentum: nam si consiliarius ipse ex voluntate pœnitentis accipit cognitionem omninò liberam per te à sigillo, ipse consiliarius posset rem illam, quam iam scit, narrare de nouo Confessario absque sigillo: vndè iam Confessarius, non quidem à pœnitente, sed à consiliario haberet nouam notitiam illius peccati liberam ab obligatione sigilli: nam, sicut consiliarius posset licitè, vel illicitè illud peccatum aliis narrare absque violatione sigilli nec illi etiam sigillo tenerentur; sic posset eodem modo narrare ipsi Confessario, vt eum à sigilli obligatione liberaret.

Quartò, & à priori probatur: quia tota notitia, quam Confessarius habet, est ex confessione; & ideò subordinatur voluntati pœnitentis omninò, vt non nisi ex eius consensu possit communicari; & à fortiori, vt non nisi cum tali; vel tali limitatione communicetur: qui enim potest concedere, & negare vsum illius notitiæ, poterit à fortiori cum limitare, Porrò notitiam illam, non solùm quoad se ipsam, sed suos effectus, subordinati voluntati pœnitentis, constat: quia etiam aduersarij fatentur, si casu aliquis iniustè à Sacerdote accepisset notitiam peccati, obligari sigillo & non posse vti illa notitia, nisi de consensu pœnitentis. Posset ergo pœnitens tunc ei concedere, quòd vteretur ea notitia, & loqueretur cum duobus, vel tribus de re illa: quia, nimirum, notitia illa haberetur solùm ex notitia, quam per confessionem hiberat Confessarius; & ideò omnis alia notitia ex illa orta semper manet sub potestate pœnitentis. Sed potest pœnitens, non data Confessario alia notitia sui peccati, concedere illi, vt det notitiam consiliario: ergo notitia illa, quam habebit consiliarius in eo casu manebit subordinata pœnitenti, cùm sit notitia solùm habita ex notitia per confessionem data.

Respondebit aliquis ex doctrina Patris Coninchi *numero 45.* eo ipso, quòd pœnitens det licentiam Confessario consulendi alium virum doctum, dare illi aliam notitiam sui peccati extra confessionem, quam possit communicare consiliario, quare notitia consiliarij non haberur etiam mediatè ex cognitione sacramentali. Sed contrà primò: quia, si hoc esset, iam Confessarius ex vi illius notitiæ, extra confessionem datæ, posset loqui sine obligatione sigilli, etiam cum aliis, & multò magis cum ipso pœnitente pro habito: consequens autem est falsum: quia præter actum consulendi illum Doctorem, manet ligatus sigillo, sicut anteà. Contrà secundò: quia potest pœnitens illi, qui iniustè accipit notitiam sui peccati à Confessario, nulla alia notitia ei data permittere, quod vtatur illa in ordine ad talem, vel talem effectum solùm: ergo poterit etiam ipsi Confessario permittere, vt vtatur notitia confessionis in ordine solùm ad talem: vel talem effectum consulendi Doctore; & hoc nulla alia data ei notitia peccati: tunc autem notitia consiliarij, erit mediatè ex sola notitia confessionis: ergo manebit sub eodem sigillo, sicut quælibet alia, quæ pendet, à sola notitia confessionis, hæc autem est de facto intentio pœnitentis dantis

dantis illam licentiam : vult enim illam dare eo meliori modo, quo possit retinere obligationem sigilli, quantùm fieri possit.

30. *Consultus à duobus confessariis circa eadem quomodo se gerere debeat.*

Hinc inferò, quando aliquis consultus est circa idem peccatum à duobus Confessariis, quibus pœnitens seorsim confessus est, debere cum singulis loqui, ac si alia via illud non sciret : nec posse vni dicere aliquam aliam circumstantiam diuersam, quam ab altero didicit, sed singulis respondere debet iuxta ea, quæ singuli narrant. Poterit tamen dicere sub conditione: *Si res non esset hoc modo, sed alio diuerso cum tali circumstantia, aliter dicendum esset.* Hoc verò ipsum debet cautè facere, & saluo sigillo.

31. Objiciunt primò, quando pœnitens dat licentiam Confessario virum doctum consulendi, perinde est, ac si ipse pœnitens consuleret virum doctum : facit enim per Confessarium, quasi per internuncium, quod faceret per seipsum : si autem per seipsum immediatè consuleret, non obligaret consiliarium ad sigillum, cùm loqueretur omninò extra confessionem : ergo consulendo etiam per Confessarium non obligat ad sigillum. Respondetur, negando maiorem : nam in primo casu notitia consiliarij nullo modo penderet ex confessione, sicut pendet in secundo casu : & ideò non per se, sed per Confessarium vult pœnitens consulere Doctorem, vt tota illa notitia habeatur, & maneat sub eodem sigillo. Quæ cautela adhiberi etiam solet respectu ipsius Confessarij : quando enim aliquis vult aliquem frequenter consulere de aliqua materia, confitentur priùs illi, & dicit ei sub sigillo rem ipsam, & posteà dat illi licentiam, vt saluo sigillo possit cum ipso solo loqui de re illa extra confessionem. Ecce tunc extra confessionem consulit sæpiùs, & confert cum Confessario de re illa : & tamen, quia non vult dare ei aliam notitiam, nisi dependenter à prima, quam habuit ex confessione, semper manet sub sigillo : quod non esset, si ipsum absque præcedente confessione consuleret.

32. Objiciunt secundò, quia Christus imponens obligationem sigilli, solùm voluit prospicere ei peccatorum narrationi, quæ necessaria est ad obtinendam sacramentalem absolutionem, quam instituerat : ad hunc autem finem non est necessarium, quòd Confessarius alium consulat, præsertim ita vt persona pœnitentis cognoscatur : eiusmodi enim consultatio fieri solet : quia Confessarius dubitat de aliqua obligatione pœnitentis, v. g. ad restituendum, vel ad relinquendam occasionem, vel abstinendum à contractu, vel à matrimonio, & similibus : quæ quidem non sunt necessaria ad absolutionem : ad hanc enim sufficit confiteri peccata & proponere in futurum facere id, quod viri docti licitum indicabant : quare consulatio illa tam esset necessaria, etiam si non fuisset institutum Sacramentum pœnitentiæ, cùm solùm requiratur ad hoc, vt pœnitens obseruet legem, Dei, & vitet peccata in futurum : ergo obligatio sigilli non est imposita ad illam consultationem, cùm necessitas consultationis nec oriatur ex institutione Sacramenti, nec sit ad obtinendam absolutionem sacramentalem, qui fuit finis adæquatus illius sigilli. Ita arguit Coninch *n.* 43.

33. Respondetur in primis, aliquando consultationem esse necessariam ad absolutionem obtinendam : quia dubitat Confessarius de sufficientia dispositionis, vel de facultate sua ad absoluendum. Sed quidquid sit de hoc, admittimus, sigilli obligationem positam esse ad illum finem, & non ad finem consultationis. Cæterùm, quia ad finem absolutionis obtinendæ, manet sub sigillo confessio, & omnis notitia, quæ ab ipsa dependet ; manet etiam notitia consultoris, quando datur dependenter à notitia confessionis, vt diximus. Oportuit enim ad securitatem pœnitentis, quòd confessio ita maneret sub sigillo, vt omnis notitia, quæ ab ipsa confessione penderet, maneret etiam sub eodem sigillo ; atque adeo, quòd solus pœnitens possit dare licentiam communicandi illam notitiam aliis. Si pœnitens autem potest negare, & concedere communicationem illius notitiæ, poterit etiam limitare illam communicationem ; quia ad eum pertinet limitare licentiam, ad quem pertinet eam concedere, vel negare. Potest ergo pœnitens concedere Confessario licentiam communicandi illam notitiam, sed limitatam ; id est, manentem sub eodem sigillo : quod totum non fuit inductum ad finem consultationis, sed ad finem confessionis, vt magis securè confiteretur, sciens, totam illam notitiam confessionis, & omnem aliam ex illa deriuatam manere sub sigillo, cuius clauem haberet ipse solus pœnitens, & quòd posset, vel totaliter : vel solùm ex parte aliqua aperire pro suo libito.

34. *De Prælato.*

Tertiò principaliter dubitatur de Prælato, seu Superiore, à quo petitur licentia ad absolutionem à peccato reseruato, de quo Coninch *vbi suprà, n.* 47. docet, idem dicendum esse, quod de consiliario, quando extra Sacramentum petitur illa licentia ; secùs quando petitur à Confessario ex licentia pœnitentis, qui solùm ex confessione nouit illud peccatum. Henriquez *dicto c.* 20. *num.* 3. dicit, proximè accedere illam obligationem ad sigillum Sacramenti, atque adeò in nullo casu posse violari, licet secretum naturale posset. Pater Suarez *dicta sect.* 4. *n.* 3. dicit, Superiorem teneri eâdem obligatione sigilli, sicut Confessarium ; & affert pro se Victoriam in *Summa, n.* 190. *de confess.* Et hoc dicendum planè est absque distinctione : quia notitia illa, quam Prælatus accipit à Confessario, semper oritur ex notitia, quam ipse in confessione inchoata accepit à pœnitente : quare iuxta regulam *suprà* positam transit cum eâdem obligatione ex intentione pœnitentis.

35. *Quid si recurrat subditus per se.*

Magis posset dubitari, quando non per Confessarium, sed per se ipsum recurrit subditus ad Prælatum, & petit ab eo licentiam, vt absoluatur à reseruato : quia ille recursus non videtur esse confessio sacramentalis, cùm non sit in ordine ad absolutionem ab eo obtinendam, sed petitio licentiæ confitendi. Adhuc tamen in eo casu videtur esse obligatio sigilli : quia Auctores citati fatentur, tunc etiam Prælatum teneri ad secretum arctissimum, nullo vnquam casu violabile : hæc autem tam stricta obligatio non potest esse solùm ex iustitia, aut secreto naturali, vt vidimus ; sed debet esse ex virtute religionis propter reuerentiam Sacramenti, atque adeò non differt à sigillo, nisi in vocibus, quatenus non oritur ex confessione immediatè, sed per ordinem ad confessionem. Ratio autem est quia hoc etiam necessarium est ad finem Sacramenti, cùm à peccatis reseruatis non possit obtineri absolutio directa sine consensu Superioris.

36. Sed objicit Coninch *num.* 44. non esse hoc necessarium ad finem Sacramenti, cùm possit subditus confiteri eidem Prælato immediatè : non ergo fuit necessarium imponere obligationem sigilli, etiam quando recurritur pro licentia. Sed contra hoc est in primis, aliquando non posse subditum Superiori confitetur : quando, v. g. Superior non est Sacerdos, nec potest absolutio obtineri, nisi petita ab eo licentia, vt alius absoluat. Vnde, quamuis id petat per Confessarium, perinde est, ac si peteret per seipsum ; & in vtroque

casu retinet ius ad sigillum, cum in vtroque casu compareat coram Superiore ad obseruandum Christi præceptum, & obtinendam absolutionem sacramentalem. Et licèt possit aliquando petere per Confessarium facultatem, non nominando personam; hoc tamen est per accidens: potest enim Confessarius nolle id onus assumere, & Superior etiam potest validè nolle dare licentiam, nisi compareat, vel nominetur subditus. Quare, si subditus se vult manifestare Superiori, habet ius ad sigillum, faciendo id, quod per se requiritur ad finem Sacramenti.

37. Dices: Quando subditus recurrit ad inferiorem, & inferior petit licentiam à Prælato, non interuenit vlla notitia ex confessione: quia illa notitia data Confessario inferiori, non potuit esse confessio sacramentalis, cùm non fuerit coram legitimo Iudice, quippe qui nondum habebat iurisdictionem: ergo notitia, quam postea inferior dat Superiori, non procedit ex notitia confessionis, sed ex notitia data extra confessionem. Respondetur, neminem dubitare, quod Confessarius inferior accipiat tunc sub sigillo illam primam notitiam, vt notat Suarez *sect. 2. n. 4.* quia, licèt illa non sit confessio legitima: est tamen inchoata confessio, & in ordine ad absolutionem sacramentalem ab eodem obtinendam: quia licèt non habeat pro nunc iurisdictionem completam ad hoc peccatum: habet tamen illam inchoatam, quatenus habet à Christo claues per potestatem Ordinis; & est iudex, ad quem spectat iudicare, an hîc, & nunc sit reseruatum hoc peccatum, & an sit causa absoluendi ab illo sine recursu ad superiorem, quod sufficit, vt debeat illud accipere sub eodem sigillo.

Adde, adesse bonam fidem ex parte pœnitentis, qui putat, illum esse legitimum Iudicem, atque ideò ex parte ipsius fuit confessio sacramentalis: quod sufficit ad inducendum sigillum, vt *infrà* videbimus: vel certè, si pœnitens sciebat, illum non habere iurisdictionem, ad minus volebat per illum petere facultatem à superiore: sicut autem nuncius ad Confessarium, vel interpres obligantur sigillo, vt *suprà* vidimus: sic etiam nuncius, quo quis addit Prælatum, videtur obligari sigillo, sicut ipse Prælatus, & per consequens ex hoc saltem titulo obligaretur tunc Confessarius.

38. *Quid si alicui Confessarius iniquè reuelauit*

Quartò dubitatur de illo, cui Confessarius iniquè manifestauit peccatum auditum in confessione. De quo omnes præter Ioann. Medinam, *suprà* allegatum, fatentur, obligari eodem sigillo. Et constat ex dictis: quia tota illa notitia non aliundè habetur, nisi ex sola confessione: quare tota debet manere sub potestate, & sigillo pœnitentis: Ita Suarez *dicta sect. 4. n. 8.* Vasquez *dub. 2. num. 10.* & alij, quos afferunt.

39. *De eo, qui audit pœnitentē.*

Quintò dubitatur de illo, qui casu, vel ex industria audit pœnitentem, dum confitetur: de quo similiter concedunt omnes, præter Sotum, obligari eodem sigillo: Sotus enim distinxit inter malignè, vel licitè audientem: & non agnouit secretum sigilli, sed aliud inferius. Alij verò dicunt, obligari sigillo: quia tota illa notitia habetur ex confessione, cùm pœnitens nulli loquatur, nisi Confessario, cui peccata manifestat. Videatur idem Suarez *ibi*, *num. 7.* & Vasquez *num. 3.* Non est autem eadem ratio, quando aliquis vult adesse aliquos præsentes ad sui confusionem, in quorum præsentia confiteatur Sacerdoti: nam illi non obligarentur sigillo, vt benè notauit Coninch *num. 46.* quia isti non norunt ex confessione; sed ex manifestatione, qua ipsis etiam pœnitens peccata manifestat: illa enim loquutio est virtute multiplex, & provt dirigitur ad solum Confessarium, est confessio sacramentalis; provt verò dirigitur ex intentione pœnitentis ad circunstantes: non est confessio sacramentalis, sed narratio ad confusionem, & humilitatem propriam. Vndè posset etiam tunc Confessarius loqui de illis peccatis absque violatione sigilli, non vtendo scientia provt ex manifestatione sibi facta, sed ex manifestatione facta aliis, quam ipse etiam audiuit. Si verò ex intentione pœnitentis loquutio non dirigitur ad illos, sed ad solum Confessarium, tenebuntur sigillo, vt contingit, quando in naufragio, vel incendio aliquis alta voce confitetur; tunc enim circumstantes obligantur ad sigillum: quia norunt illa peccata ex sola confessione, qua pœnitens soli Confessario vult illa manifestare, & præter eius intentionem ab aliis auditur. Vnde licèt in foro confessus quis esset, & præter eius intentionem ab omnibus audiretur: idem dicendum esset omnes obligari sub sigillo, nec posse ad inuicem inter se loqui de peccatis, quæ audierunt. Sicut, si aliquis idem peccatum confessus esset successiuè omnibus, & singulis Confessariis Romæ existentibus, & hoc ipsum omnibus in confessione dixisset, non possent tamen illi inter seipsos de illo peccato loqui; quia omnes, & singuli ex sola confessione sacramentali illud nouerunt.

Sextò dubitatur de eo, qui se Sacerdotem fingit, & audit confessionem, an obligetur ad sigillum sacramentale: de quo etiam est ratio dubitandi, cum illa non sit confessio sacramentalis, ex qua sola sigillum oritur: quare Sotus apud Vasquez *n. 3.* non videtur illam appellare obligationem sigilli, sed alterius rationis. Communiter tamen omnes agnoscunt eandem obligationem. Vasquez *ibi.* Suarez *sect. 2. n. 3.* vbi affert Gabrielem, Peludanum, & Adrianum. Ratio autem est: quia ex intentione, saltem pœnitentis, fuit confessio sacramentalis, cùm ipse ea intentione confessus sit, vt obtineat absolutionem à Christo institutam.

41. *Qui finxit se Sacerdotem.*

Ex hoc oritur septimum dubium de eo, qui scienter confitetur laico, vel deuotionis, & humilitatis causa, vel ex ignorantia, quia putat esse validam confessionem laico factam; an confessio illa afferat sigilli obligationem. Aliqui, quos affert Suarez *sect. 2. n. 2.* putant, oriri sigilli obligationem: ipse tamen cum communi negat, & Vasquez *dub. 2. n. 7.* Et quidem, quando solùm deuotionis, vel humilitatis causa fit, non est dubium, cùm illa non sit confessio sacramentalis à Christo instituta, etiam in existimatione pœnitentis. Difficultas est, quando pœnitens putat, esse validam, & sacramentalem illam confessionem, saltem in necessitate: nam quando Sacerdos caret iurisdictione, siue ex culpa, siue ex ignorantia Sacerdotis id faciat, & confessio non sit valida; adhuc oritur sigilli obligatio, quia pœnitens putabat esse validam, & idem diximus, quando putabat esse Sacerdotem, & non erat: ergo idem dicendum erit, quando putabat laicum posse validè absoluere: cùm tunc etiam confiteatur ex intentione absolutionis validæ à Christo institutæ.

42. Respondent Suarez, & Vasquez, *locis citatis*, differentiam esse, quòd in primo casu est deceptio ex errore, & ignorantia facti: in secundo autem est deceptio in iure, quod ignoratur. Oportet tamen addere rationem, cur magis ignorantia circa ius tollat sigillum, quàm error circa factum, cùm in vtroque casu pœnitens intenderit absolutionem sacramentalem. Ratio ergo reddi potest hæc, quòd in primo casu pœnitens apprehendit confessionem, & absolutionem veram, quam Christus instituit, scilicet, confessionem factam Sacerdoti habenti

habenti potestatem, & iurisdictionem legitimam, licèt erret putans esse Sacerdotem, vel habere iurisdictionem, qui vel Sacerdos non est, vel caret iurisdictione. In secundo autem casu non intendit, nec apprehendit verum Sacramentum, & absolutionem à Christo institutam; sed aliam fictam, quam ipse ex suo errore sibi fingit: Christus enim instituit confessionem factam Sacerdoti; ipse autem intendit confessionem factam Laico, quam Christus non instituit: quare non mirum, si non oriatur sigillum; hoc enim Christus imposuit in fauorem Sacramenti à se instituti, vt ex illius intentione nemo incurreret periculum infamiæ: iis verò, qui non intendunt tale Sacramentum, sed aliud fictum omninò diuersum, non est annexum priuilegium sigilli. Sicut, si aliquis ex errore putaret confessionem factam coram imagine Crucifixi esse sacramentalem, ille, qui eum auscultaret, non teneretur ad sigillum, cùm illa nullo modo sit confessio sacramentalis à Christo instituta.

43. *Confessio sine intentione absolutionis.* Hinc infertur, quando pœnitens confitetur sine vlla intentione absolutionis obtinendæ, non oriri sigilli obligationem: quia illa non est etiam in apprehensione confessio sacramentalis, quam Christus instituit. Vndè, licèt ipse pœnitens protestetur, se loqui sub sigillo, nihil refert, si verè constat, non accedere ad finem obtinendi absolutionem; quod, vel ex ipsius dictis constare potest, vel ex factis, si appareat, accessisse solùm animo inducendi Confessarium ad aliquod peccatum: è contra verò, si pœnitens confitetur animo obtinendi absolutionem, Sacerdos verò non habeat animum absoluendi; oritur sigillum, ad quod sufficit, & requiritur intentio pœnitentis. Addit tamen Suarez *illa sect. 2. n. 5.* quòd si Sacerdos protestetur à principio se nolle audire confessionem, licèt pœnitens conetur confiteri, & velit eum obligare; non poterit sigilli obligationem inducere: quia non potest inuitum cogere, vt sacramentaliter audiat.

44. *An confessionem audiendam non præ-requiritur consensus Confessarij.* Hoc tamen non videtur omninò in rigore verum, nec satis consequenter dictum: quia ipse *eodem n. 5.* paulò ante dixerat, non requiri intentionem absoluendi in Sacerdote, dum audit confessionem; sed posse esse confessionem validam, licèt dum audiit, habuisset intentionem non absoluendi, nec perficiendi Sacramentum: potest enim postea mutata intentione absoluere absque noua confessione. Et certè ita est, quòd ad audiendam confessionem non prærequiritur consensus Confessarij: nam, si ipso nihil tale cogitante, aliquis moribundus occurrat ei, & dicat: *Pater, ego me accuso de tali peccato: absolue me.* illa certè erit confessio sacramentalis, & poterit eum absoluere: quia in Iudice, ad iudicandum, non prærequiritur intentio audiendi accusationem: sed sufficit eam, & legitimas probationes audisse, etiam absque intentione, vt possit proferre sententiam, ad quam requiritur intentio. Quamuis ergo Sacerdos dicat, se nolle, audire confessionem: si tamen eam etiam inuitus audit, illa confessio sufficiet ad absoluendum intentione mutata, absque noua confessione: ergo illa confessio, quantùm est de se, sufficit ad Sacramentum conficiendum: atque adeò afferret obligationem sigilli, licèt fortasse non afferat obligationem illam secreti naturalis, quæ oritur ex pacto explicito, vel implicito, cùm non potuerit inuitus, & reluctans obligari aliquo modo ex pacto etiam implicito.

45. Aduertendum etiam est, cùm dicimus, requiri ex parte pœnitentis intentionem confitendi sacramentaliter, in ordine ad absolutionem optinendam, intelligendum hoc esse cum aliqua latitudine. Nam licèt pœnitens videat se non esse sufficienter dispositum ad absolutionem habendam, poterit illa confessio inducere obligationem sigilli. Vndè *in c. Quod quidam, de pœnit. & remiss.* dicitur admittendas esse, & audiendas confessiones meretricum, & aliorum similium, licèt non sit danda eis absolutio. Requiritur ergo, quòd pœnitens non solùm consilij petendi gratia veniat, sicut posset venire ad Diaconum, vel ad laicum; sed tanquam ad Iudicem in illo foro; vt iudicet de illius dispositione, & dirigat eum in ordine ad id, quod deesse iudicat, vt possit absolutionem aliquandò obtinere: quare oportet, quod ex parte confessionis velit aliquo modo facere id, quod Christus præcepit. Quæ intentio à posteriori colligitur: nam si in illa qualicumque confessione grauiter mentiretur, putaret se committere sacrilegium contra veritatem, & fidelitatem, ac contra integritatem confessioni debitam: apprehendit ergo eam tanquam confessionem à Christo institutam, & ex parte sua sacramentalem, licèt ob indispositionem non possit compleri per formam Sacramenti.

Addo vlteriùs, non videri mihi necessarium ad 46.
inducendam obligationem sigilli, quòd pœnitens in ipsa confessione habeat propositum firmum recipiendi absolutionem, si Confessarius iudicauerit eum dispositum: posset enim fortasse pœnitens velle confessionem ex se sufficientem inchoare in ordine ad absolutionem, reseruando sibi potestatem, si vellet, postea non exigendi absolutionem, sed differendi eam ad aliam occasionem magis opportunam. Non tamen approbo, quod aliqui faciunt, qui vt Sacerdotem ad sigillum obligent, dicunt se velle confiteri; & postquàm rem, quam volebant, quasi in confessione narrarunt, dicunt: *Pro nunc non curo de absolutione: volo enim illam ad aliud tempus differre.* Hoc inquam, non approbo: quia hi ab ipso initio accedere videntur absque vllo animo absolutionis exigendæ, sed solùm in fraudem, & vt priuilegium sigilli lucrentur, fingunt, se animo absolutionis obtinendæ confiteri, cùm reuerà habeant animum omninò contrarium. Ad inducendam ergo hanc sigilli obligationem, oportet bona fide accedere cum animo non impediendi absolutionem, si Confessarius absoluendum iudicat, vel certè absque animo contrario. Alioquin, quoties aliquis cum Sacerdote loquitur, posset dicere, se loqui in confessione, & cum animo absolutionem suo tempore exigendi.

47. *De eo, qui inuenit chartam.* Octauò dubitatur de illo, qui inuenit chartam, in qua pœnitens sua peccata scripsit ad confessionem faciendam. De quo aliqui dicunt obligari ad sigillum confessionis, Rodrig. Maldetus, Fagund. Graffius, Vega, Viualdus, Nauarra, Delrius, Homobon. Zanardus, & alij, quos affert, & sequitur Diana *2 tom. tract. 4. de Sacram. resol. 112.* quia illa charta est quasi internuncia, & confessio inchoata.

Alij id negant, Suarez *dicta sect. 4. n 5.* Coninch. *n. 50.* Layman, Henriq. Megala, Onuphrius, & alij apud eundem Dianam *loc. cit.* Quæ sententia, regulariter loquendo, videtur verior: quia sigillum, vt diximus, oritur ex confessione: illa autem scriptura non est confessio; sed materia confessionis præparata, vt facilius fiat confessio. Sicut ergo, si pœnitens, dum facit apud semetipsum examen ad confessionem, loqueretur voce intelligibili, ille, qui audiret, non obligaretur ad sigillum: quia non audiuit confessionem, sed præparationem ad confessionem: sic scriptura illa nihil aliud est, nisi præparatio ad confessionem, quam pro sua memoria facit pœnitens: ergo notitia ex illa scriptura non oritur ex confessione: sed ex præparatione pœni-

tentis apud semetipsum ad confessionem. Fateor illos, qui olim dicebant fieri posse confessionem per litteras, debuisse consequenter dicere litteras illas ad Confessarium missas, si ab aliquo interciperentur, & legerentur, obligare ad sigillum: quia illa epistola erat vera confessio: hoc tamen iam non habet locum, cùm confessio per litteras non sit vnquam sacramentalis confessio.

48. *Quid, si mutus cõfiteatur per litteram Confessario præsenti.*

Dixi tamen, *regulariter*, esse veram hanc sententiam: quia adhuc in vno, vel altero casu possumus admittere contrariam habere locum. Primò, si aliquis mutus confiteatur per scripturam Confessario præsenti, & hanc scripturam aliquis casu legeret, maximè dum in ipso actu confessionis est in manu Confessarij, teneretur vtique ad sigillum: quia illa scriptura tunc est loquutio; & confessio propria, cùm non aliter confiteatur mutus ille, nisi per illam scripturam. Imò, licèt post absolutionem aliquis inuenisset eam in confessionali, probabile videtur, quòd teneretur ad sigillum: quia illa videtur esse ipsa confessio manens. Quod in casu aliquo metaphysico contingere posset in ipsis vocibus: si aliquis, v. g. confiteretur per voces in loco, vbi post moram longiusculam ab echo, per reflexionem reuerterentur eadem verba: posset tunc contingere, quòd data interim breuiter absolutione, postea reuerterentur verba vltimi peccati, & aliquis tunc aduenies illa audiret: vidi enim ego locum, in quo post Symbolum ferè recitatum reuertebantur: tunc ille procul dubio teneretur ad sigillum: quia accepit notitiam ab eadem confessione perseuerante in aëre per totum illud tempus. Sic ergo scriptura illa videtur esse eadem confessio, & eadem loquutio pœnitentis permanens in charta, etiam quando iam actu non confitetur.

49. *Quid de legente litteras petentis licentiam, vt absoluatur à casu reseruato.*

Secundò, potest locum habere illa sententia, quando aliquis per litteras peteret à Prælato licentiam ad hoc, vt absolueretur à tali casu reseruato: cùm enim dixerimus *suprà* cum communi sententia, prælatum, à quo petitur licentia, manere obligatum ad sigillum, consequens est, vt ille, qui casu audiret subditum petentem illam licentiam, teneretur ad sigillum, sicut, qui audit pœnitentem confitentem, tenetur, sicut ipse Confessarius. Idem autem videtur esse de illo, qui legit litteras, quibus subditus petit talem licentiam: nam per illas loquitur formalissimè cum Prælato, atque ideó notitia ex iis litteris habita, haberetur omninò ex petitione, qua subditus recurrit ad Prælatum, & petit ab eo licentiam pro suo peccato reseruato. In his ergo, & similibus casibus, si qui essent, admittenda videtur prima sententia: in aliis verò, in quibus scriptura solùm deseruit pro ipso pœnitente, & eius memoria, prior sententia videtur præferenda. Sed licèt non sit obligatio sigilli: erit tamen obligatio grauissima secreti naturalis, & humani.

SECTIO III.

Quæ sit materia huius sigilli.

50. *Peccata omnia, etiam venialia.*

PRimò certum est, peccata omnia mortalia, imò & venialia esse materiam sigilli: cum hoc tamen discrimine, quòd mortalia non solùm in specie, sed etiam in genere: venialia verò in specie, non in genere: potest enim dicere Confessarius: *Iste mihi confessus est sua peccata venialia.* Nam eo ipso, quòd confessus est, supponitur confessus venialia: quare, sicut potest dicere confessum esse: ita potest dicere confessum esse venialia, & pro illis pœnitentiam accepisse. De mortalibus verò non potest dicere, confessum esse mortalia, etiam in genere: quare videtur nec posse dicere, confessum esse peccata venialia grauiuscula, vel plurima: quia horum confessio non arguitur ex mera confessione. Vndè inferunt communiter Doctores, cauendum etiam esse, ne post duorum, vel trium confessiones auditas, dicat Confessarius de solo vno: *Hic mihi confessus est sola venialia.* dat enim occasionem illa singularitas suspicandi, alios confessos esse mortalia. Quando tamen de illo solo seorsim ageretur; non esset contra sigillum, laudare illum de puritate conscientiæ, & quòd in suis confessionibus vix inuenitur absolutionis materia: quia tunc nulla videtur fieri comparatio, aut exclusio aliorum, de quibus non occurrit tunc occasio loquendi.

Huic communi doctrinæ ex parte aduersatur Ledesma 2. *part.* 4. *q.* 11. *art.* 1. *c.* 5. qui dicit, peccatum veniale alicuius dicentem, addendo, se illud ex confessione scire, violare sigillum mortaliter; venialiter verò, si solùm illud referat, non dicens, se illud ex confessione nosse. Hoc tamen alij meritò reiiciunt. Primò, quia gratuitas huius reuelationis non oritur per accidens ex scandalo aliorum; sed propter reuerentiam Sacramenti. Secundò, quia etiam ex reuelatione materiali fit odiosa confessio venialium, maximè cùm aliquis mallet reuelari aliquod suum peccatum mortale, quàm aliquod veniale: v. g. miles nobilis mallet reuelari, quòd strenuè percusserit inimicum, qui eum inhonorauerat: quàm inuidiæ leuis affectum, quem habet contra aliquem commilitonem. Tertiò, addere possumus, quòd si reuelatio materialis non esset peccatum graue, non sequeretur scandalum graue de illa, etiam si constaret reuelari auditum in confessione: cur enim homines prudentes scandalizarentur de reuelatione, quæ in se non esset grauiter contra Sacramentum, nec contra pœnitentem?

51.

Secundò, certum est, obiecta, & circumstantias peccatorum esse materiam sigilli; neque enim minùs retraheret à confessione, horum reuelatio, quàm ipsius peccati: v. g. si aliquis confiteatur, se petiisse debitum ab vxore, licèt haberet votum castitatis; non potest sine violatione sigilli dici, quòd illa habeat votum castitatis. Hinc autem oritur prima difficultas, an peccatum committendum sit etiam materia sigilli: v. g. si aliquis fateatur, se habere propositum occidendi inimicum. Aliqui distinguunt: si enim pœnitens habet propositum adhuc illud peccatum committendi, potest reuelari ei, qui pœnitenti prodesse potest, quia tunc non est materia absolutionis: si verò non habet iam tale propositum, non potest. Quam distinctionem Vasquez *num.* 4. cum S. Thom. *in* 4. *dist.* 21. *q.* 3. *art.* 1. *q.* 1. *ad primum*, dicit, esse erroneam: nam, licèt illud non sit materia absolutionis sine proposito abstinendi; est tamen materia confessionis: alioquin quoties pœnitens non absoluitur propter indispositionem, possent reuelari omnia eius peccata.

Obiecta & circumstantia peccatorum sunt materia sigilli.

Sigillum est etiam materia illius peccati committendi.

52.

Alij aliter distinguunt: si enim pœnitens habet merum propositum, quod nondum exequutus est, non est materia sigilli: si verò iam ex parte exequutus est, erit materia sigilli: vt si propositum habet fornicandi cum ea, cum qua iam semel fornicatus est. Ita Alex. *q.* 19. *membr:* 2. *art.* 2. quem sequitur Syluester, Angelus, Panorm. & alij apud Vasquez *n.* 6. Sed caret fundamento: quia in vtroque casu peccatum futurum habet connexionem cum proposito præsenti, quod est materia confessionis. Limitatur tamen meritò hæc doctrina quando confessio illius propositi non fit verè animo confitendi, sed inducendi Confessarium ad illud peccatum:

peccatum: vt si Hæreticus animo peruertendi Confessarium confiteatur illi tentationes, quas habet ad deserendam fidem, & motiua: tunc enim, si de tali animo constat, posset, & deberet Confessarius peruersum illum Hæreticum denunciare.

54. *An defectus naturales.* Secunda difficultas, & grauior circa eamdem doctrinam, est, an defectus naturales, qui manifestantur occasione peccati, sint etiam materia sigilli, v. g. defectus natalium, vel macula originis, vel ignorantia, quæ reddit indignum officio, quod exercet. Patet Vasquez *num.* 2. dicit, non esse materiam sigilli, quando nullum indicium dare possunt peccati commissi: v. g. si confessus est voluntatem, quam habuit merè internam, suscipiendi aliquod Officium, quod suscipi non poterat cum defectu illo occulto natalium, vel originis, quem patitur. Secùs verò esset, si iam illud officium susceniisset: tunc enim reuelando illud defectum, reuelaret simul, peccasse pœnitentem accipiendo tale officium.

55. Contraria tamen sententia communis est, & vera, quam tenet Soto *dist.* 18. *q.* 4. *art.* 5. *post* 2. *concluf.* Suarez *vbi suprà n.* 5. Coninc *disp.* 9. *dub.* 1. *n.* 13. Bonac. *disp* 5. *q.* 6. *sect.* 5. *punct.* 2. *n.* 10. & alij communiter. Probatur: quia ex horum reuelatione magis odiosa, & onerosa redderetur confessio, quàm ex reuelatione peccati; mallet enim homo sua peccata manifestari, quàm eiusmodi defectus: quos tamen sæpè oportet Confessario dicere ad explicandam speciem peccati, atque ideò obiectiuè videntur esse pars ipsius peccati.

56. *Non omnia à pœnitente dicta remanent sub sigillo.* Contra hoc tamen videtur esse tertia difficultas: quia non omnia, quæ à pœnitente dicuntur ad explicandum suum peccatum, remanent sub sigillo: v. g. si ad explicandam speciem adulterij in turpi desiderio, dicat se esse coniugatum; vel ad aliam speciem declarandam dicat, se esse Sacerdotem, se esse Gubernatorem, Dominum temporalem, & similia; non videntur contineri ea omnia sub sigillo, ita vt peccet mortaliter Confessarius dicens: *Audiui hodie Gubernatorem*, vel *Dominum huius Castelli*, vel *Sacerdotem*, ex quibus nullo modo indicatur eorum peccatum: ergo, quòd aliquid dictum fuerit ad explicandum peccatum, non facit, quòd illud maneat sub sigillo.

57. In hoc puncto distinguendum videtur: nam ex vno capite non possumus negare aliqua eiusmodi, maximè defectus pœnitentis, manere sub sigillo, propter rationem *suprà* adductam: & quia alioquin, si pœnitens se accusat, quod voluit celebrare cum irregularitate occulta ex defectu lenitatis absque peccato contracta, posset Confessarius, absque sigilli violatione, publicare eius irregularitatem, quæ non est peccatum; sed circumstantia illius voluntatis peccaminosæ: quod quidem est contra omnium fidelium sensum. Aliundè verò negare non possumus, quòd multa dicuntur à pœnitente, etiam initio confessionis ad explicandum suum statum, quæ necessaria sunt ad notitiam peccatorum, quæ tamen non videntur exigere sigillum, vt in exemplis *suprà* adductis, qui dicit se esse coniugatum, habere filios, esse artificem, vel mercatorem. Vndè distinguendum videtur circa eiusmodi circunstantias, & recurrendum omninò ad intentionem pœnitentis, qui aliquando eas narrat solùm quasi præpositiuè, & quasi extra confessionem, vt aliquam notitiam præsuppositam det Confessario ad meliùs intelligendum postea suum peccatum; volens supplere notitiam communem, quæ deest Confessario de eius persona, aut de rebus aliis publicis, quas per accidens Confessarius ignorat: & hæc non videntur committi sub sigillo, quando non sunt peccata. Alia verò dicit pœnitens coactus, vt manifestet peccatum suum, quæ non diceret, nisi ad euin finem: & hæc videntur ab eo dici sub eodem sigillo: quia ex modo dicendi satis indicat; se illa dicere nullo modo extra confessionem dicturus: & hoc modo videtur dicere omnia, quæ dicit, nisi ex ipsa publicitate rei constet, solùm priori modo dicta esse. Vndè cum proportione idem credo de peccato alieno, quod est circumstantia peccati proprij: v. g. si pœnitens dicat: *Accuso me, quòd gauisus sum de illo homicidio*, vel *rixa, heri in foro facta.* quàm licèt Sacerdos per accidens ignoraret, cùm publica esset; nihil refert: nam pœnitens illam potiùs præsupponit omnibus notam: & ideò non dicit illam sub sigillo: sed solùm suum peccatum circa illam, tanquam circa obiectum commissum.

58. *Virtutes, & reuelationes an sint materia sigilli.* Hinc infero primò, quid dicendum sit de virtutibus, de reuelationibus, & similibus gratiis, quas in confessione pœnitens manifestat: de quibus vniuersaliter dicunt aliqui non esse materiam sigilli: cùm non sint peccata, nec materia confessionis. Ita loquitur Sà *verb. Confessio, n.* 32. Nauarrus *in c. Sacerdos de pœnit. dist.* 6. *n.* 51. Henriquez *lib.* 6. *c.* 21. *n.* 1. & Bonac. *dicto punct.* 2. *n.* 11. Sed distinguendum credo: aliquando enim prædicta dicuntur ad habendam instructionem à Confessario, vel ad manifestandum integrè conscientiæ statum; & tunc non pertinent ad materiam confessionis, nec pertinent ad sigillum, sed ad secretum naturale. Aliquando verò dici possunt ad declarandum meliùs aliquod peccatum, v. g. ingratitudinem erga Deum post hæc, & illa dona, & beneficia Dei, vel inconstantiam in bono post tale propositum firmum procurandæ perfectionis, & similia, & tunc credo, quòd pertineant ad sigillum, cùm iam sint, saltem in obliquo, materia confessionis: & aliundè apparet, quòd pœnitens non vult illa extra confessionem manifestare, sed retinere illa sub sigillo arctissimo confessionis.

59. *Etiam non necessaria pertinent ad sigillum.* Infero secundò, non solùm pertinere ad hoc sigillum illa, quæ necessaria sunt omninò: sed etiam ea, quæ vtilia sunt, vel certè à pœnitente æstimantur vtilia ad meliùs declarandum suum peccatum. Ita Suarez *dicta sect.* 3. *n.* 5. quia alioquin onerosa redderetur confessio, cùm pœnitens non sciat frequenter discernere: quæ sint necessaria, quæ vtilia, quæ inutilia ad eum finem. Quare, sicut sufficit intentio confessionis sacramentalis, licèt re ipsa ex aliqua causa sacramentalis non sit: sic sufficit intentio dicendi illa, tanquam partem saltem in obliquo, confessionis sacramentalis, ad explicandum peccatum, ad hoc, vt inducatur obligatio sigilli. Vndè obiter infero non solùm vera peccata; sed ea etiam, quæ peccata non sunt, & à pœnitente dicuntur, quia putabat esse peccata, manere sub sigillo propter eamdem rationem.

60. *An defectus alij concomitantes sub sigillo maneãt.* Tertia difficultas est circa defectus alios pœnitentis, quos Confessarius ex ipso modo confitendi colligere potest. Circa quos aliqui videntur supponere: contineri sub sigillo, atque ideò non posse sine eius violatione, Confessarium dicere, pœnitentem esse scrupulosum impertinentiis, & næniis tempus conterere, & caput audientis rumpere, esse morosum, & his similia. Ita Coninch *vbi suprà, num.* 11. Sed verùs credo, non contineri. Vt Nauarrus *capite* 8. *numero* 12. dicit, non esse, contra sigillum, si dicat aliquis, talem pœnitentem obtundere caput Confessarij suis minutiis. Ratio autem est: quia defectus alij manifestantur à pœnitente ad declarandam suam conscientiam, & peccata: & ibi continentur sub sigillo. Alij fiunt hi ab ipso pœnitente, quos Confessarius non audit

audit ex relatione pœnitentis ; sed ipse eos videt, & percipit : & hi, sicut non dicuntur secretò ; sic non sunt sub sigillo. Nam, si pœnitens sit blæsus, si rudis, si hebetis ingenij, qui, & similes defectus in confessione percipiuntur ; non manent illi sub sigillo. Similiter ergo, si ostendit se naturæ molestæ, irresolutæ, durioris ad credendum, qui omnes defectus ibi fiunt, & per consequens non sunt materia confessionis illius, non erunt sub sigillo : sicut, si ibi committeret aliquod peccatum blasphemiæ, contumeliæ in Confessarium, & similia : non erunt, sub sigillo : quia illa peccata non confitetur, sed committit videnti Confessario : nisi peccatum versetur circa ipsam confessionem : vt si peccatum, quod priùs fecerat, neget ; quæ negatio est peccatum nouum ibi commissum : sed manet sub sigillo ; quia non potest illud detegere Confessarius, nisi dicendo confessionem fuisse diminuatam ; quòd iam esset reuelare ipsam confessionem, & eius defectum.

61. *An peccata publica.*

Quarta difficultas est de peccatis publicis, de quibus aliqui dicunt, posse reuelari : vt, si de homicida publico, vel meretrice dicat : *Audiui eorum peccata homicidij, & luxuriæ cum magnis pœnitentiæ signis.* hoc enim magis laudat, quàm infamat pœnitentem. Ita Ioan. Medina *q. de his, quæ à Confessore celanda sunt*, & alij. Sed contraria sententia est communis, quam docet Vasquez *illo art. 4. dub. 6.* Suarez *sect. 3. n. 6.* cum S. Thoma, Bonauentura, Gabriele, & aliis multis, quos affert : quia per accidens est, quòd id resultet hîc, & nunc in laudem pœnitentis : attendi autem debet ad id, quod est per se, scilicet, ne possit vnquam loqui Confessarius de his, quæ audiuit ; ne semel data exceptione, sæpè loquatur sine causa sufficienti.

62. *An aliundè nota.*

Quintò dubitatur de peccatis, quæ iam aliundè Confessarius nouerat, vel postea cognoscet : de quibus aliqui, quorum meminit S. Thom. *in 4. dist. 2. q. 3. art. 3.* dicebant non posse loqui Confessarium ex scientia, quam priùs habebat ; posse tamen ex scientia de nouo post confessionem acquisita. Alij addebant, ex neutra scientia posse loqui. Omnes tamen ferè cum eodem S. Thoma concedunt posse vti sua scientia præcedente, vel consequente confessionem, dummodò non addant certitudinem, vel circunstantiam propter scientiam confessionis. Videatur Vasquez alios referens *dub. 7.* & Suar. *sect. 3. n. 7.* qui cum Alensi aduertit, optimè facturum Confessarium, si tunc addat, vndè illud sciuerit, ad tollendam omnem suspicionem reuelationis.

63. *An liceat reuelare peccatum sine persona.*

Octauò dubitatur, an liceat referre peccatum, non nominando personam pœnitentis. Fatentur omnes, id licere, dummodò non sit periculum, vt in pœnitentis suspicionem veniri possit : ad quod maxima cautela necessaria est propter nasutum aliquorum ingenium ad colligendum auctorem ex aliquo facto narrato. Excipitur autem ab hac regula, quando ex paucis pœnitentibus, quos audisti, refers aliquod peccatum : iam enim singuli aliquid ex illa relatione suspicionis contra se patiuntur. Idem est, si referas peccatum alicuius Religiosi, nominando ipsum ordinem, ex quo iam redundat ignominia Ordinis, & consequenter ipsius pœnitentis, qui est pars illius.

64. *Peccata ciuitatum an reuelanda.*

An verò idem sit de illo, qui dicit, in tali ciuitate esse talia crimina, sodomias, vsuras ; probabiliter affirmant multi, Vasquez *dub. 3. num. 3.* cum Ledesma, quem ibi affert Suarez *sect. 3. num. 8.* Coninch. *disp. 9. num. 16.* Filliucius *tom. 1. tract. 7. c. 11. q. 3. num. 322.* Bonacina *disp. 5. quæst. 6. sect. 5. punct. 4. n. 3.* qui alios afferunt. Et quidem, quando locus non est nimis amplus, & peccatum, seu vitium non esset publicum, non videtur id fieri absque detrimento incolarum, qui patiuntur singula propter talem reuelationem. Aduertunt tamen multi, non incurri hac de causa pœnas reuelantis confessionem : quia non manifestantur peccata pœnitentis, sed ciuitatis, de quo videri possunt plures, quos affert Diana *1. tom. tract. 1. miscellaneor, resol. 13.*

65. *An dicere*

Ex dictis infertur primò, aliquando etiam posse esse contra sigillum, si Confessarius dicat : *Titius petiit hodie mihi confessum est.* Possunt enim esse tales circunstantiæ, vt eo ipso indicetur, eum habuisse aliquem casum reseruatum : vt, si id dicatur de Religioso, qui semper confitetur suo Confessario ordinario, nec potest alteri confiteri sine licentia Prælati ; & aliundè constet non defuisse ordinarium illa die. Peius autem esset, si id dixisset, postquàm ipse Confessarius petierat à Prælato facultatem absoluendi vnum subditum à reseruatis : tunc enim ex vtriusque circunstantiæ coniunctione facilè coniiceret Prælatus, Titium habuisse peccatum reseruatum. Vndè multò minùs Prælatus posset dicere : *Titius petiit à me facultatem totam pro suo Confessario*, per hoc enim magis declararetur, vel indicaretur necessitas pœnitentis.

66. *Quid si vtrumque confiteatur.*

Petes : Si Prælatus dedit mihi hodie facultatem ad absoluendum vnum subditum à reseruatis, pro quo ego petij, non nominata persona ; & dum ille confitetur, veniat Prælatus casu ad me, & inueniat illum confitentem, an obligetur sigillo ad tacendum, quod vidit ; an verò possit eidem subdito dicere : *Ego te inueni confitentem Confessario extraordinario.* Idem quæri potest de alio tertio, qui inuenisset illum mihi confitentem, non teneatur illud habere sub sigillo. Videtur, quòd teneantur : quia dicere illum tali hora mihi præter ordinem confiteri, videtur æquiualenter esse dicere, quòd confitebatur peccata reseruata, vel certè vehementem suspicionem de hoc ingerit. Sicut ergo esset contra sigillum dicere, quòd ille confitebatur reseruata, si aliquis casu audiuisset : sic videtur esse, si dicas confessum mihi fuisse tali hora.

67.

Ego quidem credo Prælatum imprudenter facturum, si de re illa loquatur ipsi subdito, vel vlli alteri : item, tertium illum iniquè acturum, si manifestet, quòd vidit illum confitentem : neutrum tamen credo esse vialatorem sigilli sacramentalis : si enim ille Religiosus iret ad Pœnitentiariam Papæ in Basilica Sancti Petri, licèt daret occasionem suspicandi de casu reseruato, non tenerentur ad sigillum omnes, qui illum ibi vident confitentem. Ratio autem est : quia, qui illum vident, non accipiunt illam notitiam ex notitia, quam pœnitens dat Confessario : sed ex notitia, quam per ipsam actionem dat omnibus, qui eum vident : notitia autem, quæ aliis datur, non est confessio : ergo illa non affert obligationem sigilli, vt *suprà* diximus de illo, qui vult adesse alios testes suæ confessionis, non obligari testes ad sigillum propter eamdem rationem. Aliud verò est de ipso Confessario, cùm dicit mihi pœnitens se velle mihi confiteri ; illa enim est confessio inchoata, & notitia, quam incipit mihi dare, vt Confessario, in ordine ad absolutionem obtinendam : quare ego teneor ad sigillum : illi autem alij, qui vident illam actionem externam, quæ ex se est notitia ad alios, non tenentur ad sigillum, sed solùm ad secretum, ne infament pœnitentem, dum illa actio est secreta, quæ actio, prout in ordine ad alios, non est confessio etiam inchoata, licèt in ordine ad Confessarium sit talis, & ideò eum obliget ad sigillum.

68.

Infertur secundò, quid dicendum sit, quando pœnitens

Quid de complice male manifestato.

pœnitens sine necessitate manifestauit complicem in confessione, an peccatum complicis maneat etiam tunc sub sigillo. Negatiuè enim respondet Ioann. de la Cruz *in direct. conscientiæ, 2. part. 2. de Sacrament. pœnit. quæst. 6. dub. 2. conclus. 2.* quia peccatum complicis materialiter se habet tunc ad confessionem proprij peccati, ad quam non erat necesse illud declarare: vnde infert, posse pro bono communi reuelari, sicut alia secreta naturalia, dummodo ea occasione non declaretur peccatum pœnitentis.

Contraria tamen sententia vera, & communis est quam tenent Suarez, Reginaldus, Malderus, Villalobos, & alij plures, quos refert, & sequitur Diana *2. tom. tract. 4. de Sacram. resol. 111.* quia vt *suprà* diximus, non solùm, quæ necessaria sunt; sed ea omnia, quæ sunt vtilia, vel quæ pœnitens etiam ob ignorantiam putat dicenda esse ad declarandum suum peccatum, manent sub eodem sigillo: alioquin onerosa, & difficilis redderetur confessio; iis præsertim, qui nesciunt discernere, quæ sint omninò necessaria, & quæ possint, vel debeant omitti in confessione proprij peccati.

69. *An detur leuis materia.*

Vltimò dubitari solet, an in hoc peccato violationis sigilli possit dari culpa venialis ex leuitate materiæ: nam ex defectu aduertentiæ non est dubium, quòd possit sæpè contingere: vt, si narrat aliquam historiam, putans non agnosci personam, quæ tamen agnoscitur, & interuenit aliqua imprudentia Confessarij, sed leuis. Item, si Prælatus feruore correctionis aliquod verbum acrius adiungit cum inaduertentia veniali ex notitia aliqua, quam habuerat ex confessione mediatè, vel immediatè. Item, si Confessarius laudans pœnitentem vtatur cum inaduertentia leui aliqua notitia, quam ex confessione peccati habebat. Et in aliis casibus similibus.

70. Aliqui addunt casum, in quo ex leuitate materiæ sit culpa venialis: quando Sacerdos dicit peccatum veniale pœnitentis, nullo modo indicans, se id scire ex confessione: quia tunc nec sit iniuria grauis pœnitenti propter materiæ leuitatem; neque etiam Sacramento, cùm nullo modo significetur, haberi ex confessione. Hæc tamen exceptio non est admittenda: quia reuerà sit grauis iniuria Sacramento: quod à posteriori constat ex eo, quòd si Sacerdos diceret, se illud scire ex confessione, omnes grauissimè horrerent, & confessio venialium fieret valdè odiosa: non sit autem grauior confessio ex apprehensione, sed ex re ipsa; nempe, ex eo, quòd Sacerdos possit aliquando illam reuelare. Vnde, si pœnitentes sciant, posse Sacerdotem id facere, licèt non sciant, illud tunc de facto facere, sola possibilitas redderet odiosam confessionem: ergo oportuit hanc possibilitatem grauiter prohibere ad tollendum illud grauissimum inconueniens. Nam, licèt in aliquo casu particulari nullum inconueniens sequeretur de facto; ex ipsa tamen possibilitate, si illa constaret, grauissimum inconueniens sequeretur. Sicut ergo propter hanc rationem semper est illicita fornicatio, & pollutio voluntaria, licèt in aliquo casu posset vtraque nullum afferre incommodum; sic propter eandem rationem dicendum est de reuelatione cuiuscumque peccati venialis.

71. Faciliùs posset admitti leuitas materiæ, quando res, quæ narratur, est talis, vt sit periculum aliquod ingerendi suspicionem alicui; sed adeò tenue periculum, vel adeò remotam suspicionem, vt non sufficit ad imprudentiam grauem, nec ad grauem irreuerentiam contra Sacramentum. Negari enim non potest non consistere in indiuisibili obligationem non loquendi de auditis in Confessione. Quia aliquando de illis licitè loquimur quando nullum est periculum manifestationis: aliquando est clarum periculum, & est graue peccatum ita loqui: aliquando verò potest esse adeò remotum periculum, vt licèt mel ùs esset tacere, & possit esse veniale loqui, non tamen sufficiat ad mortale.

72. *An pueri plures sint simul audiendi in Confessione.*

Petes, an excusetur à peccato mortali Parochus, vel Confessarius audiens simul plures pueros doli capaces, vel de quibus dubitatur, an sint doli capaces. Nauarr. *in Summa, c. 8. n. 13.* & *in dicto c. Sacerdos. n. 110.* cuius doctrina mihi placèt, respondet, esse graue sacrilegium. Primò, quia Sacramento vtuntur ad iocum, & risum. Secundò, quia exponit mortaliter pueros periculo reuelandi peccata sociorum. Tertiò, quia est contra id, quod dicitur *in c. Omnis vtriusque sexus.* quòd solùs soli confiteatur. Quare ille abusus nullo modo est permittendus, sed grauissimè reprehendendus.

SECTIO IV.

Quomodo loqui debeat Confessarius ad vitandam reuelationem.

73. *Quomodo respondere debeat Confessarius interrogatus de peccato pœnitentis.*

CErtum est, debere hoc secretum seruari, ita vt nec verbis, nec etiam factis violetur, vt indicat textus *in dicto c. Omnis vtriusque sexus*, ibi, *verbo, vel signo, vel alio modo.* Debet item seruari, ita vt nec directè, nec indirectè indicetur peccatum pœnitentis: quia hæc omnia æquè redderent odiosam confessionem, & æquiualenter sunt idem.

Duplex est potissima circa hoc difficultas. Prima, quomodo debeat respondere Confessarius, quando interrogatur de peccato pœnitentis; an possit dicere, se illud nescire, & quo sensu. Secunda est quid debeat dicere Sacerdos, quando non absoluit pœnitentem. Circa primam difficultatem Gabriel *dist. 21. qu. 1. art. 3. dub. 1. casu 3.* dixit, Confessarium interrogatum sub iuramento, & coactum ad respondendum, debere reuelare confessionem, ne sit periurus. Quam sententiam, vt erroneam, rejicit Vasquez *dicto art. 4. dub. 11.* qui *dub 12.* cum S. Thom. & omnibus aliis, quos affert, docet, posse, ac proinde debere Sacerdotem dicere, se nescire illud peccatum: & aduertit benè cum Richardo, non debere tacere; quia ipsum silentium in tali casu non leuem ingereret suspicionem. Ratio autem communis ad excusandum à mendacio in eo casu est: quia ipse debet respondere in sensu interrogationis: interrogatio autem est, aut debet esse an sciat tale peccatum ea scientia, quæ deseruire potest ad illud dicendum, de qua scientia interrogant homines, & de illa intelligi potest responsio. In quo sine causa distinguit Sotus adductus ab eodem Vasquez *ibi* inter hæc verba, *non scio*; & *non audiui*, quasi faciliùs excusari possit primùm, quàm secundum. Sed idem dicendum est de vtroque, cùm vtrumque possit ex intentione loquentis limitari ad scientiam, vel ad auditionem, de qua interrogatio fit, vel fieri debet.

74. *Quid, si interrogans iniustè vrgeat, & determinet sensum interrogationis.*

Difficultas est, quando interrogans iniustè vrget, & determinat sensum interrogationis, petens, an etiam in confessione, & non vt homo; sed vt Minister Dei sciat, vel audierit tale peccatum. Palud. *dist. 21. q. 3. art. 3. n. 37.* & Soto *dist. 18. q. 4. a. 5.* dicunt, non posse tunc negare: quia non restat sensus verus: debere tamen Sacerdotem non respondere, sed acriter reprehendere interrogantem. Hoc tamen aliis non placet; quia si maritus zelotypia ardens id à Confessario interroget, & hic nolit negare, eo ipso pro confesso reputabitur. Ideò cæteri communiter dicunt, posse etiam tunc negare, cum quacumque

cumque reflexione, & reduplicatione interrogatio fiat; quos referunt, & sequuntur Suar. *disp. 31. sect. 6. n. 7.* & Vasq. *dictio dub. 12. n. 7.* Quod tandem in casu necessitatis concessit idem Soto *de tegendo secreto, membr. 3. q. 3.* Et quidem, si vera esset sententia multorum, qui dicunt, excusari à mendacio eum qui profert verba in sensu, quem eadem verba facerent cum limitatione, & restrictione purè mentali, quam exteriùs non significant; non esset difficultas: quia semper posset Confessarius retinere illam limitationem in mente, *non scio, non audiui*, & similia, *vt possim dicere.* Illam tamen sententiam alibi reieci: quia veritas propositionis vocalis consistit in conformitate eiusdem propositionis secundùm significationem externam, quam habet cum mente loquentis: illa autem propositio, si secundùm se non est capax illius significationis; non erit vera ex eo quòd cum aliis verbis, quæ possent adiungi, posset habere aliam significationẽ: sicut imago Petri nõ est similis Petro, eò quòd simul cum alia parte, quæ retenta est in mente pictoris, vel in primo exemplari, esset similis, & conformis Petro: si autem non est conformis, erit mendax, mendacium autem nullo vnquam casu licitum est, etiam ad seruandum sigillum confessionis, cùm sit intrinsecè malum.

75. Ad veritatem ergo propositionis, & responsionis externæ necesse est, quòd voces capaces sint talis significationis, vt possit ex se eum sensum facere, licèt non ad mentem interrogantis. Et quidem illæ voces, *non scio, non audiui*: & similes, si absolutè proferantur certum videtur, quòd possint ex se habere illum sensum, scil. per scientiam, vel auditionem, quæ vtilis sit ad respondendum: sicut, qui habet vnum panem sibi omninò necessarium, verè respondet, se nullum habere, ei, qui petit panem commodatum: quia nullum habet, quem commodare possit, de quo solo ille interrogat, & loquitur. Sic enim loquutus est Christus Dominus iuxta communem interpretationem *Marc. 13.* quando dixit: *De illo die nemo scit, neque Filius hominis*, hoc est, illa scientia, quæ vtilis esset ad respondendum Discipulis interrogantibus: quia, licèt Christus, vt homo, id sciret; sed secretò tamen, quod manifestare non poterat.

76. Hinc tamen infero, etiamsi interrogatio excludat talem restrictionem, posse respondere Confessarium cum illa. Pro quo aduerto, voces nostras (vt suppono ex Logica) significare conceptum, & rem magis tamen directè ipsum conceptum: quia loquutio externa, qualis est vocalis, ordinatur directè ad communicandam mentem loquentis; atque ideò, qui loquitur, directè dicit: *Ego cẽtio.* v. g. *Petrum esse in foro*, quare priùs, & magis directè manifestat suam scientiam, seu mentem, & mediatè, ac indirectè obiectum dictum. Voces ergo ex primaria intentione impositæ sunt ad exprimendum conceptum, & mentem loquentis: vnde si verba illa, *non scio, non audiui*, & similia, imposita sunt ad significandam scientiam talem, quæ apta sit ad respondendum, non potest interrogans auferre ab illis vocibus hanc significationem, ac per consequens poterit respondens vsurpare illas semper in hac significatione, quam habent.

77. Neque obstat, quòd posset etiam Sacerdos absque mendacio dicere: *Ego scio, ego audiui tale peccatum*, quo casu loquitur de illa alia scientia. Fateor enim, voces illas posse proferri in vtraque significatione, sicut quamlibet vocem æquiuocam. Ex hoc autem, quòd æquiuoca sit, & possit ex hominum institutione significare, vel omnem prorsus scientiam, vel illam solùm, quæ vtilis est ad respondendum, consequitur, quòd iniquè rogatus possit semper retinere hanc secundam significationem absque mendacio. Sicut, si aliquis interroget, an videris canem; tu poteris negare, intelligendo de cane marino. Si verò ille vrgeat, an videris canem terrestrẽ; tu poteris semper dicere, *non vidi canem*, quia adhuc poteris retinere vocem æquiuocam in significatione, cuius est capax. Sic ergo Confessarius, quamuis vrgeat interrogans, an scierit, vel audierit etiam in confessione: poterit veraciter respondere, *non scio, nec audiui*: quia sensus est: *Non scio scientia, quæ sit vtilis ad respondendum, me cognouisse, vel audiuisse etiam in confessione*, cuius significationis adhuc est capax illa propositio, cùm sit imposita ad vtrumque æquiuocè significandum.

Dices: Si aliquis interroget: *Vidisti canem terrestrem?* non possum ego dicere, *non vidi*, intelligendo apud me de cane marino; quia interrogatio abstulit æquiuationem: ergo similiter, si interrogor, an sciam peccatum scientia confessionis, non possum dicere absque mendacio, *non scio*, intelligendo de alia scientia vtili ad respondendum. Respondetur, negando consequentiam. Ratio sumitur ex dictis: quia voces semper, vt dixi, significant directè scientiam loquentis vltra totum obiectum, quod significant explicitè. Quando ergo dico: *Petrus dixit mihi tale peccatum*, sensus est: *Scio, Petrum dixisse mihi tale peccatum.* Quando verò dico idem per has voces: *Scio, Petrum dixisse mihi tale peccatum*, sensus est reflexus: *Scio me scire, Petrum dixisse mihi tale peccatum*, ita vt semper subintelligatur significata directè alia scientia loquentis de toto obiecto significato explicitè per voces. Hinc est quando interrogor, an sciam tale peccatum Petri: me verè respondere, *non scio*: quia hoc verbum significat etiam ex institutione hominum scientiam vtilem ad respondendum, qua ego illud non scio. Si verò vrgeas, an sciam scientiam confessionis, & inutili ad respondendum; respondeo etiam verè, *non scio*: quia sensus est: *Scio, me non scire peccatum scientia confessionis*, quæ etiam est vera: quia illud primum, *Scio*, ex institutione hominum significat scientiam vtilem ad respondendum, & tali scientia non scio, me scire tale peccatum, ex confessione, & quascunque reflexiones feceris, semper possum negare: quia semper vltra id totum, quod interrogas, voces meæ addunt aliam scientiam de illo obiecto, circa quam tu non apponis restrictionem, & ego possum illam apponere: tu enim solùm potes apponere restrictionem circa illud quod interrogas non circa illud aliud, quod loquens addit: nempe scientiam de illo, quod interrogas. Si autem interroges de ipsa scientia, loquens addit scientiam reùexam de scientia interrogata: quia hæc est significatio vocum humanarum, vt priùs affirment scientiam de toto obiecto ipsarum vocum.

78. Dices tamen iterum: Ponamus, quòd interrogans præmoneat, & dicat: Scio, has voces habere illas duas significationes: & scio, quòd tu posses cum veritate dicere: *Scio tale peccatum*, si verè illud scias ex confessione. In illo ergo sensu, in quo loquutio illa esset vera, in eo casu, interrogo, an scias illud peccatum: iam tunc interrogans videtur excludere omninò illum alium sensum, quem voces ille possunt facere: ergo non poteris absque mendacio dicere, te non scire in illo sensu. Respondetur ex dictis etiam interroganti eo modo posse respondere Confessarium, *nescio*: quia hoc verbum tunc facit sensũ reflexum, vt diximus, hoc est: *Scio, me non scire tale peccatum etiam in sensu, in quo tu vis à me responderi.* Nam illud primum, *scio*, restat adhuc cum significatione sua: scilicet: *Scio scientia qua vtilis est ad respondendum tibi, me non scire tale peccatum, etiam in sensu à te intento.* Quæ propositio vera est; quia illud

illud primum, *scit*, habet hanc significationem ex hominum institutione, & interrogans non illam excluſit ab hoc, *scio*, reflexo, quod ſemper additur toti obiecto interrogato, nec potuit illam ſignificationem auferre, niſi ad id, quod interrogat, ad quod ego addo aliud, *scio*, reflexum.

80. Vrgebis adhuc, hanc reſtitutionem habere locum, quando Confeſſarius reſpondet per verbum, *neſcio*, vt ſenſus ſit: *Non ſcio per talem ſcientiam vilem*, &c. non tamen prodeſſe, quando reſponderet per verbum, *ſcio*, vt ſi dicat: *Scio, Petrum non eſſe confeſſum tale peccatum.* Ad hoc enim verificandum requiritur, quòd habeat ſcientiam aliquam de negatione talis confeſſionis, quam ſcientiam nullam habet. Si aliquis ergo ita interrogaret.: *Scis, Petrum non eſſe tibi confeſſum tale peccatum*? non videtur poſſe reſponderi ſine reuelatione, aut mendacio: ſicut ob eandem rationem, qui non abſoluit pœnitentem, licèt non poſſit dicere, ſe non abſoluiſſe, non tamen poteſt abſque mendacio dicere: *Ego abſolui eum*, quia nullam habet ſcientiam de tali abſolutione.

81. Reſpondetur tamen, adhuc ad illam interrogationem poſſe dici: *Scio non mihi confeſſum eſſe tale peccatum.* Imò, ſi vera ſunt, quæ *paulò ante* diximus, hoc ipſum dicit, qui reſpondet: *Non audiui tale peccatum.* Nam ſenſus illius ſemper eſt: *Scio me non audiuiſſe tale peccatum*, cùm omnis propoſitio vocalis ſignificet immediatè ſcientiam loquentis de obiecto affirmato, aut negato. Sicut ergo eſt vera illa propoſitio: *Tale peccatum non audiui*, ſic poterit vera eſſe illa alia: *Scio, non mihi confeſſum eſſe tale peccatum*, quæ ſolùm differt in eo, quòd ſit magis explicata. Differentia autem inter has propoſitiones, & illam aliam: *Scio, me illum abſoluiſſe*: ſeu (quod idem eſt) *Ego illum abſolui*, hæc eſt, quòd in his obiectum affirmatum eſt aliquid poſitiuum, ſcilicet, abſolutio, quæ cùm non fuerit, nullam ſcientiam habeo de illa: at verò in prioribus propoſitionibus obiectum eſt negatiuum, ſcil. me non audiiſſe tale peccatum, ad quod ſufficit, me non habere ſcientiam de illo: quod verum eſt: quia, loquendo de ſcientia vtili ad reſpondendum, nullam ſcientiam habeo de tali obiecto: vnde ſicut poſſum dicere: *Scio, me non recordari, quòd audierim tale peccatum*, poſſum etiam dicere. *Scio, me non audiiſſe illud.*

82. Sed contra hoc eſt: quia aliud eſt dicere: *Ego neſcio, Petrum eſſe in foro*, aliud verò: *Ego ſcio, Petrum non eſſe in foro* Ad primum ſufficit, me non habere ſcientiam, ſeu habere ſcientiam de mea neſcientia: ad ſecundum verò requiritur ſcientia de ipſa negatione obiecti, ſeu potiùs ſcire, me habere ſcientiam de negatione Petri in foro: ergo ſimiliter aliud eſt dicere: *Neſcio tale peccatum Petri*, ſeu *me audiiſſe illud*, aliud verò: *Scio, me non audiiſſe*, per hoc enim ſignifico, me habere ſcientiam poſitiuam de negatione confeſſionis, ſeu auditionis talis peccati, qualem ſcientiam nullam habeo. Reſpondetur, quidquid ſit de aliis obiectis: in his tamen, quæ inuoluunt actum meum, idem eſt dicere: *Scio, me non amaſſe*, v. g. aut, *non ſtuduiſſe*, ac dicere: *Scio, me nullam habere ſcientiam de tali amore*, vel *ſtudio*, quia non alio modo ſcio negationem ſtudij, quàm per negationem ſcientiæ, vel memoriæ de tali operatione, quæ remanere deberet in me. Cum ergo, loquendo de ſcientia vtili ad reſpondendum, vt ſæpè diximus, ſciam, me non habere talem ſcientiam de illa confeſſione; ſicut poſſum dicere: *Neſcio*, ſeu, *Scio me neſcire talem confeſſionem*, ſic potero dicere, *Scio, non fuiſſe talem confeſſionem.* quia hoc idem eſt, ac dicere: *Scio, me non habere vllam memoriam, aut ſcientiam de tali confeſſione.* quod verum eſt, loquendo de ſcientia vtili.

Dubitari ſolet, an Sacerdos, etiam non interrogatus, poſſit vſurpare eiuſmodi loquutiones negatiuas, vel affirmatiuas, quas diximus, poſſe vſurpare, quando interrogatur. Negat Durand. *diſt.* 21. *q.* 3. quia ſi Sacerdos diceret, ſe illud peccatum audiiſſe, diceret verum: ergo, ſi dicit, ſe non audiiſſe, dicit falſum: quia ſunt contradictoriæ. Hoc tamen argumentum probaret, quòd neque etiam interrogatus poſſet: quia tunc etiam affirmatiua eſſet vera. Reſpondetur ergo facilè, eſſe contradictorias, ſi ſumantur in eodem ſenſu, non tamen ſi ſumantur in diuerſo, provt ſumi poſſunt, ſicut omnes propoſitiones æquiuocæ, vnde neque iſtæ ſunt contradictoriæ: *Vidi canem. Non vidi canem*, loquendo in vna de terreſtri, in altera de marino. 83. *An Confeſſarius etiam non interrogatus poſſit loqui negatiuè, vel affirmatiuè de confeſſione.*

Pater Suarez *dicta ſect. 6. n.* 8. putat veram ſententiam Duranti, quando Sacerdos diceret, ſe neſcire illud peccatum, etiam ex confeſſione; præſertim, quia loqui de confeſſione, dum de illa non interrogatur, ſemper generat ſcandalum; & eſt aliquod periculum reuelationis indirectè vel ſuſpicionis. Sed meliùs Pater Vaſq. *dub.* 12. *n.* 10. cum Palud. & Soto dicit, non ſolum eſſe veras illas loquutiones, nemine interrogante, cum adhuc tunc poſſint retinere eundem ſenſum: ſed etiam aliquando eſſe illicitas, & vtiles, quando eſſet iuſta occaſio proximum ita defendendi, & liberandi ab omni ſuſpicione.

Quomodo debeat loqui Confeſſarius de illo, quem non abſoluit.

84. HÆc erat ſecunda difficultas *ſuprà* propoſita, de qua Caiet. *verbo*, *Confeſſio*, dicit, non reuelari indirectè confeſſionem, dicendo: *Non abſolui illum*: quia poſſunt multæ eſſe cauſæ non abſoluendi: quod ſequitur etiam Armilla Contratium tamen commune, & verum eſt, quod cum Nauarro, Soto, & aliis tenet Suar. *ſect. 6. n.* 1. licèt aliqui dicant, non incurri pœnas iuris per tale peccatum: quod mihi non placet: nam reuelatio indirecta, qualis hæc eſt, eiſdem pœnis ſubiacet. Fateor tamen id, quod omnes communiter concedunt, poſſe ſine peccato dici, *non abſolui illum: quia non habebat materiam abſolutionis.* Similiter poſſet dicere, ſe non abſoluiſſe: quia pœnitens incepit confeſſionem generalem, quam nondum perfecit, & vult altera die perficere. Item, quia interruptus fui, & vocatus ad alium, & quando redij, non inueni illum, vel propter aliam cauſam ſimilem, quæ ſi non reddatur, negatio abſolutionis apud omnes generat opinionem, vel ſuſpicionem vehementem de caſu reſeruato, vel de indiſpoſitione pœnitentis nolentis reſtituere, vel relinquere occaſionem proximam.

85. Sed, quid, ſi dicat: *Non illum abſolui, quia erat capitoſus, & amicus ſuæ ſententiæ, cuius contrariam ego teneo*? Aliqui dicunt, non eſſe ſacrilegium. Alij id admittunt, ſi addat, eum non habere peccatum mortale; ſed propoſitum rei, quæ reuerà eſt mortalis; licèt ipſe putet eſſe licitam. Sed nec cum ea limitatione placet, quia abſolutio non negatur, niſi propter indiſpoſitionem pœnitentis: quare, ſi negata eſt; quia nolebat acquieſcere ſententiæ Confeſſarij, ſupponitur, quòd debebat ei acquieſcere, & per conſequens non faciebat id, ad quod ſub peccato tenebatur.

Commune dubium circa hoc eſſe ſolet de publico peccatore, quem Confeſſarius non abſoluit, an debeat dicere, ſe eum abſoluiſſe. Caiet. dicit, quòd poteſt *Quid de peccatore publico.*

potest Sacerdos dicere: *Ego audiui illum publicum concubinarium: sed non absolui: quia non egerat publicam pœnitentiam.* Hoc tamen aliis meritò displicet: quia, si erat dispositus, non erat priuandus absolutione: Alij ergo meliùs dicunt, debere Sacerdotem interroganti dicere: *Ego functus sum meo munere*, non potest enim absque mendacio dicere se eum absoluisse, cùm illa propositio non habeat verum sensum. Si autem pœnitens falsò se iactet esse absolutum, non potest Confessarius id negare; sed solùm dicat se fecisse debitum suum. Si verò pœnitens dicat se non fuisse absolutum, quia non erat dispositus: aliqui concedunt posse tunc Confessarium id etiam dicere. Sed est omninò falsum: quia nec peccata ipsa publica audita in confessione possunt reuelari, vt *suprà* diximus. Imò nec placet, quod aliqui addunt, posse Confessarium dicere: *Ipse dicit, quòd ego eum non absolui*, hoc enim ipsum videtur approbare veritatem negatæ absolutionis, nisi aliquo modo constet Confessarium illud non approbare.

86. Quando verò publicum peccatorem absoluisset, quia eum benè dispositum inuenit; potest dicere se eum audisse, & absoluisse: non tamen debet dicere, se eum absoluisse à tali peccato publico, quidquid alij dicant: sed ad summum poterit dicere: *Confessus est mihi sua peccata cum magno dolore, & contritione: & ego eum absolui, prout debebam.*

An debeat dari schedula non absoluto. Si pœnitens, cui negatur absolutio ob indispositionem, petat schedulam suæ confessionis: dicunt aliqui dandam esse: sed cum limitatione, quòd non communicet. Hæc tamen esset reuelatio indirecta impedimenti. P. Coninch. *disput. 9. dub. 1. n. 14.* dicit, quando famuli Principis debent ferre testimonium suæ confessionis, Confessarium debere illud dare iis etiam, quos non absoluit, nec mentiri: quia verum est eos esse confessos. Cui fauet etiam Henriq. *lib. 6. c. 22. n. 4.* vbi dicit expedire, quod detur schedula, etiam tempore præcepti confessionis. Addit tamen posse negari: quia non tenetur Confessarius cooperari occultationi peccati. Vnde Bonacin. *disp. 5. q. 6. sect. 5. punct. 4. n. 7.* dicit, non dandam, ne via fraudibus aperiatur: multi enim improbi deciperent Parochos allato testimonio confessionis in Paschate.

87. *An sit contra sigillum schedulam negari.* Ego existimo, non esse contra sigillum schedulam negare: Confessarius enim nihil dicit, sed solùm non approbat testimonio positiuo illam confessionem, ad quod non tenetur: quid enim, si vsus esset in schedula dicere? *Audiui, & Absolui*, &c. quod quidem absque mendacio dicere non posset de eo, quem non absoluit. Item, numquid publicæ meretrici perseueranti in suo statu deberet dare schedulam confessionis? Sibi ergo imputet pœnitens, si Confessarius non vult positiuè eum defendere, nec etiam condemnare. Addo tamen non esse mendacium, si det schedulam: quia in ea solùm testatur confessum esse. Aliquando tamen poterit habere malitiam scandali, vt si detur peccatori publico, qui non est emendatus, vel etiam occulto, qui eo modo palliat suam iniquitatem, & satisfacit Parochis, ac dominis, eos decipiendo sub specie virtutis. In his, & similibus non deberet Confessarius cooperari, posset tamen alicui, cui per accidens debet differri absolutio ad breue tempus, & sperat rediturum, dare illud testimonium, ne interim incurrat iram domini, vel Principis. Idem dicerem de illo, cui ex iusta causa imponitur à Confessario in Paschate, vt præparet se per aliquot dies ad confessionem generalem faciendam: cui etiam posset dare interim schedula, quando speratur reditus, & profectus.

88. Quando peccatori publico non dispositio negatur absolutio, si ipse postea petat Eucharistiam, neganda est. Quòd si dicat: *Confessus tibi sum, & tu me absoluisti*, respondere potest Confessarius: *Ego in occulto, & secreto Confessionis facio inxta ea, quæ ibi inuenio: in publico autem, seu extra illud forum, inuenio te publicum peccatorem, & non debeo sine satisfactione publica dare tibi Sacramenta*, vel dicat: *De confessione tua nihil scio: sed scio te esse publicum peccatorem, & ideo te repello à Communione.* Quid autem dicendum sit de peccatore occulto in occulto petenti Eucharistiam, dicemus *sect. seq.*

Peccatores publicos aliquando absolui non debere.

An possint absolui qui pœnitentiam non implent. Petes primò, an sit etiam contra sigillum dicere pœnitentiam, quam imposuit pœnitenti. Respondetur affirmatiuè, si pœnitentia excedat illam, quæ imponi solet in confessione ordinaria de leuioribus. Quando verò illam non excederet, v. g. semel orationem Dominicam, & Angelicam, vel vnum Psalmum mediocrem, aut quid simile, Henriq. *loco suprà cit. c. 21. n. 1.* cum Nauarro, quem affert *in Gloss. littera F*, dicit non esse contra sigillum, quod alij Recentiores confirmant: & videtur probabile: quia, sicut non est contra sigillum dicere, quòd confessus est venialia; sic neque erit dicere, quòd accipit pœnitentiam solitam imponi pro venialibus. Hoc tamen limitarem, nisi pœnitentia illa leuis indicet qualitatem peccati: vt, si pœnitentia fuit oratio leuis pro socio suo: quia eum leui verbo pupugerat; posset enim notitia pœnitentiæ dare suspicionem peccati leuis contra socium commissi.

90. *An dum quis confitetur venialia noua sit tenuis.* Petes secundò, an sit contra sigillum dicere de aliquo, qui frequenter confitetur, quòd confessus sit peccata venialia noua. Distinguendum puto: nam, si breue sit tempus ab vltima confessione, id credo illicitum: quia breui illo tempore potuit non committere aliqua, saltem clara, & certa. Si verò tempus longius intercessit, non videtur esse contra sigillum, cùm certum sit, eo tempore aliqua committi, quæ diligens pœnitens primo loco confitetur, & in eorum defectum confitetur antiqua.

91. *An dum parum sit doli capax.* Petes tertiò, an sit contra sigillum de puero, de quo dubitatur communiter, an habeat vsum rationis, dicere, quòd sibi confessus est peccata venialia. Aliqui affirmant: quia de illo non est certum apud alios, quòd habeat peccata venialia, cùm non sit certum, quòd sit doli capax. Hoc tamen videtur nimis scrupulosè dictum: alioquin neque de illo, de quo dubitatur, an sit amens, vel sanæ mentis, poterit audita confessione dicere, esse sanæ mentis, quod est incredibile. Imò ex confessione iudicat Confessarius, an sit puer capax extremæ Vnctionis, an Viatici, an sepeliendus sit vt adultus, & an pro eo offerenda suffragia. Ratio autem est: quia puer non narrat, nec dicit secreto vsum rationis suæ Confessario: sed factis, & modo loquendi, ac discurrendi illum ostendit: quare, sicut diximus *suprà*, defectus ipsos, qui in confessione non dicuntur, sed fiunt, non esse materiam sigilli, à fortiori dicendum hoc est de ingenio, de capacitate, & iudicio, quæ in ipso confitendi, ac loquendi modo manifestantur. Supposito autem, quòd ille sit doli capax, non est contra sigillum dicere, quòd confessus sit peccata venialia. Aliud dicerem, quando aliquis, qui vel ob mortificationem, vel ob interesse temporale se fatuum, & amentem fingit, hoc ipsum in confessione manifestaret, vt sua peccata confiteri posset: tunc enim crederem, sub sigillo contineri illud secretum sapientiæ, & status sui, quod manifestauit Confessario, narrando illud ad declaranda peccata, & committendo illud sub eodem sigillo.

SECTIO

SECTIO V.

Quomodo possit Confessarius vti scientia habita ex confessione.

93. HÆc est quæstio grauissima, & plures complectens difficultates. Prima esse solet circa Prælatos, & Superiores, & quomodo vti possint notitia ex confessione habita in ordine ad subditorum gubernationem, de qua primo loco agendum est.

§. 1. *An, & quomodo Prælatus, vel Superior possit vti scientia habita ex confessione ad gubernationem subditorum.*

DE hoc, vltra alios, latè, & eruditè tractat Thomas Sanchez *lib. 3. de matrim. disput. 16. per totam*, vbi affert duas sententias. Primam communem affirmantem, posse vti ea scientia, dummodo ex vsu nulla possit oriri reuelatio, aut manifestatio directa, vel indirecta peccati pœnitentis. Secundam non ita communem, negantem, id fieri posse; quam ipse veriorem existimat. Sed singulæ ex his diuidi possunt in alias plures, propter varias limitationes, vel ampliationes, aut distinctiones, quas varij Auctores apponunt. Nam aliqui in primis dixerunt, propter correctionem pœnitentes licere reuelare crimen alteri, à quo corrigi possit, vt parenti, v. g. Ita Antisiodorensis apud Vasquez *in præsenti, quæst. 93. art. 4. dub. 8. num. 1.* Alij dixerunt licere saltem ipsi Confessario eum corrigere, amouendo eum, v. g. ab officio propter peccatum, quod ex confessione nouerat; licèt ex hac amotione ab officio alij suspicentur eius crimen. Ita Gabriel apud eundem Vasq. *n. 2.* Vtramque autem sententiam ipse erroneam existimat, & meritò: quia vtraque esset reuelatio directa, vel indirecta confessionis, quæ nullo vnquam casu licita est, vt constat ex *suprà* dictis. Alij dicunt id esse licitum in ordine ad priuandum pœnitentem gratuitis: vt, si Confessarius, propter illam notitiam, non det illi beneficium, v. g. quod decreuerat conferre, vel dissuadeat testatori volenti illum hæredem relinquere; ita tamen vt nullum sit periculum reuelationis, sed alij pretextus quærantur. Alij dicunt posse Superiorem remouere pœnitentem ab officio, si potest eum pro libito amouere; quia tunc vtitur iure suo: secùs, si non potest pro libito amouere: tunc enim subditus habet ius, ne amoueatur sine causa, quæ probari possit. Alij rursus dicunt posse vti ea scientia, dum aliis non detur occasio vlla suspicandi peccatum; etiamsi ipse pœnitens suspicari possit id fieri propter peccatum, quod confessus est. Ita cum aliis Vasquez *vbi supra*, *numero 6.* Alij verò dicunt, etiam non licere, quando in ipso pœnitente suspicio talis generatur. Denique aliqui dicunt, licèt Sacerdos possit vti illa notitia ad non dandum suffragium indigno, vel ad negandum illi Ordinem, quem petit, quando id fieri potest absque reuelatione; non tamen teneri Confessarium ad id faciendum. Ita Thomas Sanchez cum aliis *dicta disp. 16 n. 1.* Alij tamen plures, quos affert *n. 6.* dicunt & magis consequenter, si potest, teneri ne cooperetur electioni indigni, au det Sacramentum indigno.

Secundam etiam scientiam non omnes eodem modo intelligunt: aliqui enim loquuntur vniuersaliter, ita vt in nulla prorsus re vti possit, Confessarius tali notitia; sed perinde se habere ac si eam non haberet. Alij dicunt locum habere solùm in iis, in quibus esset confusio, & pudor pœnitenti: quia eius honori, aut personæ in aliquo præiudicatur. Ita Sanchez *vbi suprà*, *n. 4.* Vnde in corollariis ad casus particulares non omnes eodem modo loquuntur, vt postea vidimus.

94. Ego secundam sententiam libentissimè amplector, ad quam etiam amplectendam impellit nostræ Societatis propensio in eam partem, quam suo Decreto stabiliuit anno 1590. R. P. Claudius Aquauiua, Societatis Generalis, quo seuerè prohibuit, ne vllus vnquam contrariam doctrinam publicè, aut priuatim doceat, câve vtatur. Et quidem post decretum Clementis Papæ VIII. quod anno 1594. die 26. Maij edidit, nescio, quo pacto prior sententia sustineri possit. Pontifex enim Prælatis omnibus Regularibus vsum notitiæ confessionis prohibet, his verbis: *Tam Superiores pro tempore existentes, quàm Confessarij, qui postea ad Superioritatis gradum fuerint promoti, caueant diligentissimè, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem vtantur*, &c. *Atque ita per quoscunque Regularium Superiores, quicunque illi sint obseruari mandamus.* Quæ verba, licèt minùs stricta sint, quàm verba Decreti nostræ Societatis *suprà* adducta: (nam Pontifex solùm loquitur de Superioribus, & de vsu notitiæ ad exteriorem gubernationem; nostrum verò Decretum loquitur de omnibus Confessariis, etiamsi Prælati non sint, & in ordine ad quoslibet pœnitentes, etiam ad sæculares:) adhuc ex Decreto illo pontificio videtur necessariò colligi veritas doctrinæ vniuersalis. Clem. VIII.

95. In quo videtur mihi minùs consequenter loqui P. Suarez *disp. 33. sect. 7. num. 4.* qui primam sententiam dicit, ex natura rei, seu sola ratione spectatam, improbari non posse: id tamen quod per se malum non est, ob periculum mali posse prohiberi. Atque ita videtur ille vsus Regularibus omnibus fuisse à Pontifice prohibitus verbis *suprà* adductis, quæ cùm vniuersalia sint, non debent à nobis limitari, sed simpliciter obseruari. Hoc tamen mihi difficile est: nam, si vsus talis notitiæ licitus esset, non video, quomodo posset à Pontifice in vniuersum Prælatis Regularibus prohiberi. Nam in aliquibus casibus, si licitus esset, esset etiam necessarius ex præcepto naturali, v. g. ne eligatur scienter indignus ad Prælaturam, cùm talis electio sit intrinsecè mala, & afferat grauissimum nocumentum, quod Prælatus debet impedire, si possit. item, si sciret ex confessionis notitia, aliquem non esse Sacerdotem, deberet non designare illum in Confessarium suorum subditorum, ne illi irritas faciant omnes confessiones cum tanto ipsorum detrimento, & irreuerentia Sacramenti. Et tamen etiam in hoc casu prohibet Pontifex vsum talis notitiæ ad gubernationem. Supponit ergo, antecedenter fuisse illicitum talem vsum: alioquin non posset contra naturale præceptum charitatis, & religionis præceptum merè Ecclesiasticum obligare. Simili namque argumento probari solet, confessionem, & absolutionem per litteras, & in absentia esse irritam, & inualidam: quia alioquin non potuisset idem Pontifex prohibere, ne vllo vnquam casu contraria doctrina ad praxim reduceretur: nam, si valida esset, lex naturalis obligaret ad absoluendum in casu extremæ necessitatis moribundum absentem, cui præcepto charitatis non posset vlla lex humana derogare. Sic ergo in casu nostro præceptum pontificium adeò vniuersale probat, ex natura rei fuisse, vel ex Christi prohibitione illicitum vsum talis scientiæ ad gubernationem, *Non est solùm præceptum humanum.*

alioquin pro aliquibus casibus non potuisset lex humana illum vsum prohibere.

95. Ratio autem ex supradictis duplex colligi potest. Prima, quia non solùm non licèt reuelatio directa, sed etiam indirecta, vt omnes fatentur: vnde etiam fatentur ferè omnes non posse Prælatum ex notitia confessionis aliquid agere, ex quo alij veniant in aliquam cognitionem illius peccati, etiam in genere; nempe, quòd ille subditus aliquid fecerit, ratione cuius Prælatus remouet illum à tali officio: quod quidem ipsemet Vasquez *dub. 110 8. num. 4.* fatetur procedere, quando aliquis alius iam haberet notitiam delicti: sed videns posteà, subditum remoueri à tali officio; suspicaretur, remoueri propter tale peccatum: quia, nimirum, sicut non potest Confessarius loqui de auditis in confessione, quæ aliundè non scit, etiamsi sint publica, & sciantur ab iis, quibus id dicit; sic Prælatus non potest manifestare etiam indirectè notitiam talis peccati, quod solùm ex confessione nouit, provt reuerà manifestaret tunc illi, qui iam aliunde tale peccatum nouerat, & ex remotione ab officio suspicatur iam illud peccatum in notitiam Prælati venisse. Quo supposito, arguitur ad casum nostrum: quia, neque etiam cum ipso pœnitente potest Prælatus de illo peccato loqui, vt aduersarij fatentur: ergo, neque etiam indirectè poterit illud exprobrare pœnitenti: exprobraret autem indirectè, si aliquid ingratum faceret, quod pœnitens intelligit fieri propter peccatum à se in confessione dictum; sicut manifestat indirectè aliis quibus dat similem rationem suspicandi: ergo non potest ex tali notitia remouere subditum ab officio, vel negare etiam gratuita, & indebita; saltem quando pœnitens potest intelligere, id fieri propter
96. peccatum suum, quod Prælato confessus est. In quo non video, quàm consequenter loquatur Pater Vasquez, qui, vt vidimus, fatetur esse contra sigillum, si alicui tertio scienti iam illud peccatum datur talis occasio suspicandi. Et postea *num. 6.* dicit, non referre, quòd idem pœnitenti talis suspicionis occasio detur. Non enim apparet, cur loquutio indirecta cum aliis, iam peccatum scientibus, illicita sit: & loquutio indirecta cum eodem pœnitente non sit illicita, cùm in neutro casu manifesteturpeccatum ignoranti illud; & in vtroque solùm significetur indirectè notitia Confessarij de tali peccato. Adde, licèt ille tertius sciret aliunde, non solùm peccatum, sed quod Prælatus illud in confessione audierat, puta ex narratione ipsius pœnitentis, adhuc Prælatus non posset facere aliquid, ex quo ille tertius suspicaretur, fieri propter tale peccatum: ergo non posset, quando similis suspicionis occasio daretur ipsi pœnitenti, cùm eadem sit ratio.

97. Secunda, & magis vniuersalis ratio à priori sumitur etiam, ex supradictis: illud enim obligatione sigilli prohibetur, quod confessionem redderet grauem & odiosam fidelibus, Certum est autem, quòd non minùs, sed magis grauis redderetur confessio, si Confessarius ex illa notitia posset pœnitentem lædere in honore, fortunis, muneribus, officiis, & aliis, ad quæ homines maximè afficiuntur, quàm si cum pœnitente posset de iis loqui: ergo, sicut propter reuerentiam, & libertatem Sacramenti prohibetur loqui cum ipso pœnitente, ne difficilis reddatur confessio, multò magis debet propter eandem rationem prohiberi, ne possit occasione confessionis pœnitens in aliis rebus lædi, cùm hæc læsio magis difficilem redderet confessionem, vt apertè constat.

98. Vnde obiter aduerte, ad hoc non requiri quòd pœnitens sciat, id fieri occasione confessionis; nam reuerà si fiat ea occasione, licèt id pœnitens ignoret, redderet confessionem maximè difficilem: si enim antecedenter pœnitens sciret, posse Confessarium vti illa notitia occultè contra pœnitentem, retardaretur non minùs, sed potiùs magis à confessione peccati, quàm si sciat, posse illum tale aliquid facere, aduertente ipso pœnitente: magis enim lædunt illa, quorum causam ignoramus, quàm illa, quorum causas scimus, quibus facilius possumus adhibere remedium per causam contrariam. Cùm ergo ratio obligationis non minùs sed magis procedat in eo casu; non debet negari eadem obligatio.

Obiiciunt pro prima sententia primò: quia Confessarius per confessionem non amittit ius, quod habebat priùs: quare, si aliunde sciebat peccatum, non aufert confessio ius loquendi de illo: sed antea habebat ius eligendi, vel non eligendi, retinendi, vel amouendi subditum pro suo arbitrio: ergo retinet idem ius; alioquin indignus vteretur ex industria hoc medio confitendi suo Prælato, ne posset ab illo remoueri Hoc argumentum procedit ex clara æquiuocatione: nam confessio non tollit ius vllum prius: sed tamen priùs licèt Prælatus haberet ius remouendi subditum; non habebat ius remouendi propter crimen in sola confessione cognitum. Vnde parum prodesse potest indignis hoc medium; cùm semper possit Prælatus eos remouere propter causas aliunde cognitas, vel etiam pro suo arbitrio, dummodo non moueatur à notitia in confessione accepta. 99. *Confessio parit ius scientia habita ex ea, sed non retinendi.*

Secundò arguunt: quia Sacerdos solùm obligatur ad tegendam confessionem, per talem autem vsum non manifestatur confessio, supponitur enim nullo modo reuelari. Respondetur ex dictis non solùm obligari Confessarium ad non reuelandum, & manifestandum peccatum pœnitentis; sed etiam ad vitandum id omne, extra confessionem, quod redderet ipsam odiosam, & difficilem pœnitentibus: quare, licèt in prædicto casu non esset propriè reuelator confessionis, peccaret tamen contra sigillum, quod obligat ad continendam taliter notitiam illam, vt neque ad opera possit practicè deseruire contra ipsum pœnitentem. Sicut peccat etiam contra sigillum, qui cum pœnitente loquitur, licèt nihil prorsus reuelet. 100. *Nullo modo patet vsus notitiæ in confessione habitæ.*

Tertiò difficiliùs argui potest: quia Confessarius non accipit notitiam illam taliter, vt in omnibus debeat se habere, ac si talem notitiam prorsus non haberet; nec potest ea prohibitio cum hac vniuersalitate, & rigore intelligi: certum enim est, quòd ex confessione potest Confessarius magis cautus, & prudens fieri ad vitanda similia pericula, in quibus pœnitens ruinam spiritualem passus est; imò & temporalem etiam, vt ad vitandum ludum, ne perdat pecunias vel talem cibum, & potum, ne sanitari noceat; vel commercium, aut familiaritatem cum talibus personis, à quibus pœnitens aliquod damnum, vel iniuriam passus est. Quod experientia quotidiana constat: discunt enim Confessarij mores ciuium ex confessione, vt sciant, quomodo cum eis debeant conuersari; & quæ ab eis pericula cauere debeant. Non est ergo contra sigillum vti tali notitia ad operandum: ergo nec vsus illius ad gubernandum, cùm ipsa gubernatio sit vna ex humanis actionibus, ad quas deseruit prudentia, quæ ex confessionibus generati, & augeri solet. Sic enim Prælatus, si ex confessione sciat detractiones, & querelas subditorum contra illum propter nimium rigorem, vel parcitatem; poterit discere, non expedire modum illum, sed indigere 101. *Quis vsus sit licitus.*

moderatione

moderatione, vel mutatione: non ergo est illicitus omnis vsus illius notitiæ ad gubernationem externam, neq; contra sigillũ, & reuerentiam Sacramẽti.

102. Respondetur, nos non dixisse, omnem vsum illius notitiæ esse illicitum, neque etiam in ordine ad gubernationem vtcumque; sed illum, ex quo confessio difficilis, & odiosa reddi potest, vt dixit Armilla *verb. confessor. n.* 7. Pro quo aduerte, vsum illius scientiæ posse esse, vel cum reuelatione directa, aut indirecta peccati: & tunc non est dubium, quòd sit contra sigillum: vel posse esse absque reuelatione: sed tamen ita vt pœnitens aduertat id fieri propter peccatum, quod confessus est: vel denique ita, vt neque ipse pœnitens hoc aduertat. Si fiat hoc vltimo modo, & non in præiudicium vllum pœnitentis, sed ita, vt etiamsi pœnitens sciat, licitum esse talem vsum, non ideò retardetur à confessione; tunc non videtur esse vllo modo contra sigillum, aut contra Sacramentum: si verò esset ille vlus grauis pœnitenti, atque ideò difficiliùs confiteretur, si sciret illum vsum esse licitum; tunc vsus erit illicitus. Si denique vsus sit talis, vt pœnitens intelligat, id fieri propter suum peccatum: distinguendum similiter credo: nam vel inde confessio redditur difficilior, & talis vsus ingratus accidit pœnitenti, & tunc erit omninò illicitus: si verò non est ingratus pœnitenti, neque ex eo redditur difficilior confessio, non credo esse contra sigillum: cuius sigilli præcipua ratio est, vt sæpè diximus, ne confessio difficilior, aut grauior reddatur. Certum autem videtur non reddi difficiliorem ex quocunque effectu, qui ex tali notitia sequatur, v. g. si Confessarius, propter confidentiam, quam pœnitens erga ipsum ostendit, confitendo ei peccata grauissima & cum magnis pœnitentiæ signis, peculiari cũ affectu prosequatur, idque beneficiis, & speciali circa ipsum cura manifestet: licèt pœnitens intelligat, totum illud oriri ex confessionis notitia: non ideò ægrè feret, nec confessio propterea grauior, aut difficilior reddetur. Non ergo est contra sigillum quicunque effectus ex tali notitia ortus, etiamsi pœnitens aduertere possit, quod oriatur in confessione.

103. *Non omnis loquutio indirecta de peccatis est contra sigillũ.*

Dices: Omnis talis effectus videtur continere loquutionem indirectam de peccatis cum ipso pœnitente: siquidem Confessarius illo effectu significat se audisse talem confessionem, quod est loqui indirectè de illa cum pœnitente: sed loquutio indirecta est contra sigillum: ergo & talis vsus notitiæ, ex quo pœnitens intelligat id fieri propter confessionis notitiam. Respondetur, omnem quidem reuelationem, etiam indirectam, peccati, vel confessionis, esse contra sigillum: quia omnis eiusmodi reuelatio, etiam considerata, vt licitè possibilis, reddit onerosam, & difficilem confessionem: non tamen omnem loquutionem indirectam quæ non sit reuelatio, esse contra sigillum: sed illam, cuius licentia redderet difficilem, & grauem confessionem. Reddit autem eam grauem & difficilem omnis exprobratio peccati, etiam indirecta: item omnis vsus in damnum pœnitentis, aut ei ingratus: non tamen reddit difficilem confessionem, quòd Confessarius possit ex tali notitia pœnitentem diligere, & peculiaribus beneuolentiæ signis prosequi. Cùm ergo per hunc vsum nec confessio reueletur: cùm nemini eius notitia detur, nec ipsa difficilior reddatur, non erit contra sigillum. In iis ergo, per quæ confessio non reuelatur, regula tota ad cognoscendum, an sint, vel non sint contra sigillum, debet esse difficultas confessionis, quæ proueniret ex eo, quòd talis vsus, vel tale genus actionum licitum esset absque pœnitentis facultate, vt dictum est.

P. Ioann. de Lugo, de Pœnitentia.

Hinc infero primò, non solùm esse contra sigillum, si clarè Confessarius exprobret peccatum pœnitenti, sed etiam, si seueriorem vultum ea de causa illi ostendat, aut minùs gratè ei colloquatur. Ita Graffius, quem affert, & sequitur Bonac. *disp. 5. q. 5. punct. 4. n. 26.* 104. *Contra sigillum est exprobratio Confessarij & seuerior eius vultus.*

Infero secundò, illum, qui eligit per suffragium eum, quem per solam confessionem scit indignum, sed extra confessionem non potest non iudicare illum dignum; non incurrere pœnam impositam eligentibus scienter indignum *in c. Cum in cunctis, §. finali, & in c. Cùm Vintonienſis Eccleſia, de electione, & electi poteſtate*, quod est contra Nauarrum *in c. Sacerdos, n.* 148. sed id, quod diximus, tradunt Palud. *distinct. 21. q. 3.* Soto *de secreto, membr. 3. q. 4. dub. 1.* Ledesm. 2 4 *q. 10. art. 5. dub. 4.* & alij: quia scientia ex confessione perinde se habet, ac si non esset in ordine ad omnem vsum, qui confessionem difficiliorem redderet. *Eligens indignum, notum ex sola confessione, non incurrit pœnam in iure statutam.*

Infero tertiò, quid dicendum sit ad illum casum, quando ille, cui confiteri soleo, confiteretur mihi, se non esse Sacerdotem, & tamen audiret confessiones: an possem ego posteà illum relinquere, an deberem illi, vt antèà, confiteri. Thom. Sanchez *dicta disp. 16. num. 5.* indicat posse me illi non confiteri: quia ex illo notitiæ vsu nullo modo redditur confessio odiosa. Sed, quid, si verè redundaret aliquod pœnitentis dedecus, quòd ego præter solitum illi non confiterer? Casus certè metaphysicus est, quòd ille mihi fateatur se non esse Sacerdotem, & tamen velit meam posteà confessionem seriò audire. Sed, dato illo casu non morali, consequenter fatendum esset non posse me vti tali notitia, si ex eo vsu resultaret aliqua saltem indirecta reuelatio, vel etiam aliquod dedecus, vel incommodum mei pœnitentis: deberem ergo alteri seriò confiteri: illi autem solùm exterius, vel certè cum intentione solùm conditionata obtinendi absolutionem, si Sacerdos esset, quo pacto sigilli integritati, & meæ etiam vtilitati consulerem: suppono enim meam confessionem alteri factam nulli daturam suspicandi occasionem, sed saluo sigillo posse fieri. 105. *Confessarius an possit relinquere pœnitens, cui fassus est, se non esse Sacerdotem.*

Infero quartò, non solùm debere Confessarium non dare aliis occasionem indirectam iudicandi, sed nec suspicandi de pœnitente. Imò Tabiena *verbo, Confessor, §. 1. & 4.* cum aliis dicit, vitandam omninò esse omnem suspicionem. Alij tamen id moderantur, vt intelligatur de suspicione probabili, non verò de coniecturis, etiam leuibus, quas malitiosi, & nasuti facilè faciunt. Ita notat Palatius *dist. 21. q. 2.* cum S. Thom. *quodlib. 5. q. 13.* Scoto *dist. 12. q. 2.* Idem docet Ioan. Medina *Cod. de Confess. fol.* 109. & alij, quod videtur etiam in praxi obseruari: esset enim ferè impossibile, omnem suspicandi occasionem indirectam omnibus auferre. Faciliùs autem excusantur occasiones negatiuæ, quàm positiuæ: v. g. si vni pœnitenti propter eius puritatem, & candorem internum Confessarius maiorem beneuolentiam ostendat, quàm aliis: tunc enim verè non omittit beneuolentiæ signa aliàs exhibenda propter notitiam confessionis; sed solùm non mouetur à confessione ad exhibenda alia signa magis specialia propter specialia merita, quæ in confessione cognoscat. Aduertere etiam oportet, in aliqua materia, propter eius qualitatem, & grauitatem, non reputari leuem suspicionem, quæ aliàs fortasse leuis esset: v. g. quæcunque occasio daretur marito, etiam leuis, suspicandi adulterium vxoris suæ, esset grauissimè contra sigillum: quia nimis difficilis redderetur confessio ex tali periculo. 106. *Confessarius non debet dare occasionem indirectam, non solùm iudicandi, sed nec suspicãdi de pœnitente.*

107. *Notitia confessionis quam sit inutilis ad vsus fori iudicialis.*

Infero quintò, notitiam confessionis, adeò esse inutilem ad vsus fori iudicialis, vt si casu, vel industriâ ex tali notitia processus aliquis ortum habuerit, omnia eius acta irrita, & inualida sint: & licèt à principio Iudex bona fide processerit; vbi tamen primùm aduertit, denunciatorem, v. g. illud ex sola confessione cognouisse, deberet protinus cessare. Videatur Couarr. *in 4. part. 2. c. 8. §. 12. n. 10.* & Soto *in 4. dist. 18. q. 4. art. 5. in fine*, qui refert, quemdam punitum fuisse: quia ex tali notitia ad inquisitionem processit.

§. 2. *Quomodo possit confessarius vti confessionis notitia ad vitandum imminens periculum.*

108.

VIgatis casus est quando ex confessione sciret Sacerdos, insidias sibi parari, vt occideretur nocte sequenti, vel venenum esse in vino, quo debet celebrare, an possit fugere, vel omittere Missam propter illam notitiam. Non est dubium, quando illa actio, vel omissio non ostenderet aliis notitiam peccati, nec vllum damnum pœnitenti afferret, quod confessionem redderet odiosam, aut grauem: tunc enim posset vtique fugere alio prætextu, vel Sacrum omittere.

Ad periculũ vitæ fugiendũ non potest Sacerdos confessionem reuelare.

Aliqui primò dicunt, ad illud vitæ periculum fugiendum posse Sacerdotem reuelare confessionem. Ita Gabriel *dist. 21. q. 1 artic. 3. casu 4.* Quam sententiam falsam, & erroneam dicit Vasquez *dicto art. 4. dub. 9. n. 1.* & rejiciunt Theologi communiter, quos *ibidem* affert: est enim contra Ecclesiasticam doctrinam, quam tradit Pontifex *in c. Sacerdos de pœnitentia, dist. 6.* vbi expresè dicitur, non esse reuelandum peccatum in confessione auditum vlli personæ, etiam pro aliquo scandalo vitando. Ratio autem sumitur ex *suprà* dictis non quidem, quia hoc præceptum sit negatiuum, & ideò obliget pro semper, vt dixit. Soto; quam rationem optimè impugnat Vasquez *n. 3. & seqq.* sed quia, vt *suprà* diximus, sunt aliqua præcepta, quæ propter maximum detrimentum publicum obligant absque vlla exceptione, quale est præceptum prohibens fornicationem, aut pollutionem voluntariam; quare, sicut cum euidenti vitæ periculo tenetur quis vitare fornicationem, aut voluntariam pollutionem; sic tenetur non reuelare confessionem; cum eodem periculo propter maximum damnum, quod sequeretur, si semel, aut in aliquo casu Confessarius haberet licentiam reuelandi confessionem, vt *suprà* explicuimus.

109. *An confessarius possit aliquid facere, ex quo coniciatur, ipsum audiisse tale peccatum.*

Difficultas est, an quamuis non liceat reuelare directè; liceat tamen fugere, vel aliquid facere, ex quo alij conjiciant, Confessarium audiisse tale peccatum. Aliqui dicunt id licere, etiam si socij id conjiciant, si alio modo non possit periculo occurrere. Ita Scotus, Maior, & Adrianus apud Vasquez *dub. 1. n. 10.* quorum aliqui probant: quia Sacerdos nihil reuelat, cùm iam socij sciant illud peccatum. Alij probant: quia vti rebus ad aliud significandum cum simulatione non est mendacium. Vtramque tamen rationem impugnat benè Vasquez *ibi.* Primam, quia etiam de peccatis publicis in confessione auditis, non licet loqui ex confessionis notitia, vt *suprà* vidimus, licèt nihil tunc reueletur, quod non iam sciatur. Secundam verò, quia licèt illud non sit mendacium; est tamen manifestatio confessionis auditæ, quæ nullo casu est licita, vt constat *ex c. Omnis de pœnit. & remiss.* vbi dicitur: *Caueat autem omninò, ne verbo, aut signo, aut alio quouis modo aliquatenus prodat peccatorem.*

Alij dicunt, licitum id esse ad euitandam magnam aliquam ciuitatis ruinam, vel matrimonium inualidum impediendum: & hoc quidem de licentia Episcopi. Ita Altisiodorensis *lib. 4. tract. 6. c. 3. q. 4.* quam sententiam benè impugnat Vasquez *dicto dub. 10. num. 6.* & eius falsitas constat satis ex *suprà* dictis.

Alij ergo communiter dicunt, neque etiam pro 110.
seruanda vita licere vsum illius notitiæ in prædictis casibus. Richardus, Soto Nauarrus, & Medina, quos affert, & sequitur idem Vasquez *ibi, num. 4.* Ledesma item cum aliis, quos affert, & sequitur Suarez *disput. 33. sect. 7. n. 6.* Aduertunt tamen, debere maximè considerari, an pœnitens verè animo confitendi illud Confessario dixerit; an potiùs animo iniquo ligandi illum arctissimo sigillo, ne auderet fugere ob metum violandi sigillum: quo casu non tenetur ad secretum, & quæ intentio ex circumstantiis potest benè deprehendi. Quæ sententia mihi etiam placet: quia, si rationes *suprà* adductæ aliquid probant: probant quidem absque vlla prorsus exceptione, quæ si semel, vel vnico casu admittatur, redditur odiosa, & grauis confessio, 11
quia facilè sibi finget necessitatem Confessarius prodendi confessionem, vel illam non celandi. Ad quod deseruiunt exempla illa fornicationis, & pollutionis voluntariæ, quæ propter nullum priuatum, vel publicum damnum licent: quia maius esset damnum, quod sequeretur ex eo, quod aliquando licerent: quàm quod sequi potest in vno, vel altero casu particulari ex eo, quòd non liceant. Adde, experientiam tot sæculorum ostendere, nunquam reuelationem directam, vel indirectam confessionis fuisse necessariam ad ea pericula fugienda, cùm vel ex licentia pœnitentis, vel aliis modis obuiari iis facilè possit absque fractione sigilli. Denique, si Carthusiano licet obligare se ad abstinendum à carnibus, etiam cum euidenti vitæ periculo, propter commune bonum obseruantiæ religiosæ, ne semel data licentia carnes comedendi eneruaretur rigor illius disciplinæ: quantò magis propter commune bonum Sacramenti adeò necessarij potuit necessitas, & vtilitas publica obligare ad celandam confessionem, etiam cum vitæ periculo: quod quidem periculum non est morale, sicut in Carthusiano; sed methaphysicum, & quod nunquam reperitur.

Huic sententiæ opponit sese Pater Coninch *in* 111.
præsenti, disp. 9. dub. 4. num. 53. & seqq. qui dicit, fugam, & omissionem Missæ in iis casibus non esse contra sigillum: imò addit *num. 55.* probabile esse, Sacerdotem eo casu obligari ad fugiendam mortem, quando alij, quàm socij criminis, ex fuga non intelligerent peccatum pœnitentis: si verò immineat ex fuga pœnitenti ipsi mortis periculum à sociis inferendæ, potest quidem, (inquit? fugere Sacerdos; sed laudabiliter faciet, si malit fortiter permanere, & mori, quàm pœnitentem periculo exponere. Quam sententiam ex parte approbat Bonac. *disp. 5. quæst. 6. sect. 5. punct. 4. num. 28.* 114

Probat Coninch: quia non est contra sigillum 111.
aliquid facere, vnde conscij illorum criminum colligant, pœnitentem ea mihi confessum fuisse. Nam de latrone ob publica latrocinia suspenso licitè dico, eum mihi sua peccata cum magna contritione fuisse confessum: vnde omnes colligunt, eum mihi furta confessum fuisse. Imò eo ipso, quòd illum absoluo, aliis videntibus, & Eucharistiam illi porrigo, significo, eum sua scelera publica mihi fuisse confessum. Ratio autem est: quia ideo frangit sigillum, qui dicit peccata etiam publica pœnitentis, non quia dicit, eum confessum illa

illa fuisse: sed, quia dicit, obiter, eum illa commisisse, quod est dicere peccata pœnitentis: at verò, qui solùm dicit, vel significat pœnitentem fuisse confessum; vnde qui peccati conscij sunt, colligunt eum confessum fuisse tale peccatum; non manifestat illis peccatum, sed confessionem solam: ipsi verò suo discursu colligunt, fuisse de tali peccato: quod non est contra sigillum. Ad cuius confirmationem *n.* 57. affert aliud exemplum. Si famulus Hæretici, inscio domino, Sacerdoti confiteretur; & posteà dominus minaretur Sacerdoti mortem, nisi eum manifestaret; posse saluo sigillo, si aliter non posset mortem euadere, nominare pœnitentem, etiamsi sciret ea de causa à domino occidendum, & alios ea occasione aliquando auertendos à confessione. Non ergo obligat sigillum, aut reuerentia Sacramenti ad celandam confessionem in genere, licèt ex hoc alij colligant, confessionem fuisse de tali peccato, vel ea de causa aliquod detrimentum pœnitenti aduenire possit.

113. Districtio hæc regulariter vera est, quòd dicere, aliquem esse confessum, non sit contra sigillum, nisi quando hoc ipsum sit detegere peccata aliqua pœnitentis: vt si dicas, Titium tali tempore & talia Sacerdoti confessum: quod indicat, eum habuisse peccata reseruata, vt *suprà* diximus. Cæterùm illa doctrina non applicatur sat benè ad casus præsentes: nam in iis Confessarius non solùm significaret, confessum esse; sed multò magis directè significaret peccata, imò ex significatione peccati, significare confessum esse. Nam abstinendo à vino propter venenum, quod habet; priùs & directè significat, peccatum veneni præparati, ex quo colligunt complices confessionem sui socij. Vnde retorqueri possunt exempla, quæ affert quia licèt, dicere explicitè, aliquem confessum esse, non sit contra sigillum; dicere tamen explicitè peccatum, quod Sacerdos non nisi ex confessione nouit, esset clarè contra sigillum: vt, si diceret, hoc vinum habet venenum: vel insidiæ mihi paratæ sunt, vt hac nocte occidat: sed fuga illa, vel abstinere à vino significat directè, non confessionem, sed peccatum ipsum, nempe, insidias paratas, vel venenum iniectum vino: ergo illa actio quæ peccata ipsa indicat, in his circumstantiis erit contra sigillum.

114. Vnde constat exempla allata non esse ad rem, quia in illis Sacerdos nullo modo dicit peccata sed solum actum confessionis: quare ex Sacerdotis testimonio non potest vllo modo colligi, quod talia peccata fecerit pœnitens. In nostro autem casu ex facto Sacerdotis colligitur, insidias esse paratas, & venenum infusum, cùm hoc immediatè significet fuga Sacerdotis. In tertio etiam exemplo Confessarius solùm dicit, Petrum fuisse confessum, quod non est contra sigillum, quando hoc ipsum non significat, quòd fecerit tale, vel tale peccatum. Quòd verò ex ea manifestatione reddatur confessio difficilior in talibus circumstantiis, non inducit talem obligationem secreti: nam ea difficultas non prouenit ex confessione, vt confessio est: sed est communis omnibus operibus religiosis, quæ omnia odio habentur ab improbis, & afferunt secum pericula: omnes enim, qui volunt piè viuere, persequutionem patientur. Neque ideò oportuit, ob hanc difficultatem communem, imponere omnibus obligationem occultandi adeò strictam: quia difficultas hæc & hæc pecula, ex manifestatione orta, non arcent homines communiter ab exercitio eorum operum, vt experientia constat: imò regulariter, & in plurimum gaudent homines, quòd sciant alij, eos exercuisse opera pietatis, per accidens autem aliquando patiuntur ea de causa: & tunc ipsum pati glorioſum est. In confessione autem oportebat, secretum strictissimum imponi: quia in ea non deteguntur bona opera, sed crimina: quorum notitia infamat hominem, & propter quæ pati, vel puniri, glorioſum non est sed indecorum. Non est ergo ad rem argumentum, quod ab exemplo petitur adeò dissimili.

115. *Confessarius accusatus falsò ab eò, quem noluit absoluere non potest manifestare confessionem factam.*

Ex dictis infertur primò, Confessarium, qui pœnitentem noluit absoluere propter eius indispositionem, si posteà ab eodem pœnitente calumniosè ob vindictam accusetur de falso crimine, non posse se defendere, manifestando confessionem factam: nam, licèt pœnitens non sit dignus? cui secretum seruetur: sed potiùs liceret vim vi repellere: Sacramentum tamen dignum est, vt ob eius reuerentiam non violetur sigillum: sed aliis modis defensio legitima procuretur.

Idem infertur de periculo vitæ spiritualis.

Infertur secundò, quod dictum est de periculo vitæ corporalis, locum etiam habere de periculo vitæ spiritualis, vt nec propter illud vitandum in se ipso possit Confessarius confessionem reuelare: vt notat Suarez *dicta sect.* 7. *n.* 8. Sed licèt ex confessione sciat, sibi præparari periculum spirituale graue, si aliter illud vitare non potest, debet sperare auxilium gratiæ diuinæ, & se Deo commendare, ac seruare omninò indemne sigillum.

116. *An sit contra sigillum, nolle iterum audire alicuius confessionem.*

Hinc tamen oritur dubium, si Sacerdos scit, quòd pœnitens ipsi scandalum est, an vocatus possit nolle ire ad illum audiendum? Aliqui enim affirmant: quia obligatio vitandi periculum proximum peccati est de iure naturæ. Alij negant: quia non potest vllo signo prodere pœnitentem: proderet autem illum non eundo, si alia ratione non posset illam excusationem iustificare. Præceptum autem naturale obligat solùm ad vitandum periculum proximum, quando id absque graui incommodo fieri potest: in hoc verò casu non solùm intercedit difficultas: sed necessitas orta ex reuerentia Sacramenti.

Ego existimo primò, vix posse fingi casum, in quo propter sigillum obligetur, vt eat ad audiendam confessionem, in qua scandalum timet: quia vel illud scandalum oritur ab ipsomet Confessario, qui propter suam fragilitatem, v. g. tentatur grauiter à proprio concepiscentia, dum audit talem personam; & tunc nihil facit contra sigillum vt constat, non eundo ad illam audiendam. Vel scandalum oritur à pœnitente, qui Confessarium prouocat ad malum: & nec tunc facit contra sigillum non eundo, quia prouocatio illa ad malum non est sub sigillo, cùm non sit peccatum, quod pœnitens confitetur; sed quod committit in ipsa confessione. Similiter, si pœnitens vrget confessarium, vt eum absoluat, & minatur ei mortem, ni absoluat, potest, saluo sigillo, non redire: quia minæ illæ non fuerunt materia illius confessionis, sed peccatum ibi factum coram ipso Confessario. Vnde licèt Confessarius non possit dicere, quòd propter absolutionem negatam minatus sit ei mortem, posset tamen, quando minabatur, fugere; sicut posset, si iam vellet, eum occidere: quia minæ illæ, & voluntas occidendi non est materia illius confessionis, sed peccatum ibi commissum: ergo similiter posteà poterit non redire propter eandem causam absque vlla violatione sigilli. Posset alius casus esse, si ex eo, quòd pœnitens confitetur plura, & extraordinaria peccata carnis, Confessarius sentiat vehementiores carnis stimulos, quam tentationem, & periculum non videtur posse explicare posteà propter connexionem

quam habet cum peccato pœnitentis. Sed quidquid sit de hoc casu; & eius possibilitate, fatemur, debere redire Confessarium, si non possit se ex alio prætextu excusare, quin intelligatur id fieri propter pœnitentis peccata, quæ audiuit.

117. Vnde respondendum est ad alium similem casum quando Confessarius semel, & iterum pœnitentem non absoluit, & iterum vocatus ire non vult, ne tempus frustrà expendat cum eo, & ne cooperetur eius simulationi, qua simulat confessiones, cùm nunquam absoluatur; an tunc liber sit à violatione sigilli. Respondetur enim, si pœnitens veniat eo animo, vt simulet confessionem & exteriùs satisfaciat domino, vel parentibus, ac conseruet bonam existimationem apud alios, nullam esse obligationem sigilli ex tali confessione, cùm non sit confessio, nec fiat animo confitendi, sed simulandi, cui simulationi Confessarius non debet cooperari: sed potest se excusare: & fortasse debet. Si verò pœnitens veniat animo confitendi, licèt indispositus: quia non vult restituere, v.g. vel relinquere proximam occasionem, quam potest, & debet relinquere: & Sacerdos non possit, se excusare, nisi intelligatur, saltem in genere causa, non poterit non ire; poterit tamen statim initio confessionis eum dimittere, reddendo ei rationem, dum id sine nota fieri possit: & petere, ne iterum eum vocari faciat inutiliter. Rarò tamen deerit prætextus aliùs fugiendi, & excusandi se absque fractione sigilli.

§. 3. *Vtrùm propter confessionis notitiam debeat Sacerdos vitare pœnitentem excommunicatum, aut negare illi Sacramenta.*

118. CErtum est, propter notitiam ex sola Confessione habitam, non esse vitandum in publico excommunicatum: loquimur autem de excommunicato vitando, non tolerato. Ita Suarez cum aliis *sect. 6. num. 3.* Difficultas est, an saltem in occulto debeat vitari. Tres sententiæ afferri solent. Prima affirmat vitandum, quando nullus alius. Ita Nauarrus *in c. Sacerdos, de pœnit. dist. 6. n. 146.* Adrian. *quæst. 2. de sigillo.* Scotus verò *dist. 21. quæst. 2. ad vlt.* addit, etiam coram aliis esse vitandum, si non sequatur inde manifestatio peccati: quod quidem consequenter dictum videtur.

119. Secunda sententia negat, esse vitandum etiam in occulto. Hanc tenent Ioann. Medina, & Ledesma apud Suarez *vbi suprà num. 4.* qui eam securiorem, & magis constantem esse dicit. Eamdem videntur tenere Richardus *dist. 21. art. 4. quæst. 2.* Antonin. *3. part. titul. 25. §. 5.* Couarr. *in c. Alma mater. par. 1. §. 2. n. 3.* cum Hostiensi, & aliis & videtur eam supponere Henriquez *lib. 8 de Eucharist. c. 59. §. 3.* & *lib. 13. de excommunicat. c. 6. §. 1.* vbi alios affert.

Tertia sententia distinguit: nam, vel communicatio affert cooperationem cum excommunicato ad malum: & tunc est vitandus: quia illa communicatio est intrinsecè mala: vt, si petat Sacramentum, quod non est dandum indigno. Si verò communicatio non sit talis, sed solùm iure humano prohibita: non est vitandus: quam sententiam Suarez *loco citato*, probabilem esse dicit. Alij denique dicunt, posse & debere vitari in occulto, quando nec alij, nec ipse excommunicatus intelligit, id fieri ob suum peccatum: sed quia Confessarius eum non vidit, vel non potuit respondere propter aliquod impedimentum, vel ob aliam eiusmodi causam.

Secunda sententia mihi vera videtur, quòd neque in occulto debeat, aut possit Sacerdos eam vitare. Hanc probat Suarez: quia hodie non tenemur iam vitare excommunicatum occultum. Sed hæc ratio non est vniuersalis: quia possim ego scire ex confessione, aliquem esse excommunicatum notorium Clerici percussorem, vel publicè denunciatum, quod ego anteà ignorabam: & tunc potest esse quæstio, an debeam illum vitare, quem solum ex confessione noui excommunicatum.

Alij probant: quia ea ratione, qua Sacerdos nouit illud peccatum, non subditur Prælato imponenti excommunicationem, vel prohibenti communicationem: quia non nouit illud, vt homo: sed vt locum Dei tenens: ergo propter illam notitiam non subditur legi excommunicationis. Hæc tamen ratio non videtur subsistere: quia, licèt illam sententiam non accipiat vt subditus: potest tamen habenti talem scientiam præcipi aliquid, quod possit fieri à subdito: sic enim Ecclesia præcipit sub graui pœna Confessario, ne reuelet notitiam, quam habuit in confessione. Item, præcipit ei, vt si sciat in confessione pœnitentem fuisse ab alio Confessario sollicitatum ad turpia, obliget illum ad denunciandum, & alia similia, quæ præcipiuntur habenti notitiam ex confessione: ergo ex hoc capite non repugnat, quòd habenti talem notitiam prohiberetur communicatio in occulto.

Melius ergo probatur illa sententia: quia, vel 120.
ex illa vitatione excommunicati sequitur reuelatio aliqua peccati: & tunc non est dubium, quin non debeat vitari propter sigillum seruandum: vel non sequitur reuelatio: sed tamen pœnitens, ipse intelligit, id fieri propter talem censuram: & tunc etiam constat ex *supra* dictis, non esse ita vitandum: quia ea esset exprobratio indirecta peccati: si enim non licèt seueriorem vultum pœnitenti ostendere ob notitiam confessionis, quantò minùs licebit faciem auertere, & communicationem ciuilem ei denegare? Vel denique neque ipse pœnitens id intelligit, quo casu posset esse maior ratio dubitandi: quia tunc potest absque vlla reuelatione, aut exprobratione vitari excommunicatus: ergo obligat præceptum vitandi, quod quoties seruari potest, obligare videtur. Maximè, cùm dixerimus, posse Confessarium ex illa notitia fugere venenum, vel insidias, quoties id absque vlla manifestatione facere potest: poterit ergo similiter fugere communicationem cum excommunicato, quæ etiam mala, & indecens est, si id absque vllo manifestationis periculo facere potest. 121.

Adhuc tamen in eo casu dicendum videtur, nec debere, nec posse vitari: quia sigillum, vt *supra* diximus, obligat non solùm ad non exprobrandum pœnitenti suum peccatum directè, vel indirectè; sed etiam ad non faciendum propter illam notitiam aliquid, quod redderet confessionem difficiliorem, si pœnitens sciret illud licitè fieri posse à Confessario: ob quam causam diximus non posse licitè negari pœnitenti suffragium, etiam occultè, propter eam notitiam, licèt id pœnitens scire non possit; quia, nimirum, sufficit, quòd scire illud posse fieri, redderet confessionem difficilem, & odiosam. Cùm ergo negare pœnitenti communicationem ciuilem, & eius commercium fugere, sit aliquid incommodum pœnitenti, non licebit ex confessionis notitia illud ponere, quod si à pœnitente sciretur, redderet difficiliorem confessionem sui peccati: & hæc

hæc videtur esse ratio magis vniuersalis, qua fundatur hæc communis sententia.

122. Vnde infero primò, non esse admittendam distinctionem illam tertiæ sententiæ de communicatione cum cooperatione, vel sine illa: nam, qui eligit indignum cognitum ex confessione, cooperatur eius peccato, qui se indignè ingerit: & tamen non potest negare suffragium, ne reddatur difficilis confessio: ergo idem dicendum erit de admittente excommunicatum ad Sacramenta, cuius repulsa redderet confessionem difficiliorem. Adde, regulariter illam repulsam continere exprobrationem indirectam sui peccati, quæ non videtur vlla ratione licita, etiam ad vitandum nouum peccatum pœnitentis. Nec per illam cooperationem peccat Confessarius, vt explicui latè *disp. 8. de Sacram. in genere, sect. 10. & 11.* præsertim, cùm id faciat ad vitandum grauius malum irreuerentiæ, & difficultatis contra Sacramentum pœnitentiæ, quæ ex tali repulsa consequeretur.

123. *An intra confessionem sit vitandum.* Infero secundò, non solùm non debere, aut posse vitare illum extra confessionem; sed nec etiam intra eamdem confessionem: de quo posset magis dubitari: quia vitatio facta intra confessionem non videtur esse contra sigillum, cùm fieret intra eamdem confessionem. Et quamuis aliunde videretur licita illa communicatio, eò quòd confessio tota ordinetur ad correctionem, & vtilitatem pœnitentis: posset tamen oriri scrupulus circa excessum communicationis non necessariæ intra eamdem confessionem, si Sacerdos aliqua admisceret, non necessaria ad illum finem: quare aliqui putabant magis consultum absoluere statim pœnitentem à censura; & posteà prosequi confessionem ad vitandum scrupulum circa communicationem necessariam, vel non necessariam. Dico itaque, neque intra confessionem debere vitari pœnitentem ex notitia in eàdem confessione habita. Ratio est: quia etiam intra confessionem non licet Confessario punire, vel lædere pœnitentem propter notitiam in confessione habitam, nisi per pœnitentiam sacramentalem, aut correctionem pertinentem ad illud forum: omnia enim alia detrimenta, quæ ex occasione illius notitiæ inferrentur, videntur esse extrinseca, & redderent confessionem difficilem. Vnde non posset intra confessionem Sacerdos præcipere famulo, quòd exiret domo sua propter notitiam furti sibi facti, nec auferre ab eo clauem illi commissam sui scrinij: quia hæc, licet materialiter fierent in confessione, re tamen vera essent detrimenta extrinseca confessioni, & quæ redderent confessionem multò difficiliorem. Similiter ergo vitatio pœnitentis, & negatio communicationis ciuilis, licèt in confessione fieret, esset extrinseca confessioni, & redderet difficilem confessionem talis peccati, ne incurreretur illud detrimentum: quare reuerentia Sacramenti ad hæc etiam damna in confessione non inferenda extendi debuit. Vnde, licèt pœnitens dixerit se esse publicè denunciatum, vel notorium Clerici percussorem; non credo teneri Confessarium, finita confessione, ad inquirendum, an ita sit; quamuis id facere posset, citra vllum reuelationis periculum: quia hoc ipsum est aliquid incommodi pœnitentis, quod anteà non habebat: cùm enim priùs Confessarius ignoraret inuincibiter eius censuram, poterat cum eo communicare; quam communicationem auferet postea occasione accepta, saltem remotè, ex notitia per confessionem data: quod iam videtur redundare in aliquam difficultatem, & odium ipsius confessionis, quæ eiusmodi detrimentis occasionem præbet.

Infero tertiò, quid dicendum sit de illo, qui in confessione sciret Ecclesiam esse pollutam. Tabiena *verbo, Confessio, num. 15.* dicit non debere admonere; maximè, si pollutio fuit occulta; neque etiam in genere dicendo in communi, esse pollutam. Angelus tamen *n. 11.* id concedit, quando est occulta pollutio: secùs, si non sit occulta. Consequenter tamen ad supradicta videtur distinguendum: possumus enim loqui de obligatione Sacerdotis in ordine ad alios, hoc est, vt moneat alios, & faciat Ecclesiam reconciliari; vel de obligatione præcisè in ordine ad se, hoc est, ad non celebrandum, si sciat Ecclesiam esse pollutam. Quoad primum, si pollutio est occulta, & probari non potest; inutilis erit monitio, cùm alij non habeant obligationem credendi Confessario. Si verò sit publica, videtur etiam inutilis admonitio, cùm ante admonitionem sciatur ab aliis. Posset tamen contingere, ex ignorantia latere polutionem in ratione impedimenti: vt, si factum fuerit notorium; Clerici tamen illius Ecclesiæ ignorabant, Ecclesiam manere pollutam: Confessarius autem ignorans factum, posteà illud ex confessione cognoscit. Potest rursus fieri, quòd pollutio fuerit occulta; sed probari possit: vt, si cadauer excommunicati vitandi, vel infidelis, fuerit secretò sepultum, quod facile probari, & inueniri potest: nam licet pollutio ex effusione seminis, vel sanguinis humani, aut occisione, requirat notorietatem facti; ex aliis tamen causis, etiam occultis, prouenire potest. Tunc ergo, si monitio fieri non possit absque manifestatione peccati contra sigillum, vel absque detrimento pœnitentis vero, vel in apprehensione, non debet vllo modo fieri: si tamen absque vllo ex his incommodis fieri potest; non apparet, cur non debeat, cùm esset obligatio sigilli. Differt enim hoc à vitatione excommunicati, quòd hæc semper affert aliquid pœnitenti ingratum, atque ideò redderet confessionem grauiorem: quòd verò benedicatur, vel reconcilietur Ecclesia in prædicto casu, quo nihil incommodi pœnitenti sequatur, non reddit confessionem grauiorem.

124. *Quid, si in confessione sciat Ecclesiam esse pollutam.*

Vnde constat, quid dicendum sit in secunda consideratione in ordine ad ipsum Confessarium, an ipse possit celebrare in ea Ecclesia. Dicendum enim similiter est, si omissio Missæ aliquo modo manifestet peccatum occultum, vel aliquid ruboris, vel incommodi pœnitenti afferat, vel quid quam, quod confessionem posset reddere difficiliorem; non posse omitti propter illam notitiam. Si verò nihil tale afferat; non video, cur non debeat abstinere, quando reuerà credit Sacerdos. Ecclesiam esse pollutam, cùm omissio Missæ non sit tunc vllo modo contra reuerentiam Sacramenti. Quod licèt difficiliùs; posset tamen contingere in pollutione publica. Primò, si res esset quidem publica, sed Confessario priùs incognita. Secundò, si fuisset publica notorietate facti; sed alij ignorassent, Ecclesiam ea de causa esse pollutam; atque ideò celebrarent in ea, sicut si non esset polluta: in quibus, & similibus casibus, non video etiam, cur possit Confessarius celebrare, si credit reuerà, Ecclesiam esse pollutam, cùm possit absque detrimento vllo si gilli Missam omittere, vt suppono.

125. *Confessarius an possit celebrare in Ecclesia, quam sciret in confessione pollutam.*

Infero quartò idem cum proportione dicendum esse circa secundam partem dubij, an possit, vel debeat ex scientia confessionis negare Sacerdos Sacramentum aliquod pœnitenti: certum enim est in publico non esse negandum, cùm id esset manifestare indirectè peccatum pœnitentis. Posset tamen Confessarius meretricem, vel vsurarium

126. *An possit Confessarius negare pœnitenti Sacramentum aliquod.*

rarium publicum repellere ab Eucharistia in publico, ex notitia, quam extra confessionem habet de illius peccato publico: quòd si dicat: *Iam tibi confessus sum*; potest dicere: *Debet tamen constare Ecclesiæ per satisfactionem publicam de tua emendatione, quod adhuc non constat.* In occulto etiam petenti debet dare Sacramenta, si ex negatione oritur aliqua, vel reuelatio, vel exprobratio indirecta peccati occulti. Imò, quando ea non sequitur, adhuc iuxta *suprà* dicta non debet vti notitia confessionis ad negandum: quia hoc redderet confessionem difficiliorem, si scires pœnitens posse Confessarium ei postea petita negare, & resistere proter notitiam in confessione habitam.

§. 4. *Vtrùm cum licentia pœnitentis possit Confessarius loqui de auditis in confessione.*

127. *Confessarius intra aliam confessionem potest sine licentia pœnitentis loqui.*

PRimò certum est ex dictis non posse sine pœnitentis licentia. Duæ possunt esse exceptiones, quæ tamen reuerà non sunt exceptiones. Prima, si in hac confessione loquatur Sacerdos de rebus, quas pœnitens in præcedenti confessione dixit: nam, licèt Gerson *Alphabeto* 34. *litt. R.* strictè loquatur, dicens, posse fieri seruata discretione: sed sæpè non expedire, vbi pœnitens scandalizaretur, vel ægrè acciperet, hoc tamen nullo modo est contra sigillum, cùm sit in eodem foro, sacramentali, in quo Sacerdos ad benè curandum pœnitentem debet considerare etiam peccata præterita, quæ vel sunt circunstantiæ præsentium, vel indicat passionem vehementem, aut aliquid aliud consideratione dignum ad melius cognoscendum statum pœnitentis.

128. *Quid, si in priori confessione non fuit idem Minister.*

Circa hoc tamen dubitari posset, an procedat etiam, quando Sacerdos, qui audit hanc confessionem, nouit alia peccata huius pœnitentis ex confessione, quam idem pœnitens fecit alteri Sacerdoti, in qua hic alius fuit interpres, vel casu audiuit illa peccata, cùm esset vicinus; vel Confessarius primus ei dedit notitiá talem, consilij petendi gratia, vt accedente nunc hac secunda confessione, facilè colligat, hunc pœnitentem fecisse illa alia peccata, de quibus fuerat consultus. Dubitari ergo potest, an in hac secunda confessione possit Sacerdos loqui de illis peccatis, quæ priùs sciebat notitia deriuata ex prima confessione: videtur enim non esse hoc contra sigillum, cùm non loquatur extra forum sacramentale; sed semper maneat res sub eodem sigillo confessionis. Cæterùm, non auderem concedere hanc licentiam: quia, licèt vtrumque sit sigillum confessionis; non est tamen confessionis factæ eidem Confessario: nam peccata prioris confessionis sciebat hic Sacerdos, vt aliquid tenens se ex parte ptioris Confessarij, & nomine illius: quare participabat sigillum, & obligationem illius. Sicut ergo duo Confessarij, qui audiunt successiuè eundem pœnitentem, non possunt conferre inter se, quæ audierunt: sic hic secundus Sacerdos, qui repræsentat duos Confessarios, nempe, primum circa priora peccata, quæ ab illo accepit, & seipsum circá posteriora; non videtur posse quando ipse est Minister, vti notitia, quam habet nomine alterius Ministri: quia singuli Ministri debent seorsim retinere, quæ illis, vt diuersis Ministris, commissa sunt.

129. *An possit statim post confessionem loqui.*

Secunda exceptio esse solet, quando statim finita confessione Sacerdos aliquid circa illam addit, vel aduertit pœnitenti, quod oblitus fuerat. Quod licitum esse docet Henriquez *lib. 6. cap. 23. num. 2. in fine*: quam sententiam acriter reprehendit Fagundez *lib. 6. de 2. præcepto Ecclesiæ cap. 4. num. 33.* quia, finita confessione non potest, sine noua licentia, loqui de illa Confessarius: & quia post datam absolutionem finitum est primum Sacramentum. Vnde, si fieret nouum peccatum, esset necessaria alia absolutio, & aliud nouum Sacramentum. Ego tamen exceptionem illam probabilem existimo: quia moraliter non intelligitur esse extra confessionem, quod in continenti dicitur. Falsum quippe est, quod Fagundez dicit, data absolutione, finitum esse Sacramentum, & iudicium: nam aliqui imponunt pœnitentiam post datam absolutionem. Et quidem impositio pœnitentiæ grauis satis significat confessionem grauium peccatorum: ergo loqui de peccatis post absolutionem, non est contra sigillum; quia, nimirum, censetur durare adhuc idem iudicium sacramentale, cuius actus sunt absoluere, punire, consulere, monere, corrigere, & similia. Quod potest confirmari ex hoc ipso exemplo: quia, si Sacerdos post absolutionem datam, statim imponat pœnitentiam, v. g. tria ieiunia; iam videtur absolutum illud iudicium quoad omnes sui partes: & tamen nemo dicet, quòd si statim compatiens pœnitenti Confessarius iudicet, grauem nimis esse pœnitentiam, & incontinenti dicat: *Sufficit vnum ieiunium.* violauerit sigillum, loquendo post datam absolutionem, & impositam pœnitentiam. Ratio autem est: quia adhuc moraliter censetur durare actio imponendi pœnitentiam: ergo similiter, licèt data sit absolutio, potest intelligi moraliter iudicium illud quoad alios actus, qui debuissent præcedere absolutionem; & post illam in continenti fieri possunt, si cut impositio, vel moderatio pœnitentiæ.

130. *An ex ea bonum spirituale pœnitentis promanaturum.*

Tertiam exceptionem addunt aliqui, vt possit Confessarius ad bonum spirituale pœnitentis promouendum, loqui cum illo de auditis in eius confessione absque alia licentia. Ita Pareanus *in 3. part. S. Thom. part. 2. q. vlt. dub. vlt. concl. 3. notab. 2.* Hæc tamen exceptio regugnat communi Theologorum, & fidelium sensui, & dat occasionem violandi sigillum exprobrando peccata audita sub prætextu promouendi bonum spirituale, saltem humilitatem pœnitentis, quo nimis difficilis, & odiosa redderetur confessio.

131. *Licentia non præsumpta, sed interpretatiua.*

His positis, secundò certum est, de licentia pœnitentis posse Confessarium loqui de auditis in confessione: debet autem hæc licentia esse non præsumpta; vel interpretatiua: sed formalis, & impressa. Alioquin sæpiùs fingerent sibi talem licentiam Confessarij contra veram pœnitentis voluntatem. Censetur tamen licentiam dare pœnitens, quando ipso interrogat, vel loquitur cum Confessario de aliquo, quod dixit in confessione: quare nimia videtur esse cautela aliquorum, qui ad ostendendam magis fidelitatem, & obseruantiam sigilli, tunc etiam expressam licentiam peti volunt. Debet etiam licentia esse libere, & spontanea: quare, si metu, vel auctoritate extorqueatur, non potest Confessarius sine sigilli violatione, illius virtute aliquid reuelare.

132. *An si non se det omnino licentia extra confessionem.*

Dubium tamen primum est, an pœnitens possit dare eam licentiam absque eo, quòd rem naret extra confessionem; sed relinquendo eam adhuc intra confessionis sigillum. Aliqui negant, Scotus, Durandus, Maior, Gabr. Alensis, & Angelus apud Suarez *sect. 5. numero 5.* Primò, quia præceptum sigilli est diuinum: ergo non potest à pœnitente relaxari. Secundò, quia Confessarius scit, vt Deus: ergo non potest de iis loqui vt homo,

vt homo, etiam ex facultate pœnitentis, nisi detur illi scientia hominis. Tertiò, quia pœnitens posset cedere iuri suo; non tamen iuri Sacramenti sicut Clericus non potest cedere priuilegio fori, vel Canonis: quia sicut etiam in fauorem status clericalis, vt constat *ex c. Diligenti, de foro competenti, & ex c. Contingit, de sentent. excommunic.* Quartò quia alij, quibus Sacerdos loqueretur, non tenerentur ad sigillum, cùm ipsi non audiant illa in confessione. Quintò, quia, si pœnitens posset dare illam licentiam, posset Superior ei præcipere, vt illam daret; quòd si non faceret, iam esset suspectus de crimine: si verò concederet, iam Sacerdos posset reuelare eius confessionem.

133. Seconda sententia communis affirmat, pœnitentem, non solùm posse ea, quæ dixit in confessione, extra confessionem dicere, de quo non est dubium: sed etiam dare licentiam, vt manente sigillo confessionis, possit Confessarius ad talem, vel talem effectum vti illa notitia, vel illam alteri communicare sub eodem sigillo. Ita S. Thom. *dist. 21. q. 3. art. 2.* Bonauentura, Richard. Palud. Adrian. Henricus, Syluest. vterque Soto, Ioann. Medin. Antonin. Nauarrus, Couarruuias, & alij, quos afferunt, & sequuntur Suarez *dicta sect. 5. num. 6.* & Vasquez *quæst. 93. art. 4. dub. 5. num. 2.* & alij Recentiores communiter. Est autem magna differentia inter hunc modum licentiæ, & illum alium: nam, si pœnitens primo modo procedat, dicendo extra confessionem, quod priùs in confessione dixerat: iam nec Sacerdos, nec ij, quibus ipse diceret, obligantur ad secretum sigilli confessionis; sed ad secretum naturale pro qualitate materiæ: quare in multis casibus possent illud absque alia licentia manifestare ad aliquod damnum vitandum: secùs verò, quando licentia datur hoc secundo modo, retinendo sigillum confessionis, & non dando aliam notitiam extra confessionem; sed licentiam vtendi notitia confessionis ad talem, vel talem effectum: tunc enim omnes ij, ad quos transit ea notitia, obligantur eodem confessionis sigillo.

134. Hoc supposito, probatur conclusio, quia obligatio huius secreti sequitur naturam, & conditionem secreti naturalis, vt semper maneat sub potestate committentis illud: quare, sicut pœnitens potest eadem, quæ in confessione dixit, dicere extra confessionem; non est, cur non possit restringere, vel relaxare ipsum sigillum confessionis, prout expedire iudicauerit. Imò de facto ita facit pœnitens, quoties per Confessarium licentiam petit à Prælato ad casum reseruatum: iam enim vult, vt Confessarius vtatur notitia illa, ita vt Prælatus maneat obligatus eodem sigillo, nec ideò Confessarius manet liber à sigillo. Denique, licèt hoc sigillum inductum sit in fauorem confessionis, ne reddatur difficilis; hoc tamen ipsum solùm exigit talem modum sigilli, quòd sine licentia pœnitentis reuelari non possit: qui modus magis fauorabilis est confessioni: nam esset onus grauius, si pœnitens non posset dare licentiam ad illum vsum, retinendo sigillum, sed deberet dicere peccatum extra confessionem, cum periculo, vt iam posset faciliùs reuelari.

135. Vnde ad fundamenta contrariæ sententiæ facilè respondetur. Ad primum: pœnitens non relaxat præceptum diuinum; sed ponit conditionem, qua posita præceptum non obligat: quia solùm erat præceptum non reuelandi absque licentia pœnitentis. Ad secundum: non est opus, quod detur ei scientia alia humana; sed licentia vtendi scientia, quam habet, vt Minister Dei; qua scientia non vtitur etiam, vt homo, sed vt Minister Dei, ex licentia pœnitentis. Ad tertium: est differentia clara: nam etiam cedente iuri suo Clerico, remanet dedecus ipsius status, si trahatur ad tribunal laicum: cedente autem pœnitente, nihil detrimenti patitur Sacramentum, cùm non reddatur ideò difficilior; sed suauior, & vtilior confessio, cùm afferat sigillum, cuius clauem habeat pro arbitrio pœnitens ipse; ita vt possit ex parte aperire, & ex parte retinere. Ad quartum, iam in superioribus vidimus, quomodo notitia illa transeat ad omnes alios cum eadem obligatione sigilli. Ad quintum, eadem difficultas remanet in sententia contraria: faciliùs enim poterit Superior præcipere pœnitenti, vt dicat extra confessionem Sacerdoti, vel sibi quod in confessione dixerat. Respondetur ergo, Superiorem non posse præcipere, quòd detur talis licentia: quòd si Tyrannus id præcipiat, non est ei obediendum: imò, quoties Superior id præciperet, tyrannicè præciperet, nec licentia eo modo extorta aliquid prodesset Confessario, vt *suprà* monuimus.

136. *An oporteat extra confessionem interrogè repetere.*

Dubitatur secundò, an, si pœnitens velit dare licentiam priori modo, dicendo extra Confessionem, quod in confessione dixerat; debeat repetere totum sigillatim, sicut si Confessarius nihil sciret, vel sufficiat dicere: *Quod in confessione dixi, id totum dico tibi nunc extra confessionem, vt possis faciliùs ea notitia vti.* Pater Vasquez *dicto dub. 5. num. 5.* dicit, repetendam in particulari historiam, & peccatum extra confessionem: quod priùs dixerat Durandus apud Suarez *dicta sect. 5. num. 4.* Vnde infert idem Vasquez, quando peccatum complicis manserat sub eodem sigillo; quia fuerat vel complex, vel materia, aut obiectum peccati pœnitentis, saltem ex eius ignorantia; non sufficere licentiam pœnitentis absque licentia eiusdem complicis, vt Confessarius illud possit reuelare; nisi pœnitens extra confessionem repetat totam historiam, & det aliam notitiam diuersam extra confessionem: quia sigillum Sacramenti impositum est etiam in fauorem complicis, & non solius pœnitentis.

137. Vtrumque difficile est. Nam, quod attinet, ad primum, frustrà videtur fieri illa repetitio historiæ, quam nouit Confessarius, vt notat etiam Suarez *dicto n. 4.* Sicut enim sufficit in confessione, si pœnitens dicat: *Accuso me de illo peccato, quod extra confessionem tibi dixi*, nec oportet, aliam nouam scientiam dare Confessario: cur non sufficiet dicere extra confessionem idem peccatum, remittendo se ad notitiam priùs in confessione datam? Dices: iam posteà Sacerdos vteretur extra confessionem notitia habita in confessione, cùm extra confessionem non habuerit talem notitiam distinctam. Sed contrà: quia etiam in primo casu Sacerdos, cui pœnitens breuiter confitetur peccatum, quod extra confessionem latè dixerat, iudicat in confessione per notitiam non acceptam in confessione, cùm tamen ibi debeat iudicare secundùm ea solùm, quæ in confessione pœnitens dicit, non secundùm ea, quæ aliundè ipse scit. In vtroque ergo casu dicendum est, illam notitiam breuem, & compendiosam æquiualere notitiæ distinctè priùs datæ: atque ideò in casu nostro accepisse virtualiter, & æquiualenter extra confessionem totam illam notitiam: sicut in primo casu accipit totam illam virtualiter, & æquiualenter intra confessionem.

138. *An sufficiat licentia pœnitentis sine licentia complicis.*

Secundum verò, quod Pater Vasquez dicit, requiri licentiam complicis, vt possit Sacerdos vti

vti notitia confessionis, quando non datur ei alia notitia extra confessionem, difficile etiam est. Primò, quia hoc secretum sequitur conditionem, & naturam aliorum secretorum, in quibus constat, ius secreti acquiri illi soli, qui illud committit, quo solo credente, cessat obligatio ex secreto, licèt remaneat obligatio non infamandi complicem sine necessitate. Sic ergo secretum confessionis solùm affert ius pœnitenti; quo cedente, remanet solùm obligatio naturalis non infamandi proximum: non verò obligatio ex Sacramenti sigillo. Secundò, quia hæc obligatio sigilli tota est, vt vidimus, ne confessio difficilior fiat: hoc autem solùm respicit ipsum pœnitentem: nam facilitas: vel difficultas tota est solùm in ordine ad eum, qui facturus est confessionem, cùm tota sit ad operandum: illa ergo solùm reddere possunt difficiliorem confessionem, quæ deterrere possunt pœnitentem, qui solus eam facere debet: si enim pœnitens non deterreatur; confessio manet æquè facilis. Certum est autem, quòd pœnitens non deterrebitur à confessione facienda ex eo, quòd Confessarius absque licentia complicis possit illam reuelare cum licentia solius pœnitentis: imò, vt *suprà* dicebamus, hoc ipsum reddit confessionem magis facilem, & gratam pœnitenti, cùm videat à sua voluntate totum sigillum pendere absque dependentia ab alio, cuius licentia etiam exigatur: ergo magis est in fauorem confessionis, quòd licentia complicis non requiratur; sed solius pœnitentis; qui tamen consulere debet complicis famæ, iuxta ea, quæ latè diximus *suprà*, *disputat.* 16. *sectione* 7. circa obligationem non prodendi complicem absque necessitate. Vide alias rationes apud Suarez *infrà disputation.* 34. *sectione* 3. *numero* 7. vbi illam sententiam aliis fundamentis impugnat.

139. *An sufficiat licentia petita & non obtenta.* Dubitatur tertiò, vtrùm Confessarius petens licentiam à pœnitente ad loquendum cum eo de confessione audita: quia oportet aliquid aduertere de nouo: possit, pœnitente renuente, petita, & non obtenta licentia, loqui cum eo de auditis in confessione. Affirmant nonnulli, Suarez *in præsenti, dicta sect.* 5. *num.* 3. quem sine causa citat pro contraria sententia Diana 1. *tomo tract.* 1. *miscellan. resolut.* 12. cùm Suarez nimis clarè hanc primam sententiam tradiderit, cuius verbis relatis eamdem sequitur Filliucius *tom.* 1. *tract.* 7. *cap.* 11. *quæst.* 5. *num.* 324. Nuñus *in addit. quæst.* 11. *art.* 1. & ipsemet Diana *tom.* 2. *tract.* 4. *de Sacrament. resolut.* 87. relato Turriano, eumdem Suarez citat pro hac sententia.

140. Contraria tamen communis est, & verior, quam tenent Reginaldus, Soto, Toletus, Rodriguez Magala, Bonacina, Syluius, Onuphrius, quos affert Diana 1. *tom. dicta resolut* 12. Turrianus *de pœnitent. quæst.* 11. *articul.* 1. *disputat.* 33. *dub.* 6. & Fagundez *lib.* 6. *de secundo præcept. Eccles. capite quarto*, *numero* 33. cum aliis, quos ibi affert. Probatur primò ex communi doctrina, & generali regula, quòd Confessarius de confessione sine licentia pœnitentis loqui non potest, à qua sine fundamento fieret talis exceptio. Et confirmari potest ad hominem: quia Auctores contrariæ sententiæ dicunt, petendam esse priùs licentiam: si autem sigillum non obligat ad non loquendum cum pœnitente de confessione in eo casu, non video necessitatem petendi licentiam, nisi causa vrbanitatis: nam licentia pœnitentis non requiritur, nisi propter obstaculum sigilli: si ergo non obstat sigillum, non requiritur petitio licentiæ, sed posset ex abrupto Confessarius dicere, quod volebat: consequens autem non conceditur ab iis Auctoribus, nec credo facilè illud concessuros.

Dices, non loqui Confessarium tunc extra confessionem, sed supplet, & perficit eam, quæ inchoata, & imperfecta remanserat. Ita respondet Suarez. Sed contrà: quia, si hac occasione perficiendi; quod defuit, potest Confessarius continuare per totam vitam eamdem confessionem, sigillum certè prorsus corrueret: nam ad Confessarium pro suo munere spectat non solùm monere, sed corrigere etiam pœnitentem: quare posset per totam vitam corrigere, & obiurgare pœnitentem propter illa peccata, quod totum diceret, se intra confessionem facere, quam quoad actum corrigendi, & obiurgandi vult magis perficere; quia non satis reprehendit pro merito peccatorem: quod certè confessionem redderet intolerabilem, & fideles omnes grauissimè scandalizarentur, quasi de sigillo omninò violato. Fatendum ergo est, non posse Confessarium sine pœnitentis licentia resumere illud iudicium, quod iam semel moraliter finitum fuit. Quare in prædicto casu, si aliquid supplendum est, debet petere licentiam, si commodè possit, qua negata, satisfacit suo muneri iuxta ea, quæ diximus, *suprà disp.* 22. *sect.* 3. 141. *Confessarius in quo casu debeat confessum petere.*

Demum obseruandum est id, quod meritò notauit Nauarrus *in dicto cap. Sacerdos numero* 51. sibi accidisse, quòd, dum Sacerdos alquis cuiusdam confessionem audiret, ipso cernente, relicto pœnitente, ad ipsum venit consilium petiturus, quo habito, rediit statim, vt pœnitentem absolueret: quod quidem, si de licentia pœnitentis fecit, tolerari potest; sin minùs, ex ignorantia potuit excusari à sigilli violatione: & in hoc aliqui simplices Confessarij solent non tatò deficere consilium petentes in talibus circumstantiis, in quibus persona pœnitentis non difficilè intelligitur.

§. 5. *Alia duo dubia de hac materia.*

141. *An ad confessum pro peccati possit Confessarius vocare confessum.* PRimò dubitatur, an Confessarius possit, quando confitetur, ad explicandum suum peccatum, quod in audienda confessione commisit, aliquid dicere, vndè intelligatur peccatum, quod eius pœnitens confessus est, & notitia pœnitentis habeatur Certum est, debere propter integritatem suæ confessionis, quærere, si potest, alium Confessarium, cui integrè possit confiteri suum peccatum absque periculo violationis, iuxta ea, quæ *superiùs* diximus circa obligationem non manifestandi in confessione complicem absque necessitate. Quando verò vrgeret necessitas confitendi, & non posset Sacerdos confiteri integrè suum peccatum absque significatione peccati, quod audiuit: aliqui dicunt, ob integritatem confessionis posse illam aliam confessionem reuelare. Ita Gabr. *in* 4. *dist.* 21. *q.* 1. *art.* 3. *dub.* 1. *casu* 5. & probabiliùs id iudicat Soto *in* 4. *dist.* 18. *quæst.* 4. *art.* 5. *circa solutionem quarti*, & *de secreto*, *membr.* 3. *q.* 4. Quod probant primò: quia integritas confessionis fortiùs obligat, cùm sit in reuerentiam illius iudicij: sigillum verò in gratiam pœnitentis. Secundò, quia Sacerdos magis debet consulere suæ saluti, quàm famæ sui pœnitentis. 142. *An illud peccatum teneatur.*

144. Contraria sententia communis est omnibus ferè Theologis, & proculdubio tenenda quare primam probabilem non esse, affirmat Suar. *disp.* 33. *sect.* 1. *n.* 18. apud quem, & apud Vasq. *dicto art.* 4. *dub.* 4. videri possunt Theologi, & Summistæ nostram sententiam

sententiam docentes. Probatur ex fundamento contrario: quia fortiùs vrget præceptum sigilli, quàm integritatis confessionis. Vidimus enim *suprà*, quomodo multis de causis excusetur pœnitens ab integritate confessionis, & quidem propter graue detrimentum, quod sibi, vel alteri timet ex talis peccati confessione: sigillum autem violari non potest, etiam propter regni incolumitatem, aut maiora damna vel bona: ergo magis debet Sacerdos retinere integritatem sigilli, quàm suæ confessionis. Ratio autem est quia magis pertinet ad reuerentiam, & fauorem confessionis sigillum, quàm integritas; cùm ex sigilli violatione possibili deterrerentur homines à confessione, quare hoc ipsum esset contra confessionis integritatem: cùm hac de causa pœnitentes non confiterentur integrè sua peccata propter timorem reuelationis. Et negari non potest, quòd summoperè displiceret pœnitenti, qui ex industria quæsiuit talem Confessarium, cui sua peccata consideret, si sciret, quòd hic deberet eadem sua peccata proprio etiam Confessario considere, & ille alij. Vnde constat ad vtrumque fundamentum contrariæ sententiæ: in vtroque enim assumitur falsum, scilicet, fortiùs obligare præceptum integritatis, quàm sigilli; quod est apertè falsum: & quòd ad salutem Sacerdotis necesse sit illud peccatum integrè confiteri; quod est etiam falsum, cùm Sacerdos possit confiteri sufficienter ad salutem, & cum integritate formali, licèt illud suum peccatum integrè non fateatur propter custodiam sigilli.

145. *An illud esset peccatum externum reseruatum.*

Dubitarunt aliqui circa hoc, an, qui peccaret mortaliter, reuelando in confessione peccatum, quod in confessione audiui, incideret in peccatum reseruatum: vbi omnia mortalia externa essent reseruata. Videbatur enim non esse reseruatum: quia committitur in illo secretissimo foro confessionis sacramentalis extra omnem notitiam humanam: sicut *suprà* diximus, excommunicatum cognitum ex sola confessione non esse vitandum. Cæterùm, non videtur posse excusari à reseruatione: quia verè est peccatum externum; sicut, si ibi iurasset pœnitens cum mendacio, vel si manifestasset complicem absque vlla necessitate, quæ esset quidem detractio externa, atque ideò reseruata, vbi eiusmodi detractio reseruaretur. Nam, quòd fiat sub sigillo confessionis, non tollit veram exterioritatem: vnde hæresis, quæ ibi committeretur, afferret etiam excommunicationem reseruatam; quia vere est hæresis externa; & capax censuræ.

146. *Pœna violantis sigillū.*

Secundò dubitatur de pœnis, quas incurrit, qui violat confessionis sigillum: de quo videri possunt Suar. *disp. 33. sect. 6.* Fagund. *dict. lib. 6. de 2. Eccl. præcept. cap 7.* & nouissimè Barbosa *in collectaneis, tom. 2. lib. 5. tit. 38. c. 12. n. 15.* & Menoch. *de arbitr. lib. 2. centur. 5. cas. 414.* quis alios referunt.

Aliqui dixerunt, Sacerdotem reuelantem confessionem fieri irregularem: Speculator, quem refert, & sequitur Maiol. *lib. 5. de irregul. c. 9. n. 6.* Sed non habet fundamentum in iure, vt probat Suarez *n. 2.* qui dicit, improbabilius esse, quod affirmat idem Maiolus; laïcum audientem confessionem secretam alicuius fieri irregularem, si eam reuelet. Cæterùm, ille laïcus aliquando fiet irregularis: non propter reuelationem, sed, si audiuit seriò confessionem, fingens se Sacerdotem.

Alij dicunt, reuelantem in pœnam sui peccati habere, vt eius testimonio nulla fides danda sit in iudicio. Sed hæc non est pœna, vt notat Fagundez *num. 9.* sed incapacitas materiæ: quia, nimirum, scientia, quæ habetur ex confessione, non potest vllo modo deseruire in iudicio, vt *suprà* diximus: in aliis tamen materiis non repellitur eius testimonium, nisi fortè propter aliquam infamiam, quam ex delicto, vel sententia incurrerit.

147. Pœna ergo, quæ in iure statuitur Sacerdoti reuelanti peccatum pœnitentis, est depositio perpetua, *in capite Sacerdos. de pœnit. distinct. 6.* vbi additur, cogendum esse ad perpetuò, & ignominosè peregrinandum; quam peregrinationem commutasse videtur lex *in capite Omnis vtriusque sexus. de pœnit. & remiss.* in recluſionem perpetuam in aliquod Monasterium. Neutra verò pœna, neque vlla alia incurritur ipso facto; sed per sententiam imponenda est. Quamuis autem textus *in dicto capite Omnis vtriusque sexus* agat *initio* de confessione annua, quæ ibi præcipitur: pœna tamen reuelationis intelligitur de omni confessione, etiam venialium, aut mortalium, quæ iam priùs iterum pœnitens confessus fuerat. Sicut licèt mentionem faciat de confessione solius soli Sacerdoti facienda; pœna tamen comprehenderet eum, qui non solus, sed cum interprete, vel coram alio audisset confessionem: quia, quoad reuelationis pœnam, non ponitur illa limitatio; sed quoad obligationem præcepti confitendi, quod non obligat, nisi ad confessionem solius cum solo.

Hanc pœnam incurrit solus Sacerdos, qui ex confessione audita, reuelat peccatum pœnitentis formaliter, vel æquiualenter: vt, si dicat: *Non potui illum absoluere*, &c. Alij autem, vt interpres, vel qui casu audiuit, vel cui Confessarius cum licentia pœnientis, vel absque illa manifestauit, & alij similes, non punientur pœna illa ordinatia; sed alia extraordinaria pro delicti grauitate.

148. *Ad quos Iudices spectat.*

Ad quem verò Iudicem hoc delictum pertineat, certum est, pertinere ad iudicem Ecclesiasticum, cùm concernat Sacramenti religionem. Aliqui dicunt, expedire, vt deferatur ad Inquisitores; cùm propter iniuriam Sacramenti reddatur delinquens in fide suspectus. Alij tamen dicunt, quando est mera confessionis reuelatio, Inquisitores non se ingerere, quam praxim testatur Diana in eo Tribunali per multos annos versatus *tom. 3. tract. 8. de offic. & potest. Inquisitorum. resolut. 95.* cum Molfesio *in Summa, tom. 1. tract. 7. capite 23. num. 68.* Dixi: *quando est mera confessionis reuelatio.* aliud enim esset, si haberet mixtum errorem: vt, si dixisset, licitam esse reuelationem sigilli; vel aliter ostenderet, se malè sentire de Ecclesiasticis Sacramentis, quo casu pertineret ad iudicium Inquisitorum.

149. *Quomodò probetur hoc delictum.*

Difficultas est de modo probandi hoc crimen, de quo in primis dicendum est, posse probari per testes singulares, propter delicti qualitatem, quod aliter vix vnquam probari posset, vt notat Suarez *numero 3.* & alij communiter. Dubium autem est, cui incumbat probandi onus, quando pœnitens dicit, Sacerdotem reuelasse confessionem absque eius licentia; Sacerdos verò dicit se habuisse licentiam à pœnitente. Multi dicunt, onus probandi incumbere Confessario; quam esse sententiam communem testatur Nauarrus *dicto capite Sacerdos. numero 164.* & pro ea Suarez affert S. Thomam, Richardum, & Syluestrum. Et probari potest: quia licentia non præsumitur, nisi probetur, vt in simili probat Zephalus *cons. 47. num. 2. volum. 1.*

150. Alij hanc sententiam duram, & difficilem indicant, cùm Sacerdos non possit probare licentiam

centiam illam, quæ regulariter secretò datur. Ita Suarez *numero* 4. & in fortioribus terminis Thomas Sanchez *libr.* 3. *de matrimon. disp.* 37. *num.* 5. quando opponitur contra Sacerdotem, interfuisse matrimonio absque licentia Parochi. Quare Suarez ibi, & Bernardus Diaz de Lugo *in Practica criminali can. capite* 109. & alij dicunt, totum hoc ex coniecturis, & circumstantiis pendere: nam, si Sacerdos bonæ famæ sit, & honestè vitæ, si nihil mali pœnitenti intulit; sed potiùs reuelatio rendebat ad eius bonum; præsumitur licentia, & probandi onus refunditur in pœnitentem.

151. Distinguere possumus: nam, si pœnitens accuset de reuelata confessione, & Sacerdos neget se, tale peccatum dixisse, aut reuelasse, pœnitens debet probare, vt constat, cùm crimen non præsumatur, nisi probetur. Si verò constet, Sacerdotem dixisse illud peccatum, ipse verò neget, se illud in confessione audiuisse, credo, debere ab ipso ostendi, vnde illud sciret: quo non probante, punietur quidem, non tamen pœna ordinaria, sed leuiori, quia non est conuictus de delicto: vt cum aliis tradit Barbat. 2. *volum. cons.* 70. quod incipit *Sapienter, ni fallor, col. septima in principio.* Si verò constet de reuelatione, dicat tamen Confessarios, se habuisse licentiam pœnitentis, distinguendum videtur cum Mascardo, quem refert, & sequitur Thomas Sanchez *vbi suprà, numero* 5. qui in casu matrimonij dicunt, si contra licentiam opponatur à tertio, ipsi incumbere probare; si verò à proprio Parocho, transferri onus probandi in Sacerdotem, qui interfuit matrimonio, vel in ipsos contrahentes. Quam distinctionem in casu nostro approbat etiam Lapus *allegat.* 94. quæ incipit, *Quidam Præsbyter.* vt, si accuset ipse pœnitens, Sacerdos debeat probare licentiam: si verò accuset alius tertius, maximè, si pœnitens iam sit mortuus, probatio incumbat accusatori.

152. Ratio vtriusque partis esse potest: quia quando à tertio opponitur, cùm ipse non possit, nisi ad summum ex auditu scire carentiam licentiæ; ipsi incumbit onus offerendi alias probationes: quia delictum Confessarij non præsumitur; sed ex communiter contingentibus præsumitur reuelasse cum licentia, quæ ferè semper secretò conceditur. Quando verò ipse pœnitens accusat, qui scire benè potest licentiæ carentiam: maiorem fidem facit, licèt non plenam: quare oportet, quòd Confessarius purget illam probationem per probationes contrarias. Potest tamen præponderare bona existimatio de probitate, & prudentia Confessarij: præsertim, si pœnitens è contra famam habeat non bonam, & aliquam inimicitiæ occasionem aduersùs Confessarium. Et hæc sufficiant de confessione. Nunc dicemus de satisfactione sacramentali, quæ est vltima pars huius Sacramenti: priùs tamen oportebit dicere de satisfactione secundùm se, qua satisfaciunt iusti ex opere operantis per opera pœnalia facta in gratia: posteà verò dicemus de satisfactione sacramentali, qua satisfit ex opere operato.

* * *

DISPVTATIO XXIV.

De satisfactione secundùm se.

SECT. I. *Vtrùm possit homo satisfacere de condigno pro debito pœnæ temporalis.*

Dubium incidens. *An possit homo aliter, quàm per condignam satisfactionem liberari à debito pœnæ, per impetrationem, vel merita congrua.*

SECT. II. *An, & quomodo requiratur status gratiæ ad satisfactionem de condigno.*

SECT. III. *An satisfactio requirat opus honestum pœnale, & ex intentione satisfaciendi.*

SECT. IV. *Vtrùm actus, seu passio externa addat satisfactionem supra actum internum.*

SECT. V. *An, & quomodo passiones, & pœnæ ab intrinseco, & necessariò prouenientes, possint esse satisfactoriæ.*

DEBVERAT *suprà* post disp. 11. tractari de pœnitentiæ virtutis effectu ad expiationem pœnæ temporalis, quæ appellatur satisfactio pro pœna: ne tamen tractatio de satisfactione diuideretur, sequuti sumus vsum Scriptorum, & reseruauimus ad hunc locum illum effectum, vbi de satisfactione sacramentali dicturi sumus. Dicemus ergo priùs de satisfactione secundùm se, hoc est, secundùm virtutem, quam bona opera habent ad satisfaciendum, & delendum debitum pœnæ temporalis; vt posteà gradum faciamus ad satisfactionem, quam afferunt eadem opera, provt eleuata per efficaciam huius Sacramenti.

SECTIO I.

Vtrùm possit homo satisfacere de condigno pro debito pœnæ temporalis.

SVpponendum primò ex dictis *disput.* 8. *sect.* 2. remissa culpa, non semper auferri totum debitum pœnæ: nam, licèt remissa culpa mortali, auferatur reatus totius pœnæ æternæ, non tamen aufertur reatus totius pœnæ temporalis, vt contra Hæreticos nostri temporis definitum est in Tridentino *sess.* 6. *canone* 30. & *sess.* 14. *cap.* 8. *canon.* 12. 13. & 14. & latè eorum errorem confutant Vega *lib.* 13. *in Tridentinum, cap.* 36. & *seqq.* Soto *in* 4. *dist.* 29. Castro *de hæresibus, verbo, Pœnitentia,* Bellarm. *lib.* 4. *de pœnit. cap.* 2. Valquez *in præsenti, quæst.* 94. *art.* 1. *dub.* 1. & alij communiter. Vnde peccatum veniale aliquando remittitur, remanente toto debito pœnæ; nempe, quando iustus moritur cum aliquibus culpis venialibus nondum remissis quoad culpam in hac vita: tunc enim statim post mortem remittitur culpa vt diximus *disput.* 9. & tamen manet integrum debitum pœnæ soluendæ in Purgatorio. 1. *Remissa culpa mortali non semper aufertur totum debitum pœnæ.*

Supponendum secundò, hoc debitum pœnæ dupliciter posse expiari. Primò, per propriam satisfactionem ipsius debitoris, seu ex opere operantis: Secundò, ex opere operato per satisfactionem *Similiter potest expiari pœna debiti.*

nem Christi, quæ applicatur per Sacramenta, vel per Indulgentias, aut Sacrificium eucharisticum. Nunc primò dicendum est de priori modo, qui fit per propria opera satisfacientis, & qui fuit semper in omni statu naturæ, legis antiquæ, & legis nouæ. Quem modum possibilem esse, latè probant contra eosdem Hæreticos Controuersistæ communiter, & Suarez *in præsenti, disp.36.sect.1.*

2. *An reatus maneat ex mera voluntate Dei.*

Dubium est, quomodo, remisso peccato quoad culpam, remaneat reatus pœnæ temporalis; an scilicet: ex mera voluntate Dei, an ex natura rei, & ipsius iustificationis: de quo latè Vasquez *vbi suprà, dub.2.* vbi affert Scotum *in dist.21. quæst.1.* qui dixit, hoc fieri ex mera Dei voluntate: quia, cùm ipse Scotus aliàs sentiat, qualitatem gratiæ non esse ex sua natura physica formam expulsiuam peccati; sed ex Dei acceptatione remittentis peccatum ad præsentiam gratiæ; & rursus peccatum remitti, quatenus ad pœnam non imputatur; consequenter debuit diuinæ voluntati soli attribuere, quòd peccatum non remittatur totaliter quoad reatum pœnæ temporalis.

An ex natura rei, & ipsius iustificationis.

Ipse verò Pater Vasquez è contra dicit, hunc reatum pœnæ temporalis manere ex natura rei, & ipsius iustificationis: nam iustificatio, cùm fiat per infusionem gratiæ habitualis sanctificantis, ex natura sua affert ius ad gloriam æternam, & per consequens dignitatem gloriæ æternæ, cum qua non potest stare dignitas pœnæ æternæ, cùm non possit aliquis simul esse dignus gloria æterna, & dignus carentia æterna eiusdem gloriæ: ergo ex natura sua infusio gratiæ affert ablationem pœnæ æternæ. Quòd verò reatus pœnæ temporalis, qui restat, non remaneat ex mera Dei voluntate, sed etiam ex natura rei, probat; quia Deus neminem punit, qui iam ex se non sit dignus illa pœna: ergo fatendum est gratiam ipsam non afferre ablationem totius reatus ad pœnam. Nam, si hoc esset, Deus non posset addere illum reatum pœnæ temporalis, quem gratia ex natura sua abstulisset, atque adeò dicendum est, vtrumque sequi ex natura iustificationis, scilicet, quòd auferatur reatus pœnæ æternæ, & quòd remaneat aliquis reatus pœnæ temporalis.

3. *Gratia sanctificans ex natura sua aufert debitum pœnæ æternæ.*

Nobis consequenter ad nostra principia paulò aliter dicendum est. Primò fatendum est, gratiam sanctificantem ex natura sua afferre, quòd remittatur debitum pœnæ æternæ: non ita, vt ipsa gratia formaliter deleat reatum pœnæ absque voluntate Dei condonantis; sed ita vt gratia ex natura sua exigat talem condonationem. Quare, licèt hoc esset contra naturam, & exigentiam gratiæ; posset tamen Deus de potentia absoluta, deleta macula, retinere ius ad pœnam æternam propter peccatum præteritum; sicut nunc retinet ius ad pœnam temporalem, vt dixi *disp.5. de Incarnatione, sect.7. num.127.* & *disp.26.sect.3. num.43.* & rursus *hoc eodem tomo, disp.7.* Quo casu haberet quidem homo ius ad condonationem pœnæ, atque ideò haberet ius quasi radicale, & dignitatem remotam carendi pœna æterna: quia tamen Deus posset non ponere condonationem, quam gratia exigit, maneret adhuc debitum proximum pœnæ æternæ, & carendi gloria. Cæterùm de facto Deus attendendo ad exigentiam gratiæ, & ad eius naturam, condonat reatum pœnæ æternæ, quæ condonatio meritò dicitur fieri ex natura ipsius iustificationis, & gratiæ, contra cuius naturam esset, si Deus non condonaret homini iusto reatum pœnæ æternæ.

4. *Pœnam æternam vel to-*

Secundò, addendum est, ita fieri ex natura iustificationis hanc condonationem pœnæ æternæ, vt tamen commutatio illius in tantam, vel tantam pœnam temporalem non habeatur præcisè ex natura vel determinata exigentia ipsius gratiæ: nam gratia etiam intensa non petit de se, vt commutetur pœna æterna in tantam pœnam temporalem; sed hoc pendet ex libera voluntate Dei, qui, iuxta ordinem suæ sapientiæ, legem statuit de commutatione facienda iuxta dispositionis gradum, iuxta Sacramenti dignitatem vel alias circumstantias. Itaque gratia ex se solùm exigit, quòd condonetur pœna æterna, vel tota, vel certè commutetur in temporalem: quanta autem sit futura temporalis, pertinet ad liberalitatem Dei, qui pro libito potest in longiorem, aut breuiorem, commutare. Nam aliquando maior, & intensior gratia confertur per Sacramentum Pœnitentiæ, quam per Baptismum: & tamen illa gratia remissa in Baptismo affert condonationem totius pœnæ: gratia verò intensa in Sacramento Pœnitentiæ affert solùm commutationem pœnæ æternæ in temporalem. Rursus, quando homo per contritionem extra Sacramentum disponitur ad iustificationem, non possumus dicere, quòd ad tantam contritionem consequatur ex natura rei commutatio pœnæ æternæ in tantam pœnam temporalem: quia, cùm neque ipsa iustificatio, aut infusio gratiæ consequatur ex natura rei, sed ex Dei clementia, qui attendit ad contritionem, tanquàm ad dispositionem de congruo, vt conferat gratiam, & tantam gratiam, quam, & quantam non exigebat ex natura sua talis contritio; consequens est, vt neque commutatio pœnæ æternæ in tantam temporalem consequatur ex natura rei; sed ex Dei voluntate acceptantis illam congruam dispositionem ad talem modum remissionis pœnæ.

tam condonetur gratia, vt commutatio in pœnam temporalem, ex voluntate Dei.

5.

Dicet aliquis, commutationem illam in tantam pœnam temporalem fieri aliquo modo ex natura rei: quatenus eo ipso, quòd Deus acceptat talem contritionem, vt dispositionem ad tantam gratiam habitualem, & attendit ad quantitatem contritionis, sicut, si esset meritoria de condigno, consequenter debet attendere ad eandem contritionem, sicut, si esset satisfactoria de condigno, vt auferat tantum, vel tantum debitum pœnæ temporalis. Cùm enim opera meritoria de condigno habeant ex natura sua vtrumque valorem, scilicet, in ratione meriti, & in ratione satisfactionis; & quidem cum tali proportione, vt sicut valent ad merendum, valeant cum proportione ad satisfaciendum; consequens esse videtur, vt eo ipso, quòd Deus eleuat contritionem ad merendum talem gradum gratiæ, sicut, si esset meritoria de condigno; debeat ex natura rei eam eleuare ad satisfaciendum cum eadem proportione, sicut, si esset satisfactoria de condigno, ita vt satisfaciat pro tanto debito pœnæ, quantum auferret, si mereretur de condigno tantum gradum, quantus eius intuitu de facto confertur.

6.

Sed neque hoc modo explicari potest illa exigentia ex natura rei ad talem commutationem determinatam: quia, licèt daremus, debere contritionem habere æqualem virtutem ad satisfaciendum, ac ad merendum, & debere eleuari, vel acceptari æqualiter ad vtrumque effectum; id totum ad nihil deseruiret, nisi priùs interueniat libera voluntas Dei commutantis pœnam æternam in tantam pœnam temporalem. Pone enim contritionem acceptari à Deo ad merendam gratiam vt quatuor, atque ideò debere etiam eleuari, vt possit satisfacere, v.g. vt quatuor, seu pro pœna quatuor annorum; restat adhuc difficultas, ex quo numero debeant auferri illi quatuor anni: atque ideò

priùs debet supponi, quòd Deus liberè commutauerit pœnam æternam in pœnam centum annorum, cùm potuisset ex natura rei commutare in pœnam milke annorum, vt tunc ex illis centum annis auferantur quatuor. Vnde prima commutatio in tantam, vel tantam pœnam temporalem non potest ex natura rei determinari, neque ab ipsa gratia, neque à contritione, neque à gratia, vt datur intuitu talis contritionis; sed solùm gratia exigit commutationem in aliquam pœnam temporalem, quam Deus pro suo arbitrio taxare potest maiorem, vel minorem, vt diximus: obseruat autem leges à se statutas, quæ leges non fuerunt cum tali determinatione conditæ propter aliquam determinatam exigentiam ipsius gratiæ.

7. *An satisfactio sit condigna.* His suppositis, controuersia præsens, & præcipua est, an satisfactio, qua homo iustus satisfacit ex opere operantis pro debito pœnæ temporalis, sit dicenda de condigno, & ad æqualitatem. Quæ quæstio magna ex parte coincidit cum simili quæstione quæ 1.2. tractari solet circa valorem, & condignitatem nostrorum meritorum: quare breuiter eam expediemus. Aliqui ergo videntur non agnoscere condignitatem in nostris operibus ad satisfaciendum pro pœna alterius sæculi. Ita videntur sentire Durand. *dist.* 15. *quæst.* 5. *ad* 2. & Ledesm. 2. *part.* 4. *quæst.* 12. qui indicat, totum hoc positum esse in diuina acceptatione, & beneuolentia. Clariùs loquitur Ioan. Medina *Cod. de satisfact. q.* 1. *in fine*, qui dicit, nostram satisfactionem posse esse condignam, si pœna Purgatorij est eiusdem rationis cum pœna huius vitæ; secùs si sit alterius rationis: quia, qui soluit pretium inferioris rationis, non soluit sufficienter, & condignè: atque ideò indiget misericordia creditoris acceptantis illam solutionem. Denique clarissimè loquutus est Michaël Baius vt apparet ex duabus eius propositionibus contentis in Bulla Gregorij XIII. contra ipsum, quas statim referemus, in quibus nullam omninò condignitatem admittere videtur in nostris satisfactionibus.

8. Contraria sententia communis est omnium Theologorum, quos sequuntur Suarez *in præsenti: disp.* 37. *sect.* 8. & 10. & Vasquez *vbi supra, dub.* 3. & omissis aliis, quæ apud prædictos Auctores videri possunt, videtur mihi probari posse primò ex Tridentino *sess.* 14. *cap.* 8. & 9. & *can.* 13. in quibus homo dicitur simpliciter satisfacere per eiusmodi opera: qui autem æquale non soluit, non satisfacit simpliciter, & absolutè: sed facit aliquid quod ex se non sufficit, & quo posito, creditor condonat: nam satisfacere, est sufficienter facere, hoc est, quantum satis, & sufficiens est ad delendum debitum,

Vnde secundò probatur: quia, si nostra satisfactio pro pœna temporali non esset de condigno, sed solùm de congruo, eodem modo dici posset, quòd satisfacit homo pro debito pœnæ æternæ, sicut pro debito pœnæ temporalis, cùm per contritionem, sicut meretur de congruo remissionem peccati, sic etiam satisfaciat de congruo pro debito pœnæ æternæ. Consequens autem videtur esse contra modum loquendi eiusdem Concilij Tridentini, quod clarè condistinguit. & reatum pœnæ æternæ dicit remitti; reatum verò pœnæ temporalis dicit, non semper remitti, sed per satisfactionem tolli: sic enim loquitur *sess.* 6. *c.* 14. vbi enumerans partes Sacramenti Pœnitentiæ dicit, in eo contineri etiam *satisfactionem per ieiunia, eleemosynas; orationes, & alia pia spiritualis vitæ exercitia; non quidem pro pœna æterna, quæ vel Sacramento, vel Sacramenti voto cum vna culpa remittitur; sed pro pœna temporali; quæ vt sacræ Litteræ docent, non tota semper (vt in Baptismo fit) dimittitur illis, qui gratiæ Dei, quam acceperunt, ingrati, Spiritum sanctum contristauerunt, & templum Dei violare non sunt veriti.* Quibus verbis apertè dicitur, pœnam æternam simpliciter remitti; & ideò non satisfieri pro illa, sicut pro temporali, quæ non semper totà remittitur: ergo pro temporali, ex mente Tridentini satisfacimus de condigno: alioquin remitti diceretur, sicut æterna, pro qua etiam satisfacimus de congruo.

Conc. Trid.

Tertiò probari potest ex Bulla Pij V. & Gregorij XIII. contra propositiones Michaëlis Baij, in qua referuntur duæ propositiones illius Auctoris, quæ cum aliis prohibentur, nempè 59. quæ talis erat: *Quando per eleemosynas, aliaque pietatis opera Deo satisfacimus pro pœnis temporalibus, non dignum pretium Deo pro peccatis nostris offerimus; sicut quidam errantes autumant; nam alioquin, essemus aliqua saltem ex parte redemptores: sed aliquid facimus, cuius intuitu Christi satisfactio nobis applicatur, & communicatur*, & rursus 77. quæ talis erat: *Satisfactiones laboriosæ iustificatorum non valent expiare de condigno pœnam temporalem restantem post culpam condonatam.* Has duas propositiones prohibent prædicti Pontifices in illa Bulla, ex qua prohibitione firmissimè roboratur proposita conclusio, quæ illis propositionibus ex aduerso contradicit. 9. Michael Baius.

Quartò denique probatur ratio: quia opera hominis iusti habent æqualitatem, & condignitatem in ratione meriti, in ordine ad beatitudinem æternam: ergo possunt habere condignitatem ad redimendum paulatim debitum pœnæ temporalis, quod est multò minùs. Vndè corruit fundamentum Medinæ *suprà* positum; nam plùs superatur opus nostrum à præmio beatitudinis æternæ, quàm pœnalitas huius vitæ à pœnis alterius sæculi: & tamen illa inæqualitas in esse entis, & naturæ, non impedit proportionem requisitam inter præmium, & meritum condignum: ergo, neque ista tollet proportionem inter satisfactionem, & debitum, pro quo satisfit. Mereri enim non est emere pro æquali pretio æqualitate rei, sed est seminare apud æquitatem, & gratitudinem Principis: quare æqualitas meriti, non est sicut pretij, sed sicut seminis in corde Principis fœcundissimo. Sic etiam satisfacere, non est satis pari; sed imitatur meritum, eò quòd debitor tendat ad placandum Principem, & alliciendam eius mansuetudinem, ac elementiam, vt acceptet voluntariam punitionem anticipatam, & placetur, ne exigat debitam pœnam. Vndè multò minor pœnalitas sufficiet ad expiandum debitum maioris pœnalitatis, præsertim accedente dignitate illius, qui se spontaneè castigat, qui est filius Dei adoptiuus per gratiam iustificantem, vt *postea* videbimus. 10.

Dices, totam virtutem, & valorem operis expendi in promerendo augmento gloriæ: ergo non potest simul de condigno obtinere redemptionem pœnæ: alioquin rolleretur aliquid de præmio gloriæ, quam posset mereri illud opus, ne mereatur præmium vltra condignum. Respondetur, opera hominis iusti, vt sæpiùs dixi, non extinguere debitum pœnæ per modum meriti, sed per modum satisfactionis, quod est valdè diuersum genus: nam meritum est, in ordine ad gratitudinem, vel aliam virtutem similem, quæ inclinat ad præmiandum, satisfactio verò est, in ordine ad iustitiam punitiuam: vel in ordine ad mansuetudinem, qua placatur Iudex, ne puniat cum 11.

cum tanto rigore. Quod soleo hoc exemplo explicare. Finge, esse in Republica duos Superiores, ad quorum alterum pertineat remunerare, & præmiare pro bonis operibus, ad alterum punire scelera. Planè, si aliquis reus pœnæ subiret sponte sua ingentes labores pro Republica tuenda, æquum esset, vt secundus Superior temperaret, vel reuocaret pœnam, quam ille reus debebat: & tamen hic Superior non potest remunerare, aut præmiare, vt suppono: ergo hæc temperantia pœnæ non est præmium propriè dictum, sed cessatio à punitione, & acceptatio vnius pœnæ pro alia: quia æquum est, vt iustitia placetur, quando reus sponte sua se laudabiliter afflixit. Differunt ergo meritum, & satisfactio, quòd meritum reddit hominem dignum præmio: satisfactio non reddit dignum, sed tollit saltem remotè dignitatem pœnæ, quam habeat. Non habet itaque maius præmium in ratione præmij illud opus, quo simul homo meretur gloriam, & satisfacit pro pœna, quàm si non satisfaceret: nec è contra, qui non habet debitum pœnæ, pro quo satisfaciat, meretur plures gradus gloriæ, eò quòd habeat actiuitatem totam operis magis liberam. Sicut opus bonum impetratorium non meretur minùs præmij ex eo, quòd simul impetret alteri aliquod beneficium, nec meretur plùs ex eo quòd nihil impetret, quia sunt actiuitates disperatæ in eodem opere.

12. *An sit necessaria acceptatio Dei.*

Supposito itaque, quòd satisfactio hominis iusti sit de condigno, dubitantur, an indigeat acceptatione Dei, vt expiet reatum pœnæ temporalis, an verò sine illa habeat totam suam virtutem, & efficaciam. Pater Vasquez *in præsenti, dicto art.* 1. *dub.* 3. *& in* 1. 2. *disput.* 221. *num.* 32. docet, non indigere vlla Dei acceptatione: imò addit, licèt stante merito condigno, posset Deus non dare præmium, non tamen posse punire hominem, qui ex se obtulit condignam satisfactionem: nam, qui debet, & soluit sufficienter, eo ipso extinguit debitum, nulla posita acceptatione creditoris. Contrariam sententiam docet P. Suarez cum aliis *in præsenti, disput.* 37. *sect.* 8. scilicet, requiri Dei acceptationem: quod infert ex eo, quod ad meritum etiam de condigno dixerat requiri promissionem Dei.

13. *Opera iusti antecedenter ad promissionem, & acceptationem Dei, quem valorem habeant.*

In hoc puncto aliqua sunt de nomine, & in quibus quoad rem ipsam omnes debemus conuenire, aliquid est de re. Debemus ergo conuenire, primò, in hoc, quòd iam in ordine ad satisfaciendum, quàm in ordine ad merendum, opera iusti viatoris habent de se antecedenter ad promissionem, & acceptationem Dei valorem sufficientem, seu æqualitatem, & proportionem, ratione cuius, quantùm est de se, non sunt inferioris virtutis, vel actiuitatis ad illum effectum: nam diuina promissio, vel acceptatio non facit, quòd opus sit melius, & per consequens, quòd de se habeat maiorem valorem, sed solùm acceptat id, quod de se, verbi gratia valet decem, ad danda ea decem pro illo, vel intuitu illius.

Requiritur Dei promissio, vt teneatur reddere præmium pro merito condigno.

Secundò, debemus concedere, quòd, vt Deus teneatur reddere præmium pro merito condigno, requiritur eius promissio: alioquin ipse Vasquez fatetur, quòd positis meritis condignis, Deus posset nullum reddere præmium, cùm ea merita Deum non necessitent ad præmiandum. Quare, quod attinet ad meritum, est quæstio de nomine, an opus iusti de se, & vt condistinctum à promissione Dei, dici debeat meritorium de condigno; an solùm dignum, hoc est valorem, & dignitatem habens, ratione cuius, accedente Dei promissione, esset simpliciter meritorium.

P. Ioann. de Lugo, de Pœnitentia.

Et quidem in hac quæstione de nomine placet magis modus loquendi P. Vasquez, quòd etiam antecedenter ad Dei promissionem, opera iusti de se sint meritoria de condigno, & homo per illa sit dignus, & mereatur de se gloriam, licèt Deus non daret. Primò, quia esse dignum, & mereri videntur synonima: si verò opus iusti de se habet valorem, & dignitatem, de se etiam habet mereri tale præmium. Secundò, quia meritum de congruo, etiam absque promissione Dei, est verè meritum congruum: non enim præcedit promissio Dei, quoties propter aliqua merita congrua Deus confert aliquod beneficium; ergo denominatio meritorij operis non requirit Dei promissionem, sed habetur ab ipsa congruitate, vel valore ipsius operis. Tertiò, quia demerita, seu peccata viatoris, etiam absque vlla Dei comminatione præcedente, mererentur de se pœnam, licèt Deus ob suam clementiam illam non inferet: quia de se haberent, quantùm sufficit, vt moueant Deum ad puniendum: ergo, & bona opera essent de se meritoria præmij, etiam sine promissione Dei; quia de se habent, quod sufficit, vt mouerent Deum ad præmiandum

14. *Opera iusti antecedenter ad Dei promissionem, de se sunt meritoria de condigno.*

Cæterùm, licèt opera iusti de se habeant, quod sufficit ad merendum, atque ideò mereantur in actu primo; Deus tamen, secluso promissione, non teneretur ad reddendum præmium: & in hoc etiam omnes conuenimus. Quare promissio illa, quæ est quasi acceptatio antecedens, posita fuit liberè à Deo; atque adeò potuit poni propter Christum: quod indicare videtur Trident. *sess.* 6. *cap.* 16. in illis verbis: *Benè operantibus proponenda est vita æterna, tanquam gratia filiis Dei, & per Christum Iesum misericorditer promissa.*

15. *Promissio Dei antecedens posita fuit propter Christum.*

Consequenter dicendum est, opera iusti ex se ante Dei promissionem, vel acceptationem habere valorem, & condignitatem ad redimendam pœnam temporalem purgatorij. Probatur ex dictis: quia, si ex se non haberent condignitatem; neque etiam haberent illam accedente Dei promissione, atque ideò non satisfaceremus per illa opera de condigno, sed de congruo: sicut etiam de facto non meretur peccator per contritionem gratiam iustificationis de condigno, sed de congruo, etiam accedente infallibili Dei promissione: quia contritio de se non habet talem valorem, aut dignitatem; & promissio Dei non facit illam meliorem, aut digniorem, Similiter non satisfacimus de condigno, sed de congruo, per contritionem pro debito pœnæ æternæ, aut pro culpa mortali, etiam antecedente Dei promissione, & acceptatione, propter eandem rationem: sicut damnatus ad triremes non satisfaceret condignè pro pœna ieiunando vno die, licèt accederet promissio, & acceptatio Iudicis.

16. Addo tamen vltimò, licèt nostra opera habeant de se illum valorem, & dignitatem, non tamen expiarent formaliter, & auferrent debitum pœnæ temporalis, si non accederet acceptatio Dei liberè acceptantis, atque ideò hæc acceptatio de facto fuit propter Christum: illa autem acceptatione secluſa, iustè posset punire Deus, adhuc in Purgatorio, eum, qui pro suis peccatis ieiunia, vel alia opera pœnalia obtulisset. In hoc est controuersia de re cum P. Vasquez, qui licèt id admittat in merito, negat tamen in ordine ad satisfactionem. Verumtamen, licèt id verum sit, loquendo de satisfactione pro culpa: non tamen videtur verum de satisfactione pro debito pœnæ: quia, vt explicui *disp.* 3. *de Incarnat. sect.* 10. *numer.* 138. *& seq. & disp.* 5. *sect.* 7. *n.* 126. Iudex semper habet ius ad exigendam pœnam illam, quam ipse imponere velit, & non tenetur ad acceptandam illam, quam

reus imponere sibi voluerit, etiamsi sit æqualis, & fortasse maior, quia Iudicis, & non delinquentis est taxare, & determinare pœnam. Poterit ergo Princeps commutare vnam pœnam in aliam; quæ si fuerit æqualis, per illam dicetur reus satisfeciſſe æqualiter debito prioris pœnæ; deficiente tamen Iudicis voluntate, vel acceptatione, quamtumuis reus se aliis suppliciis voluntariè castiget, non manet liber à debito pœnæ per Iudicem taxatæ. Sicut, si quis debeat triticum, & soluat oleum valoris æqualis; non tenetur creditor illud acceptare. Confirmatique potest: quia nec Adamus, nec nos per opera pœnalia, qualiacumque sint, satisfacere possumus pro debito carendi iustitia originali, vel moriendi, quæ est pœna debita ex peccato originali: quia, nimirum, Deus non vult acceptare vllam satisfactionem pro illa pœna. Sic etiam noluit acceptare vllam satisfactionem, vel pœnitentiam Dauidis pro pœna, quam ei statuerat pro suo peccato, quòd moreretur eius filius ex adulterio natus: non ergo extinguitur formaliter reatus pœnæ temporalis per solam satifactionem ex parte nostra exhibitam, sine libera Dei acceptatione. Quod tamen in satisfactione pro culpa aliter dicendum est: quia vt dixi *illa disp. 5. de Incarnat. sect. 7. n. 124. & seqq.* non potest offensa perseuerare moraliter in æstimatione prudentum, postquam offensor fecit, quantùm satis erat ad placandum offensum: tunc enim, si non placetur, æstimabitur irrationabiliter implacatus, & aduersus: quare eo ipso quod posita sit sufficiens satisfactio ex parte offensoris intelligitur ablata offensa, licet non acceptetur ab offenso: quia offensa habitualis vt, *suprà* vidimus, est offendisse & non satisfeciſſe, nec condonatam fuisse offensam: posita ergo ex parte sua satisfactione sufficienti, eo ipso tollitur ratio indignationis iustæ; non tamen ius ad pœnam; propter rationem *suprà* adductam. Vide, quæ dixi *dicta sect. 7.* vbi obiectiones contra hanc conclusionem dissolui.

18. *Acceptat Deus propter Christum nostras satisfactiones.* Addidi in conclusione, hanc acceptationem nostræ satisfactionis poni propter merita Christi: sic enim indicat Trident *sess. 14. cap. 8.* vbi ait, nostras satisfactiones habere suam vim ex Christo *In quo* (inquit) *vivimus, in quo meremur, in quo satisfacimus facientes fructus dignos pœnitentiæ, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri, & per illum acceptantur à Patre.* Vbi vides, interuenire merita Christi, non solùm vt fiant nostræ satisfactiones; sed etiam vt acceptentur à Deo. Quod idem de flagellis patienter toleratis significat *capite sequenti*, dum dicit, *tantam esse diuinæ munificentiæ largitatem, vt non solum pœnis, sponte à nobis pro vindicando peccato susceptis, an Sacerdotis arbitrio pro mensura delicti impositis; sed etiam quod maximum amoris argumentum est, temporalibus flagellis à Deo inflictis, & à nobis patienter toleratis, apud Deum Patrem per Christum Iesum satisfacere valeamus.* Vbi vides, misericordiæ Dei per Christum tribui quòd flagella Dei patienter tolerata acceptantur à Deo pro satisfactione ad expiandum debitum pœnæ. Ratio autem ex dictis est clara: quia, cùm hæc acceptatio sit Deo libera, qui potuit non acceptare, sicut de facto pro aliquo debito pœnæ temporalis non acceptat; congruum erat, quòd hoc etiam beneficium non aliter concederetur, nisi propter Christum, propter quem Deus remittit, & indulget omnia, quæ quolibet modo nobis remittuntur, & indulgentur.

Conc. Trid.

Idem Conc.

19. *An de rigore iustitiæ iustus satisfaciat.* Hinc infero, an dicendum sit, quòd per opera bona iuste satisfaciat, non solùm de condigno, sed de rigore iustitiæ pro debito pœnæ temporalis, provt affirmat Suarez cum aliis. De hoc dixi latè *disp. 3. de Incarnat. sect. 10. per totam*, quæ videri potest: est enim quæstio ferè de nomine, suppositis, quæ dicta sunt, nam si fermo sit de iustitia commutatiua, hæc non habet locum in Deo qui obligari non potest nobis ex iustitia commutatiua, vt latè probaui *illa disp. 3. ferè per totam*: neque etiam nos debemus pœnam ex iustitia commutatiua. Sermo ergo debet esse de iustitia vindicatiua, seu punitiua. In quo sensu distinguendum est. Satisfacit iustus de rigore iustitiæ, quoad æqualitatem solutionis: concedo: nam reuerà soluit aliquid, quod moraliter æquiualet pœnæ debitæ. Satisfacit de rigore iustitiæ, quoad modum solutionis: nego: quia necessarius fuit, vt dixi, fuor ex parte Iudicis, vt acceptaret nostra opera in satisfactionem, cùm posset exigere pœnam à se ipso infligendam, vt dictum est. Poterit ergo dici simpliciter, & absolutè, quòd, posito Dei acceptatione, homo iustus suis operibus satisfacit de rigore iustitiæ, nempe vindicatiuæ, quæ communiter appellari solet iustitia.

DVBIVM INCIDENS.

An posit homo aliter, quàm per condignam satisfactionem, liberari à debito pœnæ, per impetrationem, vel merita congrua.

20. NOn loquimur de Indulgentiis, & Sacramentis, per quorum aliqua, sicut & per Sacrificium applicantur nobis satisfactiones Christi, & extinguitur reatus pœnæ ex opere operato, sed loquimur de via impetrationis, vel sanctificationis congruæ. Pater Suarez *in præsenti, disp. 37. sect. 10.* respondet negatiuè: quia non videtur consonum diuinæ iustitiæ, vt peccata maneant impunita.

Sine satisfactione posse impetrari expiatio veteris pœnæ.

Pars affirmans verior mihi videtur, quam licet in terminis non doceant expresè auctores, docent tamen illam in simili ferè puncto, dum dicunt, posse nos aliquando sine satisfactione impetrare precibus remissionem pœnæ alicui defuncto, quod docent Caiet. *tom. 1. Opusc. tract. 16. quæst. 5.* Nauarrus *in Comment. de Iubileo, notab. 22. n. 15.* Durand. *in 4. dist 41. quæst. 1. n. 6.* & alij, quos affert Suarez *infrà disp. 48. sect. 5. n. 4.* vbi *n. 5.* eam sententiam fatetur esse piam, & probabilem, & simul fatetur, faciliùs posse aliquem sibimetipsi impetrare, quàm alteri. Vnde, si probabile, & pium est, quòd possimus absque satisfactione impetrare aliquando expiationem reatus pœnæ animabus Purgatorij, probabilius erit, vel æquè probabile, quòd id possimus aliquando nobis obtinere.

21. *Potest impetrari defuncti remissio pœnæ.*

Porrò, posse aliquando orationibus obtineri remissionem pœnæ alicuius defuncti, colligi videtur primò: quia B. Virgo Deipara, & alij Sancti orant pro defunctis: vnde Ecclesia petit sæpè, vt Beata Virgine intercedente, cum omnibus Sanctis, suorum delictorum veniam consequantur. ad quod confirmandum adduci possunt reuelationes aliquæ, quibus constare dicitur, B. Virginem liberare sæpè suos deuotos ex Purgatorij pœnis. Quod etiam de B. Lutgarde tradit Surius quòd moriens tulit secum in cœlum animas aliquas suis precibus è Purgatorio liberatas. Secundò, quia Christus Dominus descendens ad inferos liberauit plures animas è Purgatorio, quæ nondum planè debitas pœnas exsoluerant, vt tradunt communiter Theologi cum S. Thom. *suprà, quæstiane 52. num. 8.* vbi Suarez id probat. Tertiò, Ecclesia in officio defunctorum sæpiùs petit, vt Deus

Deus condonet pœnas debitas animabus in Purgatorio existentibus. Quartò, Confessarius potest pœnitenti præcipere, vt oret pro defunctis, vt traditur in Catechismo Romano *in Sacramento Pœnitentiæ, n.* 80. quo casu non iubetur pœnitens abdicare à se satisfactionem, imò iubetur pro se satisfacere, cùm hoc ei in satisfactionem pro suis peccatis iniungatur: ergo solùm iubetur orare ad impetrandam defunctis pœnæ remissionem. Vnde ad fundamentum Suarij respondetur facilè, illa peccata non manere tunc impunita, sed satisfieri plenè diuinæ iustitiæ, applicando satisfactiones Christi pro pœna, quam nos debeamus soluere: quæ applicatio obtineri potest aliquando per orationes. Sicut nec manent impunita peccata, quando pœna pro iis debita remittitur per Indulgentias, aut Sacramenta, vel Sacrificia: quia tunc etiam satisfactiones Christi applicantur, quibus soluitur plenissimè totum debitum.

22. De August. Obiicit Suarez *dicta sect.* 10. *n.* 4. Augustinum *Serm.* 50. *de tempore*, vbi per illa verba Ecclesiastici 21. *Fili, peccasti: ne adiicias iterum: & de pristinis deprecare, vbi tibi dimittantur*, Sic ait: *Sed quid proderit deprecari, si te non dignum feceris exaudiri, non faciendo fructus dignos pœnitentiæ, vt tamquam sterilis arbor excidaris, & in ignem mittaris: Si ergo exaudiri vultis, cùm deprecamini pro peccatis vestris, dimittite, vbi dimittatur vobis.* Vbi videtur vltra deprecationem exigere fructus dignos pœnitentiæ. Sed August. ibi clarè loquitur de remissione culpæ de qua fatemur, non posse haberi immediatè per meram impetrationem sine pœnitentia, & aliis requisitis.

23. Dices: Si potest impetrari remissio pœnæ temporalis absque satisfactione condigna, cur non poterit etiam impetrari immediatè augmentum aliquod gratiæ absque merito condigno? Respondetur, retorquendo argumentum: non enim arguitur benè: Non possumus impetrare immediatè augmentum gratiæ: ergo neque vllum aliud Dei beneficium: cur ergo arguetur benè ex illo antecedenti, quòd nec remissionem pœnæ temporalis possumus impetrare? imò cùm alia beneficia præter gratiam possimus immediatè impetrare, cur non poterimus remissionem pœnæ, quæ non est beneficium excellentius aliis, quæ impetrari possunt? Ratio autem, cur gratia non obtineatur immediatè per impetrationem, illa esse potuit, quòd cùm gratia sit immediata mensura gloriæ; oportuit, hanc mensuram certam esse, & communem omnibus regulam præfiniri obtinendi gratiam, ne aliqua quærelæ species posset suboriri, si haberet maiorem gloriam, qui minorem meruisset: pertinet enim ad Superiorem, æqualem se exhibere in præmij distributionem; ideò omnibus proposuit Deus communem regulam obtinendi, & augendi gratiam, nempe, bona merita, & Sacramenta. In aliis verò inferioribus beneficiis potest sæpè propter preces Superior dare immediatè huic, vel illi, provt voluerit.

Dices iterum: Ergo ipsæmet animæ Purgatorij poterunt sibimet aliquando interpretare remissionem pœnæ. Respondetur primò, consequentiam non esse legitimam, cùm animæ illæ, ratione status punitionis, quem habent, parum; aut nihil possint sibi impetrare. Respondetur secundò, ipsummet Suarez tandem *tom.* 2. *de relig. lib.* 1. *de orat. c.* 11. id concessisse, vbi ait, animas illas orare, vt per applicationem satisfactionis Christi condonetur sibi aliqua pœnæ debitæ pars: quid ergo mirum, si Deus eas aliquando exaudiat?

SECTIO II.

An, & quomodo requiratur status gratiæ ad satisfactionem de condigno.

24. NOn defuerunt, qui dicerent, etiam in statu peccati posse hominem satisfacere pro pœna temporali debita pro peccatis iam priùs quoad culpam remissis. Scotus, Maior, Gabriel, Medina, & Nauarrus apud Suarez *in præsenti, disp.* 37 *sect.* 2. *n.* 2. Quod Scotus probat: quia, qui propter delictum meretur abscissionem manus, si manus ei abscindatur, etiam si non sit in gratia Regis, satisfecit debito pœnæ. Ex hoc tamen argumento colligi videtur, quòd Scotus confundat satisfactionem cum satispassione: ille enim propriè non satisfacit, sed satispatitur: nunc autem loquimur de satisfactione propriè dicta.

Peccator non potest propriè satisfacere.

Cummunis ergo Theologorum sententia cum Sancto Thom. *in* 4. *dist.* 15. *q.* 1. *art.* 3. *quæst.* 2. negat, peccatorem posse propriè satisfacere. Ita Alex. Bonauentura, Durand. Richard. Palud. Ledesma, Maior, Henricus, Caiet. Adrianus, vterque Soto, quos referunt & sequuntur Suarez *loco citato*, & Vasquez *quæst.* 94. *art.* 1. *dub.* 4. & alij omnes Recentiores.

25. Conc. Trid. Probatur primò ex Tridentino *sess.* 14 *cap.* 8. vbi de operibus satisfactoriis dicitur, esse in Christo, & ex Christo, *vt omnis gloriatio nostra in ipso sit, in quo viuimus, in quo mouemur, satisfacimus, facientes fructus dignos pœnitentiæ, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri, & per illum acceptantur à patre.* Quibus verbis indicatur, vim satisfaciendi nostrorum operum inde prouenire, quòd dum fiunt, *in Christo viuimus, & mouemur*: quod proprium est hominis iusti: nam peccator non viuit in Christo.

Secundò probatur ratione: quia satisfactio, licèt non sit meritum formaliter; imitatur tamen rationem meriti: quia, sicut peccator, & inimicus Dei, dum manet inimicus, non potest mereri condignè: quia non placet Deo, & ideo non possunt eius opera esse Deo accepta ad præmium, sic nec possunt esse accepta ad placandum Deum pro pœna debita, quæ placatio est, quasi quædam retributio pro castigatione voluntaria, quam homo exhibet, & offert Deo: qui enim non potest esse dignus retributione, & præmio, propter inimiciam permanentem; non potest etiam esse dignus vt acceptetur eius castigatio voluntaria ad compensandam pœnam aliunde debitam. Vnde constat responsio ad fundamentum, & exemplum Scoti, in quo non agitur de acceptatione, & compensatione; sed ponitur ipsa pœna inflicta à Principe. An verò possit in eo statu peccator satispati, & soluere pœnam debitam, eámque extinguere, diximus latè *suprà disp. decima, sect.* 2.

26. *Non reuiuiscunt ad satisfactionē opera facta in peccato.*

Hinc infero, opera illa facta in peccato mortali non reuiuiscere adueniente gratia ad effectum satisfactionis: quia, sicut non reuiuiscent in ordine ad meritum, eò quòd non placuerunt Deo ex indignitate personæ; sic non possunt condignè reuiuiscere ad effectum sanctificationis propter eumdem defectum, vt probat Vasquez *vbi suprà, n.* 8. & Suarez *dicta sect.* 2. *num.* 7. vbi explicant Sanctum Thomam distinguentem de operibus, quæ relinquunt effectum permanentem, vt ex eleemosyna remanet carentia pecuniæ, & ex ieiunio corporis debilitas: & de illis, quæ non relinquunt talem effectum, dicunt enim, Sanctum Thomam solùm velle, quòd prioris generis opera facta in

peccato possint postea prodesse, quatenus adueniente gratia potest per nouam voluntatem acceptari effectus ille relictus, & offerri Deo.

27. *An crescat valor satisfactionis ex maiori gratia.* Circa conclusionem propositam, aliqua dubia occurrunt. Primum est, an valor satisfactionis crescat pro maiori gratia, quam homo habet. Hæc quæstio coincidit ferè cum illa alia, an valor meriti crescat pro maiori pretio, de qua dixi latè *disp.6.de Incarnat. sect.2.* vbi sententiam affirmantem amplexus sum: quare consequenter idem dicendum est in ordine ad satisfactionem, cùm ad illam attendi etiam debeat dignitas subiecti, vt fatetur Suarez *in præsenti, disp. 37. sect.6.num.9.* Vnde, sicut ibi probauimus maiorem meriti valorem in homine magis grato, argumento desumpto ex meritis Christi Domini quorum valor fuit infinitus propter excellentiam personæ operantis: sic eodem argumento possumus maiorem valorem satisfactionis probare: quia opera Christi non solùm in ratione meriti, sed etiam in ratione satisfactionis habuerunt valorem infinitum, qui non proueniebat præcisè ex honestate operum quæ tota erat finita, & limitata; sed ex dignitate personæ satisfacientis: ergo, quo maior fuerit hæc dignitas, & excellentia in homine iusto; eò maior etiam erit valor operis satisfactorij, cæteris paribus.

28. Addo tertiam rationem: nam, licèt valor meriti non cresceret ex maiori gratia: in satisfactione tamen esset peculiaris ratio ad id asserendum: quia eadem pœna inflicta viro nobiliori, æstimatur moraliter pœna grauior, quàm inflicta homini ignobili: vnde pro eodem delicto minori pœna punitur Marchio, aut Dux, quàm alius nobilis inferioris notæ; & hic etiam minori, quàm plebeius: quia exilium Principis grauior pœna æstimatur, quàm verberatio plebeij: ergo & castigatio carnis in homine sanctiori habente gratiam vt 100. æstimabitur maior pœna, & grauior castigatio, quàm in alio iusto habente gratiam, vt quatuor: quia excellentior, ac illustrior persona castigatur; atque adeo sufficiet ad soluendum pro pluribus peccatis, vel grauioribus cùm moraliter si maior satisfactio.

29. *Quo tempore requiratur gratia.* Secundò tamen dubitari potest, an hic valor satisfactionis crescat ex gratia, quam homo habet eo tempore, quo vult pati, & ieiunare, v. g. an ex illa, quam habet postea, quando re ipsa ieiunat, & patitur. Respondetur, vtramque gratiam attendi debere. Primam quidem, quia gratia illa dignificat voluntatem ieiunandi, & facit illam esse magis satisfactoriam. Secundam verò, quia illa maior gratia facit quod pœna sit grauior, eò quòd castigetur homo excellentior, & sanctior, cuius castigatio, cæteris paribus, æstimatur grauior punitio, vt dicebamus, atque adeò additur valor satisfactionis.

30. *Ieiunium in peccato volitum, & postea in gratia susceptum, & perfectum, an de condigno satisfaciat.* Tertiò dubitabis, an si aliquis, cùm esset adhuc in peccato, voluit ieiunare, & postea in gratia ieiunet, satisfaciat de condigno per illud ieiunium. Non est dubium si habuit nouam voluntatem, postquam est in gratia: quando verò nullam aliam voluntatem nouam habuit, sed ieiunat ex vi prioris voluntatis, quam habuit, dum esset in peccato; videtur ex proximè dictis, quòd possit ieiunium dignificari à gratia iam posita: diximus enim, illam posse augere valorem illius satisfactionis. ergo poterit etiam illum valorem dare. Respondetur tamen, si noua voluntas non superueniat, non esse satisfactorium, illud ieiunium: quia, vt sit opus satisfactorium, debet procedere ab homine iusto: illud autem ieiunium non procedit ab homine iusto, sed à peccatore: cùm procedat solùm ab homine per illam priorem voluntatem, quam habuit, dum esset adhuc in peccato. Potest ergo à maiori gratia postea superueniente dignificari, vt sit maior satisfactio; quatenus castigatio, & pœna hominis nobilioris æstimatur moraliter maior pœna: non tamen potest solùm ab illa gratia de nouo adueniente dignificari, vt sit satisfactio simpliciter: quia hoc habet ex eo, quòd sit castigatio voluntariè assumpta ab homine iusto, qualis non est illa, cùm non procedat à voluntate hominis iusti; sed hominis peccatoris. E contra verò, si erat in gratia, quando voluit ieiunare, postèà verò cùm ex vi illius voluntatis ieiunat, si in peccato; satisfecit quidem per priorem voluntatem: non tamen satisfacit, quando ieiunat: quia status peccati, & inimicitæ cum Deo impedit omnem valorem, quem ieiunium posset habere à voluntate bona præterita hominis iusti, à qua procedit.

31. *An in statu naturæ purę posset satisfacere pro pœna.* Quarto dubitari potest, an hæc conditio gratiæ habitualis sit adeò necessaria ad satisfaciendum, vt si homo creatus fuisset in statu naturæ puræ, non potuisset suis operibus satisfacere pro vllo debito pœnæ temporalis. Respondetur, nunc de facto omnem satisfactionem prouenire ex gratia: quia de facto cùm omnis ablatio pœnæ temporalis connexionem habeat cum adeptione salutis æternæ; noluit Deus acceptare aliud satisfactionis genus, nisi quod pertinet ad eundem gratiæ ordinem. Si verò homo creatus fuisset in natura pura, & solùm in ordine ad finem naturalem; sicut tunc potuisset mereri de congruo remissionem peccati venialis, imò & satisfacere de condigno pro eius culpa, vt dixi *disp. 5. de incarnat. sect.7.* si non potentia morali, saltem physica: sic posset satisfacere de condigno, pro aliqua saltem exigua parte pœnæ temporalis vt dixi *in eodem loco, n.132.* Ad quod requireretur iustitia, & rectitudo naturalis, quæ tunc esset possibilis: nam, si esset in peccato mortali, non est dubium, quòd non posset satisfacere tunc homo de condigno pro aliquo debito pœnæ temporalis.

SECTIO III.

An satisfactio requirat opus honestum liberum pœnale, & ex intentione faciendi.

32. *Requisitum opus honest.* QVod attinet ad primum, certum est apud omnes, requiri, quòd satisfactio sit, vel procedat ex actu bono, & honesto, vt cum aliis tradit Suarez *disput. 37 sect. 3.n.2.* quomodo enim placabitur condignè Deus, & ex opere operantis per opus, quod ei displicet, vel certè non placet: Vnde aliqui inferunt satisfactionem sacramentalem positam ex malo fine, vel sine actu bono, licèt valeat ad implendum præceptum Confessarij, non valere ad fructum satisfactionis: quia, vt eleuari possit ad satisfaciendum ex opere operato, debet esse in se satisfactio, qualis non est, si sit actio peccaminosa: nam Confessarius eleuat per claues satisfactionem pœnitentis, vt habeat effectum maiorem ex opere operato: debet tamen supponi opus in se satisfactorium. Hoc tamen videtur nimis rigidum, vt dicam *disp. seq. sect. 3. in fine.*

33. *An crescat satisfactio ex maiori bonitate.* Dubitari potest, vtrùm maior bonitas voluntatis, ex qua procedit castigatio augeat valorem satisfactionis, ita vt plus satisfaciat flagellatio, vel eleemosyna procedens ex actu voluntatis honesto, vt octo, quàm idem opus procedens ex voluntate

luntate honesta, vt quatuor. Ratio dubitandi esse potest, quia ad meritum consideratur difficultas actus; ad satisfactionem verò pœnalitas, vt dixit S. Thomas *in 4. dist. 15. qu. 1. art. 4.* ergo non crescente pœnalitate, non crescit satisfactio in ratione satisfactionis; sed solùm in ratione meriti.

Respondetur tamen affirmatiuè: quod fatetur etiam Suar. *in præsenti sect. 6. num. 9.* Et probari potest ex dictis. Primò, quia opus non satisfacit solùm vt pœnale, sed etiam vt honestum ita vt deficiente honestate, non sit satisfactorium: ergo crescente honestate, crescere etiam debet efficacia ad satisfaciendum. Quod exemplis ostendi potest: nam professio religiosa, v. g. teste Sancto Thoma 2. 2. *quæst.* 189. *artic.* 3. *ad* 3. affert secum expiationem totius pœnæ temporalis debitæ; & hoc quidem ex opere operantis, teste eodem *in* 4. *dist.* 4. *quæst.* 3. *ad finem*, nempe, propter excellentiam actionis, vt colligitur *ex cap. Admonere* 33. *quæst.* 2. & tamen non habet ille actus multùm pœnalitatis formaliter. Item, eleemosyna est magis satisfactoria, quàm ieiunium, iuxta communem Theologorum doctrinam, licèt maiorem pœnalitatem afferat ieiunium: ergo maior bonitas reddit actum magis satisfactorium. Ratio denique est: quia castigatio, vt diximus, non placet, nisi vt informata affectu, quo peccator vult se laudabiliter castigare: ergo quo laudabiliùs vult, eò magis placat, crescente forma, à qua habet eiusmodi actiuitatem placandi.

Requiritur opus liberum. Hinc sequitur, debere opus satisfactorium esse liberum, saltem denominatiuè, quatenus procedit saltem ab effectu libero: non enim posset procedere ab effectu honesto; nisi procederet ab effectu libero; cùm libertas sit de essentia actus moralis honesti, vel inhonesti. Circa hoc tamen dubitari solet, an possimus satisfacere per opus necessarium necessitate præcepti.

§. 1. *An per opera præcepta possit homo satisfacere pro pœna temporali.*

34. NOn pauci negarunt, Palud. Syluester, Maior, Gabr. Antoninus, apud Vasquez *in præsenti, dub. 6. num. 1.* ex quibus Syluester, & Antoninus dixerunt, operibus debitis ex præcepto positiuo posse satisfieri; non verò debitis ex præcepto naturali. Ratio præcipua est: quia non potest duplici debito diuerso vnica solutione satisfieri.

Communis sententia, & verissima affirmat: Ledesma, vterque Soto, Adrianus, Caiet. Ioan. Medina, & alij, quos referunt, & sequuntur Vasquez *ibi, num.* 2. & Suarez *in præsenti, sect.* 4. Et quidem stante doctrina Concilij Tridentini, contraria sententia non videtur posse vlla ratione sustineri: nam Tridentinum *sess. 6. cap.* 10. & 16. definiuit, iis operibus, quibus diuina lex obseruatur, mereri hominem iustum augmentum gratiæ: vnde non apparet, cur non habeant ea opera vim purgandi debitum pœnæ, sicut habent vim nouum ius comparandi ad nouum præmium. Rursus idem Concilium *sess.* 14. *c.* 9. & *can.* 13. definit, per flagella à Deo immissa, & patienter tolerata, hominem iustum satisfacere pro debito pœnæ: minùs autem videbatur posse satisfieri per hæc, quibus homo non cooperatur, quàm per flagella ab ipso homine inflicta ex præcepto. Vnde retorqueri potest argumentum contrariæ sententiæ: quia, si aliquis debeat alteri tres mensuras terræ, v. g. non satisfacit huic debito, si casu vel fluminis alluuione creditoris fundo accreuerint totidem terræ mensuræ ex suo fundo; sed debet dare alius ttes: quia quod necessitate perdit, non cedit in solutionem debiti; & tamen flagellis, & infirmitatibus, necessitate naturæ prouenientibus, homo satisfacit pro debito pœnæ, si patienter toleret: ergo in hoc genere satisfactionis non est obseruanda regula eadem, quæ seruatur in solutione debiti ex iustitia.

35. Secundò hoc ipsum probatur: quia ille, qui fidei non negatæ causa patitur tormenta, excellentissimo modo satisfacit pro debito suæ pœnæ: & tamen ille sustinet ex præcepto diuino, & naturali tormenta illa ob fidei commissionem. Tertiò, quia ad hunc ipsum finem, vt pro peccatis satisfaciamus, præcipit Ecclesia ieiunia, & alias corporis castigationes: ergo præceptum non impedit, quòd opere possimus satisfacere. Quartò, quia ad hunc ipsum finem Confessarius præcipit opera satisfactoria, quæ non ideò, quia præcipiuntur à Confessario, desinunt esse satisfactoria, imò quia satisfactoria sunt, eleuantur per claues ad maiorem satisfactionem ex opere operato. Denique, quia tota condignitas satisfactionis fundatur, vt diximus, in eo, quòd homo laudabiliter se castigans, eo ipso, placat iram Iudicis, nec illum iterum puniat: ille autem, qui ex præcepto se castigat, non minùs, sed magis laudabiliter se castigat: non enim minùs, sed potiùs magis honestum, & laudabile est, cæteris paribus, facere aliquid ex præcepto, quàm absque illo: ergo magis placet Deo, & per consequens magis placat illum eiusmodi castigatio per opera præcepta, quàm per spontanea.

36. Ad fundamentum verò contrariæ sententiæ respondetur, posse nos vnica solutione pluribus debitis satisfacere, quoties illa ex peculiari conditione non ordinantur ad res diuersas. Hinc est, vt qui ex voto debere calicem Ecclesiæ, si accedat præceptum Superioris de calice eodem dando; satisfacit debito voti, & obedientiæ dando vnum calicem. Item, si ex voto debes ieiunare omnibus sextis feriis, & Confessarius præcipiat ieiunare vna sexta feria, satisfacit vtrique debito: & sic de aliis. Quando verò debita respiciunt res diuersas, non satisfacit, vt si debebas viginti Petro, & rursus fueris ei alia viginti; non satisfacis reddendo viginti: quia ille habet minus in bonis quadraginta; & debes ponere æqualitatem faciendo, quòd nihil minus habeat, quàm debere habere. Hinc est, si Confessarius imponat, vt audias Missam, debes audire aliam præter Missam debitam ex præcepto, quia hæc est intentio Confessarij: si tamen ipse vellet, posset præcipere solùm illum, quam ex præcepto debebas, vt *infrà* videbimus. Similiter, si ex voto debes Calicem Ecclesiæ, & rursus ex testamento debeas calicem eidem Ecclesiæ legatum, debes dare duos: quia votum fuit donandi calicem: illum autem, quem ex testamento dares, non donas, sed soluis. Cùm ergo debitum pœnæ non sit patiendi sine præcepto, imò regulariter pœna ipsa soleat præcipi; non est, cur per opera præcepta non possit expleri obligatio patiendi, præsertim cùm hæc non tam sit debitum actiuum, quàm passiuum; & satisfactio non tam sit solutio debiti, quàm placatio condigna per voluntariam castigationem liberè susceptam. Alia argumenta leuiora contra hanc conclusionem videri possunt apud Suarez & Vasquez *locis suprà citatis.*

§. 2. *Vtrum*

§. 2. *Vtrùm per solà opera pœnalia possimus satisfacere.*

37. PRima sententia negat, quam tenent Victoria *in Summa, n.* 102. Soto, Ledesma, & Ioan. Medina, quos affert, & sequitur Vasquez *dicto art.* 1. *dub.* 5. *n.* 3. qui affert etiam Scotum, & Gabrielem. Sed eos paulo aliter sentire probat Suarez *disp.* 37. *sect.* 6. *n.* 1. & 3. Contraria sententia communis est, quam tenet Sanctus Thomas *dist.* 15. *quæst.* 1. *art.* 5. *quæstiunc.* 1. Bonauent. Richard. Durand. Palud. Maior, Alens. Adrian. Sylvester, Viguerius, & alij, quos refert, & sequitur Suarez *ibi num.* 2.

Dico primò, si esset opus honestum nullo modo pœnale, non videtur, quòd esset satisfactorium de condigno pro debito pœnæ. Hæc est iuxta secundam sententiam, & videtur colligi ex modo loquendi Concilij Tridentini, qui semper satisfactionem fieri dicit per opera pœnalia, & laboriosa: sic enim loquitur *sess.* 14. *cap.* 8. dum primò inter alias rationes, quibus necessitatem, & vtilitatem sactisfactionis probat, hæc affert: *Quia magnopere à peccato reuocant, & quasi fræno quodam coërcent hæ satisfactoriæ pœnæ.* Vbi opera satisfactoria vocat *satisfactorias pœnas.* Addit posteà secundò aliam rationem: *quòd dum satisfaciendo patimur pro peccatis; Christo Iesu, qui pro peccatis nostris satisfecit, ex quo omnis nostra sufficientia est, conformes efficimur.* Vbi supponit satisfactionem, nonnisi patiendo fieri. Addit tertiò, aliam rationem similem: *Certissimæ arrhæ, quòd si patimur, & conglorificabimur.* Quartò vocant ea opera *dignos fructus pœnitentiæ.* Quintò docet satisfactionem à Sacerdote imponi debere aptam *ad præteritorum peccatorum vindictam, & castigationem.* Vnde *can.* 15. illas satisfactiones à Confessario impositas appellat *pœnas.* Et *can.* 13. solùm difinit, *Deo per Christi merita* satisfieri pœnis ab eo inflictis, & patienter toleratis, vel à Sacerdote iniunctis, aut sponte susceptis, vrieiuniis, orationibus, eleemosynis, vel aliis etiam pietatis operibus: de quibus dicit satisfacere, & pœnarum nomine comprehendi. Vnde Catechismo Romano, eiusdem Tridentini iussu edito, *in explicatione Sacramenti pœnitentiæ, num.* 74. expressè exigitur ad satisfactionem, quod opus pœnale sit. Conc. Trid.

38. Ratione item probatur. Primò ex fundamento contrario aduersùs id, quod supponit P. Vasquez, qui suam sententiam probat ex eo, quòd omne opus honestum, etiamsi pœnale non sit, meretur vitam æternam: ergo & merebitur ablationem impedimenti, quod est reatus pœnæ temporis. Nos autem diximus sæpè, satisfactionem, vt satisfactio est, non esse meritum: quia, si hoc esset, ablatio pœnæ temporalis computaretur pro parte præmij correspondentis merito; atque ideò decresceret ex præmio gratiæ, & gloriæ; quod falsum est: quia tota virtus, & actiuitas operis exhaurirur in ordine ad merendam gratiam, & gloriam; & ideò non potest mereri de condigno bona temporalia; quia præmiaretur vltra condignum, cùm iam totus eius valor, & dignitas adæquatè sit remunerata per aliud præmium.

39. Respondet Pater Vasquez *num.* 4. remissionem pœnæ temporalis ordinari ad consequutionem gloriæ; & ideò posse idem meritum extendi ad vtrumque præmium. Sed hanc responsionem impugnat Suarez *num.* 1. quia non omne, quod auget gratiam, & ius ad gloriam, aufert, vel diminuit reatum pœnæ temporalis: nam aliqua Sacramenta augent gratiam, quin remittant ex opere operato pœnam temporalem: ergo ex eo, quòd bona opera afferant ius ad maiorem gloriam, non sequitur, quòd debeant afferre ablationem impedimenti temporalis ad gloriam. Adde, licèt reatus impediat gloriæ possessionem, statim post mortem, non tamen impedit id, ad quod merita dant ius: nam merita non dant ius ad gloriam statim post mortem habendam; sed ad gloriam post purgatam animam ab omni reatu pœnæ: ergo ille reatus non impedit præmium meritorum; nec eius ablatio est necessaria ad ponendum id, quòd præmia merentur. Vnde negari non potest, esse maius præmium gloriæ, & acceleratione gloriæ, quàm gloriam solam sine acceleratione: ergo maior valor requiritur ad merendum vtrumque simul per modum meriti.

40. Secundò probari potest hoc ipsum: quia in merito opus externum non auget eius valorem, nec præmium, si actus internus non augeatur, vel magis perseueret, vt concedit ipse Valquez cum communi sententia: in satisfactione autem opus ipsum externum auget eius valorem, vt videbimus *sect. seq.* ergo satisfacere formaliter non est mereri, & per consequens non attenditur solùm ad laudabilitatem, sed ad passionem laudabilem, quæ non esset in opere nullo modo pœnali.

41. Denique ratio à priori est: quia satisfactio pro debito pœnæ, vt diximus, fit, quatenus æquum est, vt qui præuenit Iudicis officium, & sponte sua seipsum castigauit, non iterum à Iudice puniatur, cùm iam punitum inueniat: hoc autem totum supponit pœnalitatem, afflictionem, punitionem in opere satisfactorio, vt constat: ergo si non esset pœnale, non fundaret talem condignitatem, & æquitatem per modum satisfactionis, sed solùm per modum meriti, quod ad rem non est.

Dico tamen secundò: De facto omnis nostra 43
41. operatio meritoria est simul satisfactoria: quia omnis de facto pœnalis est: & sicut omnis satisfactio est simul meritoria, quia debet procedere ex actione laudabili, & honesta, vt diximus, sic etiam è contra omnis actio meritoria est satisfactoria, quia affert secum aliquam pœnalitatem. In hoc etiam conuenit Pater Suarez *n.* 8. cum aliis, quos affert, & hoc pacto possunt de facto conciliari illæ duæ sententiæ, cùm de facto verum sit vtrumque, nempe, omne opus bonum esse satisfactorium, & omne opus satisfactorium esse pœnale: quod indicasse etiam videtur Tridentinum *illo can.* 13. vbi opera satisfactoria vocauit *pœnas*; & statim addit, *satisfactionem ieiuniis, orationibus, eleemosynis, vel aliis etiam pietatis operibus.* Quibus verbis omnia bona opera comprehendisse videtur, quasi omnia apta sint ad satisfaciendum, prout reuerà sunt, atque ideò nullum est opus honestum, quòd Confessarius non possit in pœnitentiam, & satisfactionem imponere, si pœnitens illud accepret: quod certè facere non posset, nisi omnia ex se apta essent ad satisfaciendum. Conc. Trid.

42. Ratio autem à priori est, quia nullum est opus honestum, quod non aduersetur alicui bono, vel delectabili, vel vtili, vel afferat aliquod malum secum, alioquin non esset liberum, si esset merum bonum ex parte obiecti, & in exercitio ipsius actus: affert ergo semper aliquid difficultatis vincendæ: quod quidem etiam in iis operibus, quæ maximè videntur esse iuxta propensionem naturæ, locum habet: nam, licèt in manducatione, aut potu, verbi gratia, non sit difficultas homini famelico, aut sitibundo; in ipsa tamen rectificatione intentionis difficultas maxima est.

Vnde

Vndè Augustinus ita vniuersaliter ausus est dicere, infideles nullum prorsus opus bonum fecisse; quia, nimirum, vel ex parte obiecti, vel saltem ex parte intentionis erat aliquis defectus: quod saltem regulariter verum erat, vt dixi *in tract. de gratia.* Negari enim non potest, quòd sit difficile, etiam eiusmodi obiecta delectabilia, & facilia non amplecti propter eorum delectationem; sed propter finem honestum, & eleuatum: semper ergo vincitur aliqua repugnantia, quæ, licèt in homine spirituali, & feruente minor, vel nulla appareat: id tamen non tollit pœnalitatem operis: sed indicat feruorem, & desiderium patiendi, quo de ipsa passione, & pœnalitate gaudet: nam, qui cum exultatione se verberat, & cruciat, negari non potest, quòd patiatur, & puniat se: sic, qui ex feruenti Dei amore opes, ac voluptates relinquit, verè patitur, licèt cum gaudio propter amoris vehementiam: quia verè priuat se aliquo bono æstimabili secundùm præsentem statum, vt notauit Catechismus Romanus *dicto n.* 74.

Dices: Ergo, si duo assumant æqualem pœnam, & faciant opus æquè pœnale, vterque æqnè satisfaciet, licèt voluntas vnius melior sit ex motiuo, vel ex alio capite. Respondetur, negando sequelam: quia, licèt opus satisfactorium debeat esse pœnale: eius tamen dignitas non desumitur, vt diximus, ex mera pœna: sed ex pœna laudabiliter accepta: vnde, quò maior fuerit pœna, vel etiam quò magis laudabiliter accipiatur: eò magis aptum erit opus ad satisfaciendum, cùm crescat, ex aliquo saltem capite, motiuum aptum ad placandum Iudicem, & impediendam punitionem.

§. 3. *Non requiri intentionem satisfaciendi.*

43. VOlunt aliqui, satisfactionem debere procedere ex intentione satisfaciendi. Ita indicat Henricus *quodlib. 4. quæst. 18.* Alij apud Suarez *sect. 3. num. 5.* dicunt, absque ea intentione, licèt ex parte operantis non sit, quod requiritur, Deum ex sua benignitate remittere aliquam pœnam. Ratio verò huius requisiti est: quia absque ea intentione non datur actus iustitiæ vindicatiuæ, nec solutio debiti: sicut, si debeas decem Petro, & absque animo soluendi totidem ei dones, non soluis debitum, licèt Petrus ex sua benignitate possit illud remittere.

Contra sententia vera, & communis est, quam tenet Suarez *illo num. 5.* Ratio autem desumitur ex merito, in quo non requiritur intentio præmij ad merendum illud: imò quò magis liberaliter, & absque intuitu lucri aliquis Deum diligit, eo magis præmium meretur: quia valor meriti fundatur in æquitate, quæ exigit, vt qui benè operatur, laudetur, & præmietur. Sic ergo satisfactionis valor non fundatur in contractu, vel intentione soluendi: sed in æquitate, quæ exigit, vt qui propter Deum, vel propter iustitiam, laudabiliter iam, & voluntariè passus est: non iterum affligatur, & puniatur. Vnde, similiter propter Regem se mortis periculo exposuit, vt Regem à periculo eriperet, & in captiuitatem, venit non cogetur postea in patriam reuersus vincula, & pœnam pati propter delictum antea commissum, etiamsi egregia illa facinora satisfaciendi causa non fecerit, sed Principis amore.

* * *

SECTIO IV.

Vtrùm actus, seu passio externa, addat satisfactionem supra actum internum.

44. QVæstio similis tractari solet *in materia de merito*, an, qui dat eleemosynam, mereatur plùs, quàm qui illam efficaciter vult dare, & propter defectum pecuniæ eam non dat, si voluntas interior vtriusque sit æqualis, & æquè bona. Sic nunc quærimus, an qui ieiunat, magis satisfaciat, quàm qui vult ieiunat, & non potest, si actus interni sint æquales in vtroque. Ratio autem dubitandi oritur ex illo exemplo meriti, in quo communis, & verior sententia negat, opus externum addere meritum, aut demeritum supra actum internum: quare idem dicendum videtur de satisfactione, cùm Deus in vtroque casu cor intueatur, & affectum, & in vtroque voluntas debeat coram Deo pro facto reputari.

45. Cæterùm, quidquid sit de merito, loquendo tamen de satisfactione, verius existimo, eam augeri etiam per opus, aut passionem externam, atque ideò plus extingui ex reatu pœnæ ieiunanti, quàm volenti ieiunare, si quoad actum internum sint pares. Hanc docet etiam Suarez *in præsenti, sectione 5.* Coninch *in præsenti, disput. 10. dub. 4. num. 26.* & alij communiter. Ratio autem sumitur ex *supra* dictis: fundatur enim æquitas satisfactionis in hoc, quòd æquum sit, non puniri iterum eum, qui iam seipsum voluntariè castigauit: castigatio autem voluntaria includit & voluntatem, & castigationem ipsam, quare plus se castigauit, qui ieiunauit, quàm qui voluit ieiunare: hic enim, licèt voluerit æquè se castigare: re tamen ipsa non se æquè castigauit: ergo non est æquale fundamentum æquitatis, vt non iterum castigetur: nam plus mali patitur, qui ieiunat, aut verbera sustinet, quam qui voluntatem solam habuit. Rationem autem discriminis à merito designabimus *inferiùs* contra aliquos, qui hoc exemplo satisfactionis probare contendunt, idem dicendum esse de merito.

46. *An sufficiat voluntas prætenta.*

Priùs tamen examinare oportet aliud dubium circa hanc conclusionem: nempe, an ita augeatur satisfactio per opus externum, vt ad hoc non sit necesse quòd perseueret physicè voluntas interna: sed solùm, quòd opus externum ex voluntate bona præcedenti procedat. In quo puncto Pater Suarez in variis locis variè, & non satis clarè videtur loqui. Nam *in præsenti, disp. 37. sect. 6. num. 7.* videtur non requirere talem permanentiam voluntatis: sic enim ait: *Aduertendum verò est, (quia diximus,* P. Suarez. *actiones externas posse interdum augere satisfactionem,) accidere posse, vt externa actio fiat ex vi præcedentis voluntatis, licèt actus interior non duret: & tunc potest durare satisfactio, licèt non duret actuale meritum: necessarium tamen est, vt talis satisfactio procedat aliquo modo ex voluntate meritoria, & sic intelligenda est hæc conclusio. Exemplum facile esse potest in eleemosyna, quæ fit per famulum, vel legatum.* Idem extendit ad flagella aliunde prouenientia, & patienter tolerata, de quibus poterat esse maior difficultas, *sect. 7. n. 13.* vbi quærit, an ad fructum illius passionis requiratur, quòd duret actu voluntas illam patienter acceptans, & tandem respondet: *Videtur tamen verisimile non esse necessarium, vt interior actus continenter duret physicè; sed satis esse, vt moraliter durare censeatur: indicatur verò durare morabiliter, quan-* Idem.

do

do & actu cecidit in totam illam passionem, quam homo humano modo sentit, & patitur, quámque ex vi illius actus patienter sustinet, nec repugnat, aut obmurmurat: denique, quando prior voluntas non est per contrarium actum retractata, & eius virtus adhuc moraliter durat, vt ex dictis effectibus colligitur.

47. Cæterùm idem Suarez *infrà, disputat. 48. sectione. 8. numer. 12. 13. & 16.* contrarium docere videtur, & exigere perseuerentiam actualem
Id. Suar. voluntatis internæ. Nam *illo numer. 12. circa medium*, sic ait: *An verò satisfactio requiri opus humanum, per quod fiat; & non sufficit quilibet effectus resultans, & procedens quouis modo ex præcedente voluntate. Nam, si aliquis, verbi gratia, sumpsit potionem amaram voluntariè in pœnitentiam, vel mortificationem, quamuis posteà ob eam causam patiatur grauissimos dolores; si circa illos nullam posteà habeat voluntatem, nihil de nouo satisfaceret*, &c. Et post pauca: *Similiter* (inquit,) *si quis viuens præcipiat famulo facere eleemosynam ex suis bonis; si posteà, quando famulus illam elargitur, ipse dormit vel nihil de illa cogitat; nullam nouam satisfactionem habebit propter aternam largitionem: quia respectu illius iam non est humana actio.* Quæ verba videntur retractare id, quod *superius* dixerat in verbis *paulò antè* relatis. Vnde *numero 16.* concludit: *Non video, quomodo eleemosyna facta per famulum ex præcepto domini, qui tempore exequutionis dormit, aut nihil de ea re cogitat, quomodo, inquam, aliquem fructum satisfactionis, vel remissionis pœnæ illi de nouo conferas.*

48. Quidquid tamen de huius Auctoris mente sit, ego existimo, non requiri permanentiam voluntatis ad augmentum nouum satisfactionis, quandiu homo ex voluntate laudabili præcedenti patitur de nouo. Quod quidem possumus primò probare ex dictis: quia, quando adest præsens illa voluntas, passio externa addit nouam satisfactionem supra eam, quam attulit voluntas interna, vt Suarez, & alij admittunt: ergo etiam tempore sequenti passio externa durans augebit satisfactionem, licèt iam non adsit voluntas interna. Probatur consequentia: quia actus externus, provt condistinctus ab interno, non addit nouam libertatem, sed procedit necessariò; & tamen addit satisfactionem, quia est effectus voluntatis libere: ergo similiter tempore sequenti ob eandem rationem addet nouam satisfactionem: quòd enim sit effectus voluntatis liberæ præsentis, vel præteritæ, quid refert?

49. Confirmatur: quia ferè nunquam castigatio externa procedit à voluntate præsenti, provt præsenti nunc; sed provt præcessit antè: nam voluntas applicat manum, v. g. ad flagellationem; quæ manus eleuata, & flagellum vibratum, accepto impetu, percutit independenter in ipso ictu à voluntate præsenti; sed dependenter à voluntate præterita, à qua accepit illum impetum: & tamen homo non satisfacit non solùm per eleuationem brachij, & flagellum vibratum; sed per dolorem, eiusque sensum, qui posteà consequitur: alioquin, si carnem non percuteret, sed pauimentum ex errore, non minùs satisfaceret: ergo satisfactio non desumitur necessariò à voluntate præsente, sed potest sufficienter prouenire à voluntate præterita.

50. Secundò probatur à priori: quia per illam passionem tempore sequenti consequutam homo denominatur se voluntariè castigans, & illa est castigatio humana: nam actus dicitur humanus, qui, vt procedit ab homine, procedit ab illo operante cum aduertentia, & ratione: hæc autem castigatio, provt procedit ab homine, procedit ab illo cum aduertentia, & ratione, licèt ipsius passionis tempore non sit fortasse talis aduertentia; procedit enim ab homine, provt priùs operans cum aduertentia applicuit causas, ex quibus nunc consequatur passio: ergo est verè castigatio humana.

Hæc autem argumenta probant similiter, augeri satisfactionem per dolorem, aut passionem causatam tempore, quo homo iam dormit, ex voluntate libera, & honesta præcedenti: vt, si quis velit dormire cum cilicio, aut vestitus, etiam dum dormit, & patitur illud incommodum, vel dolorem, satisfacit: quia tunc etiam illa passio est voluntaria à voluntate præcedenti, quod sufficit, vt homo dicatur, se voluntariè, & laudabiliter castigasse. Sic enim, qui venenum tribuit Petro, licèt dormiat, quando Petrus illud bibit, adhuc dicetur verè homicida, & illa occisio erit actio humana: ergo, si dediffet aliquid doloris causatiuum eodem modo, fuisset etiam vexatio, & actio humana: ergo, si teipsum eodem modo affligas, licèt dormias tempore, quo pateris dolorem, & cruciaris cum sensu cruciatus, verum erit, quod te cruciasti, & te castigasti humano modo, cum nulla possit assignari differentia.

Confirmatur: quia, si alicui à Confessario imponatur, quod vna nocte humi cuber; si ipse ita dormiens, statim ab aliis super lectulo molli collocetur, verè non satisfecit præcepto Confessarij: sed debet adhuc alia nocte humi cubare: ergo poterat etiam dormiens satisfacere: alioquin illa secunda cubatio humi ad nihil proderit ex opere operato: non potest enim eleuari ad satisfaciendum ex opere operato id, quod ex se non est aptum ad satisfaciendum ex opere operantis: si autem non potest operari opere ex operato, non tenetur id ponere pœnitens ex præcepto Confessarij, qui solùm potest præcipere id, quod est vtile ad satisfaciendum.

Dices: Qui dormiens profert verba consecrationis, non consecrat; nec illa est consecratio humana, licèt ante somnum voluerit proferre in somno verba illa: ergo nec erit castigatio humana, quæ fit in somno propter voluntatem præcedentem in vigilia. Respondetur negando consequentiam. Primò, quia actio illa posita tempore vigiliæ, non fuit loquutio; sed applicatio remota causarum ad loquendum: quare, licèt illa fuerit actio humana; non tamen fuit loquutio humana: at verò actio, qua collocauit se in terra ad dormiendum, fuit actio castigatiua; & cùm illa fuerit humana; datur castigatio humana sequuto effectu. Secundò, quia loquutio humana est prolatio verborum ad significandam actualem mentem humanam loquentis: at verba prolata in somno non significant mentem actualem humanam loquentis: ergo non est loquutio humana: idcircò enim, qui præuidet se in ebrietate iuraturum, non committit peccatum periurij se inebriando; quia verba in ebrietate prolata non sunt periurium formaliter, cùm formaliter non significent. Vide, quæ de hoc latè dixi *disp. 8. de Sacramentis in genere, sect. 6.* Fateor itaque, passionem tempore somni non esse humanam; sed terminum, seu effectum actionis humanæ præcedentis: dico tamen, non solùm satisfieri per actionem humanam, sed etiam per effectum illius: quia ex actione humana præterita, & hoc effectu non

non humano posteà consequuto conflatur castigatio humano.

Dices iterum: Ergo, qui in hac vita vult pati post mortem in Purgatorio, satisfaciet posteà, dum in Purgatorio patitur, & vi prioris voluntatis, qua amplexus est illas pœnas, sicut satisfacit tempore somni. Respondetur, negando sequelam: quia in Purgatorio non habet in statum viatoris, qui requiritur ad merendum, & ad satisfaciendum: sic etiam, si quis existens in gratia vult ieiunare, & posteà in peccato ieiunat, non satisfacit, dum actu ieiunat: quia iam tunc non est in statu satisfaciendi.

53. Obiicit Suarez *dicta disp. 48. sect. 8. numero 13.* quia ex hac doctrina sequeretur, quòd possent fideles præcipere, vt alij pro ipsis ieiunent, vel se castigent, vel orent; & tunc opera illa facta ab aliis, vt ab instrumentis mandantis, etiamsi ab iis fiant in peccato, erunt satisfactoria ex opere operantis, respectu defuncti, quia illa præcepit. Respondetur facilè ex dictis, negando sequelam: quia defunctus, vt diximus, non est in statu satisfaciendi: sed neque etiam viuens satisfaceret per ea opera, dum ab aliis fiunt, quibus ipse ea præcepit: quia satisfacere, est castigare se laudabiliter, vt sæpè dictum est: ille autem non se castigat, dum alij ieiunant, vel orant, cùm per hoc ipse nihil prorsus mali, vel pœnæ patiatur. Aliud est, quando ipse est sibimet causa patiendi in somno: tunc enim verè se castigat, sicut castigaretur ab alio, à quo cogeretur dormiens aliquid pati.

54. *Quid de præcepto fieri eleemosynam de suis pecuniis.*

Infero ex dictis primò, quid dicendum sit, quando aliquis præcipit fieri eleemosynam de suis pecuniis; an satisfaciat, non solùm cùm præcipit, sed etiam postea, quando fit, concurrentibus aliis requisitis, status gratiæ, &c. Respondetur enim, si præcipiens viuat adhuc, satisfacere quidem quando etiam fit eleemosyna: quia tunc etiam patitur damnum aliquod, scilicet, carentiam suæ pecuniæ voluntariam. Secùs verò esset, si pauper clam illam pecuniam surriperet: illud enim damnum non oritur ex voluntate domini: quare per illud non diceretur se voluntariè castigasse. Vndè immeritò Pater Suarez *dicta sect. 8. numero decimo tertio in fine*, dixit, per accidens se habere in nostra sententia, quòd clam accipiatur, vel quòd detur à famulo, vel ministro præcipientis, eo quòd operatio ministri nihil conferat in hac sententia ad satisfactionem. Imò enim plurimùm confert: quia operatio ministri procedit ab imperio domini, atque ideò denominat dominum dantem, & priuantem se illa pecunia: quod non habetur, quando alius clam illam accipit, quæ acceptio, & eius effectus nullo modo procedunt à voluntate, & imperio domini. Denique, si dominus post illud præceptum iam sit mortuus; tunc non satisfacit, quando fit eleemosyna: quia non habet amplius statum satisfaciendi, vt diximus.

55. *Dormiens, vel amens an possit satisfacere.*

Infero secundò, dormientem, vel amentem, licèt non possit satisfacere per ea, quæ tunc patitur, nisi antea voluerit illam pœnam; posse tamen actu satisfacere, si Deus voluerit illam passionem pro pœna debita inferre: ad satisfactionem enim non est necessaria voluntas influens, vel acceptans pœnam: Potest tamen Deus non acceptare illam pœnam; sed inferre, aut permittere illud damnum, vt auctor naturæ, vel alia de causa, reseruando sibi ius suum ad exigendam tempore suo pœnam debitam pro peccato.

An propter doctrinæ consequentiam necesse sit hoc ipsum concedere in merito, & demerito.

EX hac nostra doctrina inferunt aliqui, qui eam veram esse putant, idem dicendum esse propter eandem rationem in merito, & demerito, augeri illud per opus externum, ita vt qui elemosynam de facto dedit, plus præmij mereatur, quàm qui voluit dare, si pares omninò sint quoad voluntatem internam. Ita opinatur nouissimè Pater Ioannes Martinez de Ripalda, nostræ Societatis, *in suo erudito Opere de ente supernaturali, tom. 1. disp. 68. sect. 5.* vbi contendit hoc satisfactionis exemplo probare, hominem iustum plùs gratiæ, & gloriæ mereri de condigno per actionem internam, & externam simul, quàm per solam internam. Quia meritum est obsequium cedens in honorem, aut commodum Principis, aut Reipublicæ potentis illud præmio compensare: distinguit enim laudabilitatem à merito, quòd laudabilitas sumatur per conuenientiam operis cum dictamine operantis: meritum verò per conuenientiam operis cum honore, & bonis alterius, Vndè ad rationem meriti opus debet apprehendi conueniens alteri supposito distincto ab ipso merenti, scilicet, Superiori, à quo remunerandum est: ad laudabilitatem verò sufficit apprehendi conueniens ipsimet operanti, qua liber est, legibúsque orationis subiectus, vt explicauerat *disp. 15. sect. 1. num. 1.* Actio autem exterior auget obsequium Dei, qua parte cedit meritum in honorem Dei, & commodum Reipublicæ rationalis licèt non augeat bonitatem moralem meriti: ergo actio externa auget meritum in ratione meriti. Minorem probat: quia actio exterior conducit maximè ad excitandum in aliis laudem, & cognitionem Dei, & affectus virtutum, quæ sunt bona externa Dei, & Reipublicæ rationalis: ergo actio exterior se ipsa constituit meritum, vt conducens in honorem Dei, & commodum Reipublicæ rationalis.

56. *Iustus an plus gratiæ, & gloriæ mereatur per actionem internam, & externam simul, quàm per solam internam.*

57. Confirmatur primò hoc ipsum exemplo satisfactionis per ipsam actionem externam. Confirmatur secundò ex vsu Ecclesiæ, quæ censuras, & pœnas imponit iis, qui non solùm interiùs, sed etiam exteriùs aliqua peccata committunt: Indulgentias etiam, & priuilegia concedit pro actu externo pietatis, non pro solo interno desiderio: quod etiam sæculares Principes facere solent. Cur ergo Deus non potuit præmia aliqua definire pro illis, qui actum externum simul cum interno coniungerent? Quæ enim prudenter geruntur à Principe humano in ordine ad bonum suæ Reipublicæ, fieri possunt etiam à Deo in ordine ad bonum dignitatis, & Reipublicæ suæ.

58. *Laudabilitas à merito an distinguatur.*

Hæc quidem ingeniosè ab illo Auctore excogitata sunt; non tamen cogunt deserere communem omnium ferè Theologorum sententiam: & vt verum fatear, vt vnam, vel alteram difficultatem effugiat, in alias non leues doctrina illa videtur inducere. Primò enim supponit, laudabilitatem, & bonitatem moralem ita distingui à ratione meriti, vt possit crescere meritum operis non crescente bonitate, & laudabilitate: quod quidem verum est, si meritum crescat ratione maioris gratiæ, dignitatis, quæ sit in subiecto: non tamen, si solùm crescat propter actum externum: quia hoc incrementum eodem modo pro-

cedet in ordine ad demeritum, provt ille Auctor videtur supponere, vt ex eius argumentis *suprà* relatis constat, quæ desumuntur ex pœnis Ecclesiasticis contra peccata externa. Difficile autem, & durum est dicere, quod ex duobus volentibus efficaciter occidere, alter mereatur apud Deum maiorem pœnam præcisè prooter actum externum, cùm sint omninò æquales in affectu, & peccato interno, atque adeò in malitia morali, & reprehensibilitate: nam, sicut actus externus non facit laudabiliorem, ita nec magis reprehensibilem. Quod quidem videtur esse contra modum loquendi Scripturæ, & Patrum, qui dicunt, iuxta mensuram malitiæ, & culpæ, futuram esse pœnam. Nam in prædicto casu culpa, & peccatum essent æqualia in vtroque, & pœna esset inæqualis. Cùm tamen Scriptura *Deuter.* 25. dicat: *Iuxta mensuram delicti erit & plagarum modus.* Quod in eo saltem sensu verum est, vt licèt citra condignum omnes puniantur: omnes tamen plùs, vel minùs aliis, provt excedunt: vel exceduntur in malitia, & iniquitate.

59. Vndè rursus fieret, quòd maior peccator sæpè mitiùs puniretur, quàm qui minùs peccasset: quia nimirum, hic secundus cum minori malitia posuisset actum externum, qui malitiam, aut culpam non auget: ille verò primus sine actu externo grauiora peccata commisisset: atque ideò, licèt magis iniquus, reprehensibilis esset, esset minùs punibilis. Vndè esset quidem dignus maiori reprehensione, sed minori supplicio; quod difficilè quidem intelligi, aut concedi potest.

Confirmatur: quia per illud redditur aliquis magis amabilis, vel odibilis, per quod redditur magis laudabilis, vel vituperabilis: nam idem bonum est obiectum amoris, & laudis; & idem malum est obiectum odij, & reprehensionis: ergo, qui meliùs operatur, sicut est magis laudabilis, sic est magis amabilis à Deo: Deus enim magis amat eum, in quo inuenit maius motiuum amandi; quod est maior bonitas: quis ergo credat, quòd Deus maius præmium conferat illi, quem minus diligit, & minus præmium ei, quem magis diligit: quia dignus maiori amore est: Rursus, qui maiorem malitiam contrahit, & grauiora committit peccata, est magis odibilis, cùm motiuum odij sit malitia, & culpa: ergo Deus magis eum odit, quàm eum, qui minùs malitiæ contraxit: tamen continget, quòd hic grauiùs puniatur propter actus externos: atque ideò minùs puniri eum, qui odibilior est Deo: grauiùs verò eum, quem Deus minùs odit: quæ omnia difficilia sunt, & contra communem fidelium sensum.

60. Secundò, quia absque sufficienti etiam fundamento supponit meritum, vt meritum, non sumi in ordine ad id, quod conuenit ipsi operanti; sed per conuenientiam operis cum honore, & bonis Superioris præmiantis. Sanè ego non minùs ingenuam, & alienam à proprio commodo concipio conditionem præmiantis, quàm laudantis: sicut enim laudans non attendit, quid sibi commodi attulerit ille, quem laudat, sed, quid in eo sit boni: ita, qui præmiat, non debet attendere ad suum interesse, & lucrum, sed ad bonitatem illius, qui præmiatur. Præmia enim non sunt instituta secundùm gubernationem rectam, vt ille qui præmiat, honoretur: sed, vt ille, cui præmium proponitur, bonus, fiat saltem remunerationis intuitu. Vndè, licèt Deus nihil lucri accepisset à merente, nec aliquid ab eo speraret: adhuc secundùm leges prudentis, & bonæ gubernationis deberet præmiare eum, qui laudabiliter operatur. Addo, licèt non esset Respublica humana, sed vna sola creatura intellectualis, illam etiam oporteret allici præmio, & deterreri suppliciis, vt bonum amplecteretur, & malum fugeret. Gubernator enim, vt Gubernator respicit bonum ipsius subditi: ergo propositio præmij, & supplicij, qui est actus Gubernatoris, vt Gubernator est, refertur ad bonum ipsius subditi, qui vt bonus in se fiat, alliciendus est præmiis, & deterrendus suppliciis. Si autem finis est bonitas ipsius operantis, hæc autem non crescit per opus externum, non oportuit præmia, & supplicia pro actibus externis multiplicare.

Confirmatur primò: quia, etiamsi daremus præmium, & pœnam ordinari ad lucrum præmiantis, & bonum Reipublicæ propter exemplum: adhuc pro solis actibus internis designanda essent: cùm enim actus externi non sint in nostra potestate, nisi mediis internis: sufficeret allicere hominem ad actum internum efficacem: quia, licèt rursus proponatur præmium pro actu externo: non magis excitabitur homo, quàm si esset propositum pro solo actu interno, cùm in vtroque casu solùm excitetur ad actum internum, quem solum ipse potest ponere, & non ponere.

Confirmatur secundò: quia actus externus occultus, quem nemo vidit, nec videre potuit, non magis mouet ad laudem Dei, vel ad exemplum, quàm actus internus efficax: cùm nemo illum scire possit, nisi ex relatione operantis, ex cuius relatione posset scire actum internum: Angeli verò, si non cognoscant actum internum, sæpè etiam non poterunt cognoscere, an actus externus sit bonus, cum ipse de se sit indifferens, & eius honestas pendeat ex intentione recta, qua fit, quæ manebit eis occulta: ergo ipse actus externus sæpè parum, vel nihil proderit ad eos fines, atque ideò non est, cur augeat valorem meriti.

Tertiò argui potest contra illam sententiam, quatenus ex Ecclesiæ vsu probare contendit, posse statui condignè pœnam propter actum externum: nam exemplum illud Ecclesiæ multum probaret. Primò, quia Ecclesia punit actum externum, tunc etiam, quando effectus consequitur post peractam pœnitentiam à peccatore: si v. g. venenum dedit; & postea, quando remedium adhibere non potest, pœnitentiam agit, iustificatur, & superabundanter satisfacit per annum integrum operibus pœnitentiæ, & perfectionis se exercens: si tamen post annum, tandem veneno operante, ille alius moriatur. Ecclesia punit tunc delictum, pœna irregularitatis; quem puniendi modum Deus non obseruat, vt constat. Rursus Ecclesia non punit omnia delicta, etiam externa, iuxta eorum dignitatem. Nam, si duo, v. g. proiecerunt iacula in duos quorum vnus aberrauit in ictu, alter inimicum occidit; hunc solum Ecclesia irregularitate punit: cùm certum sit, ex se vtrumque fuisse æquè pœna dignum: & quidem Deus illos non diiudicabit ex fortuito illo eventu. Non debemus ergo arguere, & constituere diuinum iudicium ex iis, quæ Ecclesia agit.

Primò, quia Ecclesia, sicut non omnia delicta punit, sed multa prudenter dissimulat, & impunita relinquit, ac reseruat in Dei iudicium; sic etiam non omnia delicta æquè digna punit eadem pœna. Secundò, quia, cùm Ecclesia non iudicet de meré internis, nec ea puniat, nisi quando per actum externum eorum malitia manifestatur: meritò expectat actum externum, non quia augeat dignitatem; sed, quia per illum culpa interna, & eius dignitas

gnitas deducitur ad forum Ecclesiæ. Tertiò denique, quia Ecclesia potissimùm ex actu externo cognoscere potest quantitatem, grauitatem, & dignitatem culpæ internæ: ideò non potuit prudenter meliorem regulam vniuersalem assumere ad pœnam statuendam, quàm actum externum; quia, si aliquis, v. g. percutiat absque morte percussi, non potest scire animum fuisse occidendi: item, si quis, promisso pretio, beneficium Ecclesiasticum accipiat, & postea pretium non soluat, non potest scire animum fuisse ab initio simoniacum: ideò vt regulam vniuersalem ad pœnam præscribat, prudenter attendit ad effectum externum. Quæ omnia in Dei iudicio non procedunt, qui & omnia peccata punit, pro eorum dignitate, & omnia æquè digna æquè punit, & eorum grauitatem certò cognoscit: non ex euentu, sed ex intentione operantis, vt constat.

64. Vnde ad argumenta contrariæ sententiæ facilè responderi potest. Ad primum enim negamus, dignitatem præmij desumi ex commodo, aut lucro, quod re ipsa ex opere consequitur præmianti; sed ex animo afferendi, & ponendi illam vtilitatem, & commodum. Fateor, in ordine ad debitum gratitudinis, attendi etiam posse ad effectum re ipsa sequutum: nam, si duo me velint efficaciter ex se à morte liberare, vnus tamen solus reipsa me liberet: plùs debeo huic, cui non solum effectum sed vitam ipsam debeo: sicut debeo pecunias ei, qui mihi eas mutuò dedit; non ei, qui voluit, sed non potuit mutuare. Hoc tamen non est debitum ad præmium, sed ad gratitudinem, quatenus congruum, est, vt cui plùs debeo, plùs referam. Meritum autem condignum non affert solùm congruitatem hanc, sed condignitatem fundatam in bonitate operis secundùm se independenter à commodo mihi consequuto; neque hoc est propriè debitum gratitudinis ad soluendum, quod accepi, sed debitum excitandi homines ad amorem boni, & odium vitij, ac per consequens respicit æqualitatem non inter datum, & acceptum, sed inter bonitatem operis, & præmium. Sic etiam in ordine ad puniendum formaliter non attenditur de condigno damnum mihi re ipsa illatum; sed culpa offensoris. Fateor, quando damnum non fuit re ipsa consequutum, esse fundamentum, vt offensus faciliùs placetur, & remittat pœnam: quia non est necessaria pœna tunc ad recompensandum meum damnum, & ad mitigandum dolorem ex damno prouenientem. Cæterùm, si rigorosè agendum sit, potero exigere pœnam attendendo solùm ad quantitatem culpæ, cum essentiale motiuum pœnæ sit deterrere homines ab amore vitij, & à voluntate prana. Exemplum esse potest, si duæ fœminæ sanctissimæ voluntate, & affectu æquè perfecto sese obtulissent ad concipiendum Verbum Dei, & altera earum ad hoc eligeretur, & fieret Dei Mater: quod attinet ad meritum, vtraque fuisset æqualis; sed tamen Filius Dei plùs deberet illi, cuius filius erat propter carnem ab ea acceptam, non quidem ex dignitate ad præmium; sed ex debito gratitudinis, quo filius matri adstringitur. Sic se habet Deus respectu illius, qui ex desiderio diuinæ gloriæ prædicauit, vt multos conuerteret, quos de facto conuertit cum incremento magno gloriæ diuinæ: non enim deberet illi plùs præmij, quàm alteri, qui ex æquali affectu eodem modo prædicauit sinè auditorum fructu; sed tamen, quia plùs emolumenti ab huius prædicatione accepit, plùs ei deberet debito gratitudinis.

65. *Differentia inter meritum, & satisfactionem.* Ad primam confirmationem constat iam differentia inter meritum, & satisfactionem: nam satisfactionis condignitas desumitur ex æquitate exigente, vt qui se voluntariè castigauit, & passus est laudabiliter pœnam, non cogatur iterum pati, & torqueri, ne afflicto afflictio superaddatur: ad quod multùm facit afflictio, & pœna re ipsa posita, & tolerata. At verò meritum, & eius condignitas fundatur in æquitate postulante, quòd bonitas operis præmietur, vt homines alliciantur ad amorem boni. Si autem ex defectu euentus consequuti bonitas operis minùs præmiaretur, homines minùs allicerentur à præmio propsito ad studium virtutis, timentes, quòd absque sua culpa possent conatus boni fraudari præmio ob effectum non consequutum. Oportebat ergò eos hoc metu liberare, scientes, voluntatem bonam nullo præmio fraudandam ob defectum, qui non est in potestate operantis. Ad secundam confirmationem constat ex dictis, quomodo non benè arguatur ab vsu Ecclesiæ, & Principis humani ad leges præmij, & supplicij condigni in foro Dei, propter rationes differentiæ, quas adduximus.

66. Vrget tamen ille Auctor aliquibus exemplis adductis ad suam sententiam confirmandam. Primum est ex confessione sacramentali, in qua, vt *suprà* vidimus, explicandum etiam est opus externum, & subiiciendum clauibus Ecclesiæ; nec sufficit confiteri voluntatem internam ex se efficacem, in qua tota malitia consistit; cuius ratio difficilè redditur, nisi dicamus, actionem externam meritum, & demeritum augere. Hoc tamen exemplum retorqueri potest. Primò, quia præceptum confessionis non est confitendi demerita, sed peccata: si ergo actus externus non auget peccatum in ratione peccati, non erit obligatio illum confitendi, licèt augeat in ratione demeriti, sufficit enim explicare peccatum; sicut sufficit absoluere à peccato, vt peccato: macula enim peccati habitualis, quæ per absolutionem aufertur, non est reatus pœnæ: sed turpitudo, & fœditas peccati habitualiter perseuerans, quæ reddidit hominem turpem, & odibilem: non redditur autem odibilis sicut neque reprehensibilis à reatu pœnæ formaliter, sed à malitia, vt aduersarij fatentur: ergo ex hoc capite non esset obligatio confitendi actum externum, per quem homo non est magis peccator, nec magis maculatus, aut odibilis Deo.

67. Secundo retorqueri potest: quia, si ex hoc capite proueniret obligatio illa confitendi actum externum, esset obligatio confitendi etiam effectum consequutum postea ex peccato, v. g. pollutionem consequutam in somno, vel ebrietate, quando fuit præuisa, & volita; item, homicidium in ebrietate consequutum, & alia similia: quia hæc etiam in sententia illius Auctoris augent demeritum, vt constat ex illis exemplis, quæ adducit, scilicet, quòd Ecclesia pœnam imponit propter actum externum, quam quidem pœnam certum est ab Ecclesia imponi etiam propter effectum posteà in somno consequutum ex causa culpabiliter priùs posita. Item, affert exemplum martyrij, in quo effectus mortis consequutæ auget præmium: constat autem effectum illum consequi posteà; quando iam non adest voluntas interna. Consequens autem falsum esse ostendimus *suprà disp. 16. sect. 9.* ex absurdis, quæ sequerentur, si esset obligatio per se loquendo, confitendi effectus posteà consequutos ex peccato præterito. Aliunde ergo debemus omnes reddere rationem illius obligationis confitendi actum externum peccati quam explicuimus, & reddimus *loco citato*, ex eo, quòd actus ille externus sit verè peccatum, quando durat voluntas, à qua denominatur malus; &

ideò deb et explicari ; quia non solùm est præceptum confitendi malitiam , sed confitendi etiam ipsa peccata, qualis est actus externus prohibitus.

68. Secundum exemplum , quod prædictus Auctor adducit , est ex actu martyrij,in quo ipse actus externus affert nouum præmium, nempe, aureolam ; quam non consequitur, qui efficaciter desiderauit martyrium , si reipsa non moriatur. Ad hoc etiam facilè respondetur dupliciter. Primò , non esse trahendum ad consequentiam actum martyrij : quia iuxta communem Theologorum sententiam, martyrium consummatum ex peculiari priuilegio affert augmentum , vel etiam infusionem primam gratiæ ex opere operato , sicut Baptismus : quare , sicut illa passio consumata affert gratiam,& iustificationem ex opere operato ; non mirum , quòd Deus voluerit etiam illi conferre aureolam accidentalem ex opere operato vltra dignitatem operis. Secundò responderi potest illam aureolam accidentalem non esse partem præmij condigni: nam totus valor meriti illius condigni refertur ad gratiam,& gloriam ; sed esse præmium quoddam correspondens merito congruo ; quod præmium potuit Deus velle dare,quando ponitur passio externa: quia,vt *suprà* diximus, saltem ex gratitudine Deus debet plus illi,qui re ipsa passus est,& cuius passione Deus ipse magis est glorificatus:quare ex motiuo gratitudinis potest moueri ad volendum tunc conferre præmiũ etiam maius,eo quod de congruo solùm meruerat per voluntatem patiendi , & moriendi:quod meritum congruum non semper Deus præmiat, vt constat:multa enim possunt haberi de congruo per bona opera, quæ Deus non confert.

69. Tertium exemplum , quod affert idem Auctor, est ex Christi passione externa re ipsa exhibita cuius intuitiuam præuisionem Deus expectauit ad definienda prædestinatis dona supernaturalia , vt plura Scripturæ testimonia suadent : nec satis erat videre desiderium solùm internum patiendi. Ad hoc etiam facilè respondetur, quidquid sit de antecedenti,quod supponitur, de quo dixi *disp. 7. de Incarn.sect.5. n.57.*quod attinet ad propositum,nihil obstare : potuit enim Deus expectare mortem ipsam Christi:quia vsque ad illam duravit meritum actuale ipsius Christi,cùm vsque ad illud vltimum instans vitæ semper meruerit per actus internos, quibus mortem volebat,& acceptabat :quare,cùm Deus voluerit redemptionem nostram obtineri per omnia Christi merita , debebat expectare eorum omnium consummationem,quæ vsque ad mortem posita non erat, etiam quoad actus internos. Adde etiamsi merita non durassent vsque ad illud vltimum instans, durasse tamen satisfactionem,quam iam *suprà* diximus augeri per ipsam passionem externam procedentem ex voluntate præterita:quare potuit Deus velle,quòd redemptio nostra,& satisfactio quoad sufficientiam pro nostris peccatis , & pœnis correspondet toti satisfactioni Christi completæ,& consumatæ. Ex his ergo & similibus exemplis,non habetur,quòd actio externa debeat augere meritum , provt condistinguuntur ab interna , etiamsi id in satisfactione concedatur.

SECTIO V.

An, & quomodo passiones,& pœnæ ab intrinseco , & necessariò prouenientes , possint esse satisfactoriæ.

70. CErtum , est hominem iustum per eiusmodi passiones, & flagella à Deo missa posse satisfacere pro debito pœnæ, si ea mala patienter tolerat : sic enim definitur à Trid. *sess.*14.*c.*9. his ver. Conc. Tr. bis: *Docet præterea , tantam esse diuinæ munificentiæ largitatem , vt non solùm pœnis sponte à nobis pro vindicando peccato susceptis , aut Sacerdotis arbitrio pro mensura delicti impositis ; sed etiam , quod maximum amoris argumentum est,temporalibus flagellis à Deo inflictis , & à nobis patienter toleratis , apud Deum Patrem per Christum Iesum , satisfacere valeamus.* Difficultas est in explicando,quomodo per huiusmodi afflictiones possit homo satisfacere.Ratio dubitandi oritur ex *suprà* dictis,quia condignitas satisfactionis oritur ex eo , quòd æquum sit, quòd accepretur pro debito pœnæ illa voluntaria punitio , qua ipse homo se laudabiliter castigat præueniendo officium Iudicis : per eiusmodi autem flagella homo non se castigat , cùm ipse nullo modo sit causa illius pœnæ,sed potiùs passiuè se habet:cessat ergo fundamentum satisfactionis condignæ.

Propter hoc est prima sententia , quæ dicit, nos ita satisfacere per ea flagella patienter tolerata, vt tota satisfactio habeat se ex parte ipsius patientiæ, & voluntatis , qua acceptantur illæ passiones. Ita Richardus, & Gabriel apudSuarez *disp.* 37. *sect.* 7. *n.* 2. A qua sententia parum: vel nihil distare videtur P. Vasquez *q.* 94. *art.* 1. *dub.* 7. *n.* 10.

Cuiuscumque sit hæc sententia, placere non potest : quia Tridentinum in verbis *suprà* adductis , non solùm per patientiam ; sed per ipsa etiam flagella dicit satisfieri : quòd primò constat ex eo, quòd eodem prorsus modo loquitur de flagellis à nobis spontaneè susceptis , & de illis aliis. Cùm ergo per flagella à nobis susceptа satisfaciamus, & non per solam voluntatem internam ; idem dicendum est de posterioribus. Secundò, quia si solùm satisfieret per actum internum , nimis impropriè dici posset , quod satisfacimus illis pœnis , & flagellis, ex eo, quòd hæc sint obiectum patientiæ, & acceptationis : alioquin possemus dicere, quòd satisfecimus per diuina beneficia , per creationem, per beatitudinem : quia hæc, & similia possunt esse obiecta actuum virtutis , quorum exercitio satisfacimus. Tertiò , quia frustrà omninò , & absque fundamento Tridentinum commendat benignitatem , & munificentiam Dei peculiarem in illo modo satisfactionis , provt de facto commendauit. Nam satisfacere per solum actum internum patientiæ , secundùm mensuram ipsius actus solius , nihil habet speciale , & diuersum ab alia satisfactione , qua satisfacimus amore inimicorum vel voluntate obseruantiæ diuinæ legis:cùm ille actus patientiæ internæ non minùs sit à nobis , nec minùs sit aptus,& potens,vt constat. Cur ergo magis apparet munificentia Dei in acceptanda satisfactione,quæ illi actui correspondet? Fatendum ergo est, Cocilium non loqui solùm de patientia interna , sed de passione ipsa etiam , in cuius acceptatione, quia non est à nobis illa passio , magis commendatur benignitas, & beneficentia Dei.Quo etiam modo loquuntur Sancti Patres quos affert Suarez *numero* 6.

Ex his reiici etiam potest sententia Medinæ *tract.*3. *q.*5.*in fine primi dub.* qui dixit , per patientiam internam solui reatum pœnæ, tanquam per satisfactionem propriam;per passionem verò externam solui etiam pœnam , non vt per propriam satisfactionem , sed per modum punitionis ab ipso Iudice illatæ , quæ posset dici satispassio. Hoc tamen, vt dixi, ex eodem Tridentino reiicitur,in quo per flagella externa dicitur non solùm satisfieri hominem , sed satisfacere ; & in hoc modo satisfaciendi

ciendi per illa flagella commendari misericordiam, & benignitatem Dei.

Eodem modo reiici potest aliorum distinctio, qui dicunt, quando eiusmodi pœna provenit ex causis generalibus, naturalibus aut liberis, & non à Deo in pœnam peccati, vt ægritudines, bella, fames, vel quæ à Iudice humano, aut inimicis iustè, vel iniustè patimur: non deseruire ad satisfactionem, nec satispassionem, nisi secundùm actum internum, cùm non procedant ab ipso homine, nec à Deo in punitionem peccati: quando verò imponitur à Deo in pœnam peccati, tunc deseruire quidem, non vt satisfactionem propriam, sed per modum iustæ vltionis; quomodo loquitur Soto *dist. 19. q. 2. art. 2.* Quæ sententia eodem modo reiicitur, cùm ex Tridentino constet, non solùm patientiam internam; sed passionem etiam externam patienter toleratam deseruire ad satisfactionem, & non ad solam satispassionem, vt vidimus.

73. Restat ergo, vt explicemus, quomodo passio illa, quæ à nobis non procedit, possit esse satisfactio, licet per illam, qui patitur, nullo modo videatur sese laudabiliter castigare. Pater Suarez *dicta sect. 7. num. 7.* dicit hominem, dum pœnam acceptat facere eam moraliter suam; & ideò posse per illam satisfacere: sicut, qui ab alio suscipit pecuniam, & eam offert Deo in cultum religiosum; per illam satisfacit. Mihi placet illud primum nempe, hominem facere illam pœnam moraliter suam: displicet tamen exemplum offerentis Deo pecuniam, quam ab alio accepit: quia hic reuerà accepit dominium illius pecuniæ, & ita propriè offert, quod suum est, & cuius dominium habet: qui verò patitur, & acceptat ægritudinẽ, nullo modo fit dominus illius. Vnde retorqueri potest exemplum: quia, si aliquis me impediat ab acquirendo lucro, possum ego quidem patienter ferre illud damnum; per hoc tamen non potero offerre illam pecuniam Deo, ita vt tali oblatione satisfaciam voto offerendi tantam pecuniam in Dei cultum.

74. *Passio à nobis non procedens fit moraliter nostra dupliciter.* Aliter ergo possumus explicare, quomodo fiat moraliter nostra illa passio ex duplici capite. Primò, quia qui patienter acceptat Dei flagella, eo ipso consentit Deo in illa punitione, & quantùm est de se, vult Deo cooperari ad illam. Quare, licèt re ipsa non sit causa flagelli, est tamen æquialenter causa in conspectu Dei: quia æquitati consonum est; vt qui Iudici punienti consentit, nec vllo modo repugnat, mitiùs puniatur. Et in hoc sensu dici potest, quòd per patientiam facit æquiualentem, suam illam passionem; ideò enim August. *lib. 83. quæstionum, quæst. 31.* dixit, quòd patientia est, *honestatis causa rerum arduarum voluntaria permissio.* Quia, licèt *voluntarium* proprium non sit, nisi quod procedit à voluntate; per illam tamen acceptationem, & patientiam fit quasi voluntaria, hoc est, æquialenter nostra illa flagellatio: quatenus consentiendo Deo in illa punitione, offerimus quasi nos ipsos ad cooperandum positiuè, si Deus ita voluerit. Fateor, non esse propriè voluntariam: & ideò, cæteris paribus, non ita esse efficacem ad satisfaciendum: habet tamen moraliter aliquid voluntarij, & ideò aliquam condignitatem ad satisfaciendum; imò potest aliunde excedere propter maiorem difficultatem, quam homo habet ad patienda, quæ ab aliis inferuntur, & ideò magis proderit ad fructum satisfactionis, vt notauit Suarez *n.* 8.

D. August.

75. *Patientia quid sit.* Secundò, possumus hanc causalitatem nostram ex alio capite explicare, ita vt non sit solùm æquialens, sed aliquo modo vera, licet indirecta. Pro quo aduerte, patientiam, vt colligitur ex verbis *suprà* adductis Augustini, esse voluntariam male perpessionem, honestatis causa: quia, licèt non sit in nostra potestate pati, & non pati; in potestate tamen nostra est malle pati, quàm ab officio desciscere: & in hoc sensu illa passio non solùm est volita, sed voluntaria indirectè, quatenus homo præeligit pati potiùs illud malum, quàm admittere solatium illicitum; quale esset indignatio, quærela, & impatientia ad leniendum dolorem: in quo consistit potissimùm honestas, patientiæ, vt cum aliis obseruat Lessius *lib. 3. de Virtutibus, capite 2. dub. 5. numero 38. & 41.* atque ideò, ablata honestatis causa, solatio illo, videtur indirectè à nobis procedere, & perseuerare passio flagelli à Deo immissi. Quia tamen hæc etiam dependentia indirecta est nimis imperfecta; ideò minùs conducit; vt dixi, quàm illud aliud, quando homo ipse sponte assumit ipsas passiones.

76. *Flagella extrinseca an sint satisfactoria de condigno.* Hinc infero primò, cur Tridentinum *suprà* adductum dixerit, in hoc genere satisfactionis elucere magis bonitatem Dei, & eius munificentiæ largitatem. Neque enim iis verbis negare voluit, hanc etiam esse satisfactionem de condigno; sed, quia ex parte modi multùm deficit à rigore iustitiæ vindicatiuæ: ideò maior benignitas Dei est acceptare etiam eiusmodi satisfactionem, in qua est minor condignitas: & est tamen aliqua; quia condignitas non consistit in indiuisibili; sed habet latitudinem; sicut habet fundamentum, quod est in tali, vel tali modo patiendi ad hoc, vt Iudex illam passionem acceptet in partem pœnæ debitæ, licèt posset eam non acceptare: vt *suprà* diximus.

77. *An sufficiat tolerantia sine actione.* Infero secundò, ad hanc etiam satisfactionem requiri actum internum positiuum, quo patienter flagellum acceptetur: quare, qui merè omissiuè se haberet per omissionem non liberam, non satisfaceret per flagellum: tunc enim cessaret vtraque ratio *suprà* adducta, & ex nullo capite fieret etiá æquialenter nostra talis passio, in qua haberet se homo merè passiuè. Maior difficultas esse posset, si omissio illa esset libera, qua liberè homo non haberet vllum actum impatientiæ. Et quidem in mea sententia, qua nego possibilem amissionem puram liberam; non est difficultas. In sententia autem contraria illam concedente distinguendum est: nam, si cum aliquibus illius sententiæ sectatoribus concedas, dari puram omissionem liberam honestam, & meritoriam consequenter debes dicere ex tali omissione impatientiæ meritoria reddi satisfactoriam passionem externi flagelli; quia iam habet actum patientiæ interpretatiuum; si verò cum aliis pluribus neges talem omissionem puram posse esse laudabilem, & meritoriam; debes etiam dicere, non reddi satisfactoriam pœnam toleratam cum tali omissione impatientiæ: quia non toleratur studiosè, neque ex fine honesto.

78. *An requiratur actus patientia præsens.* Peres, an crescat satisfactio per passionem flagelli externi solùm, quandiu durat actus internus patientiæ, an etiam postquã præterit. Respondetur in primis, crescere, quamdiu actus patientiæ internus manet, saltem in effectu: hoc est, quamdiu ex actu præterito prouenit, quòd nunc non indignetur homo, non prorũpat in aliquã impatientiã: quia, sicut passio sponte susceptæ auget satisfactionem, etiam transacto actu interno, quamdiu passio externa procedit ab illa voluntate præterita: sic dicendum erit de hac causalitate indirecta, qua voluntas præterita cohibendo impatientiam, causa est, quòd hîc, & nunc patiatur homo absque illo qualicumque solatio indignationis. Addo secundò, licèt homo nunc non sit capax habendi impatientiam, quia dormit v. g. vel ad alia distrahitur, probabile mi-

hi esse, quod crescat semper satisfactio, dum patitur flagellum illud: quia, licèt tunc non militet secunda ratio *suprà* posita de causalitate indirecta; procedit tamen adhuc prima ratio de causalitate æquialenti, quam habuit per actum patientiæ, & acceptationis voluntariæ: quia per illum actum factus est æquialenter causa, vt diximus: quare, sicut, si esset vera causa, satisfaceret postea etiam in somno, vt dictum est *suprà*: sic etiã dum est æquialenter causa, debet transacto illo actu adhuc satisfacere per ipsam passionem externam.

79. *An qualibet mala ad hæc sufficiant.*

Infero tertiò, non solùm satisfieri posse per flagella inflicta à Deo specialiter, vel ex animo puniendi pro peccatis; sed per quæcunque flagella, aut calamitates, vndecumque proueniant; siue ex causis naturalibus, & ordinario rerum cursu; siue à causis liberis; siue ab inimicis: siue iustè, siue etiam iniustè illatis. Hæc videtur esse mens communis Theologorum, quos sequitur Suarez *dicta sect. 7. n. 9.* & videtur conformis verbis Tridenti-
Conc. Trid. ni, in quo nulla fit distinctio, sed vniuersaliter dicitur, *temporalibus flagellis & Deo inflictis, & à nobis patienter toleratis, posse satisfieri.* Et quidem hic videtur esse sensus fidelium, qui absque alio examine, statim recurrunt ad Dei prouidentiam, cuius voluntati se conformantes accipiunt, tanquam ex eius paterna manu, vniuersa mala obuenientia: scientes, quòd *non est malum in ciuitate, quod non fecerit Dominus*: & de quocunque passionis calice vsurpantes Christi verba: *Calicem, quem dedit mihi Pater, non vis, vt bibam illum?* Quod salatium, si nobis deesset, aut si necesse esset examinare, an malum illud à Deo proueniat, & an animo puniendi, vel ex alio fine diuerso, grauiores multò nobis redderentur huius sæculi calamitates.

80. Ratio denique colligi potest ex doctrina *suprà* tradita, applicando illam ad huiusmodi mala. Nam, si illa in primis à Deo proueniant, non animo puniendi, sed ex alio fine: idem, & fortasse maius fundamentum in eorum tolerantia reperitur, vt acceptentur à Deo pro debito nostræ pœnæ. Si enim, qui reus est pœnæ, aliquid mali patiatur ab illo, à quo puniendus erat, & id patienter, ac libenti animo ab illo sustineat: magis videtur æquitas postulare, quòd illud malum pro satisfactione acceptet, quàm si ex industria propter eius delicta fuisset illatum. Plùs enim mouet ad compassionem, & clementiam tolerantia illius, qui sine causa, quam eius, qui cum causa patitur, & magis videtur obligari Iudex ad remittendum de rigore erga eum, quem sine causa vexauit, quàm si eum ob delicta vexasset. Quòd ergo ea mala non sint à Deo immissa in pœnam peccatorum, non minuit, sed auget fundamentum ad remittendum rigorem circa pœnas debitas.

81. Rursus, si illa mala proueniunt ex causis naturalibus necessariis: eadem videtur esse ratio: cùm per illas omnes propriissimè operetur ipse Deus, qui & fecit, & conseruat, & disponit, & vult illas causas, & earum seriem, ex qua necessariò consequitur talis effectus; atque adeò vult illum effectum, & causat illum: quare homo laudabiliter se conformat eius voluntati, dum vult pati id, quod Deus ex se voluit per causas secundas, & cum eisdem causis ipsi inferre. Denique, si mala illa proueniant per causas secundas liberas, eadem ferè est ratio. Primò, quia licèt actionem internam malam voluntatis liberæ Deus non velit determinatè; effectum tamen malum ex illa actione procedentem, qui mihi nocet, Deus vult, & causat ex suppositione illius malæ voluntatis: v. g. si aliquis vult lædere corpus, & famam meam; Deus non vult determinatè illam voluntatem internam malam posita tamen illa, vult concurrere concursu determinato cum potentia externa necessariò operante, nempe cum lingua, vel manu ad detractionem, vel percussionem; quem concussum posset Deus negare, & non vult cui voluntati, licet sit in nocumentum meum, ego me conformo, & approbo illam, quia voluntas Dei est Secundò, quia Deus, cùm facilè, & suauiter posset, noluit impedire illud malum, nec postea, cùm possit, vult adhibere remedium; cui duplici voluntati diuinæ laudabiliter se conformat, qui malum patitur: & ratione huius conformitatis dignus est, non solum præmio; sed etiam, vt pœna illa acceptetur loco pœnæ debitæ, eò quòd per illam patientiam, & conformitatem fecerit illam moraliter suam.

82. Confirmatur, & explicatur: quia ad hoc, vt homo satisfaciat condignè per passiones, quas sponte suscipit, non est necesse, quòd habeat in illas causalitatem directam, sed sufficit, si habeat indirectam, quatenus potest illas impedire, & non impedit: v. g. si potens adhibere medicinam, vel expellere famem, sitim, aut frigus, permittit in se dolorem, famen, sitim, frigus, & similes molestias, quas Deo offert; non dubium; quin satisfaciat per illas, tanquam per passiones sponte susceptas, eò quòd sponte illas non impedit. Cùm ergo Deus habeat ad minùs causalitatem indirectam, quatenus permittit ea mala, quæ nobis ab inimicis visibilibus aut inuisibilibus inferuntur, & homo conformans se diuinę voluntati habeat æquialentem eamdem causalitatem, vt *suprà* vidimus; consequens est, quòd per eiusmodi confirmitatem, & patientiam fiat æquialenter causa permissiua illarum passionum, sicut si illas potens impedire, non impedisset.

83. *An sine ea patientia sint alia ad satisfactionem.*

Restat vltimò loco difficultas de illis, malis, & flagellis, quæ homo non acceptat; vel, quia non aduertit; vel quia non est in statu acceptandi, vt si rationis vsum amiserit, vel dormiat: an possit per illa aliquo modo satisfacere, vel satisfieri pro debito pœnæ temporalis. Ioann. Med. *Cod. de satisfact. quæst. 5.* significat passionem externam, vt cadat in solutum, non indigere acceptatione patientis. Idem affirmat Soto *loco suprà allegato* de pœna temporali huius vitæ à Deo specialiter inflicta ob peccatum: imò addit, licèt patiens resistat, & inuoluntariè, ac imparienter patiatur, dummodo sit in gratia, aliquid de pœna Purgatorij auferri per illam passionem: quod vltimum, licèt affirmare non audeat; affirmauit tamen Ledesma 2. *parte. 4. quæst. 14. art. 2.*

Hanc sententiam reiiciunt Vasquez *dicto dub. 7. n. 6.* & Suarez *dicta sect. 7. n. 10.* quia, si flagella ipsa secundùm se, absque actu voluntatis patientis, habent vim ad remissionem pœnæ Purgatorij cùm illud non esset ex opere operantis, qui supponitur nihil operari; fieret ex opere operato, sicut per Sacramenta; quod nemo concedet. Addit Suarez, id videri contra Tridentinum, vbi petitur, quod hæc flagella patienter tolerentur ad hoc, vt per illa possit satisfieri.

84. Existimo distinguendum: nam, si sermo sit de satisfactione, certum videtur, ea flagella absque voluntate patientis non posse ad eum effectum deseruire; cum perinde se habeat, ac si esset infans vel amens, qui non est capax satisfaciendi, eò quòd satisfactio sit aliquid morale, ac proinde dependens à voluntate operantis iuxta regulas moris. Si verò sermo sit in ordine ad satispatiendum, & soluendum debitum pœnæ, patiendo verè pœnam

pœnam debitam, probabile puto, posse aliquando eam passionem absque voluntate patientis habere talem effectum; quando scilicet, homo est in statu gratiæ, & Deus ad eum finem immittit tale genus flagelli. Nec Tridentinum loquitur de hoc genere soluendi; sed de satisfactione sola, quam dicit, posse fieri per ea flagella patienter tolerata. Nec etiam ex hoc sequitur virtus aliqua in flagellis similis Sacramentis ad expiandum debitum pœnæ ex opere operato. Nam ad tollendum debitum per veram passionem pœnæ debitæ non requiritur aliud, quàm pati verè pœnam debitam. Alioquin etiam pœna Purgatorij esset similis Sacramentis, cùm se ipsa auferat, & extinguat debitum pœnæ. Alia verò est virtus Sacramenti, quæ sine solutione extinguit debitum per remissionem pœnæ. Vndè minùs propriè loquutus est Pater Vasquez, qui *n.* 6. Impugnans hanc satispassionem sine actu patientis, infert, quòd flagella ipsa, & eorum passio remitteret pœnam: qui modus loquendi non est melior, quàm si diceres pœnam Purgatorij habere hoc, vt per eius passionem remittatur pœna debita: sicut, si diceres, solutionem debiti habere hanc virtutem, vt eo ipso remittatur debitum: quæ omnia in rigore sunt falsa: nam remissio significat extinctionem debiti absque absolutione: qui autem patitur totam pœnam, quam meretur, soluit totum. ergo non accipit remissionem pœnæ debitæ. Qui ergo solùm dicit, posse per illa flagella satispati hominem, ita vt id minùs debeat pati in Purgatorio, quod hîc, puniente Deo, passus est, non ponit vllam virtutem in flagellis ad remissionem pœnæ ex opere operato.

85. *Duæ conditiones requisitæ ad satispassionem.* Duas itaque conditiones requirimus, vt hæc flagella possint prodesse per modum satispassionis. Primam, vt non extinguant maioris pœnæ debitum, quàm ab ipsis afferatur, omnibus pensatis: alioquin iam misceretur aliquid de condonatione, vel satisfactione. Secundum, vt à Deo infligantur in pœnam peccati: diximus enim, de rigore iustitiæ, Iudicem habere ius puniendi delinquentem pœna ab ipso Iudice imponenda, sine eo, quòd attendat ad mala, quæ aliundè delinquens sponte, vel necessitate passus est. Non soluitur ergo debitum pœnæ passione cuiuscunque flagelli, nisi illud à Deo Iudice in eo titulo imponatur.

86. Obiiciunt primò: quia, si passio eius flagelli ex se sine voluntate patientis potest extinguere debitum pœnæ, posset etiam cum voluntate contraria, nempè, quando impatienter toleraretur, & cum resistentia: posset item in statu peccati; quia non minùs posset homo tunc pati, quantùm propter aliquod veniale iam priùs quoad culpam remissum debebat.

Respondetur, si homo patitur cum impatientia, quæ sit mortalis, non extinguit debitum pœnæ per flagella temporalia, vt statim dicemus: si verò impatientia sit venialis, non repugnat ex se, quòd semel per passionem alicuius grauissimi mali soluat pœnam debitam pro alio veniali remisso quoad culpam: tunc tamen non debet dici simpliciter, quòd per passionem illam extinguat, etiam quoad partem, debitum pœnæ, quia ferè semper potiùs augebitur reatus, eò quòd plùs pœnæ debebit de nouo propter illud peccatum impatientiæ, quàm sit illud, quod extinguitur per passionem materialem illius mali.

Ad illud verò, quòd additur de existente in peccato mortali, dicimus: eum pro eo statu nec satisfacere, nec etiam satispati posse pro aliquo etiam reatu pœnæ relicto ex aliqua culpa veniali anteà remissa. Ratio est: quia, dum est in eo statu peccati, & secundùm præsentem iustitiam debet pro singulis etiam peccatis venialibus pœnam æternam propter coniunctionem cum morali, vt vidimus *suprà, disp.* 19. *sect.* 2. non potest ergo pœna temporali huius vitæ extingui debitum pœnæ illius, quam peccatum mortale sua coniunctione meruit fieri æternam.

Secundò obiiciunt: quia passio huius vitæ non 87.
est comparabilis, nec proportionata cum pœna Purgatorij: ergo non erit sufficiens ad extinguendam illam, nisi ex dignitate, vel voluntate patientis habeat valorem moralem ad redimendam illam pœnam. Respondetur in primis, non excedi hanc pœnam ab illa excessu infinito: quare non appareret, cur pœna temporalis diuturnitate sua non possit æquiualere alicui parti intensionis, & acerbitatis Pœnæ Purgatorij, ita vt si pœna illa futura erat intensa vt centum, fiat vt nonaginta propter annos triginta, quibus in hoc sæculo punitus fuit homo doloribus acerbissimis, & grauissima infamia. Deindè dato, quòd non posset propter improportionem æquiualere etiam partialiter pœnæ essentiali, vt ita dicam, Purgatorij; poterit tamen æquiualere alicui pœnæ accidentali: v. g. grauissima, & iniustissima infamia, quam homo in hoc sæculo diu patitur, poterit benè æquiualere alicui infamiæ, vel tristitiæ accidentali, quam in Purgatorio debebat pati, atque adeò poterit ex Dei voluntate hæc pœna pro illa subrogari; & tunc, absque vllo voluntatis actu, posset satispati pro aliquo reatu pœnæ accidentalis, quam debet.

DISPVTATIO XXV.

De satisfactione, provt est tertia pars Sacramenti Pœnitentiæ.

SECT. I. *Quomodò satisfactio sit pars huius Sacramenti; & an causet gratiam ex opere operato.*

SECT. II. *De effectu satisfactionis sacramentalis circa remissionem pœnæ.*

SECT. III. *An pœnitentia impleri possit in statu peccati; & quem effectum tunc habeat; & quid, si absque intentione impleatur.*

SECT. IV. *Quomodò, & qualem satisfactionem debeat Sacerdos imponere.*

SECT. V. *Quam obligationem habeat pœnitens acceptandi, & implendi pœnitentiam.*

SECT. VI. *Vtrùm pœnitens ipse, vel vnus Confessarius, possit commutare pœnitentiam ab alio impositam.*

DE Satisfactione sacramentali aliqua diximus *suprà, disp.* 12. *sect.* 2. vbi vidimus, eam esse partem intrinsecam huius Sacramenti, vt constat ex Florentino, & Tridentino ibi adductis: explicuimus etiam, quomodò verba illa, quibus Sacerdos pœnitentiam imponit, sint pars Sacramenti, & aliqualis forma satisfactionis in aliquo sensu: quæ omnia repetenda non sunt in hoc loco, sed reliqua breuiter percurrenda.

SECTIO I.

Quomodò satisfactio sit pars huius Sacramenti; & an causet gratiam ex opere operato.

1. *Satisfactio an sit pars essentialis, vel integralis.*

DVbitatur primò, an sit pars essentialis, vel solùm integralis: nam Palud. *dist. 16. quæst. 4. sub finem* dicit, esse partem essentialem: quia, licèt ante satisfactionem detur iam Sacramentum, hoc indè prouenit, quòd Sacramentum hoc sit quoddam ens successiuum, cuius pars habetur ante totam essentiam: vt ante consecrationem calicis datur Eucharistia; non tamen tota: & ante omnes Vnctiones completas habetur Sacramentum Vnctionis.

Sed hic Auctor fortasse solùm dissentit modo loquendi, solúmque vult, quòd ante satisfactionem, licèt detur Sacramentum totalitate essentiali; non tamen totalitate integritatis. Modus tamen loquendi est improprius, nec ideò debet appellari pars essentialis, nec debet negari, ante satisfactionem dari totam essentiam Sacramenti, sicut homo absque digito dicitur habere totam essentiam hominis, licèt non habeat integritatem.

2. *Quæ gratiæ causet ex opere operato.*

Certum ergo est, satisfactionem esse partem solùm integralem huius Sacramenti: quod variis argumentis probauimus *loco citato*. Ex hoc autem oritur secundum dubium, an satisfactio, quando ponitur, causet aliquam gratiam sanctificantem ex opere operato; Prima sententia affirmat, quàm tenent Caiet. *infrà, q. 90. art. 2.* Sotus *dist. 17. q. 1. art. 2.* quos affert, & sequitur Suarez *disp. 38. sect. 2. n. 3.* & alij, qui afferunt pro se S. Thom. *illa q. 90. artic. 2. ad secundum.*

Non causat gratiam sacramentalem.

Probabilior tamen videtur sententia negans, quam tenet Palatius *dist. 14. disp. 1. col. 11. & dist. 16. q. 1. art. 1.* Pater Coninch *in præsenti, disput. 10. n. 94.* & eam videtur supponere Pater Vasquez *suprà, q. 84. art 1. dub. 2. propè finem*, vbi solùm tribuit satisfactioni effectum remissionis pœnæ: & clarè eam docet *q. 94. art. 2. dub. 5. n. 9.* & præpositus *q. 12. dub. 6.* & videtur esse sententia Sancti Thomæ *in 4. distinctione 16. quæstione 1. artic. 1. quæstione 2. ad 3.* vbi proposito argumento, quòd satisfactio non esset pars Sacramenti, si non conferret gratiam, cùm Sacramenta nouæ legis gratiam conferant suscipientibus. Respondet, gratiam conferri ex proposito satisfaciendi, licèt non conferatur ex satisfactione actuali, vel posse dici partem Sacramenti, quatenùs per satisfactionem consequitur pœnitens perfectum effectum gratiæ, peccatum abolentis: quia liberatur totaliter à reatu peccati. In loco autem *suprà* adducto pro sententia contraria videtur oppositum asserere:

S. Thom.

nam eidem argumento respondet, *quòd satisfactio confert gratiam, prout est in proposito; & auget eam, prout est in exequutione.* Possent tamen hæc verba explicari iuxta id, quod dixerat in alio loco, per satisfactionem acquiri perfectum effectum gratiæ, scilicet, liberationem totalem à reatu peccati.

3. Vndè constat, grauiter excessisse Luisium Turrianum *in selectis, part. 2 disp. 31 dub. 22.* vbi hanc secundam sententiam dicit esse temerariam. Constat, eum non legisse loca Grabrielis Vasquez, in cuius verba iurauerat, alioquin saltem ob eius reuerentiam abstinuisset à censura sententiæ probabilissimæ.

Probatur hæc sententia: quia Sacramentum Pœnitentiæ in tantum debet conferre gratiam ex opere operato, in quantum debet culpam mortalem, quæ secundùm legem ordinariam nunquam tollitur absque infusione gratiæ: satisfactio autem, quando posteà ponitur, non significat remissionem culpæ, sed pœnæ; imò supponit iam culpam remissam: ergo non est, vndè colligamus, ipsam habere nouam virtutem ad conferendam, vel augendam gratiam sanctificantem, hæc enim non debet infundi ad tollendum reatum pœnæ: constat quippè per Sacrificium Missæ, & per Indulgentias auferri reatum pœnæ ex opere operato, absque infusione, vel augmento gratiæ: ergo, vt satisfactio habeat eam virtutem auferendi reatum pœnæ, non debet habere virtutem augendi gratiam.

Probari etiam solet ex aliis Sacramentis, in quibus numquam datur noua gratia, ab aliqua noua parte materiæ Sacramenti, nisi opponatur noua forma, ratione cuius fiat nouum Sacramentum partiale, vt contingit fortasse in Ordinatione Presbyteri, quando per collationem secundæ potestatis ad absoluendum datur illi noua gratia partialis, & in Extrema Vnctione, in qua aliqui volunt, quòd in singulis Vnctionibus cum forma correspondenti detur noua gratia partialis. Cæterùm per appositionem solùm nouæ materiæ non contingit dari nouam gratiam, postquam iam Sacramentum causauit gratiam sacramentalem.

Hoc tamen argumentum non videtur efficax: quia, si aliquis vngendo infirmum diceret vnica forma: *Per istam sanctam Vnctionem, &c. indulgeat tibi Deus, quidquid peccasti per omnes sensus.* Et posteà succedentiuè vngeret sensus, daretur nouus effectus, iuxta illam sententiam, in vnctione singulorum sensuum per appositionem nouæ materiæ absque positione nouæ formæ. Item, in Ordinatione Presbyteri, si Episcopus vnica forma diceret: *Accipe potestatem offerendi Sacrificium, & remittendi, ac retinendi peccata*: & posteà traderet Hostiam, & calicem cum vino, ac deindè imponeret manus, videtur probabile, quòd per singulas materias acciperet singulas potestates, sicut nunc, licèt tunc non apponeretur nouа forma post primum effectum. Sic ergo diceret aliquis, in Sacramento Pœnitentiæ vnicam formam sufficere, & adueniente posteà noua parte materiæ, detur noua gratia sacramentalis partialis.

Alij probant: quia, si satisfactio augeret gratiam ex opere operato, posset etiam aliquando dare primam gratiam: nam, si aliquis post absolutionem peccasset mortaliter, & haberet attritionem tunc, quando implet pœnitentiam, iustificaretur: nam Sacramenta, quæ possunt conferre gratiam, possunt etiam primam gratiam conferre per accidens in attrito, cum iam non inueniant obicem. Sed nec hoc argumentum efficax: quia illa doctrina vniuersaliter sumpta mihi non probatur, eámque *tomo superiori* impugnaui. Quare, licèt absolutio sacramentalis possit dare primam gratiam, quia per se instituta est ad illum effectum præstandum; de satisfactione tamen posset id negari; eò quòd non sit per se instituta ad talem effectum. Potissimum ergo fundamentum nostræ conclusionis est, quòd nullum sit fundamentum in Scriptura, Patribus, aut Conciliis ad illum effectum tribuendum satisfactioni sacramentali.

Hinc infero obiter, satisfactionem hanc, sicut non confert gratiam habitualem; ita nec conferre ex opere operato ius ad auxilia aliqua in ordine ad præseruandum hominem à peccatis, vel ad peccata emendanda: quem effectum saltem illi concedendum dicit Pater Suarez *vbi suprà, n. 3.* & consentit Pater Coninch *numero 92.* Sed consequenter

sequenter videtur etiam negandum : quia Sacramenta non solent conferre ex opere operato ea auxilia, nisi quatenus afferunt gratiam habitualem, ex qua oriantur talia auxilia, & cum ordine ad illa, quæ solet dici gratia sacramentalis : vndè perdita gratia habituali, perditur etiam ius acquisitum per Sacramenta ad talia auxilia : & recuperata, recuperatur, vt probauimus *in tractatu de Sacramentis in genere, disp. 4. sect tertia*. Si ergo hæc satisfactio daret ius ad auxilia, daret etiam gratiam internam habitualem, in qua illud ius fundaretur, sicut alia omnia Sacramenta id faciunt.

7. Contra hanc sententiam plura obiiciuntur ; Primò, quia hæc satisfactio est pars Sacramenti : Sed Sacramenta nouæ legis causant gratiam : ergo & hæc pars. Probatur consequentia : quia nihil videtur posse intrare ad componendum Sacramentum in ratione Sacramenti, nisi illud, quod componit illud in ratione signi sensibilis significantis practicè gratiam ; quidquid enim est extra hunc conceptum, erit etiam extra conceptum Sacramenti, vt Sacramentum est : sed satisfactio non constituit hoc Sacramentum in ratione sensibilis ; tum, quia potest esse opus merè internum ; tum, quia antecedenter ad ipsam satisfactionem iam habuit Sacramentum sensibilitatem sufficientem ad significandam gratiam ex ipso collatam tempore absolutionis : ergo debet constituere illud in ratione causantis gratiam, alioquin non apparet, quomodò sit vera pars Sacramenti nouæ legis.

8. Huic argumento dupliciter responderi potest. Primò, satisfactionem esse partem Sacramenti Pœnitentiæ : & habere virtutem ad causandam gratiam simul cum aliis partibus, quando reperitur iam posita nam, si pœnitens impleat pœnitentiam iniunctam : antequam absoluatur, provt fieri potest, & olim frequenter fiebat, tunc satisfactio concurrit simul cum confessione, & contritione ad gratiam sacramentalem, tanquam vna pars materiæ : materia enim sunt actus pœnitentis, quibus dolet confitetur, & obedit in exequutione pœnæ Iudici, qui omnes actus per modum materiæ concurrunt simul cum forma ad effectum gratiæ sacramentalis. Quando verò satisfactio ponitur post absolutionem : tunc, licèt secundùm se iam non operetur gratiam, adhuc tamen dicitur pars integrans illud totum, Sacramentum, à quo producitur gratia, & quæ habet virtutem de se ad concurrendũ cum aliis, si non inueniret iam effectum positum ab aliis : sic enim aliquæ dicuntur partes in aliis Sacramentis, licèt aliquando inuenian iam effectum productum : v.g. in extrema Vnctione dicunt aliqui, per primam vnctionem, quæcunque illa sit, produci effectum gratiæ, reliquas autem integrare, & perficere Sacramentum, licèt non producant gratiam nouam. Item in Eucharistia, quando Sacerdos sumit Hostiam diuisam in duas partes, in sumptione primæ, accipit totum effectum gratiæ, & tamen secunda est etiam pars eiusdem Sacramenti integrans illam Communionem. Item, in Ordinatione Sacerdotis, si Episcopus imponat manus (quam impositionem esse materiam sufficientem, probauimus *in tractatu de Sacramentis in genere*,) & proferens formam det etiam panem, & vinum, tunc porrectio panis, & vini erit pars integrans materiam Ordinationis, licèt tunc inueniat iam effectum productum ab impositione manus, & forma priùs terminata. Sufficit ergo ad hoc, vt aliquid sit pars integrans materiam, esse talem, quæ poneret cum aliis compartibus effectum, si non inueniret positum. Imò in forma sacramentali videtur hoc ipsum reperiri : nam illa verba, *à peccatis tuis*, in sententia communi inueniunt iam gratiam productam per priora verba, & tamen sunt pars formæ, & pars Sacramenti, & possunt producere gratiam, si proferrentur ante verbum, *absoluo*, v.g. diceret Sacerdos : *A peccatis tuis ego te absoluo*. Deindè, quando facto matrimonio inualido ob defectum consensus interni, postea reualidatur, iuxta probabilem sententiam, posito consensu interno coniugis ficti, potest contingere, quod ille consensus internus incipiat intrinsecè in tempore iuxta sententiam probabilem eorum, qui communiter dicunt posse actum voluntatis incipere in tempore intrinsecè : in quo casu totus ille consensus est pars Sacramenti secundùm durationem temporis diuisibilis, cùm nulla possit assignari pars prima, sed in quacumque assignata necesse sit esse aliquas partes durationis, ante quas Sacramentum habuerat suum effectum : & tamen omnes illæ dicuntur partes Sacramenti. Sic ergo posset satisfactio dici pars Sacramenti, etiam in eo casu, quando inuenit iam productum effectum gratiæ sacramentalis. 10.

Secundò responderi potest faciliùs, satisfactionem esse posse partem integralem Sacramenti, licèt ipsa non conferat gratiam : quia sicut remissio pœnæ, licèt non sit gratia habitualis, nec ablatio culpæ est tamen quasi complementum gratiæ, & integritas remissionis culpæ, sic satisfactio, quæ ordinatur ad tollendum reatum pœnæ, est complementum, & pars integrans Sacramentum, quod causat gratiam, & remittit culpam. Neque enim cuilibet patri integranti debet conuenire definito essentiæ : nam sanguis est pars naturæ humanæ, ideò enim Verbũ diuinum assumens naturam humanam, debuit assumere immediatè sanguinem, & tamen in veriori sententia sanguis non informatur anima rationali nec illi conuenit esse rationalem : sed est pars integrans naturam rationalem. Sic satisfactio, licet non conferat gratiam, est tamen pars integrans, & complens Sacramentum illud, quod confert gratiam, & ordinata ad hoc, vt illud Sacramentum habeat suum effectum perfectiori, & conuenientiori modo.

Hanc solutionem videtur indicare Concilium Tridentinum *sess. 14. cap. 3.* vbi enumeratis tribus partibus in materia huius Sacramenti, contritione, confessione, & satisfactione, subdit eas *quatenus in pœnitente ad integritatem Sacramenti, ad plenámque, & perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur, hac ratione Pœnitentiæ partes dici*. In quibus verbis ex eo indicat, posse satisfactionem appellari partem Sacramenti : quia ex institutione diuina confert ad effectum Sacramenti pleniùs, & perfectiùs habendum. Eandem solutionem videtur etiam amplexus S. Thomas *illa dist. 16. loco suprà citato* : & videtur planior ad hanc rem explicandam. 11.

Secundò arguit Suarex : quia, si satisfactio fuisset iam exhibita tempore absolutionis, maiorem effectum gratiæ ex opere operato homo accepisset ; esset enim magis, & meliùs dispositus : licèt autem tempore sequenti fiat, moraliter tamen coniungitur cum aliis partibus, cum quibus facit vnum Sacramentum : ergo totum illud Sacramentum confert maiorem gratiam, atque adeò plùs gratiæ dabitur posita satisfactione supra eam, quæ iam data fuerat. Respondetur tamen negando consequentiam, quia, si satisfactio præcessisset, non ideò plus gratiæ datum fuisset : quia plures partes Sacramenti concurrerent ad illam, (hoc enim parum refert ad maiorem gratiam causandam,) sed, quia melior di- 12. Conc. Trid.

spositio præcederet; satisfactio autem, quæ postea subsequitur, non potest iam reddere subiectum magis dispositum ad gratiam, quæ iam supponitur data: sicut alij actus boni, qui post absolutionem sequuntur, si præcessissent, disposuissent ad maiorem gratiam ex opere operato; & tamen quando subsequuntur, ad nullam gratiam ex opere operato conducunt. Quod autem satisfactio constituat vnum Sacramentum cum præcedentibus partibus, parum refert: nam partes, quæ post absolutionem, & eius effectum ponuntur, non augent effectum absolutionis præcedentis quoad gratiam; sed quoad aliquid aliud.

13. Tertiò arguit idem Suarez: quia hæc satisfactio non solùm est in vindictam, & remissionem pœnæ sed etiam præcipuè ad curationem, & medicinam ad quem finem, & effectum est maximè necessaria gratia: ergo credibile est, quòd eam afferat ex opere operato. Respondetur, satisfactionem debere quidem imponi à Sacerdote ad finem curandi pœnitentem: cæterùm non habet de se ex opere operato afferre talem curationem; sed solùm remissionem pœnæ tèporalis: si enim haberet ex opere operato hunc effectum curandi, quælibet pœnitentia esset proportionata cuilibet generi peccati; quod constat esse falsum: nam diuersis peccatis diuersæ pœnitentiæ, & medicinæ applicari debent, vt abstinentia curetur homo carnalis, eleemosynis auarus, &c.

14. Quartò arguunt alij: quia in absolutione reperitur aliqua remissio pœnæ cum remissione culpæ: ergo etiam in satisfactione cum remissione pœnæ inuenitur aliqua infusio gratiæ. Negatur consequentia: quia infusio gratiæ in absolutione affert secum necessariò remissionem pœnæ æternæ: remissio verò pœnæ temporalis non affert secum infusionem gratiæ, vt constat in Indulgentiis, Sacrificio, &c. Quando autem fit absolutio venialium, tunc credibile etiam est, intercedere semper aliquam remissionem pœnæ; quia etiam extra Sacramentum, quoties remittitur culpa, credibile etiam est, quòd remittitur semper aliquid pœnæ: congruum enim videtur, quòd minùs puniatur ille, cui iam condonata est culpa, & cui minùs auersus est Deus, quàm ille, qui adhuc retinet maculam culpæ.

15. Quintò arguitur ex illis verbis Sacerdotis: *quidquid boni feceris, &c. sit tibi in remissionem peccatorum, & augmentũ gratiæ*, &c. Ergo satisfactio etiã deseruit ad augendam gratiam. Respondetur, ibi etiã includi merita B.V. & omnium Sanctorum; quæ tamen, certum est, non augere gratiam in pœnitente ex opere operato. Illa ergo verba continent deprecationem Sacerdotis petentis, vt omnia illa eodem modo; quo singula conferre possunt, conferant ad omnes illos effectus; scilicet, vel impetratoriè, vel mediatè, vel ex opere operantis, &c.

Sextò obiici potest, quòd sumptio calicis in Eucharistia, iuxta probabilem sententiam; causat nouã gratiam post sumptionem Corporis; quia est noua pars Sacramenti: & idem est de collatione potestatis absoluendi data Sacerdoti post datam potestatẽ ad consecrandum propter eandẽ rationem: ergo idẽ dicendum erit de satisfactione, quæ est noua pars Sacramenti. Respondetur, negando consequentiam: quia illæ ita sunt partes Sacramenti, vt in se habeant rationem Sacramenti, atque adeò illis etiam est promissa gratia: nam bibenti Sanguinem Christi promittitur vita spiritualis; & quando datur potestas remittendi peccata, dicitur Sacerdoti: *Accipe Spiritum sanctum*, &c. at verò satisfactio non est Sacramentum; sed pars Sacramenti, cui secundùm se, nunquam est promissa gratia, nec nos debemus absque fundamento illum effectum asserere.

SECTIO II.

De effectu satisfactionis sacramentalis circa remissionem pœnæ.

16. SVpponimus, satisfactionem sacramentalem habere ex opere operato hunc effectum remissionis pœnæ: quod benè probat P. Suar. *disp. 38. sect. 2. n. 2.* & P. Vasq. *q. 94. art. 2 dub. 5. n. 8.* ex verbis *suprà* adductis Trid. dicentis has esse partes Sacramenti pœnitentiæ: quia ad perfectam, & plenam peccatorum remissionem, ex Dei institutione requiruntur. Cùm ergo satisfactio non requiratur ad remissionem peccati quoad culpam; pertinebit, & requiretur ad peccati remissionem quoad pœnam, cùm nihil aliud in peccato remitti possit. Secundò probatur hoc ipsum: quia hæc pars instituta est à Christo Domino, alioquin non posset esse pars Sacramẽti: ergo ex Christi institutione, & potestate ab eo accepta Sacerdos imponit pœnitentiam: ergo habet potestatem ad faciendum, quod significat se facere significat autem potissimùm, dum pœnitentiam imponit, se imponere illã loco pœnæ, quæ restat in Purgatorio soluendæ, seu ad finem expiandi à debito pœnæ; atque ideò significat, se commutare pœnam Purgatorij in illam pœnam temporalem: cùm ergo hæc commutatio, & hæc actio procedat ab habente auctoritatem, consequens est, vt nisi clauis erret consequatur suum effectum liberandi pœnitentem à debito pœnæ Purgatorij per satisfactionem impositam auctoritate Christi.

17. *An quilibet satisfactio habeat vnum pœnam.* Hoc ergo supposito, dubitatur primò circa illum effectum remissionis pœnæ, quem causat satisfactio, an quælibet satisfactio à Sacerdote imposita tollat omnem reatum pœnæ debitæ pro illis peccatis, quæ quis confessus est. In quare certum est, primò, quando pœnitentia iustas ob causas imponitur multò minor, provt sæpè expedit facere propter infirmitatem, aut impotentiam pœnitentis, & ne ipse exponatur periculo non implendi pœnitentiam; tunc, inquam, non tollit reatum totius pœnæ debitæ per illam modicam pœnitentiam. Secundò, certum videtur, quòd quælibet pœnitentia, etiam minima, aliquid operabitur, contra aliquos, quos tacitè refert Suarez *disp. 38. sect. 2. n. 7.* qui id negabant, quando pœnitentia est minima, & improportionata: falluntur tamen; quia illa pars, licèt non correspondeat toti debito, correspondet parti ipsius, & per consequens pro ipso satisfaciet. Sicut, si Iudex reo criminis, cui debebatur triennium exilij, iniungat exilium semestre: satisfaciet illa pœna pro parte saltem pœnæ debitæ. Quod confirmari potest: quia commutatio voti facta à Prælato in rem inæqualem, valida est quoad partem correspondentem, manente solùm obligatione supplendi, quod deerat ad commutationem æqualem, vt tradit Thom. Sanc. *lib. 4. de voto, c. 51. num. 8.*

18. *Quid si sit certum pœnitentiam esse minorem?* Dubium est, an si Sacerdos prudenter existimet, pœnitentiam æqualem esse ieiunium triplex, & illam imponat, liberetur pœnitens ab omni reatu pœnæ per illam pœnitentiam, licèt reuerà non fuerit æqualis; Affirmant plures, quos afferunt Suarez *vbi suprà, sect. 5. num. 2.* & Vasquez *quæst. 94. art. 2. dub. 6.* quia Sacerdos est Iudex arbitrarius: quare id, quod ipse prudenter iudicat, debet rarum haberi: si ergo eam pœnitentiam imponit, quam prudenter iudicat æqualem: iam absoluit virtute clauium à reatu totius pœnæ, quam

quam commutat in hanc satisfactionem, quam imponit. Et confirmari posset ex doctrina communiter recepta, quam sequitur Thom Sanchez *lib. 8. de matrim. disp. 7. num. 8.* quòd, scilicet, dispensatio facta à Pontifice in voto, vel iuramento, quando dispensans indicat prudenter, esse sufficientem causam ad dispensandum, valida sit, etiamsi reuerà causa non esset omninò sufficiens. Idem argumentum fieri potest ex concessione Indulgentiæ, ad cuius valorem licèt requiratur causa proportionata; si tamen talis causa prudenter existimetur subesse, licèt reuerà non sit, Indulgentia erit valida iuxta sententiam aliquorum, quam sequitur etiam Suarez *suprà, disp. 54. de Indulg. sect. 3. n. 11.* Ergo similiter remissio pœnæ, quæ per talem, vel tantam satisfactionem conceditur, valida erit, si prudenter existimetur æqualis, licèt reuerà non sit talis æqualitas.

19. Verior tamen videtur sententia negans, quam tenent Suarez, & Vasquez, *vbi suprà*. P. Coninch. *disp. 10. dub. 10. n. 90.* & alij Recentiores. Probatur primò: quia ad causandos alios effectus sacramentales non sufficit prudens existimatio Ministri; v.g. in absolutione non sufficit, quòd Sacerdos prudenter iudicet, pœnitentem esse dispositum; nec ad effectum Eucharistiæ sufficit, quòd prudenter aliquis existimet, se esse in gratia; & sic de aliis: ergo nec ad hunc effectum remissionis pœnæ sufficiet, quòd Sacerdos prudentet existimet, esse satisfactionem æqualem, si reuerà non sit. Dico autem, *æqualem*, non mathematicè, (non enim requiritur talis;) sed iuxta regulam, & dispositionem diuinam, qua Christus instituit, in hoc Sacramento tantam satisfactionem pœnitentis cum tali dispositione valere ad tollendum tantum reatum pœnæ temporalis.

20. Secundò probat Vasquez: quia non est credibile, relictum fuisse arbitrio Confessarij iudicium de æqualitate satisfactionis cum debito, vt ipse prudenter statuat, qualis debeat esse satisfactio æqualis. Ad hoc enim deberet scire, qua mensura puniantur peccata in Purgatorio, & quanta pœna correspondeat talibus peccatis, & qualis satisfactio sacramentalis huius vitæ correspondeat tantæ pœnæ Purgatorij: quæ omnia Sacerdos, quantumlibet doctus, prorsus ignorat. Deinde ignorat etiam, quem gradum dispositionis, & contritionis afferat pœnitens: vnde pendet etiam quantitas pœnæ, quam debet: nam, qui est magis contritus, minùs debet satisfactionis. Denique ignorat, quam dispositionem habeat; cùm tamen melior eius dispositio sit causa, vt minor satisfactio valeat ad tollendum ex opere operato maiorem pœnam. Non ergo potuit, nec debuit relinqui Sacerdotis arbitrio hoc iudicium, quod ipse nullo modo poterat prudenter ferre.

21. Dices, vt quid ergo in Tridentino *sess. 14. capite octauo* in memoriam reuocatur debitum Confessarij imponendi prudenter pro qualitate criminum salutares, & conuenientes satisfactiones, si non pertinet ad Sacerdotem iudicium de æqualitate pœnitentiæ? Respondet idem Vasquez *ibi, numero sexto.* Sacerdotem debere considerare qualitatem criminis, scandalum Ecclesiæ, exemplum, & terrorem aliorum, cautionem in futurum; vt iis consideratis, imponat pœnitentiam vtilem ad eos fines, quantùm pœnitentis fragilitas tulerit: in quem finem statutæ erant olim certæ pœnitentiæ pro certis peccatis: has enim circumstantias potest Sacerdos prudenter ponderare; non tamen posse ipsum iudicare de æqualitate satisfactionis cum pœna Purgatorij debita his peccatis ab hoc pœnitente, quam ipse prorsus ignorat.

22. Tertiò probare possumus: quia, si sufficeret iudicium prudens Sacerdotis de æqualitate satisfactionis cum debito pœnæ, ad extinguendum totum debitum; videtur etiam, quod sufficeret iudicium prudens Sacerdotis de conuenientia satisfactionis impositæ in his circumstantiis, vt extingueretur totum debitum, etiamsi sciret esse minorem. Itaque, si Sacerdos iustis de causis iudicat prudenter, non debere huic pœnitenti imponi pœnitentiam æqualem, propter infirmitatem, vel corporis, vel spiritus; illa satisfactio scienter minor imposita sufficeret ad extinguendum totum debitum. Sequela probatur: quia, quando reuerà est minor, & iudicatur æqualis; tunc defectus suppleri debet virtute Sacramenti, & clauium, quas Sacerdos prudenter applicat, dum imposita illa pœnitentia, absoluit pœnitentem; sed similiter, quando imposita minori pœnitentia, quam solam prudenter iudicat esse nunc imponendam, applicat claues Ecclesiæ, & eleuat illam pœnitentiam paruam, & conatur absoluere pœnitentem, quantùm potest: ergo supplet etiam totum defectum virtute Sacramenti, prudenter enim operatur, qui ab eo, qui non potest plùs soluere, exigit id, quod prudentia dictat esse exigendum, & reliqua condonat, & quidem Sacerdos non magis in priori casu iudicat, se condonare debitum pœnæ, si quod supereft, quàm in posteriori: in vtroque enim vtitur verbo, *absoluo*, quod significat absolutionem, & condonationem: ergo, si in secundo casu non soluit totum debitum; nec in primo dicendum est solui, nisi iuxta vires illius satisfactionis sacramentalis, & eleuatæ.

23. Quartò probari potest à priori, & simul redditur ratio differentiæ inter satisfactionem sacramentalem, & indulgentias, & dispensationem voti: quia, scilicet, Sacerdos in Sacramento per satisfactionem non remittit immediatæ debitum pœnæ; sed applicat partem Sacramenti, quæ ex se habet virtutem ad operandum illum effectum: sicut, quando offert Sacrificium pro aliquo, non remittit ei debitum pœnæ; sed applicat illi Sacrificium, quod de se habet ex diuina institutione talem virtutem; & quando baptizat adultum, non condonat immediatè pœnam debitam; sed mediatè, applicando illi Sacramentum, quod affert remissionem totius pœnæ; sic quando imponit pœnitentiam, non condonat immediatè illud debitum pœnæ; sed mediatè, applicando illi partem Sacramenti, seu faciendo, quòd illud ieiunium sit opus sacramentale, atque adeò habens efficaciam in ordine ad talem effectum. Non ergo est in arbitrio Sacerdotis, augere, vel temperare actiuitatem illius partis sacramentalis: ad ipsum enim solùm pertinet applicare causam, quæ de se ex Dei institutione habet talem, vel talem efficaciam.

24. *Differentia inter satisfactionem sacramẽtalem, Indulgentias, & dispensationem voti.*

Vnde constat ad exempla illa de voto, & Indulgentiis: nam in primis in illis Pontifex non applicat aliquam aliam causam, quæ ex se sit remissiua voti, vel pœnæ; sed ipsemet immediatè remittit: quia, licèt aliquando ad effectum. Indulgentiæ exigat aliquod opus pium, illud tamen solùm est conditio; qua posita Pontifex remittit tantum, vel tantum pœnæ debitæ: vnde non mirum, quòd ad eam distributionem acceperit potestatem Pontifex, tanquam dispensator, in quo requiritur solùm prudens distributio: nam ibi facultas data est ad dispensandum, & distribuendum immediatè: in nostro autem casu facultas est ad applicandum Sacramentum, quod ex se habet

habet talem virtutem. Adde, quòd alioquin sequerentur multi scrupuli quoad valorem dispensationum, si non sufficeret prudens dispensatio. Denique est aliud discrimen ex secunda ratione *suprà* adducta : quia, nimirum, potuit relinqui Pontifici iudicium prudens, & arbitrium circa sufficientiam causæ ad dispensandum, vel ad Indulgentiam : illa enim sufficientia non excedit cognitionem humanam ; sed potest facilè cognosci : non potuit autem relinqui nostro arbitrio iudicium circa æquàlitatem satisfactionis cum pœna debita ; quia hoc excedit nostram cognitionem propter rationes ibi indicatas. Data ergo veritate illorum exemplorum, quam tamen plures negant ; adhuc non sequitur idem in nostro casu dicendum.

25. Hinc infero primò contra Sotum *dist.* 20. *q.* 2. *art.* 3 non habere minorem, vel maiorem virtutem ad compensandum pro maiori reatu pœnæ idem ieiunium, v. g. ex eo, quòd debitum pœnæ sit minus : nam ex se non habet tantam, vel tantam virtutem ad tollendam pœnam vnius hebdomadæ, v. g. quare, siue ille pœnitens debeat viginti hebdomadas, siue vnam solam ; illud ieiunium auferet debitum vnius hebdomadæ. Infero secundo contra eundem, licèt imposita sint tria ieiunia ; si tamen debebat pœnam solam vnius hebdomadæ, v. g. pro qua posset vnum ieiunium satisfacere ; satisfacturum etiam adæquatè posito primo ieiunio, antequam impleat totam pœnitentiam : nam causa necessaria, qualis est sacramentalis, vbi primum applicatur, operatur secundùm totam suam virtutem.

26. *Vtrùm ex meliori dispositione augeatur satisfactionis valor.* Secundò dubitari potest, vtrùm melior dispositio pœnitentis conferat ad hoc, vt idem ieiunium impositum à Confessario satisfaciat pro maiori debito pœnæ ? Respondetur, certum esse, quòd Sacramenta conferunt maiorem gratiam pro meliori dispositione, quam inueniunt, vt docet Trident *sess.* 6. *cap.* 2. Vnde idem videtur dicendum de hoc effectu remissionis pœnæ, cùm eadem sit ratio. Sed difficultas potest esse, an dispositio attendenda ad hunc effectum sit ea solùm, quam pœnitens habebat, quando absolutus fuit ; an ea etiam, quam habet postea, quando implet pœnitentiam, quo tempore fortasse est melius dispositus, & habet iam maiorem gratiam habitualem. Videtur enim, solam illam dispositionem attendi debere, quæ erat tempore suscepti Sacramenti : tunc enim prolata fuit forma, & positum fuit Sacramentum ; nunc autem solùm mandatur exequutioni sententia tunc prolata : non ergo debet attendi ad statum præsentem.

27. *An debeat attendi dispositio solùm præteriti.* Verisimilius tamen mihi est, conferre etiam meliorem dispositionem præsentem, & maiorem gratiam, quam nunc habet ; saltem, si sermo non sit de gratia, quam accepit per idemmet Sacramentum Pœnitentiæ ; sed aliundè. Ratio autem est : quia nunc perficitur Sacramentum, quoad hunc effectum : dispositio autem tota, quæ reperitur, tunc quando perficitur Sacramentum, attendi debet ad meliorem effectum sacramentalem recipiendum. Si enim aliquis, quando incipit ordinari, habet dispositionem, vt duo ; interim autem, dum forma profertur, augeatur dispositio, ita vt, quando absoluitur forma, habeat dispositionem, vt quatuor ; gratia sacramentalis videtur danda iuxta dispositionem præsentem, & non solùm iuxta præcedentem ; ergo similiter effectus satisfactionis dandus erit iuxta dispositionem præsentem meliorem : quia, licèt forma fuerit anteà prolata, materia tamen, quoad hanc partem, nunc applicatur : ergo nunc perficitur Sacramentum in ordine ad hunc effectum. Nec obstat sententiam fuisse anteà prolatam ; quia sententia illa non præscripsit tantam, vel tantam remissionem pœnæ ; sed obligauit ad talem satisfactionem, & eleuauit illam ad totum effectum, quem posset habere, quantuscumque is esset.

Tertiò dubitatur, an si satisfactio impleatur ante absolutionem, prout diximus fieri posse habeat suum effectum tunc ? Respondetur negatiuè : quia vel pœnitens est adhuc in statu peccati, & tunc certum est, non posse accipere remissionem illius pœnæ temporalis in illo statu : vel pœnitens est in statu gratiæ ; & tunc, si nondum sunt ei dimissa quoad culpam peccata venialia, quæ confitetur, non potest remitti eorum pœna ante absolutionem, quia pœna nunquam remittitur ante culpam. Denique si illa peccata sunt iam priùs remissa quoad culpam per aliam confessionem, vel per contritionem, &c. & adhuc restat debitum alicuius pœnæ pro illis, adhuc non potest satisfactio habere suum effectum ante absolutionem : quia in nullo Sacramento datur effectus antequam ponatur materia, & forma ; satisfactio autem secundùm se est solùm in materia, quæ debet eleuari per formam absolutionis ad suum effectum operandum : in forma enim, vt dixit Trid. *sess.* 14. *cap.* 3. præcipua vis, & efficacia huius Sacramenti sita est.

SECTIO III.

An pœnitentia impleri possit in statu peccati, & quem effectum tunc habeat, & quid, si absque intentione impleatur ?

DVbitatur, vtrùm satisfactio, quæ postea impletur in statum peccati, habeat aliquem effectum ? Priùs autem quæri potest, an possit licitè id fieri ? Negatiua sententia videtur esse Archidiaconi *de pœnis, dip.* 3. nam præcipitur, vt medicina, & ad satisfaciendum pro pœna : & tamen ad nihil horum conducit, quando impletur in peccato. Tribuitur etiam Alensi 4. *part. q.* 85. *membr.* 1. & videtur consentire ex parte Suarez *disp.* 38. *sess.* 7. *num.* 7. qui, licèt concedat, fieri satis præcepto Confessarij per illam pœnitentiam ; ex alio tamen capite dubitat, an sit licita, quatenus, scilicet, impeditur effectus sacramentalis per illam conferendus gratiæ habitualis, quam in eius sententia confert ex opere operato. Eamdem sententiam tenet Barbos. *in Collectam. Doctorum super Concilium Tridentinum, sess.* 13. *c.* 8. *n.* 6.

Verior, & communior sententia affirmat posse id absque peccato graui fieri. Ita Palud. *dist.* 15. *quæst.* 1. *art.* 3. *concl.* 3. Syluest. *verbo, Satisfactio q.* 27. Adrian. 4. *quæst.* 1. *de satisfact. ad principale*, Caietan. *opusc.* 6. *quæst.* 2. Soto *dist.* 19. *quæst.* 1. *art.* 4. *ad* 3. Palat. *dist.* 15. *quæst.* 4. & alij communiter, & videtur Sancti Thomæ *in addit. quæst.* 14. *artic.* 2. *ad* 3. Fundamentum præcipuum est : quia in aliis præceptis non est obligatio implendi ea in statu gratiæ ; sed sufficit ponere substantiam præcepti : nam finis legis non cadit sub præcepto : ergo & in hoc præcepto imposito à Confessario satis est ponere ieiunium, vel eleemosynam iniunctam, licèt non habeatur finis satisfaciendi. Confirmatur : quia alioquin, cui imponitur pœnitentia recitandi per totum annum singulis diebus Coronam ; deberet singulis diebus ponere se in statu gratiæ ad dicendam Coronam, quod est contra vsum omnium fidelium.

Dices, hoc præceptum non esse de ieiunio, sed de ieiunio, quod sit pars Sacramenti : non potest autem

autem esse pars Sacramenti, nisi sit satisfactorium: nam pars Sacramenti est satisfactio: nec potest esse satisfactorium, nisi fiat in gratia. Respondetur, ieiunium etiam in peccato esse partem Sacramenti, licèt non afferat illum fructum remissionis pœnæ: nam, vt sit pars Sacramenti, sufficit, quòd sit punitio voluntaria imposita à Iudice, ad puniendum peccatorem, qui effectus iam obtinetur per ieiunium, etiam in peccato positum, vt notat Vasquez *quæst. 94. artic. 2. dub. 5. num. 17.* Deinde, illud etiam ieiunium est satisfactorium: quia, sicut Sacramentum Eucharistiæ in peccato susceptum est de se collatiuum gratiæ, licèt propter obicem eam non conferat: sic ieiunium iniunctum à Confessario est Sacramentale, atque adeò de se est remissiuum pœnæ, licèt propter obicem effectum non causet. Denique illud idem ieiunium postea oblato obice operatur suum effectum, vt postea dicemus: ergo erat satisfactorium ex opere operato.

Ad argumentum Patris Suarez, desumptum ex eo, quòd ponitur obex effectui Sacramenti: Respondetur, satisfactionem non causare gratiam ex opere operato, vt *suprà* diximus quando impletur post absolutionem: sed solùm remissionem pœnæ: cui effectui apponere obicem non est peccatum graue: nam Sacrificium Missæ fortasse habet eumdem effectum, & tamen non est peccatum graue audire Missam in statu peccati.

32. *Pœnitentia imperfecta in statu peccati, siue relinquat effectum, siue non satisfaciat.*

Hinc infero primò, non esse admittendam limitationem aliquorum, qui dicunt, doctrinam traditam procedere de pœnitentia, quæ relinquit posteà effectum permanentem, qualis est maceratio carnis relicta ex ieiunio; non verò de pœnitentia, quæ nihil tale relinquit, vt recitatio Coronæ, &c. Ita Tabien. *verbo, Satisfactio, §. 9.* & Viguer. *cap. 16. §. 4. vers. 24.* Sed ex dictis constat; distinctionem hanc non esse necessariam: nam eadem ratio procedit in vtroque casu.

An sit saltem veniale.

Infero secundò, quid dicendum sit ad aliud dubium, an saltem sit peccatum veniale implere pœnitentiam in statu peccati. Nam P. Suarez *illo n. 7.* dicit, id videri clarum: quia recipitur pars Sacramenti indignè, & ponitur obex eius effectui. Quod etiam affirmat Soto *vbi suprà.* Non tamen inuenio sufficiens fundamentum ad id asserendum: nam illa pars Sacramenti non est collatiua gratiæ, vt diximus: ponere autem obicem effectui remissionis pœnæ, non arguit culpam venialem: alioquin etiam esset peccatum veniale audire Sacrum in statu peccati, aut adesse in peccato benedictioni Pontificis, quando conceduntur Indulgentiæ: quia ponitur obex simili effectui: quod tamen nemo concedet. Multò ergo minùs debet id dici in nostro casu, in quo illud detrimentum posteà resarcitur, cùm, ablato obice, habeatur totus ille effectus, vt dicemus, quod in auditione Missæ, & Indulgentiis non contingit. Praxis etiam fidelium hæc est: nam si alicui pro pœnitentia detur recitare singulis diebus Coronam, aut dicere orationem breuem, quoties iurat: nemo dicet esse peccatum veniale non constituere se in statu gratiæ, quoties dicit Coronam, vel illam orationem breuem, &c. Hanc itaque sententiam videtur tenere Petrus Soto *lect. 2. de satisfact.* dum absolutè dicit, quòd non peccat, & eandem tenent expressè alij docti Recentiores.

33. *Satisfactio peccaminosa pars Sacramenti.*

Infero tertiò, opus illud iniunctum, non solùm si fiat in peccato, esse partem Sacramenti: sed etiamsi fiat cum peccato: vt, si quis oraret, v. g. vel daret eleemosynam ob vanam gloriam, vel etiam ob finem mortalem. Hanc tenet Vasquez *vbi suprà,*

P. Ioan. de Lugo, de Pœnit.

n. 18. Et probatur: quia ad satisfaciendum aliis præceptis, sufficit etiam opus peccaminosum, vt per auditionem Missæ peccaminosam satisfit præcepto Ecclesiastico: ergo & ad satisfaciendum præcepto Confessarij sufficiet simile opus, atque adeò erit pars Sacramenti: nam opus iniunctum à Confessario eleuatur per claues, vt sit pars Sacramenti, sicut etiam matrimonium celebratum ob finem vanæ gloriæ, est verum Sacramentum, & confert gratiam, si non sit obex peccati mortalis.

34. *Quid, si fiat absque intentione?*

Inferunt quartò aliqui, si opus illud à Confessario impositum, recitatio, v. g. fiat postea absque intentione implendæ pœnitentiæ, imò cum intentione contraria, adhuc satisfieri. Ita Thomas Sanchez *lib. 1. in Decal. cap. 13. num. 17.* & alij. Vndè infert idem Sanchez *lib. 4. de voto, cap. 13. in fine*, si alicui Confessarius imposuit pro pœnitentia ieiunium, vel eleemosynam disiunctim, & ipse dederit eleemosynam cum intentione non implendi pœnitentiam per illam partem, sed ieiunandi postea, posse adhuc posteà non ieiunare: quia reuerà impleuit disiunctim, quod à Confessario impositum fuit, scilicet, ieiunare, vel dare eleemosynam.

35. Hæc illatio est contra Vasquez *tract. de benef. c. 4. §. 1. art. 3. dub. 7. n. 117.* & aliunde aliquam videtur habere difficultatem: quia, licèt ad satisfaciendum præceptis, & legibus sufficiat ponere opus præceptum, licèt non adsit intentio obseruandi legem; in hac tamen materia satisfactionis Sacramentalis videtur ex alio capite requiri intentio, est enim pars Sacramenti: omnia autem Sacramenta exigunt in adulto, vt validè recipiantur, intentionem, & voluntatem recipiendi, alioquin non recipitur validè Sacramentum, vt cum communi Theologorum diximus *disp. 9. de Sacramentis in genere, sect. 7.* Ergo, cùm satisfactio sit pars Sacramenti, non potest habere valorem in subiecto, non solùm non consentiente, sed dissentiente, & resistente positiuè per voluntatem contrariam, qua vult non recipere Sacramentum in illa actione.

36. Dices: Sufficit hunc hominem consensisse, quando acceptauit pœnitentiam à Confessario. Sed contrà: quia etiam, quando pœnitens confitetur, habet voluntatem recipiendi absolutionem, & tamen, si post confessionem, ante absolutionem, habeat voluntatem contrariam, & intentionem non recipiendi absolutionem, vel non recipiendi eam illa die: non erit valida absolutio: quia confertur inuito pœnitenti: ergo eodem modo non sufficit voluntas præterita ad valorem huius satisfactionis, si hîc, & nunc habet homo voluntatem contrariam, scilicet, qua vult non recipere in hac actione vllam partem Sacramenti.

37. Adhuc tamen probabile mihi videtur, non requiri intentionem in satisfactione, consequenter ad id, quod diximus *suprà disp. 14. sect. 4.* vbi diximus, non semper requiri intentionem in suscipiente Sacramentum eo tempore, quo fiunt omnia, quæ componunt Sacramentum: vnde dolor, qui est pars Sacramenti, potest haberi absque memoria præcedente recipiendi Sacramentum. Sic ergo dici potest de satisfactione: nam illa postea non fit à pœnitente, tanquam à ministro operante nomine Christi: sed solùm fit ex obligatione, & debito propter sententiam, & præceptum præcedens Confessarij: ad hoc autem vt fiat aliquid ex debito, & obligatione: non requiritur, quòd fiat ex animo satisfaciendi illi debito. Et quidem per hoc præcisè, quòd fiat opus impositum à Confessario nomine Christi, eleuatur illud opus ad effectum Sacramentalem causandum

per voluntatem Sacerdotis præcedentem. Quod confirmari potest : quia ille pœnitens verè satisfecit præcepto Confessarij : posuit enim ieiunium, quod præcepit illi Confessarius : ergo posuit totum opus præceptum : nam intentio non præcipitur : ergo postea non tenetur ad aliud ieiunium : ergo, etiamsi ponat aliud, illud non erit pars Sacramenti, non enim est satisfactio Sacramentalis, nisi quæ ponitur ex præcepto Sacerdotis, non quæ ponitur ex mera deuotione. Vnde iam ille homo non posset perficere Sacramentum illud, quod videtur absurdum.

38. *Satisfacit pœnitens, licèt nõ recordetur pœnitentiæ impositæ, implendo.*

Hinc infero à fortiori, quòd, licèt pœnitens in hoc ieiunio non recordetur pœnitentiæ impositæ: adhuc satisfaciet ieiunando ex deuotione, ex vi intentionis præteritæ non reuocatæ, quæ est intentio quædam habitualis: minùs enim requiritur in suscipiente, quàm in ministrante Sacramentum : quare, licèt in ministro non sufficiat voluntas merè habitualis ; sed requiratur actualis, vel saltem virtualis, qua hic, & nunc operetur ex illo fine, & ex illa intentione ; in suscipiente tamen Sacramentum hoc non requiritur, & ideò potest recipere Baptismum validè aliquis dormiens, vel amens, ex vi voluntatis præteritæ. Sic ergo sufficiet talis voluntas præterita non reuocata, vt recipiatur validè satisfactio Sacramentalis, etiamsi daretur non satisfacere, quando est reuocata per contrariam intentionem.

39. *An si fiat in peccato, prosit tunc, vel postea.*

Restat ergo dubium principale *suprà* propositum, an satisfactio in statu peccati exhibita, habeat aliquem effectum ex opere operato ? Prima sententia docet, nullum prorsus habere effectum ; sed esse sicut opera bona facta in peccato, quæ sunt omninò mortua. Sic Dominicus Soto, Adrian. Ledesma, quos affert Vasquez *in præsenti, illo dub 5. n.6.* Turrianus *de pœnit. disp.38. dub.3.* qui alios affert. Secunda sententia dicit, habere suum effectum statim, non obstante statu peccati. Ita Marsilius, Medina, & alij, quos affert, & sequitur Vasquez : quia remissio pœnæ non requirit infusionem gratiæ : potest ergo Sacramentum hoc operari, etiam in peccatore ; si tamen peccata illa, quorum pœna tollitur, fuerint iam priùs remissa quoad culpam, vt contingit in eo, qui benè confessus est sua peccata, & postea ante impletam pœnitentiam peccat mortaliter.

Denique tertia sententia media distinguit inter satisfactionem quæ relinquit effectum permanentem, qualis est eleemosyna, ieiunium, &c. & eam, quæ nullum relinquit, vt oratio. De illa priori dicit habere effectum suum posteà, quando tollitur obex : de hac verò posteriori negat. Ita Palud. Antonin. Syluester, quos affert Suarez *dist.38. sect.8. num.4.*

40. Communior & probabilior sententia docet, satisfactionem Sacramentalem in statu peccati non habere tunc suum effectum ; sed postea recedente obice. Hanc tenent Caiet. Petrus de Soto, Victor. Nauarrus, quos refert, & sequitur Suarez *vbi suprà, num 5.* Palat. *distinct.15. quæst.4. concluſ. 5.* Coninch *disput. 10. dub. 11.* Fagundez Petrus Fay, & alij, quos affert, & sequitur Diana *tom.2. tract. 4. de Sacramentis, resol. 85.* & Recentiores communiter. Prima pars conclusionis probatur : quia, si ille effectus tribuitur semel homini existenti in peccato, idem videtur dicendum de simili effectu proueniente in multorum sententia, ex opere operato, etiam ex Missæ Sacrificio : cur enim peccator audiens Missam non poterit tunc obtinere remissionem pœnæ illius peccati, quod iam priùs dimissum fuerat quoad culpam ? hoc autem nemo concedit, vt fatetur ipse Vasquez *3. tom. in 3. part. disp.231. cap.7. num.43. & seqq.* vbi id probat ex eo, quòd nullus existens immortali potest luere pœnam temporalem debitam suis peccatis in hac vita, aut in alia, per vllam satisfactionem, aut satispassionem. *Hinc enim* (inquit) *rectè videtur sequi, Christum non instituisse hoc Sacramentum pro remittenda pœna temporali eorum, qui in statu peccati mortalis sunt ; quamuis nihil obstare potuerit ; quominùs, si voluisset, ita illud instituisset.* Quæ illatio eodem prorsus modo videtur procedere in nostro casu. Item, adduci potest exemplum Indulgentiæ, cuius fructus remissionis pœnæ non prodest existenti in peccato mortali ; vt constat ; licèt ad illum participandum non requiratur noua infusio ; vel augmentum gratiæ. Ratio autem vniuersalis eadem est : quia, dum aliquis est actu inimicus Dei, & reus æternæ pœnæ, non est subiectum aptum, cui remittatur aliqua pœna : præsertim, cùm secundùm præsentem iustitiam quælibet pœna correspondens etiam culpæ mortali, vel veniali remissæ, debeat esse æterna, vt suppono ex veriori sententia, & admittit ipse Vasquez : ergo non potest telli per illa remedia, quæ solùm ordinantur ad tollendum debitum pœnæ temporalis.

Secunda verò pars conclusionis, quòd, scilicet, ablato obice, satisfactio operetur suum effectum, probari potest, etiam verisimiliter, ab exemplo eiusdem Sacramenti Pœnitentiæ, de quo diximus *suprà* cum communiori sententia, habere suum effectum, etiam in ordine ad gratiam conferendam posteà ablato obice, quando susceptum fuit validum, & informe: vnde credibile est, satisfactionem, etiam, quæ est pars eiusdem Sacramenti, habere eandem virtutem.

Dices, imò probari potest ab aliis exemplis, non dari posteà talem effectum : nam Sacrificium Missæ, vel Indulgentia in statu peccati non causant suum effectum, nec etiam posteà ablato obice : quod idem contingit in Sacramento Eucharistiæ : qui enim illud suscipit in peccato, non percipiet eius fructum postea, quando aufert obicem : ergo idem dicendum est de satisfactione Sacramentali. Respondetur, ideò oppositam sententiam esse etiam probabilem : hæc tamen videtur probabilior : quia magis ad rem videtur esse exemplum petitum ab absolutione à culpa : nam, sicut Sacerdos absoluit à culpa : sic etiam mediante satisfactione Sacramentali condonat pœnam : ergo, sicut absolutio à culpa operatur postea suum effectum, ablato obice : sic dicendum videtur de condonatione pœnæ, quæ ab eâdem potestate procedit. Et confirmari potest : quia, si post absolutionem validam, & informem impleatur pœnitentia imposita, posteà ablato obice non solùm Sacramentum confert gratiam : sed operabitur remissionem pœnæ : cur enim minùs vna pars Sacramenti præteriti operabitur, quàm alia ? Ergo eodem modo pœnitentia impleta in statu peccati post absolutionem validam, & formatam, habebit effectum suum, ablato obice : eadem enim videtur esse ratio, cùm eandem habeat efficaciam consopitam in vtroque casu.

Fatemur ergo, non omnia Sacramenta, aut omnia media, quæ impediuntur peccato præsenti, operari posteà suum effectum, quando aufertur obex. Cæterùm, aliqua sunt, quæ habent eam virtutem, vt constat in Sacramento Baptismi, quod, recedente fictione, operatur effectum gratiæ ; & remissionis pœnæ. Ratio autem differentiæ huius videtur

videtur esse, quòd aliqua sunt, quæ ex sua institutione habent frequentiam, & reiterationem, in quibus, etiamsi nunc impediatur effectus, non multùm refert, quia postea repetito illo remedio habebitur idem effectus. Tale est Sacramentum Eucharistiæ, quod, cùm sit panis quotidianus, ex sua institutione videtur afferre recuperationem suorum effectuum, cùm repetendum sit frequenter ipsum Sacramentum. Similiter dicendum est de Sacrificio Missæ in ordine ad suum effectum, & aliis similibus. Alia verò sunt, quæ, si semel careant effectu, videtur iam defraudari intentio, quam habuit Christus subueniendi infirmitati humanæ per hæc media. Nam Baptismus, v. g. non potest iterum repeti: quare careret homo per totam vitam illo beneficio, & auxiliis consequentibus gratiam baptismalem. Peccatum etiam originale, & alia peccata commissa ante Baptismum, non remitterentur per Sacramentum vllum in re, nec in voto; cùm tamen Christus voluerit, omnia peccata mortalia remitti de facto per Baptismum, vel pœnitentiam in re, vel in voto. Ideò oportuit Baptismi efficaciam manere suspensam, vt operetur postea, ablato obice, & homo fruatur semel saltem in vita illo Iubileo plenissimo per Sacramentum Baptismi: sicut solet Papa aliquando concedere Iubileum plenissimum omnibus fidelibus, ita vt si quis itinere, vel alio impedimento nunc detineatur; suspendatur gratia in tempus futurum, quò ablato illo obice, possit frui semel illa Indulgentia Pontificis. Sic etiam credibile est, Sacramentum Confirmationis in peccato susceptum, postea ablato obice operari suum effectum, ne homo careat per totam vitam effectu peculiari, & proprio illius Sacramenti: quod propter eandem rationem dicendũ videtur de Sacramento Ordinis, Matrimonij, imò & Extremæ-Vnctionis, quod in eadem infirmitate reiterari non potest, atque adeò maneret ægrotus absque effectu peculiari illius Sacramenti, quo maximè indiget in periculo. 44. Hæc ratio videtur cum proportione procedere in Sacramento Pœnitentiæ: nam, licèt hoc reiterari possit super eisdem peccatis ad maiorem securitatem, & magis perfectam remissionem: per se tamen, & ex sua institutione non affert hanc obligationem, nec postulat reiterationem: sed solùm videtur postulare, quòd semel afferantur peccata ad Ecclesiæ iudicium, & semel proferatur sententia: semel autem iudicio habito, & validè prolata sententia non petit ex sua institutione reiterationem: quare, si sententia illa posteà non haberet suum effectum, sequeretur inconueniens, quòd peccata illa non remitterentur per se Sacramentum Pœnitentiæ, sed per contritionem, aut per aliud Sacramentum, per accidens: oportuit ergo, quòd efficacia etiam huius Sacramenti maneret suspensa: quòd si hoc de efficacia conceditur ad tollendam culpam: concedendum etiam videtur de efficacia ad tollendam pœnam, quæ connexa est cum illa alia: nec enim magis per se est reiterabile hoc Sacramentum in ordine ad pœnam, quàm in ordine ad culpam, atque adeò careret homo illo effectu in ordine ad hæc peccata per medium huius Sacramenti.

45. Ad exemplum denique illud de Indulgentiis, dici potest in primis, eas esse reiterabiles ex sua institutione, sicut Sacrificium Missæ, & alia similia. Deinde concedimus, Indulgentiam etiam posse ita concedi à Pontifice, vt si homo tunc sit in peccato maneat eius effectus ad tempus futurum, quando primùm sit in gratia: quia Pontifex, subsistente causa, quocumque tempore potest applicare Indulgentiam: poterit ergo, sicut eam concedit hodie Petro visitanti hanc Ecclesiam, concedere eam Petro, tunc quando primùm fuerit in gratia: sic enim aliquando concedi solet Indulgentia pro articulo mortis, proferendo nomen IESV, ita tamen, vt si hic non sit vnus articulus mortis, reseruetur in verum articulum futurum: sic ergo posset concedi Indulgentia visitantibus hodie Ecclesiam, ita tamen, vt si hodie non sint in gratia, reseruetur in tempus, quo erunt in gratia. De facto tamen, an hoc modo concedantur, aliqui affirmant, vt Syluester *verbo, Indulgentiæ, q. 6. part. 3. & q. 10. part. 9.* Alij verò negant cum Nauarro *in §. In Leuit. notab. 31. n. 19.* quod videtur magis esse iuxta sensum fidelium, & iuxta intentionem Pontificis, qui, nisi aliud explicet, videtur, quòd velit nunc fideles frui illo priuilegio, quasi liberalitate, & munere præsenti.

Addit Pater Vasquez *num. 13.* opus satisfactionis Sacramentalis factum ob finem venialem, nullum habere effectum ex opere operato, nec tunc, nec postea: quia non habet talem effectum, nisi per modum satisfactionis: non est autem satisfactio, si non sit opus bonum, & placens Deo, mouénsque ipsum, saltem de congruo. Consequenter tamen ad supradicta concedendum videtur, illam etiam satisfactionem habere suum effectum in homine iusto, vel postea ablato obice: ad hoc enim non attenditur bonitas operis: sicut Baptismus, etiam qui sit malus venialiter ex parte baptizantis, & ex parte baptizati, adhuc ex opere operato satisfacit pro debito pœnæ temporalis: nec enim attenditur ad bonitatem operis, sed ad Sanguinem Christi contentum in Sacramentis. Ad hoc autem, quòd appelletur satisfactio, sufficit, quòd opus ipsum secundùm se sit pœnale, & per illud possit pœnitens puniri: hoc enim satis est, vt sit pars Sacramenti, vt constat, licèt opus hìc, & nunc non sit honestum. 46.

SECTIO IV.

Quomodo, & qualem satisfactionem debeat Sacerdos imponere.

47. *An sit semper obligatio imponendi pœnitentiam.*

DVbitatur primò, an Confessarius semper sub peccato mortali debeat pœnitentiam imponere. Constat, excipi aliquos casus. Primus est, quando pœnitens est impotens, vt si sit morti proximus, maximè si caret iam sensibus, & non potest pœnitentiam impositam percipere. Addunt tamen aliqui, si infirmus habeat sensus, exponendum illi esse, quam pœnitentiam mereatur, & imponendum, vt si conualuerit, eam impleat: quo sensu intelligunt textum *in cap. Ab infirmis, 26. quæst. 7. Si conualuerit, impositum sibi à Sacerdote pœnitentiæ modum diligenter obseruet.* Quæ verba non possunt benè intelligi de pœnitentia, quæ postea imponatur, cùm iam non liceat Sacerdoti loqui de peccatis illis cum pœnitente. Addunt etiam aliqui, debere imponi aliquam pœnitentiam præsentem, saltem paruam, quam etiam in illo articulo potest explere. Denique, si infirmus potest satisfacere per eleemosynas: hæ sunt illi iniungendæ in pœnitentiam.

Secundus casus est, quando Confessarius ex confessione, & aliis circumstantiis intelligit, pœnitentem integrè satisfeciisse pro pœna debita: & licèt rarò, vel nunquam possit hoc constare: addit tamen Petrus de Soto *lect. vlt. de satisfact.* sufficere, quòd probabiliter videatur satisfeciisse: Tertius casus huic similis est, quem alij addunt

quando absque satisfactione instat perfectæ remissionis remedium : v. g. si instet martyrium subeundum: quod alij extendunt ad Indulgentiam plenam lucrandam, saltem quæ sit moraliter certa. Quartus casus est, quando pœnitens ob suam fragilitatem nullam credatur acceptaturus pœnitentiam : alioquando enim oportebit condescendere eius imbecillitati ad vitanda graviora mala: nunquam tamen continget, quòd aliquam, leuem saltem, pœnitentiam non sit acceptaturus.

49. *An ex ciuitate possit non esse vsi gratia hæc grauis.*

Extra hos casus dicunt aliqui, semper teneri sub culpa graui Confessarium ad imponendam pœnitentiam, ne relinquat Sacramentum mutilum, & imperfectum absque hac eius parte; quod videtur supponi in Tridentino *sess.24. c.8.* Ita indicare videtur Suarez *disp.38. sect.1. in principio*, & clariùs Reginaldus, *in praxi, tom.1 lib.7 n.12.* Sed veriùs existimo, licèt hæc obligatio sit ex genere suo grauis; possetamen aliquando ex paruitate materiæ peccari solùm venialiter contra ipsam: vt, si pœnitentia leuis deberet imponi ob peccata aliqua venialia, vel sæpè iam confessa: tunc enim non credo, Sacerdotem peccare mortaliter, si secluso contemptu, non imponat

Henriq. vllam pœnitentiam. Hanc sententiam indicat Henriquez *lib.5. de Sacr. c.20. n.6.* dum ait: *Extra hos casus sub mortali tenetur Confessarius in re graui iniungere aliquam pœnitentiam de præcepto*: nam illa particula, *in re graui*, excludit similem obligationem, quando res est leuis. Clariùs eam tenet Petrus de Ochagania *de Sacr. tract. vlt. de Sacr. pœnit. q.8. num.7.*

50. Probatur primò, retorquendo argumentum: quia, si obligatio hæc grauis esset, propter integritatem Sacramenti, sequeretur, ipsum pœnitentem teneri etiam sub peccato mortali ad implendam pœnitentiam, etiam leuissimam, sibi impositam, ne Sacramentum maneret imperfectum: tam enim requiritur ad integritatem Sacramenti satisfactio re ipsa posita in exequutione, quàm præceptum, seu impositio pœnitentiæ. Consequens autem est falsum, & ab omnibus negatur: ergo & Antecedens.

Secundò probatur: quia inter casus, quibus Confessarius excusatur ab imponenda pœnitentia numerari solet, quando scrupulosus sæpè intra horam redit cum nouis peccatis, vt sæpè absoluatur: quem casum admittit etiam Henriquez *vbi suprà*: tunc autem etiam maneret Sacramentum imperfectum absque illa parte integranti: ergo illa ratio non probat obligationem grauem imponendi semper pœnitentiam.

51. Tertiò, quia Bonifacius VIII. vt refert Gloss*a in Extrauaganti, Antiquorum, de pœnitentiis, & remissionibus*, reprehendebat Confessarios, qui anno Iubilei imponebant alias pœnitentias: ergo non curabat, quòd Sacramento deesset illa pars integralis. Eodem modo, si infirmo moribundo imponatur pœnitentia solùm implenda, si conualuerit; non videtur Sacerdos peccare mortaliter, & tamen tunc exponitur periculo euidenti Sacramentum, ne compleatur: nam per pœnitentiam solùm impositam, & non exhibitam, non completur Sacramentum: ergo deberet sub mortali imponere aliquam pœnitentiam præsentem propter integritatem Sacramenti.

52. Ratio denique à priori est: quia hæc pars solùm requiritur ad integritatem Sacramenti: eo modo, quo punitio requiritur ad complementum iudicij humani: hinc enim fit, quòd sicut in iudicio humano non manet iudicium imperfectum ex defectu punitionis, quando reus non iudicatur pœna dignus, sic neque hoc iudicium, & Sacramentum manet imperfectum ex defectu punitionis, & satisfactionis, quando pœnitens non iudicatur dignus pœna. Ex hoc autem rursus sequitur, quòd sicut in iudicio humano non peccat grauiter Iudex non imponendo aliquam pœnam parui momenti, qua reus erat dignus; sic nec in hoc Sacramento Iudex grauiter peccet non imponendo pœnitentiam leuem, quam posset imponere: nam per hoc non deest muneri suo in re graui: sed in complemento quodam leuis momenti, quod deficit Sacramento ob eius culpam.

Dubitatur secundò, vtrùm Confessarius possit imponere pœnitentiam absque præcepto, & obligatione: sed solùm liberè, & de consilio implendam? Prima sententia affirmat, quam docent plures, quos refert & sequitur Suarez *disp.38. sect.4. n.*, Fagundez *lib. de secundo Eccles. præcept. cap.3. n.11.* Filliucius, & alij, quos affert, & sequitur Diana, *tom.2. tract.4. de Sacr. resol.85.* Secunda sententia dicit, non posse totam pœnitentiam sic imponi, posse tamen partem sub præcepto, & partem de consilio, & vtramque esse Sacramentalem. Hanc sequitur Henriquez *lib.5. de Sacr. c.20. §.6. & c.21. §.5.* cum aliis, quos ibi affert. 53. *An possit imponi pœnitentia sine illa gratiæ.*

Tertia sententia verior negat, posse à Confessario imponi pœnitentiam eo modo, sed solùm per modum præcepti. Hanc tenet cum aliis P. Vasq. *q.94. art.2. dub.1. n.9.* P. Coninch. *disp.10. dub.10. n.64.* Turrianus, *de pœnit. disp.35. dub.2.* & alij. Probatur ex Trid. *illo c.8.* postquam dictum est, debere Sacerdotem pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate salutares, & conuenientes satisfactiones iniungere ad punienda peccata. Adiungitur ratio: 54. *Quia, scilicet, claues Sacerdotum non ad soluendum duntaxat; sed & ad ligandum concessas, etiam antiqui Patres, & credunt, & docent.* In quibus verbis supponitur, potestatem iniungendi pœnitentiam oriri ex potestate clauium ad ligandum, sed pœnitentia imposita per modum consilij non ligat pœnitentem, vt constat: manet enim liber, sicut anteà: ergo illa non oritur ex potestate iudiciaria. Ratio autem: quia Sacerdos imponit pœnitentiam, tanquam Iudex vt puniat pœnitentem: Iudex autem non punit, nisi per coërcitiuam, qui obligat reum ad subeundam pœnam: imò nec dicetur propriè pœnitentia iniuncta à Sacerdote, quæ sub obligatione non imponitur: nam, qui pollicetur præmium aliquid facientibus, non dicitur opus illud iniungere: nec Pontifex concedens Indulgentiam visitantibus talem Ecclesiam, dicitur ligare homines ad illud opus: pœnitentia ergo in arbitrium, & libertatem pœnitentis relicta non est ex clauibus, nec Sacramentalis. Conc. Tri

55. Obiiciunt primò, quia concessa Indulgentia Pontifex eleuat illud opus per virtutem clauium, vt licèt sit libetum, afferat remissionem pœnæ: ergo poterit etiam Sacerdos absque præcepto eleuare opera pœnitentis, vt sint satisfactoria: nam concessio etiam Indulgentiæ est actus iurisdictionis, licèt non sit præceptum obligans. Respondetur, concessionem Indulgentiæ procedere ex potestate soluendi: at verò impositionem satisfactionis Sacramentalis procedere ex potestate ligandi, vt docet Tridentinum, nec enim vnquam in Ecclesia Sacerdotes agnouerunt in se potestatem relaxandi pœnas aliter, quàm imponendo pœnitentias, quibus, vt Iudices, punirent peccata, nec agnouerunt duos modos diuersos imponendi pœnitentias, quare, vel negandum erit, eos vnquam obligare pœnitentes, quod dici non potest, vel fatendum est, semper ligare, quoties pœnitentiam imponunt.

Respondet Suarez *illo n.3.* ligare etiam tunc Sacerdotem, quatenus, scilicet, necessitatem imponit non simpliciter, sed implendi pœnitentiam ad hunc finem

finem consequendi remissionem pœnæ ex opere operato. Sed certè, si hoc est, ligare, etiam ligat Papa, dum concedit Indulgentias; etiam ligat, dum concedit priuilegia, aut dispensat cum Religiosis: quod tamen in nullo sensu concedi potest.

56. Secundò obiiciunt verba illa Sacerdotis, quæ post absolutionem adiungit: *Quidquid boni feceris & mali sustinueris, sit tibi in remissionem peccatorũ*, quibus verbis videtur eleuare omnia opera pœnitentis ad fructum ex opere operato. Respondeo, si hoc esset, eleuarentur etiam ad eum effectum merita B. Virginis, & omnium Sanctorum, & Sanctarum, quorum ibi etiam fit mentio. Quare debemus fateri, illam esse meram deprecationem, sicut & verba præcedentia: *Misereatur tui*, &c. Et quidem ex se videtur esse parum credibile, quòd per illa verba generalia, omnia opera pœnitentis maneant Sacramentalia. Quam absurditatem vt vitaret Suarez *sect. 6. in fine*, aduertit, illam virtutem extendi solùm ad satisfaciendum pro peccatis in illa confessione confessis: quia de illis tantum fertur iudicium, atque adeò postquam illa fuerint plenè remissa, ille effectus cessabit. Sed hæc limitatio adhuc non tollit omninò difficultatem: quia, licèt postea ex defectu indulgentiæ illa opera vlteriora non causent remissionem pœnæ; adhuc verè sunt pars Sacramenti: sicut si alicui, qui nullam pœnam debet, imponatur vnum ieiunium, verè illud erit pars Sacramenti pœnitentiæ.

57. Vnde non videtur probabilis doctrina aliquorum, quos affert Diana *2. tom. tract. 4. de Sacram. resol. 97.* qui excusant à peccato Confessarios, leues pœnitentias imponentes pro grauissimis peccatis, quando addunt in fine verba illa: *Quidquid boni feceris*, &c. Certè, si hæc doctrina vera esset, frustra Conc. Trid. Tridentinum grauissima illa verba vsurpasset *sess. 14. c. 8.* ad deterrendos Confessarios: *Debent ergo Sacerdotes Domini, quantùm spiritus, & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, salutares, & conuenientes satisfactiones iniungere, ne si forte peccatis conniuent, & indulgentius cum pœnitentibus agant, leuissima quædam opera pro grauissimis delictis iniungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur.* Certè hoc ingens periculum vno verbo addito vitatur, dicendo. *Quidquid boni feceris*, &c. Quem Sacerdotum vsum proferendi illa verba Concilium non ignorabat: non ergo videtur in praxi vllo modo admittenda illatio illa.

58. Tertiò obiiciunt: quia Prælatus aliqua præcipit non obligans sub culpa; sic enim per Regulas volunt aliquando obligare ad pœnam, & non ad culpam: ergo Confessarius etiam potest imponere pœnam de consilio, & non de præcepto. Respondetur, quidquid sit de antecedenti, quod fortasse in rigore non est verum: in hoc casu non posse excogitari illam distinctionem: quia, si Confessarius non obligat ad culpam, non obligat etiam ad pœnam: non enim imponit aliam pœnam, si pœnitentia non impleatur.

59. *Confessarius non potest grauem pœnitentiam imponere sub veniali.* Hinc inferunt aliqui; licèt Prælatus fortasse possit rem grauem præcipere sub veniali: non tamen posse Confessarium grauem pœnitentiam imponere sub veniali: quia non obligat in persona sua; sed gerens personam Dei, & iuxta institutionem Sacramenti, cuius vim ipse Minister temperare non potest. Quæ illatio confirmari potest ex Sacramento matrimonij, in quo non fieret proculdubio Sacramentum, si contrahentes vellent se obligare solùm sub veniali: nam institutio Sacramenti exigit obligationem grauem, iuxta capacitatem materiæ: sic ergo institutio huius iudicij videtur exigere obligationem grauem, iuxta capacitatem materiæ,

ita vt sententia obliget reum, sicut in iudiciis humanis, scilicet, iuxta grauitatem, vel leuitatem materiæ, de qua agitur.

60. *An debeat imponi æqualis.* Dubitatur tertiò, vtrum Sacerdos debeat imponere pœnitentiam æqualem! Respondetur per se loquendo, debere. Itaque, si Sacerdos sciret, quantam pœnam debeat pœnitens in Purgatorio, & qualis pœnitentia in hac vita illi pœnæ æquiualeat, illam deberet, per se loquendo, imponere. Quia tamen impossibile est hoc scire, arbitrari debet prudenter: in quo arbitrio obseruanda sunt verba Trident. *illo* Conc. Trid. *c. 8.* proximè allata, quibus statim addit: *Habeant autem præ oculis, vt satisfactio, quam imponunt, non sit tantùm ad nouæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum; sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam, & castigationem.* Ex quibus verbis colligitur primò, hanc esse materiam obligationis grauis ex genere suo respectu Confessarij. Secundò, relinqui mensuram pœnitentiæ arbitrio, & prudentiæ Confessarij. Olim quidem erant definitæ certæ pœnitentiæ pro certis peccatis, quæ habentur *in fine Decreti*, de quibus est quæstio, an fuerint solùm pro foro externo, an etiam pro interno. Certum est tamen iam non obseruari: sed totum hoc relinqui prudentiæ Confessarij. Tertiò colligitur: in hoc iudicio attendendum etiam esse ad vires pœnitentis, & eius facultatem: nec enim pauperi imponendæ sunt eleemosynæ magnæ, nec infirmo ieiunia, & sic de aliis. Quartò, debet esse salutaris, & conueniens, hoc est, primo loco attendi debet ad vtilitatem spiritualem pœnitentis, ne scilicet, laquei ipsi iniiciantur, vt noua peccata committat. Ex hoc potissimùm capite excusari potest hodierna praxis, qua leues pœnitentiæ imponuntur pro grauissimis peccatis: id enim sæpè fit propter spiritualem infirmitatem pœnitentium, qui grauioribus pœnitentiis scandalizabuntur, & vel confessionem fugient, vel certè Confessarios ineptos adibunt, qui eos curare nesciant. Denique in dubio inclinandum est in partem benigniorem, in qua est minus periculi: quàm in oppositam: monendi tamen sunt pœnitentes de insufficientia satisfactionis iniunctæ, & consulendus est illis vsus Indulgentiarum, & aliquando imponendus, vt ea ratione suppleatur defectus propriæ satisfactionis.

61. *Quæ opera possint imponi.* Dubitatur quartò, quæ opera possint imponi? Respondetur opera satisfactionis communiter solere distingui in ieiunium, eleemosynam, & orationem, quæ diuisio approbatur etiam in Catechismo Romano. Sed intelligenda est per reductionem quamdam latam, non strictam: nam omnes afflictiones corporis reducuntur ad ieiunium: opera verò misericordiæ ad eleemosynam, & denique ea, quæ spectant ad cultum Dei reducuntur ad orationem. Syluester *verb. Satisfactio, q. 8.* notat, ex his optimam esse eleemosynam, deinde orationem & postea ieiunium. Soto *distinct. 9. quæst. 2. art. 3.* dicit esse optimum consilium imponere pro pœnitentia eleemosynam, in qua etiam oratio videtur contineri: quia pauperes excitantur ad orandum pro suo benefactore. Catechismus Romanus, *in fine, de satisfact.* præcipuè dicit imponendam orationem pro defunctis, in qua includitur eleemosyna acceptissima, & illi rursus pro pœnitente orabunt.

62. *An opera pro defunctis.* Contra hoc tamen videtur esse, quòd oratio, vel alia opera facta pro defunctis non proderunt pœnitenti ad satisfaciendum pro seipso, cùm applicet satisfactionem suam defunctis, eo ipso, quòd pro illis offert illa opera: ergo non potest imponi pro satisfactione Sacramentali aliquid faciendum pro

defunctis: quod propter hoc fundamentum docent Vega *in Summa, tom.2.c.64.cas.4.* & Ioan. Sancius *in Selectis, dis.15. n.1.* Contrarium tamen docet Turrianus *de pœnit.37.dub.4 & in selectis,centur.3. Theologica,dub.1.* vbi oppositam sententiam dicit esse parùm probabilem. Et quidem negari non potest, quòd hoc sit magis iuxta sensum fidelium, & praxim Confessariorum, quæ non est facilè damnanda: potest autem id tribus modis fieri. Primò, præcipiendo pœnitenti,vt impetrationem illius operis applicet pro defuncto:quo casu potest simul satisfacere pro seipso. Secundò potest Confessarius imponere poro pœnitentia, quòd pœnitens applicet ieiunium pro defuncto,quo casu,licet ieiunij satisfactio applicetur defuncto:satisfactio tamen illius voluntatis bonæ,qua pœnitens posteà vult applicare ieiunium pro defuncto, non acquiritur defuncto; sed ipsimet pœnitenti: nam voluntas illa non offert seipsam pro defuncto:sed actus sequentes,quos habet pro obiecto: quare potest Confessarius contentus esse, quòd pœnitenti acquiratur satisfactio, quæ resultat ex voluntate efficaci ieiunandi pro defuncto.

63. Tertiò, & magis vniuersaliter dici potest, non esse necessarium, quòd satisfactio operis impositi, quam habet ex opere operantis,maneat apud ipsum pœnitentem, neque quòd id intendat Confessarius, aut id præcipiat. Quod potest probari. Primò, quia pœnitens non tenetur illud opus exequi in statu gratiæ: sed sufficit, si in statu peccati impleat pœnitentiam impositam, quo casu per illud opus non satisfacit vllo modo ex opere operantis: & licèt posteà ablato obice ponatur effectus ex opere operato illius satisfactionis Sacramentalis vt *suprà* diximus:non tamen ponitur effectus,quem debuisset habere ex opere operantis: ergo Confessarius non obligauit ad illum effectum, nec illum intendit.

64. Secundò potest probari hoc ipsum exemplo Indulgentiæ, ad cuius consequutionem potest Pontifex exigere opus aliquod factum pro defunctis, & concedere Indulgentiam ei, qui ieiunat, vel orat pro defunctis: quo casu illud opus, quoad satisfactionem, ex opere operantis applicatur defuncto: retinet tamen satisfactionem ex opere operato pro ipsomet operante. Cur ergo Confessarius non poterit hoc ipsum facere?Tertiò probari potest exemplo martyrij, in quo Martyr posset applicare satisfactionem illius passionis ex opere operantis pro aliquo viuo, vel defuncto: sicut potest applicare satisfactionem aliorum operum suorum: & tamen passio illa habebit apud Martyrem, quasi ex opere operato, expiationem totius pœnæ propter martyrij priuilegium. Poterit ergo similiter opus à Confessario impositum afferre pœnitenti effectum suum remissionis pœnæ ex opere operato, licèt satisfactio ex opere operantis applicetur defuncto. Vnde non apparet, cur Confessarius non possit diuidere illos duos effectus: nam, licèt imponat illam pœnam ad puniendum pœnitentem: hoc tamen re ipsa consequitur, cùm non minùs puniatur pœnitens, quando pro defuncto ieiunat: vel dat eleemosynam: imò magis: cùm non solùm se priuet cibo vel pecunia: sed etiam se priuet satisfactione sibi correspondente ex opere operantis!

65. *An abstinere ab Eucharistia.* Dubitari etiam potest, an possit Confessarius imponere in pœnitentiam, quòd abstineat pœnitens à Communione aliquot diebus: de quo controuersia fuit annis præteritis, quibusdam id negantibus, quòd latè defendit Ioan. Sancius *in selectis, disp.33. per totam,* vbi multa congerit: quibusdam verò affirmantibus: quos defendit Pater Ferdinandus de Salazar *tract. de frequent. Communionis, cap.14.§.1.* Ex iis autem, quæ diximus *disput. 17. de Eucharist.* facilè respondere possumus: ostendimus enim, frequentem vsum Communionis non esse rem ita determinatè bonam, vt non possit aliquando, & in aliquibus circumstantiis melius esse abstinere, quàm accedere, etiamsi non sit conscientia peccati mortalis. Quod auctoritate, ratione,& exemplis latè probauimus.Cùm ergo Confessarius possit præcipere opera honesta, & virtutum, in pœnitentiam: non videtur dubium in genere, & de possibili loquendo, quòd possit aliquando præcipere pœnitenti, vt abstineat à Communione tali die: quando, scilicet, constat, melius esse tunc abstinere, quàm accedere, quod ex statu pœnitentis, & defectu reuerentiæ, & dispositionis colligi prudenter potest. Dum tamen illa omissio Communionis non sit occasio aliis iudicandi, quòd à Confessario fuerit in pœnitentiam imposita, ne fortè hac via cogeretur pœnitens suam Confessionem manifestare. Regulariter tamen non expedit talem pœnitentiam imponere, licèt in casu rarissimo negandum non sit, quòd possit vtiliter imponi.

Magis autem displicet, quod prædictus Sancius *disp.30.* notat, quòd sumptio Euchatistiæ, licèt possit in pœnitentiam imponi, quia est actus virtutis religionis: non tamen tenetur illam acceptare pœnitens: quia non potest obligari ad acceptandum opus, quod adimplendum sit in statu gratiæ. Quod quidem si prædictus Auctor generaliter docet, quòd pœnitens non teneatur ad accipiendam talem pœnitentiam,sed possit ad alium Confessarium recurrere, relicta confessione imperfecta; non ita displiceret: de hoc enim postea videbimus. Quòd autem dicat, id prouenire ratione talis operis, quod cùm exigit statum gratiæ ad sui exequutionem, videatur excedere Confessarij potestatem:hoc, inquam,omnino displicet:certum enim est, Ecclesiam posse præcipere Sacerdoti, vt aliquibus diebus celebret, aut audiat confessiones, vt ministret aliqua Sacramenta, quæ omnia fieri debent in statu gratiæ: quanto magis poterit Confessarius hæc præcipere, qui potest etiam actus internos in satisfactionem imponere, eò quòd eius potestas non arctetur ad limites fori externi: Adde nihil magis commune esse, quàm imponere pro pœnitentia frequentiam Confessionis menstruæ. v. g. cùm tamen certum sit, non posse Sacramentum etiam Pœnitentiæ suscipi nisi in statu gratiæ, saltem in vltimo instanti, quo completè suscipitur Sacramentum: cur ergo ad Sacramentum etiam Eucharistiæ non poterit pœnitens à Confessario obligari.

66. *An liceat.* Denique,an possit pœnitentia publica aliquando imponi pro peccatis publicis, vel occultis, videatur Suarez *illa sect.6.* & Vasquez *q.94. art.2. dub.2.* res enim facilis est.

67. *An opus interiora cap.* De opere interno, an possit imponi pro pœnitentia, diximus *suprà disp.1. sect.2.* vbi affirmantem partem elegimus, quam sequitur etiam Suarez *disp.33. sect.6. numero,2.* Coninch *disp.10.n.67.* & alij Recentiores. Possunt etiam imponi opera aliàs debita ex præcepto. Si tamen Sacerdos id non explicet, intelligitur communiter loqui de operibus supererogationis, vt si imponat ieiunium, vel auditionem Sacri; præsumitur, velle ieiunium, aut Sacrum non debitum; nisi ex circumstantiis oppositum posset præsumi: aliquando consulendus erit Sacerdos propter dubium, vt si Ecclesiastico, qui debet omnia superflua dare pauperibus,

peribus, imponatur eleemosyna, præsertim in magna quantitate. Videtur Vasquez *in præsenti, q. 94. art. 1. dub. 6.* & alij plurimi, quos congerit Diana. *2. tom. tract. 4. de Sacram. resolut. 84. & tom. 3. tract. 4. miscell. resol. 241.* contra Nugnum *in Addit. ad 3. part. q. 15 art. 2. diffic. 2. concl. 2.* An verò omittens ieiunium debitum ex præcepto Ecclesiæ, vt Confessarij, committat duplex peccatum in confessione explicandum, affirmat Coninch *disput. 10. num. 68.* Quod tamen difficultate non caret: nam duplex præceptum non videtur addere malitiam specie diuersam, cùm vtraque sit contra virtutem obedientiæ. Credo tamen esse specie diuersam in hoc casu: quia præceptum Ecclesiæ constituit illud peccatum in specie intemperantiæ; cùm præceptum intendat honestatem temperantiæ: præceptum verò Confessarij intendit virtutem pœnitentiæ, seu satisfactionis pro peccatis, contra quam virtutem peccat, qui non implet pœnitentiam sibi impositam.

SECTIO V.

Quam obligationem habeat pœnitens acceptandi, & implendi pœnitentiam.

68. PRimum, & potissimum dubium est, an pœnitens teneatur sub peccato graui ad acceptandam, & implendam pœnitentiam impositam. Tres sunt sententiæ. Prima dicit, non esse obligationem acceptandi; esse tamen obligationem implendi acceptatam. Hanc tenent Scotus, Gabr. Ioan. de Medina Nauarr. Sylvest. quos refert Vasquez *vbi suprà dub. 1.* Secunda sententia dicit, neque esse obligationem sub mortali acceptandi, nec implendi acceptatam. Ita Caiet. *tom. 1. Opusc. tract. 6. q. 2. ad. 2.*

Tertia sententia vera, & certa est, pœnitentem obligari ad pœnitentiam acceptandam, & implendam, quæ obligatio ex genere suo est grauis. Hanc tenent Theologi communiter, maximè post Concilium Tridentinum: quare oppositam esse contra idem Concilium dicit Vasq. *n. 5.* & Victor. *in Summa n. 209.* Suarez verò *disp. 38. sect. 7. n. 2.* dicit temerariam. Alij dicunt periculosam, alij improbabilem, vt Henriquez *lib. 5. de Sacram. c. 29. §. 2.* Vnde non sunt audiendi aliqui, qui eam sententiam adhuc probabilem vocant, quos congerit Diana *tom. 1. tract. 1. miscell. resol. 52. & tom. 2. tract. 4. de Sacram. resol. 51.*

69. Probatur primò, & principaliter, ex verbis Tridentini *sess. 14. c. 8. suprà* adductis, quibus dicitur, Sacerdotem debere imponere condignam pœnitentiam, ne si leuem imponat, particeps fiat peccatorum pœnitentis: quam satisfactionem curare debet, vt sit non solùm in medicinam, sed etiam in vindictam, & castigationem: nam claues non solùm ad soluendum; sed etiam ad ligandum concessæ sunt. Ex quibus verbis colligitur primò, pœnitentem obligari ad pœnitentiam: si enim ipse non tenetur eam acceptare, non peccaret Sacerdos, nec fieret particeps peccati pœnitentis, imponendo leuem pœnitentiam pro peccatis grauibus: faceret enim id, quod pœnitens vtens iure suo posset velle fieri. Colligitur hoc ipsum secundò ex ratione Tridentini: quia scilicèt, Sacerdos habet potestatem ad ligandum: si autem pœnitens non obligatur, Sacerdos non ligat, cùm maneat pœnitens æquè liber, ac anteà.

70. Respondent aliqui apud Dianam *vbi suprà*, posse quidem Sacerdotem ligare ad pœnam eo modo, quo potest soluere à culpa. Sicut ergo non potest soluere, nisi volentem solui; sic nec poterit ligare, nisi volentem ligari & acceptate pœnitentiam. Sed contrà primò: quia iam tenebitur saltem acceptatam implere. Contra secundò: quia ex verbis Concilij probauimus, obligari ad acceptandum: alioquin enim Sacerdos imponens leuem pœnitentiam pro peccatis grauissimis, non fieret particeps peccatorum, cùm id faceret ex consensu pœnitentis non volentis ligari aliis pœnitentiis grauioribus: quem consensum etiam explicitum posset Confessarius habere; quoties peteret. Contrà tertiò: quia, licèt exigatur consensus pœnitentis in Sacramento; non tamen potest velle absolui, & non velle ligari: quia potestas datur à Christo indiuisibiliter Sacerdoti, vt ferat sententiam: potest quidem pœnitens non adire hunc Sacerdotem; non tamen potest diuidere eius potestatem, & velle illum Iudicem quoad vnam partem, & non quoad aliam. Alioquin posset etiam velle ligari præcepto Confessarij ad pœnam, & non velle absolutionem; quod verè fieri non potest propter inseparabilitatem vtriusque potestatis: ergo nec poterit velle eum Iudicem ad absoluendum, & non ligandum. Vndè meritò Pater Vasquez *n. 3.* dicit magis consequenter loquutum fuisse Caiet. quàm alios, dum negauit omnem obligationem, etiam acceptandi: nam, si est potestas ad ligandum, debet esse etiam potestas obligans reum ad acceptandum: ergo, vel nulla est potestas obligandi, prout voluit Caiet. vel debet etiam esse potestas obligandi ad acceptandum; imò, in rigore loquendo, non requiritur acceptatio pœnitentis, sed solùm, quod se submittat Confessario in hoc tribunali: nam ex potestate iudiciaria oritur posse præcipere, & ligare independenter ab alia voluntate subditi; sicut cæteri Iudices, eo ipso, quòd Iudices fiunt, obligant indepenter ab eo, quòd reus accepter sententiam, nisi vbi datur locus appellationi, quæ in præsenti dari non potest, cùm sit supremum tribunal, & idem cum ipso tribunali Dei.

71. Secundò probari potest ex Concilio Florentino in Decreto Eugenij dicente, satisfactionem imponendam secundùm arbitrium Sacerdotis: & ex Concilio Salegustodiensi *c. 18. in 3. tom. Conciliorum*, & ex Leone Papa *epist. 89. vel 91.* & *ex c. Omnis vtriusque sexus, de pœnit. & remiss.* vbi & confessio, & impletio pœnitentiæ eodem modo præcipitur: & *ex c. Ab infirmis 26. q. 7.* vbi dicitur, quòd infirmus, si conualuerit, impleat diligenter pœnitentiam sibi impositam; & ex Cypr. *sermone de lapsis*, vbi durè arguit eos, qui propter grauia peccata leues pœnitentias exigebant. Alia testimonia ex Patribus congerunt Dominicus, Soto. *dist. 20. q. 2. art. 2.* Roffensis *art. 7. contra Lutherum*, & Bellarm. *lib. 4. de pœnit. c. 5.*

72. Tertiò probatur ratione ex *suprà* dictis, quia Sacerdos debet imponere pœnitentiam, non maneat iudicium hoc incompletum, & imperfectum, vt diximus: ergo & pœnitens tenebitur acceptare, & exequi sententiam: tam enim requiritur ad integritatem iudicij exequutio sententiæ, quàm eius prolatio, vt constat. Deindè, de ratione iudicij est, vt reus teneatur obedire Iudici, & Iudex possit cogere, & coërcere reum ad parendum, & subeundam pœnam, ergo, si Sacerdos constitutus est Iudex in hoc Sacramento à Christo oportet ipsum habere vim coactiuam, qua posset obligare pœnitentem ad subeundam pœnam impositam.

73. Hinc solui possunt facilè argumenta contrariæ sententiæ. Primò arguunt: quia homo potest

licitè non satisfacere in hac vita pro pœna temporali ; sed relinquere totam illam luendam in Purgatorio : ergo potest relinquere satisfactionem sacramentalem, quæ ordinatur ad extinguendum illud debitum. Respondetur, licèt id ex natura rei liceret, non tamen suppositâ institutione huius iudicij, in quo, & ad eius complementum, & ad potestatem Iudicis spectat, quòd reus exequatur pœnam impositam.

Arguunt secundò : quia sequeretur, hominem teneri ad acceptandam satisfactionem æqualem, & sufficientem pro extinguendo toto debito ; quod tamen esset durissimum. Respondetur, negando sequelam : quia suppositâ fragilitate hominum, & consuetudine rationabili, quæ propter illam fragilitatem iam est introducta : non esset rationabilis talis pœnitentia : quare posset pœnitens illam, tanquam irrationabilem, & inconuenientem rejicere.

74. *An sit hæc obligatio semper grauis.* Hinc tamen oritur secundum dubium, an in aliquo casu ex leuitate materiæ hæc sit culpa solùm venialis. Negat Ioannes Sancius *in selectis*, *disp. 15. num. 14.* Affirmant tamen communiter Theologi, v. g. quando omittitur, vel pars parua pœnitentiæ, vel tota etiam pœnitentia, quæ leuis est, vt si vnus Psalmus, *Miserere*, impositus fuit, & hoc quidem etiamsi ob peccata grauia fuerit iniunctus. E contra verò, quando propter sola venialia, vel mortalia priùs confessa, imposita fuit pœnitentia grauis, an obliget solùm sub veniali ? Affirmant non pauci. Viualdus *de satisfact. n. 26.* Nauarrus *c. 12. n. 43.* Suarez *vbi suprà, n. 5.* & alij. Verior tamen videtur sententia negans, quam tenet Henriquez *lib. 5. de Sacram. c. 20. n. 3.* Coninch *dicto dub. 9. n. 81.* Fagundez *lib. 9. de 2. Eccles. præcept. c. 3. n. 13.* Nuñus *tom. 2. in part. q. 13. art. 2. diffic. 2. concl. 4.* Nam grauitas obligationis non videtur desumenda ex peccato, pro quo imponitur ; sed ex materia, quæ præcipitur : nam pœnitentia leuis imposita pro peccato mortali non obligat sub mortali : si autem materia grauis, v. g. ieiunium imponatur pro multis peccatis venialibus, non apparet, cur non obliget grauiter, cùm oriatur à potestate Iudicis & res præcepta sit grauis, & capax præcepti grauis.

75. Dices : Hæc tota obligatio succedit peccato veniali, & eius obligationi, quæ tota erat leuis : ergo succedit cum eadem leuitate. Sed contrà : quia hæc obligatio, propriè loquendo, non succedit obligationi vitandi peccatum veniale, quæ erat leuis : sed potiùs obligationi, & debito passiuo patiendi pœnam temporalem, quod relictum fuit ex culpa veniali : hoc autem debitum, seu hæc obligatio non erat ad culpam grauem, aut leuem : sed ad pœnam. Et quidem erat obligatio grauis, hoc est, ad pœnam grauem : erit enim obligatio eiusdem rationis cum illa, quæ remanet ex culpa etiam mortali iam remissa ad pœnam temporalem, quæ obligatio commutatur in obligationem satisfactionis sacramentalis ; & potest contingere, quòd aliquis debeat maiorem pœnam temporalem propter multa venialia, quam alius propter mortalem culpam iam remissam : ergo, si satisfactio imposita propter culpam mortalem obligat grauiter : eodem modo poterit obligare satisfactio imposita propter multa venialia, cùm hæc etiam satisfactio succedat obligationi ad pœnam temporalem debitam, sicut illa.

76. Confirmatur primò : quia, si aliquis promitteret ieiunium ad finem hunc satisfaciendi pro suis venialibus ; votum illud obligaret sub mortali : ergo si ad eundem finem præcipiatur ieiunium à Confessario, obligabit eodem modo grauiter. Confirmatur secundò : quia Prælatus, si ad eundem finem præciperet subditis ieiunium hodiernum, vt placaretur Deus offensus nostris peccatis venialibus illud præceptum obligaret sub mortali : cur ergo præceptum Confessarij, qui est Superior, & Iudex legitimus, non æquè grauiter obligabit, cùm Confessarius præcipit ieiunium ad eundem finem ?

Dices : Pœnitens non tenebatur sub mortali confiteri ea peccata : quomodo ergo ex illa confessione oritur obligatio sub mortali ? Respondetur, nec etiam pœnitens tenebatur sub veniali confiteri ea peccata : non ergo obligabitur etiam sub veniali ad implendam pœnitentiam : quod tamen tu non concedis. Dicendum itaque est, posse benè exactione libera oriri obligationem ad aliud, quod ex ipsâ consequitur. Quare, licèt prior sententia propter auctoritatem illorum Doctorum sit probabilis, stando tamen in ratione hæc posterior videtur verior.

Dubitatur tertiò, quomodo intelligatur, quod dictum est, pœnitentem teneri sub mortali ad acceptandam pœnitentiam : itáne, vt non possit absque peccato graui relinquere confessionem ante absolutionem habitam, eò quòd noluit subire talem pœnitentiam ? Respondetur probabile mihi esse, posse id fieri absque culpa mortali, quod indicat Suarez *illa sect. 7. n. 4.* & amplectitur Pater Coninch *vbi suprà n. 80.* quia non apparet, cur aliquis, postquam incepit confessionem, ex aliqua causa relinquere possit illam in aliud tempus, & nolle pro tunc perficere Sacramentum : sicut in matrimonio posset coniux post consensum expressum ab alio coniuge, non præstare suum : sicut ergo ex alia causa posset pœnitens nolle recipere absolutionem ; sic posset ob metum obligationis subeundæ ad talem pœnitentiam : saltem in hoc non apparet culpa grauis ; nondum enim contraxerat obligationem absolutam illius pœnitentiæ : nam, si post pœnitentiam impositam, & ante datam absolutionem Sacerdos moreretur, procul dubio pœnitens non obligaret ad pœnitentiam impositam : ergo non obligat præceptum Confessarij ante præstitam absolutionem ; hanc autem potest pœnitens nolle accipere : ergo & impedire obligationem ad pœnitentiam.

Dices : Pœnitens posset implere pœnitentiam ante absolutionem, & illa esset verè satisfactio sacramentalis, ergo esset ex præcepto Confessarij ; nam satisfactio sacramentalis debet procedere ex præcepto Sacerdotis : ergo etiam ante absolutionem erat iam obligatio in ordine ad illam pœnitentiam : imò posset Confessarius obligare ad pœnitentiam implendam ante absolutionem, provt aliquando factum est : ergo ante absolutionem habet auctoritatem obligandi absolute. Respondetur, in iis casibus satisfactionem esse ex præcepto Sacerdotis, non quidem ex præcepto obligante omninò determinatè, & absolutè ad satisfactionem ; sed obligante in secundo quidem casu ad non recipiendam absolutionem ante impletam illam pœnitentiam, seu ad illam implendam priùs, quàm absolutio impendatur, (quando, nimirum ; præcipitur pœnitentia implenda ante absolutionem :) in primo autem casu ex præcepto obligante ad illam pœnitentiam implendam indeterminatè antè, vel post absolutionem, si absolutionem velit accipere ; quod sufficit, vt impleta etiam ante absolutionem sit ex præcepto Sacerdotis, & sacramentalis : si enim postea nolit absolutionem recipere, iam eo ipso desinit esse subditus

situs illius Iudicis, & per consequens cessat eius præceptum.

79. Dubitatur quartò, vtrum pœnitens debeat per se ipsum pœnitentiam implere; an verò possit per alium? Duplicem sensum habere potest hoc dubium. Primus est, an propria auctoritate possit pœnitens substituere sibi alium, qui faciat, quod ipse iussus fuit facere, verbi gratia ieiunet, peregrinetur, &c. Secundus est, an saltem à Sacerdote possit ita imponi pœnitentia, vt per alium possit impleri.

In primo sensu multi affirmant fieri posse, saltem quando subest rationabilis causa, vt impotentiæ, vel melioris occupationis: vel, quòd ille alius propter minorem deuotionem melius exequetur illud opus; atque ita erit pœnitenti magis fructuosa illa satisfactio per alium. Ita Palud. *dist.* 20. *quæst.* 3. Antonin. 3. *part. tractat.* 4. *capite* 20. §. 1. Sylvest. *verbo. Satisfactio, quæst.* 3. Altisiodor. *lib.* 4 *tract.* 6. *quæst.* 3. Vnde immerito Suarez *in præsenti, disp.* 38. *sect.* 9. supponit tanquam certum apud omnes Theologos non posse id fieri, quando determinatè ipsi pœnitenti imponitur satisfactio ab ipso implenda.

80. Verior tamen sententia negat id fieri posse, quam multis relatis tenet Suarez ibi: sed verè multi ex illis Auctoribus hanc partem non ita vniuersaliter amplectuntur. Probari autem potest primò ex Concilio Florentino, & ex Tridentino *sess.* 14. *c.* 3. *& can.* 4. vbi definitur partes materiæ in hoc Sacramento esse ipsius pœnitentis actus, nempe, contritionem, confessionem, & satisfactionem: ergo satisfactio, quæ est pars huius Sacramenti, debet esse actus ipsius pœnitentis, non alterius; sicut nec contritio, aut confessio alterius potest esse materia in hoc Sacramento.

Secundò probatur: quia in aliis præceptis non potest vnus pro alio implere præceptum, v. g. in audienda Missa, in ieiunio, in recitando Officio, & similibus: ergo, nec in hoc præcepto Confessarij, cùm sit simile, imò habeat maiores causas ad exigendam actionem personalem, cùm imponatur pœnitentia ad curationem huius personæ, & ad punitionem delinquentis, vt constat ex Tridentino *illo cap.* 8.

Tertiò, si ieiunium alterius esset pars mei Sacramenti, videtur sequi, quòd, licèt ipse sit in peccato mortali, acquiret mihi fructum ex opere operato: ad hoc enim solùm requiritur status gratiæ in eo, qui recipit fructum Sacramenti, non in alio, vt constat in eo, qui contrahit matrimonium per procuratorem existentem in peccato; nam coniux adhuc recipit gratiam per illam actionem. Consequens autem videtur absurdum, quòd ieiunium hominis peccatoris sit satisfactorium tunc ex opere operato pro me. Alias rationes adducemus ad probandam conclusionem puncti sequentis, quæ hanc etiam à fortiori probabunt.

In secundo ergo sensu, quando Sacerdos id permittit, vel disiunctiuè imponit ieiunium, vel aliud opus, implendum à pœnitente, vel ab alio; multi dicunt, posse id fieri, illúdque opus esse partem Sacramenti, & conferre fructum pœnitenti ex opere operato. Hos refert, & sequitur Suarez *vbi suprà.*

2. Verior tamen videtur contraria sententia, loquendo de iis operibus, quæ sunt illius solùm, quia ea exercet, vt ieiunium, auditio Sacri, preces &c. nam eleemosyna, quam seruus dat ex imperio domini, procul dubio potest esse satisfactio sacramentalis domini. Hanc tenet Vasquez *q.* 94. *art.* 4. *dub.* 1. *num.* 10. Coninch *disp.* 10. *n.* 66. *& num.* 82. Probatur primò ex verbis Tridentini *suprà* adductis, quibus exigitur pro satisfactione actus pœnitentis: ergo ieiunium alienum non potest esse pars mei Sacramenti, cùm non sit actus meus. Dices, illum esse actum meum, quatenus fit ex motione, vel petitione mea. Sed contrà: quia tunc motio, seu petitio mea erit satisfactio sacramentalis; non verò effectus ieiunij consequutus: nam in illo ieiunio possumus considerare duplicem moralitatem; vnam, quam habet à voluntate mea, à qua aliquo modo procedit: alteram, quam habet à voluntate ipsius ieiunantis. Et quidem, si prima moralitas consideretur; fatemur illud opus esse meum, sicut ieiunium equi, vel canis mei à me procuratum esset actus meus ob eandem rationem: quare, sicut ieiunium mei canis posset mihi præcipi, & imponi, (si procurare illud esset opus bonum;) sic posset imponi mihi ieiunium Petri. At verò considerando moralitatem, quam habet à voluntate ipsius Petri; non potest dici actus meus, sed solùm Petri: quare, vt sic, non potest habere valorem ex opere operato sacramentalem ad tollendum meum reatum.

Confirmatur: quia, quatenus fit à Petro, non fit 83
ex præcepto Confessarij, cùm Confessarius soli pœnitenti possit præcipere: ergo, vt sic, non potest esse satisfactio sacramentalis, quæ, prout talis, debet esse ex Confessarij præcepto, vt *suprà* dictum est. Fateor, posse Confessarium mihi imponere, quòd procurem ieiunium Petri pro me, ita vt ipso Petro reuerà non ieiunante pro me, ego non maneam liber; sed debeam procurare ieiunium Pauli pro me: quo casu per ipsam actionem Petri ieiunantis pro me, ego manerem liber à procurando ieiunio Pauli Cæterùm, nec tunc etiam ieiunium Petri prodesset mihi ex opere operato sacramentaliter; sed sola mea actio procurandi illud ieiunium, quæ non minorem fructum afferret mihi, etiam non sequuto ieiunio: quomodo autem Confessarius intendat vtilitatem illius ieiunij pro mea satisfactione, dicam statim, explicando, quomodo possit imponi pro pœnitentia, lucrari aliquam Indulgentiam.

Primò ergo argui potest contra nos ex hoc 84
exemplo Indulgentiæ: nam Sacerdos potest imponere pro pœnitentia, vt pœnitens lucretur aliquam Indulgentiam, per quam applicantur satisfactiones Christi, & Sanctorum; & per quam non punitur pœnitens: ergo eodem modo poterit imponere ieiunium alienum, licèt per illud non puniatur pœnitens. Respondetur, posse quidem eodem modo imponi ieiunium alienum, sicut Indulgentiam, in neutro autem casu eleuatur virtute elauium ad maiorem valorem ieiunium, vel Indulgentia; sed sola actio pœnitentis, qua procurat ieiunium, vel Indulgentiam. Dices: ergo, etiamsi non sequatur ieiunium alienum, vel Indulgentia, satisfaciet pœnitens non minùs, quàm si sequeretur. Respondetur, distinguendo de satisfactione: nam si sensus sit, non minorem fructum satisfactionis ex opere operato prouenientis ex virtute Sacramenti ipsum habiturum; verum est, si verò sensus sit, ipsum satisfacere præcepto Confessarij, ita vt ad nihil ampliùs teneatur; potest esse falsum: quia Sacerdos potuit dupliciter imponere illam pœnitentiam; scilicet, vel solùm imperando procurationem ieiunij, vel Indulgentiæ, siue sequeretur, siue non sequeretur effectus; & tunc per meram procurationem satisfecit pœnitens, nec ad aliud tenetur: vel potuit præcipere procurationem efficacem, ita vt si fortè non lucretur hanc Indulgentiam, procuret lucrari

crari aliam: aut si Petrus nolit ieiunare, procuret ieiunium alterius, & tunc non sequuto effectu, non liberatur ab obligatione procurandi iuxta præceptum Confessarij. Potest autem prudenter Confessarius iniungere aliquando tales pœnitentias, licèt ieiunium alienum, vel Indulgentia non eleuentur virtute clauium, nec sint satisfactio sacramentalis: quia, nimirùm, iudicat, pœnitentem indigere magna satisfactione, & aliundè propter eius fragilitatem, vel alia impedimenta non posse ipsi iniungi immediatè totum illud, quare imponit illi aliquam partem, & rursus imponit ei, quòd procuret iuuari satisfactione aliena, vel remediis Indulgentiarum, aut Missarum, ad supplendum, quod deest: quo casu eleuatur saltem illa actio procurandi, & simul prouidetur indigentiæ pœnitentis per illa remedia extrinseca, licèt illa non sint satisfactiones sacramentales.

85. Secundò arguitur *ex illo c. Ab infirmis 26. q. 7.* vbi dicitur, non esse imponendam pœnitentiam infirmo morti proximo: sed subleuandum ipsius pondus orationibus, & ieiuniis amicorum: ergo illa ieiunia pertinebunt ad illud Sacramentum ex impositione, & applicatione Sacerdotis. Respondetur, imò ibi insinuatur oppositum: dicitur enim, quòd si infirmus conualuerit, pœnitentiæ modum à Sacerdote impositum obseruet, quæ obligatio in ipsa etiam infirmitate, illi est declaranda, & intimanda: ergo supponitur satisfactiones amicorum non fuisse sacramentales; sed ad hunc finem postulatas, vt subleuaretur infirmus à debiti pœna, quo grauatur, & cui per se satisfacere non potest; nec ad eum finem potest remedio sacramentalis satisfactionis adiuuari.

Tertiò obiici solet Sanctus Thomas *in 4. distinct. 20. q. 1. art. 2. quæstiunc. 3.* vbi docet, prodesse satisfactionem per alium factam. Respondetur, ibi Sanctum Thomam non dicere, quòd prosit ex opere operato, & sacramentaliter: sed quòd prosit ad subleuandum debitum, quod nos non negamus.

86. *An per ratihabitionem vel consensum præsumptum Confessarij possit alteri pœnitentia committi.*

Hinc infero primò, multò minùs posse pœnitentem per ratihabitionem, aut consensum præsumptum Confessarij committere alteri pœnitentiam sibi impositam: prout aliqui volunt. Sed certè ratihabitio, aut consensus præsumptus si peteretur, in præsenti parum iuuat: ad satisfactionem enim sacramentalem requiritur, quòd actio sit ex præcepto Confessarij, non fit autem ex eius præcepto id, quod ego scio præcipiendum, si ego peterem; hæc enim voluntas est solùm conditionata, quæ in Sacramentis non potest influere. Adde, non excusari subditum ab inobedientia, cò quòd sciat, Prælatum dispensaturum fore in lege, aut præcepto, si peteretur dispensatio; hoc enim modo frequenter possemus agere contra præcepta cum tali dispensatione præsumpta. Aliud quidem est, quando excusamur per epiikiam: quia tunc iudicamus, hunc casum nunquam fuisse ab initio comprehensum sub lege, aut præcepto: at verò posito semel præcepto, dispensatio, vel consensus præsumptus, si peteretur, non sufficit ad excusandum. Videatur Suar. *lib. 6. de legib. c. 7. & 8. & c. 13. n. 20.*

87. *Quid de reddito impotente ad pœnitentiam sibi implendam, vel obliuiscente.*

Infero secundò, illum, qui redditus est impotens ad pœnitentiam sibi impositam implendam, non teneri ad illam implendam per alium, etiamsi commodè id facere posset: nam præceptum non fuit de procurando alieno ieiunio, sed de ieiunio proprio: quod cùm non possit poni, cessat obligatio. Eodem modo, qui oblitus est pœnitentiæ sibi impositæ à Confessario, manet liber ab obligatione illius præcepti, quandiu non recordatur, & Confessarium consulere non potest, nec tenetur confessionem repetere, vt iterum pœnitentiam accipiat. Quod quidem verum est, etiamsi culpabiliter oblitus fuerit pœnitentiæ prioris: tunc enim satis erit confiteri peccatum illius negligentiæ, & obliuionis culpabilis, vt rectè cum aliis obseruat Vasquez *quæst. 94. art. 2. dub. 4.*

88. *An omissa pœnitentia à die in diem differri possit.*

Petes, an si alicui imposita sit pœnitentia ieiunij duplici feria sexta sequenti, ipse autem oblitus fuerit; debeat postea ieiunare aliis duabus feriis sextis; an verò maneat liber à præcepto. Respondetur, communiter debere ieiunare postea: non enim est intentio Confessarij ita alligata ad talem diem, vt velit esse pondus illius diei, quo elapso maneat pœnitens liber; sicut contingit in recitatione Officij, vel auditione Sacri: sed principaliter intendit satisfactionem; secundariò præscribit terminum diei, vt certiùs fiat, & non differatur vlteriùs. Vnde addunt aliqui, posse postea pœnitentem ieiunare aliis duobus diebus extra sextas ferias: quia illa circumstantia videtur leuis.

89. *Dilatio quando sit ex graui.*

Dubitatur quintò, quomodo possit pœnitens graiuiter peccare, differendo pœnitentiam sibi impositam. De hoc sparsim inuenio pauca aliqua apud nonnullos Recentiores, ex quibus Thomas à Iesu *in tribunali conscientiæ, tract. 3. c. 2. dub. 9. idiomate Hispano edito*, dicit communiter eiusmodi dilationem esse solùm culpam venialem negligentiæ, quando sine causa differtur: quando verò cum causa iusta, nullum esse peccatum. Rursus Antonius Fernand. *in instruct. Confess. p. 1. docum. 4. n. 5. & docum. 7. §. 1. num. 2. Hispano etiam idiomate*, dicit, obligari pœnitentem ad pœnitentiam implendam intra spatium saltem vnius anni, si Confessarius minus tempus non præscripsit, vt colligitur *ex c. Omnis, de pœnit. & remiss.* Denique Ioan. Sancius *in selectis, disp. 13. num. 9.* dicit, non transgressurum præceptum illum, cui impositum esset confiteri intra vnum mensem, si per tres, vel quatuor dies vltra mensem confessionem differret, præsertim, si ex iuxta causa: & idem dicendum, si ex voto teneretur: non enim adeò mathematicè præfigendus est terminis. Imò, si intra octo dies à mense elapso solemnis aliquis dies sequeretur, vel Iubileum, &c. posset differri confessio vsque ad illum diem, si ægrè pœnitens ferret bis intra octo illos dies confiteri, vel Iubileum non lucrari. Rursus posset anticipari per octo dies ex causa Iubilei, vel solemnitatis. Quòd si per tres hebdomadas confessio anticiparetur, fortè non satisfieret, cùm mens iubentis eò tendat, vt per mensem curet pœnitens mundam habere conscientiam: certior namque experientia sumitur emendationis pœnitentis per spatium vnius mensis, quàm per hebdomadam. Hæc ille Auctor.

90. Distinguendum videtur: nam, vel Confessarius determinat tempus, vel non determinat. Rursus, si tempus determinat, potest tripliciter id facere: primò, ita vt opus alligetur ad illud tempus, & sit onus diei, vt si velit, singulis diebus recitari Coronam, vel ieiunari omni Sabbatho in honorem Beatæ Virginis: & tunc certum est, debere illa die poni opus præceptum, sicut ieiunium, vel recitatio Officij ab Ecclesia præcepta non potest differri ad sequentem diem, vel anticipari; sed debet eo die poni, quo præcipitur.

Secundò potest determinare tempus, vt terminum obligationis, hoc est, vt non differatur vltrà: sic Ecclesia præcipit confessionem annuam: id est, vt non vlteriùs differatur: & tunc obligat præceptum ad non differendum, & posita dilatione obligat rursus ad obseruandum illud postea data

dam opportunitate. Tunc autem esse culpam lethalem, ea die præfixa non implere votum, dixit Thomas Sanchez *lib. 4 in Decalog. c. 14. n. 21. & n. 25. in fine.* Sed durum id videtur, si dies illa solùm, vt terminus obligationis posita sit: & non ob alium respectum. Nam, si tibi promisi intra hebdomadam reddere mutuum, & differam per duas horas post hebdomadam; non videor tibi graue damnum inferre, nec violare promissionem in re graui. Si ergo Confessarius præcipiat non differre confessionem vltra mensem, & differatur per vnam diem vltra mensem, non auderem illam dilationem condemnare, vt mortalem.

91. Tertiò potest determinare tempus, intendendo quidem frequentiam operis iniuncti, & simul alligando ad tale tempus; verbi gratia, vt singulis mensibus semel saltem confiteatur, vel Eucharistiam sumat; vt singulis hebdomadis recitet septem Psalmos, &c. Et in his, & similibus credo, si materia sit grauis, non posse sine peccato graui differri vltra illum terminum, atque ideò peccare grauiter, si intra illum mensem non confiteatur, vel accipiat Eucharistiam. Ratio est: quia ille, cui præcepta est confessio singulis mensibus, si vel vna die differret confessionem, & hoc toto mense non confitetur, sed prima die mensis secundi sequentis; planè non teneretur mense tertio sequenti iterum confiteri: quia præceptum est de vna confessione in vno mense: quare, cùm iam intra illum secundum mensem confessus fuisset, non teneretur ad aliam confessionem illo secundo mense, atque ita duobus mensibus semel tantùm confiteretur, quod est contra mentem Confessarij. Fatendum ergo est, in iis præceptis licèt tempus assignetur, vt terminus; vltra quem non differatur opus iniunctum, alligari tamen sub obligatione graui ad illud tempus, eò quòd dilatio præiudicium afferret materiæ præceptæ, vt vidimus, quatenus ex duplici confessione, verbi gratia redderetur vna si prior confessio extraheretur à suo tempore determinato.

92. Denique, quando Confessarius nullo modo determinat tempus, neque ex circumstantiis colligitur mens determinandi, (vt, si præcepisset ieiunium, vel orationem pro aliqua necessitate tunc occurrente,) sed præcepit opus indifferens ad hoc & aliud tempus tunc probabile satis videtur, quòd dilatio, nisi sit nimia, & ad longum tempus, non sit mortalis. Ita in simili loquitur Thomas Sanchez cum aliis *dicto capite 10. numero 21.* de re debita ex voto absque temporis determinatione: vbi notat benè, id intelligi in votis, vel debitis, in quibus ipsa dilatio non minuit rem promissam: nam, si aliquis vouit Religionis statum; quò plus differt ingressum, eò minùs reddit Deo, cuius obsequio promiserat totum tempus vitæ suæ: quod idem cum proportione de pœnitentia à Confessario iniuncta dici debet.

93. *An obliget ad circumstantias.* Vltimò dubitari potest, quomodo obligetur pœnitens ad circumstantias operis à Confessario iniunctis: v. g. si impositum illi fuit, vt recitaret Coronam flexis genibus, vel coram tali imagine; an satisfaciat, licèt non flexis genibus, nec coram illa imagine recitari. Affirmat Vega *in Summa, tom. 2. c. 64. cas. 6.* quia attendi debet magis ad substantiam, quàm ad circumstantias. De hoc tamen meritò dubitat Diana *2. tom. tract. 4. de Sacram. resol. 55.* quia recitare flexis genibus videtur addere aliquid substantiale simplici recitationi. Distinguere ergo possumus cum Thoma Sanchez *lib. 4. in Decalog. capite 12. num. 8.* vbi in simili de voto docet, quando res promissa est grauis, & circumstantia leuis: vt, si quis vouit recitare coram tali imagine Beatæ Virginis, votum principale obligabit ad mortale, circumstantia autem, nempe, vt sit hæc imago specialis, obligabit communiter sub veniali: quia communiter æquale, aut ferè æquale est Virginis obsequium; & ideò leuis est mutatio illa. Posset tamen aliquando esse culpa mortalis, eo quòd circumstantia sit multò maioris cultus diuini orando, v. g. coram tali imagine, propter multò maiorem deuotionem, & populi concursum. Vnde eodem modo de circumstantiis à confessario adiunctis dicendum erit, cùm eadem sit ratio. 94.

An verò liberetur pœnitens ab obligatione implendi pœnitentiam, quando non potest exequi circumstantiam à Confessario iniunctam: vt, si præcipit recitare coram tali imagine, vel in tali Ecclesia, quod facere non potest; eadem est quæstio, ac de voto, an propter impotentiam ad circumstantiam liberetur vouens à substantia: quam quæstionem latè tractat idem Sanchez *dicto lib. 4. cap. 14. à num. 24.* vbi plures regulas assignat ad discernendum, an in eo casu fuerit intentio obligandi ad substantiam, cessante etiam circumstantia, quæ omnes regulæ transferri possunt ad casum nostrum, & videri apud illum Auctorem ne quæstionem latè, & optimè ab eo tractatam, ad hunc locum, cuius non ita propria est, transferre cogamur.

SECTIO VI.

Vtrùm pœnitens ipse, vel vnus Confessarius, possit commutare pœnitentiam ab alio impositam.

COmmunis, & vera Theologorum sententia docet pœnitentem non posse propria auctoritate id facere. Contrarium docet Laurentius Portel *in Addit. ad dubia regularia, verbo, Pœnitentia sacramentalis, num. 6.* quod probabile dicit Diana *tract. 1. miscell. resol. 53. tom. 1.* sed alij omnes oppositum supponunt, & probatur: quia rem præceptam à Superiore non potest subditus commutare in aliam; vt constat in aliis omnibus præceptis. Dices: Potest, qui habet votum commutare illud propria auctoritate in aliquid euidenter melius, vt docet communis sententia in materia de voto: ergo, qui debet ieiunium ex pœnitentia, poterit etiam illud commutare in aliquid euidenter melius. Respondetur, negando consequentiam. Ratio discriminis est, quòd in voto obligatio nascitur ex promissione rei, quæ creditur grata Deo, cui promissio facta est; cùm autem res subrogata sit illi gratior, non fit contra Religionem soluendo vnum pro alio. At verò in re præcepta determinatio rei oritur ex voluntate Superioris petentis hanc rem in particulari, & non aliam; quæ iam debetur non solùm ex ratione generali; quia est aliquid gratum Superiori; sed, quia vult hoc opus in particulari, & determinatum, quod per voluntatem determinatam exigit; ideò non potest subditus mutare vnum pro alio: melior enim est obedientia, quàm victima. Vide alias rationes differentiæ apud Suarez *tomo 2. de religion. libr. 6. de voto cap. 18. num. 13.* quæ omnes applicari possunt etiam ad rem debitam ex præcepto Confessarij, in qua non minùs militant, quàm in aliis præceptis. 95.

Sed probabilitatem prioris sententiæ confirmat denuò Diana *tom. 2. tract. 4. de Sacram. resol. 53.* vbi affert pro illa Villalobos *in Summ. tom. 1. tract. 9. diffic. 79. num. 1.* qui id probat: quia Confessarius 96.

fessarius illud opus præcepit in ordine ad spiritualem eius vtilitatem: quare, si ei diceret, se velle loco illius pœnitentiæ subrogare aliud manifestè vtilius in ratione satisfactionis, & medicinæ; certum est, quòd consentiret Confessarius: quare ex hac præsumpta voluntate poterit pœnitens commutationem facere. Sed sententiam illam temeratiam censet Luisius Turrianus *in selectis, part. 2. disput. 31. dub. 62.* Et quidquid sit de censura, certum est, aduersari communi Theologorum, & fidelium sensui, vt videri poteſt apud Thomam Sanchez *lib. 4. in Decalog. cap. 11. num. 36.* Reginaldum *in praxi, tom. 1. lib. 7. cap. 8. num. 85.* Henriquez *lib. 5. cap. 20. numer. 5.* Coninch *in præsenti, disput. 10. dub. 12. num. 13.* & alios omnes.

97. Ratio autem, quam Villalobos adducit, facilè retorqueri potest in præceptis Ecclesiæ, de quibus probaretur eodem argumento, quòd quilibet posset propria auctoritate rem præceptam commutare sibi in opus aliud manifestè melius. Nam Ecclesia præcipit, v. g. ieiunium ad carnis macerationem, vel auditionem Missæ ad cultum Dei: quis autem dubitat, melius esse ad eos fines cilicio aspernimo ea die vestiri, vel Eucharistiam sumere? Et tamen nemo dicit, posse ex præsumpta Ecclesiæ voluntate subditum subrogare hæc opera pro illis, quæ præcipiuntur. Quod idem argumentum fieri potest de præceptis diuinis: potuisset enim aliquis eodem modo dicere, quod Communionem ex præcepto diuino in mortis articulo, vel aliàs debitam posset quilibet propria auctoritate commutare in aliquod insigne pietatis opus, vt in statum Religionis, vel in votum castitatis, aut aliud simile, etiam quando res præcepta eiusmodi opera non impediret. Cùm ergo Confessarius in eo foro sit verus Superior, & præcipere possit, sicut alij Superiores; non poterit subditus propria auctoritate rem præceptam in alia etiam meliora opera commutare, quando vtrumque præstare potest.

98. Vnde minùs admittendum est, quod vt probabile, docuit idem Diana *2. tom. tract. ille 4. resol. 106.* nempe, eum, qui ex deuotione recitabat singulis diebus Officium B. Virginis, si postea habuit pœnitentiam impositam recitandi per annum singulis diebus tertiam partem Coronæ, vel Rosarij eiusdem B. Virginis, potuisse satisfacere huic obligationi recitando officium solitum. Pro quo adducebat Bonacinam *in præsenti, disputat. 5. quæst. 5. sect. 3. punct. 4. num. 8.* qui tamen id non dicit; sed loquitur in genere, vt ipse Diana fatetur, docens, obligationem pœnitentiæ cessare, non solùm per Indulgentiam; verùm etiam per remissionem pœnæ alia via obtentam, vt per alia pia opera satisfactoria propria, vel aliena sibi applicata: nam eædem rationes militant in Indulgentiis, ac in aliis operibus piis satisfactoriis. Vbi ille Auctor non dicit, subrogari posse vnum opus pro alio, ita vt id, quod subrogatur, fiat satisfactio sacramentalis, & eleuatur ad satisfaciendum ex opere operato virtute Sacramenti; sed solùm quòd si per alia opera integrè satisfactum est debito pœnæ, iam per cessationem necessitatis liberabitur pœnitens ab implenda pœnitentia. Quæ tamen doctrina in ordine ad praxim inutilis est: quomodo enim constare potest pœnitenti, se iam sufficienter per bona opera satisfeciſſe toti debito pœnæ, quam debebat?

99. Denique confirmari potest conclusio posita ex alio exemplo: quando enim Pontifex concedit Indulgentiam plenariam, & alia priuilegia iis, qui ieiunauerint, & quædam alia pietatis opera fecerint; certum est, quòd ij saltem, qui prædicta opera exercere possunt, non potuerunt alia etiam meliora subrogare pro illis, verbi gratia pro ieiunio alias acerbiores pœnitentias aptiores ad maceratio-nem carnis, & ad placandam iram diuinam. Quia, nimirum, Pontifex talia opera determinata exigit, quibus, & non aliis positis concedere vult remissionem pœnæ ex Ecclesiæ thesauro. Cùm ergo Confessarius similiter eleuet talia opera determinata, quæ præcipit, vt per virtutem Sacramenti applicetur satisfactio Christi ad eleuandum debitum pœnæ; multò minùs poterit pœnitens pro aliis alia subrogare, cùm in hoc casu intercueniat præceptum, & obligatio, quod in confessione Indulgentiæ non reperitur.

100. Hoc ergo supposito, difficultas nunc est, an alius saltem Confessarius possit pœnitentiam ab alio impositam commutare. Pro quo suppono primò posse Confessarium secundum declarare, pœnitentiam non obligare, quando erat irrationabilis: vel, si postea casu aliquo reddita sit irrationabilis: imò ad hoc declarandum, cùm non sit actus iurisdictionis, non requiritur audire confessionem, imò nec potestas Ordinis; sed vir doctus posset id declarare. *An alius Confessarius possit commutare.*

Supponendum secundò, posse Pontificem, Indulgentiis concessis liberare pœnitentem à debito implendi pœnitentias sibi iniunctas, quæ Indulgentiæ, quando, & quantùm liberent ab obligatione pœnitentiæ sacramentalis, dicemus *disp. 27.* vbi de valore Indulgentiarum.

101. His suppositis, dubitatur primò, an alius Confessarius possit, audita iterum confessione eorumdem peccatorum, commutare, vel etiam minuere pœnitentiam ab alio impositam. Negant aliqui, Dominicus Soto, Victor, & alij, quos refert, & sequitur Vasquez *quæstion. 94. articul. 2. dub. tertio, numer. 5. & 8.* Eandem tenet Angles *quæst. de clauibus.* *An audita eiusdem peccatorum confessione possit commutare.*

Contraria tamen est communis, quam tenent Syluester, Angelus, Nauarrus, & alij plures, quos refert, & sequitur Suarez *disput. 38. sect. 10. num. 4.* & alij Recentiores communiter, atque ipse Vasquez fatetur, saltem propter authoritatem esse in praxi probabilem. Probatur, quia idem Confessarius posset postea pœnitentiam à se impositam commutare, quando recordatur eorum peccatorum, vel saltem iis iterum auditis, vt *postea* videbimus: ergo & alius Sacerdos id poterit præstare. Probatur consequentia: quia duo Sacerdotes non habent se, sicut superior, & inferior; sed sicut duo Iudices succedentes in eodem tribunali, & munere: quare, sicut secundus Episcopus potest commutare, vel moderari pœnam impositam à prædecessore: sicut secundus Parochus poterit idem præstare in hoc tribunali; ac per consequens idem poterit secundus Confessarius, etiamsi non sit Parochus; dum tamen habeat auctoritatem Parochi. Neque in hoc infert iniuriam priori Confessario, cùm eius locum occupet, & ei succedat.

102. Dices: Ergo illud primum Sacramentum non manebit integrum, sed mutilum, & imperfectum: nam hæc secunda satisfactio erit pars secundi Sacramenti, in quo propter eadem peccata imponitur: non vero erit pars primi: quia non est imposita ab eodem Confessario: non potest autem idem Sacramentum Pœnitentiæ habere vnam partem ab vno Ministro, & aliam ab alio: ergo priùs illud Sacramentum manebit imperfectum, & incompletum absque satisfactione sacramentali. Respondetur, idem argumentum fieri

fieri posset,quando Pontifex concessa Indulgentia auferret obligationem pœnitentiæ in illo Sacramento:nam tunc etiam maneret Sacramentum incompletum. Dicendum ergo est, tunc esse inconueniens, quòd Sacramentum maneat absque hac integritate,& complemento,quando ex eius ablatione deest aliquid requisitum ad integritatem iudicij: non deest autem aliquid tale,quando ex remissione pœnæ facta à Principe auferitur obligatio soluendi pœnam impositam per sententiam iudicis,provt fit per concessionem illam Indulgentiæ. Similiter non deest aliquid necessarium ad perfectionem iudici,quando ex commutatione, aut diminutione sententiæ facta ab eodem Iudice, vel ab eius successore in eodem tribunal,& foro,non ponitur exequutio sententiæ anteà prolatæ, vt contingit in hoc casu.

103. *An sit necessaria intentio reuocandi.*

Petes,an ad tollendam obligationem prioris pœnitentiæ, requiratur, quòd Confessarius velit eam commutare, & tollere; an sufficiat audire eadem peccata,& imponere pœnitentiam pro illis,absque eo, quòd sciat, impositam fuisse aliam pœnitentiam pro eisdem, ad hoc, vt pœnitens possit accipere hanc secundam pœnitentiam, & relinquere priorem? Aliqui enim ideò probant nostram conclusionem:quia,nimirum, pœnitens potest iterum in iudicium adducere illa peccata, ac si nunquam fuissent adducta,& adhærere sententiæ posteriori. Existimo tamen,hoc non sufficere; sed requiri reuocationem, seu commutationem prioris sententiæ:nam si hoc esset, posset etiam pœnitens relicta posteriori pœnitentia, adhærere priori, quæ nondum reuocata est per secundam: cùm ergo præceptum prioris Confessarij validum fuerit, manebit in suo robore, nisi in eodem tribunali reuocetur; ad quod oportet manifestari secundo Confessario, & quòd ipse habeat eam intentionē. Imò hoc etiā credo verum,licèt secunda confessio fieret cum eodē primo Confessario:hic enim, si nō recordaretur prioris Cōfessionis,& pœnitentiæ,non haberet intentionem eam reuocandi,neque auferret obligationem ex illa relictam propter eamdem rationem.

104. *Quid,si erant peccata reseruata?*

Hinc oritur secundum dubium, an possit inferior Sacerdos hoc ipsum circa pœnitentiam impositam à Superiore Et quidem, si peccata sint talia, à quibus secundus Sacerdos potuisset absoluere ab initio; communiter conceditur, posse: quia, quoad ea peccata,vterque est Iudex æqualis. Si autem peccata erant reseruata Superiori, adhuc dicunt aliqui posse:quia ablata reseruatione per primam absolutionem, iam illa peccata non sunt vlteriùs reseruata. Ita Vasquez *vbi suprà,num.*9.& indicat Henriquez *lib. 5. de Sacram cap. 22. num. 1.* Nauarr.adductus à Suar.*vbi suprà.n.*13.

105.

Verius tamen videtur,quod alij communiter docent,quos affert,& sequitur idem Suarez *ibi,n.* 14. non posse in eo casu inferiorem auferre pœnitentiam à Superiore impositam, per se loquendo:quia tunc inferior non habet idem tribunal, nec in eo succedit Superiori, atque adeò non potest mutare sententiam Superioris, sicut posset ipsemet Superior:nam,licèt, quoad absolutionem secundam eorumdem peccatorum, iam inferior habeat plenam potestatem, quia iam non sunt reseruata; quoad primam tamen sententiam circa illa prolatam non habet potestatem:quia quoad primam sententiam pertinere debent ad tribunal superius: non ergo potest inferior reformare,vel moderari sententiam non prolatam à se,sed à Iudice superiori per potestatem superiorem.Confirmatur:quia inferior non potest mutare præceptum Superioris,per se loquēdo: cùm ergo pœnitentia illa sit imposita ex præcepto Superioris,vt Superior est; non poterit per potestatem inferiorē tolli illud præceptum. Ratio à priori est:quia in tantum secundus Sacerdos potest mutare pœnitentiam priorem,in quantum reducit totam causam ad eum statum,ac si nunquam iudicata esset in eo tribunali, atque adeò reuocat sententiam priorem quoad illam partem,& profert aliam sententiam, perinde ac si esset prima:in casu autem peccati reseruati non potest inferior velle iudicare hanc causam,perinde ac si hæc esset prima cognitio, & sententia:quia ad primam cognitionē non habet auctoritatē,sed solùm ad absoluendum, & puniendum secundò ad maiorem securitatem pœnitentis:ergo non potest reuocare primam sententiam; sed debet eam supponere,vt procedat ad secundam de secunda absolutione,& punitione.

106.

Obiicunt: quia postquam votum reseruatum commutatū est à Superiore in materiam aliam non reseruatam, tunc inferior poterit hanc secundam materiam commutare in aliam, sicut posset vota non reseruata:ergo,postquam Superior absoluit à peccato reseruato, poterit inferior pœnitentiam iniunctam commutare; quia pœnitentia non est materia reseruata, sed eiusdem rationis cum aliis pœnitentiis Respondet bene Suarez, quidquid sit de antecedenti,negando consequentiā:quia,quando commutatur votum castitatis, v. g. in ieiunia, Superior nō imponit præceptum, nec profert sententiam,sed solùm præstat consensum,vt subditus soluat vnum pro alio,perinde ac si sola ieiunia vouisset:cùm autē votum ieiunij non sit reseruatum; non mirum,quòd inferior possit illud iam commutare: at verò in nostro casu obligatio ad pœnitentiam prouenit ex præcepto, & sententia Superioris,quæ sentētia ex natura sua non potest reuocari, aut mutari,nisi per eundē, aut alium succedentem in eodem gradu,& officio, vt *supra* probatum est.

107. *An possit commutare pœnitentiam non auditis peccatis.*

Dubitatur tertiò,an,& quando potest secundus Sacerdos mutare pœnitentiam priorem ab alio impositam,debeat ad hoc audire peccata,pro quibus fuit imposita Negant plures,Nauarr.Tolet.Eman. Sá,Rodrig.Viuald. & alij plures,quos congerit,& sequitur Diana *vbi suprà,dicta resol.* 4.qui hanc dicit esse praxim,& vsum omnium Confessariorum.

Contraria sententia verior est, quam tenent Suar.& Vasq *vbi suprà*,Coninch *in præsenti*, Reginald Fagundez Molfesius, & alij,quos affert idem Diana *ibid.* & quidem ex Auctoribus,qui pro prima sententia afferuntur, multi non eam docent vniuersaliter;sed solùm quando subest aliqua grauis, & rationabilis causa.

108.

Ratione probatur nostra conclusio:quia Sacerdos non potest sententiam proferre, aut exercere iurisdictionem in pœnitentem,nisi in hoc iudicio; sed non exercetur iudicium,nisi ipse se accuset, & deferat peccata sua:ergo non auditis peccatis, non potest pro illis pœnitentiam imponere; alioquin posset etiam pro peccatis confessis, & pro nunquā confessis pœnitentiam sacramentalem imponere, quod dici non potest;quia causa non cognita, non potest sententia proferri,nec prior sentētia mutari. Confirmatur primò: quia Sacerdos secundus (vt diximus) eatenus potest reuocare,vel mutare priorem sententiam,quatenus cognoscit in eodem tribunali de eadem causa,perinde ac si nunquā fuisset iudicata;hoc autem fieri potest, nisi iterum audiat eadem peccata. Confirmatur secundò: quia pœnitentia, quam secundus Confessarius imponit pro prioribus peccatis, est sacramentalis: ergo est pars Sacramēti.Interrogo itaque,cuius Sacramenti?Non huius secundi:quia non potest esse pars huius Sacramenti ea satisfactio, quæ non imponitur

pro peccatis confessis in hoc Sacramento,& quorũ non datur absolutio:nam satisfactio sequitur confessionem, & absolutionem. Sed neque potest esse pars prioris Sacramenti:quia non est ex præcepto primi Confessarij,qui fuit eius minister,sed ex præcepto secundi:ergo non est pars illius Sacramenti.

109. *Quid, si ea de fuisse præterita peccata confusè cognoscatur.*

Infero primò,sententiam contrariam stando in ratione, patum, aut nihil habere probabilitatis; quare Pater Vasq. *n.*7. dixit, nihil habere probabilitatis.Cæterùm,attenta multitudine Doctorum, qui eam tradiderunt,non audeo negare, illam esse in praxi probabilem per principia extrinseca;præsertim, si secundus Confessarius ex confessione aliorum peccatorum, & ex statu pœnitentis, & ipsius testimonio habeat aliquam notitiam confusam, quòd plùs, minúsve, eadem ferè fuerunt peccata præteritæ confessionis. Ita limita Fagundez *de præceptis Ecclesiæ,præcep. 2.lib 9.c.4.num.22. in fine.* Et ratio esse potest: quia cum hac notitia iam possunt fieri materia huius secundæ confessionis, & absolutio potest super illa cadere, ac per consequens impositio pœnitentiæ nouæ. Obligatio autem procurandi notitiam magis distinctam, non videtur fortasse procedere in hoc casu,quia in ordine ad satisfactionem conuenientem imponendam, videtur sufficiens illa notitia confusa:nam de facto, quando Sacerdos imponit pœnitentiam, non retinet,nisi eiusmodi notitiam confusam peccatorum. Aliunde verò illa peccata supponuntur iam sufficienter explicata distinctè in alia confessione. Quæ ratio habere posset maiorem aliquam apparentiam ad illam sententiam sustinendam.

110. *An extra confessionem.*

Infero secundò,minùs posse concedi,quod aliqui addunt, scilicet, posse secundum Confessarium, etiam extra confessionem,mutare pœnitentiam ab alio impositam. Hoc tamen omni specie probabilitatis caret; quia Sacerdos non est index,nec habet vllam potestatem,nisi dum est in hoc tribunali exercens illud munus in pœnitentem:non ergo potest procedere ex potestate clauium ille actus extra confessionem factus,ac per consequens non potest esse actus iudicialis,nec validus. Aliud est de commutatione voti, & absolutione à censura, quæ ab aliquibus potest etiam extra confessionem fieri; nam hæ non sunt actiones sacramentales, nec pertinent ad hoc iudicium; sed procedunt ex alia potestate,quam Pontifex habet; & ipse potest communicare illam, provt voluerit;scilicet,itavt possit exerceri intra,vel etiam extra Sacramentum: potestas autem circa pœnitentiam sacramentalem imponendam pertinet omninò ad iudicium sacramentale, nec potest extra illud ab aliquo exerceri.

111. *An idè Confessarius extra confessionem possit.*

Hinc oritur quartum dubium,an idem Confessarius possit postea extra confessionem pœnitentiam à se impositam mutare, vel minuere. Negant communiter posse. Ita Suarez illa *sect.*10. *n.*3.Coninch *disp.*13.*n.*102. & alij. Addunt tamen, posse eundem Confessarium intra breue tempus id facere:quia adhuc censetur durare iudicium, sicut potest propter eamdem rationem imponere pœnitẽtiam etiam post datam absolutionem. Et quidem certum videtur, non posse omninò fieri extra Sacramentũ:quia actio illa sacramentalis est,vt diximus: quare, quocumque tempore fiat,pertinet ad idẽ Sacramentum,& per consequens fit intra illud.

An post quodlibet tempus.

Difficultas tamen est, an possit fieri etiam post quodlibet tempus;& tunc pertinere adhuc ad idẽ Sacramentum? Pater Suarez *vbi suprà* dicit,posse fieri intra tempus adeò breue, vt moraliter possit idem iudicium existimari. Alij determinant spatium mediæ horæ. Alij spatium vnius,vel alterius diei.Ita Sotus *in* 4.*distinct.*20.*q.*2.*art.*3.& Coninch *vbi suprà.* Alij, trium, vel etiam hebdomadæ. Ita Henriquez *lib.*5.*de pœnit.c.*21.*in fine*,citans Ledesmam in margine, cui consentiunt Vivaldus, & Valerus apud Dianam *vbi suprà.* Idem Henriquez *lib.* 7.*de Indulg.c.*17.§.1. dicit, posse intra octo citer dies.Alij denique dicunt, etiam post longum tempus posse eumdem Confessarium mutare pœnitentiam à se impositam. Ita P. Ioann. de Salas *in Manuscriptis huius materiæ.* Vasquez etiam *illo dub.*3. *n.*2. solùm videtur exigere,quòd Confessarius recordetur confessionis,vel status pœnitentis, ad hoc,vt possit mutare pœnitentiam.

Ego in primis existimo,non posse eundẽ Confessarium mutare pœnitentiam, nisi actu recordetur peccatorum, pro quibus illam imposuit,saltem aliqua memoria confusa, qualis sufficit ad imponendam satisfactionem:nam ille est actus iurisdictionis qui fit à Iudice,vt iudex est:ergo debet procedere cum notitia causæ,quæ iudicem ne sententia contineat errorem intolerabilem.Deinde existimo,non requiri nouam confessionem; sed, quòd hæc actio referatur ad cõfessionem,& absolutionem præteritam,& cum illa componat vnum integrum iudicium: certum enim est in hoc Sacramento partes tempore distantes posse vniri moraliter ad integrandum vnum Sacramentum:nam absolutio hodierna potest vniri cum confessione facta ante octo dies:ergo similiter additio,vel limitatio sententiæ potest vniri cum confessione,& sententia præterita. Denique adeo,me non inuenire sufficientem rationẽ, cur additio, vel limitatio illa post longum tempus facta non possit vniri moraliter sufficienter cum partibus præcedentibus ad faciendum vnum integrũ iudicium:nam ipsa satisfactio impleta post lõgum tempus integrat vnum iudicium cum partibus præcedentibus,vt constat:ergo,quando satisfactio non est posita, adhuc intelligitur iudicium illud incompletum,& quasi suspensum; & adhuc Iudex habet ius ad urgendum pro exequutione sententiæ: ergo adhuc poterit ex consensu pœnitentis mutare,vel diminuere priorem sententiã,vt melius possit exequationi mandari.Confirmatur:quia,si Confessarius imponens pœnitentiam,expresè retineret sibi facultatem moderandi, vel mutandi postea illam;nõ videtur dubitandũ,quin posset hoc facere: ergo præsumi potest, quod semper virtualiter habeat aliam intentionẽ relinquendi sibi talem facultatem:semper enim inrẽdit se obligare,quàm minimùm possit,& retinere totam potestatẽ quã potest.

Dices:ergo poterit Sacerdos postea pro libito augere pœnitentiã,quam priùs imposuit;adhuc enim censetur illa actio pertinere ad illud iudicium præteritum. & semper præsumitur retinere sibi facultatem id faciendi. Respondetur.Hoc argumentum probaret, quòd nec etiam post horã possit mutare pœnitentiam: quia tunc etiam non potest augere illam inuito pœnitente. Est ergo differentia inter vtramque potestatem:quia sententia semel legitimè prolata, & acceptata videtur transire in rem iudicatam, quasi per modum cõtractus;itavt non possit mutari,nisi ex consensu vtriusque,scilicet,& Iudicis,& subditi:non ergo potest Confessarius pœnitentiæ semel impositæ addere aliquod grauamen non consentiente pœnitente: ipso autem consentiente, poterit Iudex mutare, vel alterare, quandiu sententia nondum est exequutioni mandata. Hinc est,si Confessarius non imponat pœnitentiam ante absolutionem, posse ipsum postea illam imponere: quia visus est sibi illam potestatẽ retinere, & verè nondum protulit integram sententiam:semel autẽ imposita pœnitentia post absolutionẽ,& acceptata à pœnitente,nõ poterit Sacerdos addere,pœnitẽte inuito

inuito, propter rationem traditam, quia sententia prolata, & acceptata, non potest alterari sine consensu vtriusque partis in iis, quæ sunt in earum præiudicium, aut grauamen.

114. *Quid, si pœnitentia fuit præseruatiua.* Vltimò dubitari solet, an quãdo secundus Confessarius potest cõmutare, vel minuere pœnitentiã ab alio impositam, possit id facere, licèt pœnitentia illa fuerit imposita, vt præseruatiua à primo Confessario. Negat Zerola *in praxi pœnit. c. 25. q. 12.* Alij affirmant, quando Confessarius secundus iusta de causa pœnitentiam illam præseruatiuã cõmittat in aliam præseruatiuã. Ita Bonac. *in præsenti d. 5. q. 5. §. 3. punct. n. 5.* & Diana *2. tom. tr. de Sacram. resol. 137.*

Distinguendum est de pœnitentia præseruatiua: aliqua enim potest esse, quam Confessarius iudicauit, cognito statu pœnitentis, ita necessariam ad eius peccata vitanda, vt pœnitens ipse ex se obligatus esset ad illam medicinam sibi adhibendam; qualiter potest aliquando teneri ad vtendũ carnis maceratione, qui grauissimis carnis tentationibus vexatur cum periculo proximo consentiendi. Et huiusmodi quidem pœnitentiam non potest secũdus Cõfessarius licitè auferre, cùm neque ipse pœnitens, etiam ablatam à Confessario, posset relinquere. Dixi, *licitè*: quia, si secundus Confessarius, auditis eisdem peccatis, vt diximus, pœnitentiam illam auferret; valida esset ablatio quoad hoc, vt iam pœnitens non teneretur ex præcepto Confessarij illam exequi: sed solum ex præcepto naturali, quo obligatur ad vtendum mediis, quæ necessaria sunt ad vitandum peccatũ mortale: ita vt de cætero pœnitens, omissa illa pœnitentia, peccaret quidem contra hanc obligationem naturalem; non tamen contra præceptum positiuum Confessarij, nec contra reuerentiã Sacramenti, aut virtutem religionis: quia, sicut primus Confessarius, licèt peccasset non admonendo pœnitentem de illa obligatione; validè tamen optaretur, non adiiciendo præceptum positiuum circa illam pœnitentiam; ita secundus audita iterum confessione, posset eodem modo relinquere pœnitentem liberum à vinculo illo præcepti positiui. Cæterùm, sicut peccaret grauiter Confessarius dispensando in voto, vel illud commutando, quando præuidet ablato voto, faciliùs pœnitentem lapsurum in peccata carnis, v. g. qui priùs voti fræno coërcebatur: ita in casu nostro peccaret Confessarius secundus auferendo vinculum à primo Confessario impositum, quãdo timet, eo ablato, pœnitentem relicturum remedium illud necessarium sibi ad vitandos lapsus graues.

115. Aliquando verò pœnitentia præseruatiua, imposita à primo Confessario, est quidẽ vtilis, non tamẽ ita necessaria ad vitanda peccata futura pœnitentis: & tunc secundus Cõfessarius, audita priori confessione, vt diximus, poterit quidẽ validè tollere obligationem ad illam pœnitentiam, commutando in aliam; sicut potuisset primus in prima confessione. Poterit etiam licitè in iis circumstantiis, in quibus primus Confessarius potuisset eam pœnitentiam nõ imponere: sæpè enim tenetur Confessarius ad imponendas pœnitentias medicinales, & præseruatiuas, vt constat ex Trid. *sess. 14. c. 8.* quia, cùm sit Medicus, debet medicinam conuenientem applicare. Si ergo in his circumstantiis indicat secũdus Confessarius, attenta, vel fragilitate pœnitentis, qui pœnitentiam non implebit; vel eius emendatione, vel alia de causa, iã non opus esse, quòd talis medicina ei ex obligatione iniungatur; poterit in aliam pœnitentiam commutare: quia, quòd à primo fuerit, vt præseruatiua, imposita; non addit nouam obligationem, sed solùm motiuum ex parte Confessarij ad imponendam illam: obligatio autẽ pœnitentis tota oritur ex eo, quòd sibi imposita est à Iudice in pœnam peccati: Confessarius enim, licèt debeat curare pœnitentem, vt Medicus; non tamen potest, vt Medicus, illum obligare; sed solùm, vt Iudex. Debet itaque ipse, vt medicus, ad remedium pœnitentis præcipere, vt Iudex, in pœnam illa opera, quæ simul sint medicina: pœnitens tamen, ablato præcepto Iudicis, vt iudicis, non tenetur obedire sub mortali in iis, quæ aliàs non sunt ei necessaria ad salutem, vt dicemus *disp. 27. de Indulgentiis*, agentes de earum efficacia ad liberandum pœnitentem ab obligatione circa pœnitentias impositas.

DISPVTATIO XXVI.

De Suffragiis.

SECT. I. *An, & quomodo possint fideles sese inuicem suffragiis iuuare.*

SECT. II. *De iis, quibus applicari possunt suffragia; & de conditionibus requisitis ex parte ipsorum.*

SECT. III. *De iis, qui suffragia afferre possunt, & quæ conditiones in iis requirantur.*

DIximvs de satisfactione, qua aliquis ex opere operãtis potest de cõdigno diluere debitum pœnæ temporalis, quod habet, atque etiã de satisfactione Sacramentali, qua per Sacerdotis claues, & virtute Sacramenti potest ex opere operato liberari ab eodem reatu pœnæ. His autẽ affinis valdè est modus, quo fideles sese inuicẽ iuuant ad solutionẽ huius debiti, quatenus vnus satisfacit pro alio viuo, vel defuncto, quæ dicũtur suffragia, de quibus dicemus *hac disp.* postea verò *disp. seq.* dicemus de alio modo, quo diluitur hoc debitum ex opere operato per satisfactiones Christi, & Sãctorum, quæ nobis applicantur per Indulgẽtias ab habẽte claues thesauri Ecclesiæ, in quo illæ reseruãtur.

SECTIO I.

An, & quomodo possint fideles sese inuicem suffragiis iuuare?

CErtum est ex fide, dari aliquo modo hanc suffragiorum communicationem, & habetur in Symbolo, in illis verbis: *Sanctorum communionem.* Quod in genere loquendo, constat ex multis Scripturæ locis, quæ congerit Suarez *disp. 48. sect. 1.* quæ docent, alios ab aliis, orationibus saltem, adiuuari. Quòd autem possint etiam adiuuare sese ad satisfaciendum pro debito pœnæ temporalis, ex consuetudine, & sensu Ecclesiæ, & ex consensu Theologorum, ac PP. testimoniis probat idem Suar. *ibi.*

Aliqui moderni dixerunt, totum hoc fieri, quatenus alij aliis impetrant remissionem pœnæ; atque ideò, illum, qui pro alio satisfacit, non priuari satisfactione ex suo ieiunio, v. g. sibi proueniente; sed satisfacere proptiè pro se, & impetrare remissionem pœnæ pro alio, pro quo illud opus offert. Hæc sententia aduersari videtur aliis omnibus Theologis, quos latè congerit Suar. *sect. 2. n. 4.* & Catechismo Pij V. vbi *in fine de Sacram. Pœnitent. n. 61.* sic habetur: *In eo summa Dei bonitas, & clementia maximis laudibus, & gratiarum actionibus prædicanda est, qui humanæ imbecillitati hoc condonauit, vt vnus pro alio possit satisfacere.* Et *infrà* hanc appellat solutionem his verbis: *Qui diuina gratia præ-*

1. *Non est sola impetratio.*

Catechismus Pij V.

diti sint, alterius nomine possunt, quod Deo debetur, persoluere: quare fit, vt quodam pacto alter alterius onera portare videatur. Et subdit: *Nec verò de hoc cuiquam fidelium dubitandi locus relictus est, qui in Apostolorum Symbolo, Sanctorum communionem profitemur.* Soluere autem, & satisfacere, non est impetrare, vt constat; sed pretium offerre: possunt ergo non solùm impetrando, sed soluendo aliis suffragari. Et quidem hic est fidelium sensus, qui omnes putant, se suis satisfactionibus spoliare, quando eas pro aliis viuentibus, vel defunctis offerunt.

2. Ratione etiam probatur primò: quia, quod attinet ad impetrationem, non minùs, sed magis possunt nos Beati iurare pro nobis intercedendo: nunquam tamen dicuntur pro nobis satisfacere, sicut qui ieiunat, aut se pro nobis castigat. Secundò, quia hic modus soluendi, patiendo pro aliis, non repugnat ex se: cùm Christus Dominus vtroque modo nobis profuerit, nempe merendo, & rursus satisfaciendo etiam pro nobis, vt constat ex satisfactione ipsius, quæ pro debito pœnæ nobis applicatur per Sacramenta aliqua, & Indulgentias: poterit ergo satisfactio etiam vnius iusti alteri applicari. Tertiò, quia de facto satisfactiones Sanctorum in Ecclesiæ thesauro repositæ nobis applicantur per Indulgentias ad solutionem pœnæ debitæ, vt videbimus *disp. seq.* ergo à fortiori ipsimet potuerunt eas applicare, quando actu operabantur: quòd enim Ecclesia, quasi eorum hæres, facit, cui non potuissent ipsimet, qui domini erant eorum operum, quando ea faciebant, eodem modo disponere applicando aliis? Quartò, quia, si impetratione possunt iusti aliis obtinere remissionem pœnæ, cur non poterunt oblatione pœnæ æqualis; cùm facilius sit apud homines æquali, vel condigno pretio aliquid obtinere, quàm gratis solùm precibus, & impetratione? Denique ratio à priori est: quia opera iusti de se habent æqualitatē in ratione satisfactionis cum pœna illa temporali, pro qua offeruntur, alioquin nec pro se posset condignè satisfacere: ergo oblata pro alio habebunt eamdem condignitatem, cùm non sit plus, quod alteri auferetur de debito pœnæ, quàm quòd ipsi satisfacienti auferretur.

3. Obiicies primò, ille, qui peccauit, erat dignus pœna: ergo semper manebit dignus, donec vel puniatur, vel satisfaciat. Respondetur, hoc argumentum probaret, quod nec per Christi satisfactionem illi applicatam posset liberari à debito pœnæ. Negatur ergo consequentia: quia dignitas pœnæ, sicut tolli potest per meram Dei condonationem; ita faciliùs per satisfactionem condignam ab alio oblatam, & à Deo acceptatam.

Obiicies secundò, non potest contritio vnius satisfacere pro culpa alterius: ergo nec pro pœna. Negatur consequentia: quia Deus congruentissimè noluit de facto remittere culpam sine retractatione ipsius peccatoris; vt qui voluntariè peccauit, voluntariè redeat ad Deum: quæ ratio non procedit in solutione pœnæ, quæ non debet esse ita voluntaria; præsertim, cùm contritio propria, nec aliena, non sit satisfactio condigna pro culpa mortali: atque adeò non sit ex parte ipsius tantum fundamentum, vt debeat acceptari, quando offertur.

4. Obiicies tertiò: Non potest vnus iustus applicare sua merita condigna alteri, nec Deus acceptat talem applicationem: ergo nec poterit applicare suam satisfactionem. Negatur etiam consequentia: nam illa prior non esset bona, nec prudens liberalitas; priuare, nimirum, seipsum argumento æternæ gloriæ, vt daret aliis: in eiusmodi enim bonis æternis ordo charitatis exigit, vt me aliis omnibus præferam, & retineam totum oleum mihi, cæteros autem mittam ad vendentes, vt emant sibi. At verò in damno temporali, quale est pœnæ illius charitas inclinat ad subeundum eiusmodi detrimentum pro meis proximis: præsertim, cùm contingat, aliquem nunc non indigere sibi illa satisfactione, & cùm ex illa liberalitate crescat meritum in ordine ad maius præmium æternum sibi comparandum. Vide, quæ dixi *disp. 5. de Incarnat. sect. 8. num. 148.* Alia argumenta leuiora affert, & dissoluit Suarez *illa sect. 2.*

Prima difficultas est, an hæc satisfactio pro aliis prosit infallibiliter; an vero id pendeat ex arbitrio Dei absque vlla lege acceptandi eiusmodi satisfactiones pro aliis oblatas. Negant aliqui talem legem infallibilem. Ita Medina, & Corduba apud Suarez *sect. 3. num. 2.* quorum sententiam probabilem iudicat Coninch *in præsenti, disp. 10. dub. 7.* An sit infallibilis.

Communis tamen, & verior sententia affirmat, quam sequitur Suarez *ibi, n. 3.* cum aliis, quos affert: & supponitur planè in verbis Catechismi Romani *supra* adductis, quibus dicitur: *Qui diuina gratia prediti sunt, alterius nomine possunt, quod Deo debetur, persoluere,* &c. *Nec de hoc cuiquam fidelium dubitandi locus relictus est, qui in Apostolorum Symbolo, Sanctorum communionem profitemur.* Vbi in primis ponderari potest illa propositio vniuersalis, *possunt persoluere.* Nam, si iusti possunt: ergo habent in sua potestate id totum, quod requiritur ad eum effectum: ergo & acceptationem Dei, quæ vtique requiritur: non enim dicimur simpliciter posse id, quod non pendet à nostra sola voluntate: non enim dicitur Petrus posse habere librum Pauli, si ipso petente Paulus possit negare. Rursus ponderandum est, quod dicitur, id contineri in illo articulo Symboli, quo credimus Sanctorum communionem: cùm enim verba illa non significent communionem possibilem, aut conditionatam, si Deus velit, sed absolutam; si in illis verbis continetur hæc satisfactio vnius pro alio, consequens erit, quod hæc absoluta sit, & non solùm sub illa conditione. Catech. Pij V.

Ratione item probari potest: quia satisfactio Sanctorum, quando ab Ecclesia per Indulgentias alicui legitimo modo applicatur, infallibiliter prodest, & acceptatur à Deo, vt videbimus *disputatione sequenti*: ergo, quando ab ipsomet operante applicatur, non minùs infallibiliter acceptabitur à Deo, *vt superius* dicebamus, plus iuris videtur habere in illa opera eius auctor, quando ea facit, quam alij, in quo postea quasi in hæredes tanquam distributio illarum satisfactionum.

Dices, hoc ad summum probare de satisfactione superflua, qua ipse operans sibi non indiget; hæc enim sola reponitur posteà in thesauro Ecclesiæ, & applicatur per indulgentias: loquendo autem de illa, qua operans sibi indiget, congruū erat, vt Deus eam pro alio non acceptaret. Sed contra hoc adhuc vrget, quod loquutiones Patrum de hac materia vniuersales sunt, & sine distinctione inter satisfactionem superfluam, & non superfluam: quando enim loquuntur de suffragiis, quibus vtuentes possunt defunctorum animas iuuare per orationes, ieiunia, eleemosynas, sacrificia, &c. vniuersaliter loquuntur, & ponderari possunt ad id verba Concil. Flor. *in litteris vnionis*, vbi dicitur, *Defunctis, vt à pœnis releuentur prodesse viuorum suffragia, Missarum scilicet, Sacrificia, orationes, eleemosynas, & alia pietatis officia quæ à fidelibus pro aliis fidelibus fieri cōsueuerunt.* Vbi vniuersaliter docet, illa suffragia prodesse quādo pro defunctis fiunt. Eadē autem ratio est, quando offerrētur pro aliis viuis, cùm nō minor, sed maior communicatio si cum aliis viuis, qui sunt actu membra

Conc. Flor.

membra eiusdem Ecclesiæ militantis, & habent maiorem coniunctionē, & familiaritatem inter se.

7. An suffragia prosint de condigno, & de iustitia.

An verò hæc satisfactio pro aliis oblata applicanda sit de condigno, & de iustitia, dicendum omninò est, sicut diximus *suprà* de satisfactione, pro seipso esse quidem de condigno propter eadem ferè rationes: quia, nimirum, dignum est, vt, si aliquis innocens patienter patitur, relaxetur eius intuitu pœna, quam alius eius frater, vel cognatus debebat, & quòd possit ipse passione illa spontaneè susceptā redimere filij, vel fratris pœnam. Rursus dici poterit de iustitia, non quidem commutatiua, quam non habet Deus ad homines, sed vindicatiua non quidem de eius iustitiæ rigore quoad modum, cùm posset iustissimè Deus alienam pœnam non acceptare, sed exigere ab ipso debitore, sed tamen esse de iustitiæ rigore quoad æqualitatem, cùm non minor satisfactio ab operante offeratur, quàm esset illa, quam ipse debitor ponere debuisset ad satisfaciendum æqualiter, & de condigno.

8. An sufficiat fideiussio.

Secundà difficultas esse potest, an, vt Petrus liberetur à debito pœnæ, sufficiat, quòd Paulus iustus obliget se ad satisfaciendum pro illo sub eadem pœna, si non satisfecerit. Videtur enim id sufficere, cùm apud homines sufficiat fideiussio ante actualem solutionem. Respondetur tamen, id non sufficere; quod videntur Theologi communiter supponere: quia alioquin sæpè manerent peccata impunita, videlicet, moriente Paulo, v. g. antequam posset ponere satisfactionem, quam pro Petro promiserat. Dices: Solueret tunc ipse fideiussor in Purgatorio. Sed contra primò: quia illa non esset satisfactio; sed satispassio, seu punitio. Secundò, quia in Purgatorio nemo punitur, nisi dignus sit pœna; ille autem non sit dignus pœna propter aliena peccata; & supponimus, ipsum non peccasse omittendo satisfactionem promissam; quia non habuit tempus implendi promissum. Imò, etiam si peccasset in ea omissione, iam tunc puniretur propter suum peccatum nouum; non verò propter peccata Petri.

9. Dices iterum: Saltem, quando Deus præuidet ponendam satisfactionem, cur non potest eius intuitu extinguere nunc reatum Petri; sicut propter præuisam satisfactionem futuram Christi remittebat, & condonabat aliquid antiquis Patribus? Respondetur, idem argumentum posse fieri ad probandum, quòd possit hodie Petro deberi de condigno præmium propter merita cras ab ipso ponenda. Ad quod diximus latè *disp. 17. de Incarn. sect. 3. num. 40. & seqq.* vbi dixi, id esse speciale meritorum Christi propter suum infinitum valorem: & rationem reddidi. Idem ergo cum proportione dicendum est de satisfactione, quæ, si finita sit, non potest de condigno obtinere illam anticipatam solutionem, cùm non possit esse debitor de condigno ille, qui adhuc nihil recepit, sed recepturus est.

10. An possit iustus abdicare à se satisfactionem

Tertia difficultas esse potest, an possit homo iustus abdicare omninò à se satisfactionem non applicando illam alteri. Respondetur negatiuè: quia hic effectus satisfactionis oritur necessariò ex pœnalitate voluntaria, & laudabili: nam eo ipso, quòd homo iustus laudabiliter patitur, æquum est, vt illi compensetur ea pœna pro aliqua parte pœnæ debitæ. Quare, sicut non potest abdicare ius merendi per bona opera; sic nec satisfaciendi.

Dices: Poterit reponere suam satisfactionem in thesauro Ecclesiæ. Sed contra: quia hæc repositio, vt videbimus *disputat. sequenti*, non pendet ex eius voluntate; sed Deus ex æquitate quadam id, quod iusto superest, reseruat in vtilitatem aliorum, qui indigebunt: quare, dum ego indigeo, non possum illud abdicare, nisi applicando alteri indigenti; sicut nec possum reseruare illud pro necessitatibus futuris, vt *postea* videbimus. Hinc infero, si applicas hodie ieiunium pro aliquo defuncto; hic autem sit damnatus, vel Beatus, fructum satisfactionis redire ad te, & tibi prodesse: quia non aliter potes illud abdicare, nisi in quantum applicas alteri, quæ applicatio in casu illo non habuit effectum.

11. An possit transferre satisfactionē ex opere operato prouenientem.

Quarta difficultas esse potest, an possim ego applicare aliis satisfactionem, quæ mihi venit ex opere operato ex Pœnitentia sacramentali; vel etiam, quæ prouenit mihi ex ieiunio, quod mihi applicat Petrus. Videtur posse: quia hæc etiam satisfactio potest mihi esse superflua, si ergo non indigeo: quare, cùm aliunde iam sit mea, videtur, quòd possim de illa disponere, sicut de mea.

Verius tamen videtur, non posse regulariter id fieri: quod supponit etiam Suarez *disput. 38. sect. 9. num. 4.* & potest probari primò à posteriori: quia, si id fieri posset, sequeretur, posse aliquem abdicare à se satisfactionem ex opere operato, quam habet ex Baptismo vel martyrio, in quibus acquiritur remissio totius pœnæ temporalis. Consequens autem est absurdum: quia, si illa translatio satisfactionis esset valida, ille Martyr deberet esse in Purgatorio ad soluendum suum debitum pœnæ, atque adeò esset capax suffragiorum, quæ pro ipso possent offerri: quod est contra Ecclesiæ sensum, omnes enim supponunt, Martyrem, vel eum, qui statim suscepto Baptismo moritur, non detineri in Purgatorio propter plenitudinem remissionis, quam ex opere operato accipiunt.

12. A priori autem ratio esse videtur: quia, quando mihi applicatur satisfactio Christi, vel alterius; ego non sum dominus illius; sed habeo me passiuè illam recipiendo: non ergo possum illam applicare: nam opera mea non aliter possum applicare, nisi quia sum actiuè eorum dominus, nec aliter sum dominus, nisi, quia habeo dominiū libertatis respectu ipsorum operū, vt dicemus *sect. 4.* quare satisfactio mei ieiunij subest solùm mediatè meo dominio, quatenus ipsum ieiunij subest immediatè, ad quod consequitur satisfactio: ergo, vbi cessat ratio dominij, cessat potestas applicandi aliis satisfactionē.

13. Confirmatur primò: quia, si Sacerdos offerat Missam pro Petro, non potest Petrus fructum sibi ex illo Sacrificio prouenientem applicare pro alio: hoc enim esset, Petrū offerre illud Sacrificium pro alio; quod quidem est proprium offerentis Sacrificium, non illius, pro quo offertur. Posset quidem Petrus petere, vt Missa offerretur pro sua intentione; & tūc ipse posset habere intentionem pro alio, sed tunc non applicaret Petrus Sacrificium; sed Sacerdos immediatè illud applicaret pro persona, quæ esset in mente Petri. At verò, si Sacerdos applicat pro ipso Petro non posset Petrus illum fructum offerre pro alio. Similiter ergo, si alius hodie pro me determinatè ieiunat, nō possum ego illū fructum applicare alteri: nam vnusquisque respectu sui operis est quasi Sacerdos illud offerēs determinatè pro tali, vel tali persona: quare, sicut ego nō facio opus Petri, quod pro me offertur ita nō possū illud offerre pro aliquo, quia offerre pro aliquo, est facere illud pro aliquo.

Confirmatur secundò: quia, si Petrus velit oratione sua impetrare pro me, non possum ego impetrationem illam offerre pro alio; quia ego non possum orare per orationem Petri: ergo, si Petrus ieiunet pro me, non possū ergo illud ieiuniū applicare pro alio: quia, sicut impetratio est actio personalis; ita satisfactio, quæ nihil aliud est, quàm placare Deū per ieiunium, ne me puniat: non possum autem ego placere Deum per ieiunium Petri; sed ipse Petrus, qui ieiunat pro me, placat Deum pro me.

Deus autem attendit ad intentionem solius ieiunantis, vel orantis, cuius opus remunerat, non ad intentionem meam, pro quo affertur.

14. Dixi, *regulariter non posse id fieri*: quia Sacerdos certò potest applicare satisfactionis fructum prouenientem ex opere operato, ratione sacrificij: hoc enim pertinet ad Sacerdotem, vt Ministrum Christi; quòd possit partem illam, & fructum, qui correspondet Christo, vt offerenti, applicare, cui voluerit. Hoc tamen ideò potest, quia Christus offerens Sacrificium habet se actiuè ad illud, sicut Petrus ad suum ieiunium; & sicut Christus posset Sacrificium, & eius fructum applicare aliis; ita Sacerdos, quem Christus sibi ad hoc substituit, poterit id facere; quia etiam consideratur, vt principium actiuum illius operis. Quod idem fortasse dicendum esset de fructu Sacrificij, qui prouenit audientibus Missam, provt suo modo sunt etiam offerentes: nam ij etiam videntur comparari, vt principium actiuum ad obligationem Sacrificij, quam suo modo faciunt. Vnde, si vera esset sententia docens, illis etiam prouenire fructum satisfactionis ex opere operato, possent fortasse singuli offerre, & applicare illam partem aliis. Quia tamen *disput. 19. de Eucharistia, sect. 11.* diximus, non correspondere illis hunc fructum vt offerentibus, sed solùm ex opere operantis; non poterunt iuxta hanc sententiam, applicare aliis, nisi satisfactionem, quam possent habere ex opere operantis; sicut poterant applicare Sacerdotes antiqui in Sacrificiis, quæ offerebant.

15. Dices: Qui implet pœnitentiam sacramentalem; & non indiget eius fructu ad soluendam pœnam debitam pro peccatis, quæ tunc est confessus; non perdet effectum illius satisfactionis ex opere operato; sed proderit illi ad soluendam pœnam debitam pro aliis peccatis: ergo similiter, si non indiget illo fructu pro se, poterit illum applicare pro peccatis alienis. Respondetur, fructum ex opere operato satisfactionis sacramentalis, meo iudicio, non prodesse, nisi ad expiationem pœnæ debitæ pro peccatis, quæ confessus est: quia hæc pars Sacramenti ordinatur ad tollendum reatum pœnæ illorum vulnerum, quorum culpas abstulit absolutio: & ad hunc finem imponit Sacerdos illam satisfactionem, vt commutet, scilicet, pœnam pro illis peccatis debitam in eam pœnam, quam virtute Sacramenti, & clauium eleuat ad expiandam illam aliam pœnam: nisi fortè velimus etiam extendere hunc effectum ad pœnam debitam pro illis aliis peccatis, quæ ob iustam causam, vel oblationem omissa sunt, & à quibus indirectè absoluitur. Multò ergo minus poterit fructus illius satisfactionis extendi ad soluendum ex opere operato pro peccatis alienis.

16. *An sit melius retinere sibi satisfactionem.* Quinta difficultas esse potest, vtrum sit melius applicare suffragium defunctis, quàm retinere sibi: videtur enim magis expedire hoc secundum; quia ordo charitatis petit, vt nos magis diligamus, quàm proximum. Respondetur tamen, laudabilius esse primum: quia in his damnis temporalibus laudabile est ea subire propter proximum, vt suppono *ex 1.2. quæst. 26.* cum hoc enim stat, quòd simpliciter magis nos diligamus, cùm in rebus æternis nos præferamus aliis omnibus.

SECTIO II.

De iis, quibus applicari possunt suffragia; & de conditionibus requisitis ex parte ipsorum.

CErtum in primis est, non debere, nec posse offerri suffragia pro Beatis, cùm ipsi nullum habeant debitum pœnæ soluendum. An verò aliquo modo prosit illis Missæ Sacrificium, quod idem est de aliis suffragiis, diximus *disp. 19. de Eucharistia, sect. 10.* Certum etiam est suffragia nó prodesse iis, qui sunt in inferno, nec quoad debitum pro peccatis mortalibus non dimissis, nec quoad debitum pro venialibus, aut pro mortalibus dimissis quoad culpam: quia quoad omnia verissimum est, quòd in inferno nulla est redemptio: esset autem redemptio aliqua, si redimi possit viuentium suffragiis aliqua pars illius condemnationis. Videatur Suar qui latè de hoc agit *disp. 48 sect. 4.* 17. *Non prosunt Beatis, ut damnati.*

Certum etiam est, prodesse suffragia animabus defunctorum, quæ sunt in Purgatorio: quod fidei dogma traditum in Trid. *sess. 25. in principio* latè probant contra Hæreticos nostri temporis Controuersistæ, quos refert Suar. *loc. cit. n. 7.* qui etiam congerit fundamenta huius veritatis ex Scriptura, Conciliis, & Patribus. An verò prosint illis suffragia, non solùm per viam satisfactionis, sed etiam impetrando illis immediatè aliquam remissionem pœnæ per applicationem satisfactionis Christi; diximus *disp. 24. sect. 1.* vbi ostendimus, nó repugnare, quòd precibus Beatorum, vel etiam viatorum Deus interdú immediatè condonet aliquam pœnæ partem animabus Purgatorij. Constat denique ex supradictis, hanc satisfactionem posse aliquo sensu appellari de iustitia, licèt non quoad modum, quia potuit non acceptari à Deo; quoad æqualitatem tamen pretij, quod offertur. Verius etiam est, habere effectum infallibilem, vt diximus *sect. praced.* quod latè probat Suar. *sect. 7. n. 6* *Prosint animabus Purgatorij.*

Quæritur primò, an prosint omnibus animabus Purgatorij: dubitari enim potest de Catechumenis. De his autem dixi *dicta disp. 19. de Euchar. sect. 10.* Et quidem licèt suffragium Sacrificij eis prodesse non possit; de iis tamen, quæ singuli ex opere operantis possunt pro eis offerre, non videtur dubium, quin possint illis prodesse, cùm habeant coniunctionem fidei, & charitatis, cum aliis iustis. Quare, sicut, dum erant in hac vita, possunt fideles pro eis orare, & eis impetrare; sic possunt post, atque etiam suas satisfactiones eis communicare. 18. *An Catechumenis.*

Quæri potest secundò, an suffragium, quod pro defuncto offertur, prosit indirectè aliis defunctis. Videtur, quòd non prosit aliis: quia tota illa satisfactio offertur pro vno, & illi tota applicatur: ergo virtute illius nulli alteri remittitur aliqua pœna. Aliunde tamen videtur, quòd saltem indirectè prosit aliis: quia animæ illæ sanctæ habent inuicem maximam vnionem charitatis, & dilectionis mutuæ; quare necesse est quòd omnes gaudeant de subleuatione alterius, & de remissione ei concessa: ergo habent omnes lætitiam aliquam accidentalem de illo suffragio: ergo aliquod solatium, & per consequens aliquam pœnæ diminutionem. In quo sensu non video inconueniens, quòd hoc solatium accidentale concedatur in aliis, itavt per accidens habeant aliquod accidentale lenamentum, perseuerante pœna essentiali, vt ita dicam, in eodem rigore. Nam, sicut non omnia gaudia accidentalia, quæ Beati habent in cœlo, necesse est, quòd *An prosint omnibus defunctis, quibus offertur.*

quòd oriantur ex mensura meritorum, & beatitudinis essentialis, sed possunt prouenire aliunde; imò & possumus nostris orationibus ea illis impetrare, vt fatetur tandem Suar. *tom. 2. de relig. lib. 1. de orat. c. 14. n. 4.* cõtra id quod dixerat *tom. 3. in 3. p. disp. 78. sect. 3. circa fin.* possumus etiam nostra conuersione, & bonis operibus eos lætificare: sic possumus dare occasionem alicuius solatij accidentalis animabus Purgatorij: nam etiam ante oblatum suffragium pro ea, si ego habeo iam hodie propositũ celebrandi cras pro illa anima; huius propositi notitia potest esse occasio solatij accidentalis. Similiter ergo suffragium oblatum pro vna anima, potest esse occasio solatij accidentalis aliis, quatenus lætantur de liberatione sodalis, & sperant eius patrocinio in cœlo, obtinere aliquid ad propriam etiam liberationem. Non ergo prodest illud suffragium, nisi vni animæ, pro qua offertur, per modum suffragij, & solutionis: potest tamen occasionaliter afferre solatium aliis per modum obiecti lætificantis, sicut conuersio filij, aut amici auget gaudium accidentale Beatis, non per modum meriti; sed per modum obiecti lætificantis accidentaliter illos.

19. *An aquè valeat in eo, pro quo offertur.* Quæri potest tertiò, an ieiunium Petri, v. g. applicatum alteri, prosit ei, pro quo applicatur tantum, quantum prodesset ipsi Petro, si retineret sibi satisfactionem. P. Suar. *in præsenti, disp. 48. sect. 3. n. 6.* respondet affirmatiuè, si opus idem sit: potest enim contingere, quòd ieiunium ipsum cum oblatione illius pro defuncto sit opus melius, quàm fuisset ieiunium sine illa oblatione: quare iam plus proderit defuncto, quàm profuisset ipsi Petro ieiunium solũ, si Petrus applicet defuncto, & ieiunium, & obligationem etiam illam: contingit enim sæpè, quòd solùm offerat pro defuncto ieiunium; & tunc oblatio ieiunij pro defuncto affert fructum satisfactionis ipsi Petro, qui non applicuit defuncto per voluntatem reflexam ipsam oblationem ieiunij.

20. Hæc doctrina formaliter intellecta vera est, etiamsi ille, pro quo ieiunium offertur, habeat maiorem, vel minorem gratiam, quàm ipse offerens: quia valor satisfactionis non sumitur ex dignitate maiori illius, pro quo offertur; sed illius solùm, qui offert, & operatur. Dixi tamen, *formaliter intellectam esse veram illam doctrinam*: quia materialiter existimo non esse veram; sed posse aliquando habere maiorem effectum materialiter, aliquando minorem in eo pro quo offertur, quàm haberet in ipso offerente. Pro quo aduerte, ex duobus iustis, quorum vnus habet gratiam vt quatuor, alter vt octo, si habeant æqualia peccata soluenda in Purgatorio, purgandum fortasse celerius eum, qui habet maiorem gratiam: quia eadem pœna materialis in homine nobiliori, & digniori censetur moraliter maior pœna, quàm in homine inferioris notæ: vt, si homo nobilis, v. g. in vincula coniiciatur, vel mittatur in exilium per annum, censetur maior pœna moraliter, quàm si idem fieret de homine plebeio: ergo similiter punire in Purgatorio per triduum hominem sanctissimum grauior pœna moraliter erit, quàm punire per triduum hominem multò inferioris sanctitatis, atque adeò plus requiritur in hac vita ad satisfaciendum pro biduo Purgatorij hominis sanctissimi, quam pro biduo hominis minùs sancti: quia plus requiritur ad satisfaciendum pro maiori, & graniori pœna. Quo supposito, consequens videtur, si ille, qui offert ieiunium pro alio, habet gratiam vt quatuor, & ille, pro quo offertur, habet gratiam vt octo; quamvis effectus ieiunij, & satisfactionis in vtroque sit æqualis formaliter; esse tamen inæqualem materialiter, itavt si possit valere pro vno die Purgatorij illius, pro quo offertur, valuisset fortasse pro duobus, si applicaretur ipsi offerenti, vel è contra, si maior gratia sit in offerente, quàm in eo, pro quo offertur. Alioquin, si totidem dies Purgatorij extingueret in vtroque, iam haberet maiorem effectum formaliter in vno, quàm in alio; quia plùs est extinguere duos dies Purgatorij hominis sanctissimi, quàm hominis minùs sancti, vt dixi.

Applicans sua opera pro alio, minuit indirectè reatum suæ pœnæ. Hinc obiter infero, eum, qui applicat sua opera, & satisfactionem pro alio, adhuc indirectè minuere reatum suæ pœnæ, moraliter loquendo: quia auget verè gratiam per illa bona opera, & per consequens facit, vt pœna, v. g. decem dierum, quam heri debebat, iam hodie non sit, nisi octo dierum: nam in homine magis grato pœna octo dierum æquivalet pœnæ decem dierum in homine minùs grato.

21. *Non prod. sit peccatori.* Quæritur quartò de conditionibus, quæ requiruntur ex parte illius, pro quo offertur suffragium. Prima est, quòd sit in statu gratiæ. Primò, quia alioquin non habet communicationem sufficientem cum aliis membris viuis, cùm sit membrum mortuum. Secundò, & à priori: quia multò maior valor requiritur ad placandum Deum pro pœna sumenda de inimico, quàm de amico: ergo si opera iusti solùm valent ad primum, non valebunt de condigno ad secundum. Tertiò, & à priori: quia, quando homo est in peccato mortali, debet pœnam æternam, pro qua non potest offerri satisfactio condigna. Deinde, nec pro pœna venialium potest satisfieri; quia non solùm debet pœnam eorum; sed etiam meruit de condigno propter peccatum mortale, quòd Deus nullum alienum suffragium accepter pro eo, etiam ad redimendam pœnam venialium. Oporteret ergo placare Deum pro hoc duplici debito; nempe, pro pœna, quam debet ex veniali; & pro debito non acceptandi suffragium pro illo: ergo multò plùs requireretur ad extinguendam pœnam illius venialis in eo statu: quare non mirum, quòd non valeant ad hoc suffragia aliena, quæ solùm habent condignitatem ad primum debitum, non ad secundum, quod est multò grauius. Denique, cùm pœna veniali correspondens, in eo statu non sit temporalis, sed æterna, propter coniunctionem cum mortali; non sufficit ad satisfaciendum pro illa pœna, quod sufficeret ad satisfaciendum pro debito pœnæ temporis, vt *suprà* dicebamus de necessitate status gratiæ ad satisfaciendum pro pœna debita veniali proprio.

22. Dices: Ergo meum ieiunium, v. g. accipit valorem aliquem, & dignitatem à gratia etiam illius, pro quo offertur, contra id, quod *paulo ante* dicebamus. Respondetur, negando sequelam: hoc enim non est accipere valorem à gratia illius; sed non impediri ab eius indignitate, ne habeat effectum, vel potiùs non reddi ipsum effectum difficiliorem propter peccatum mortale. Sicut, si emisses domum in monte Quirinali centum aureis, antequam à Pontificibus habitaretur; posteà verò, quando cœpit ab eis habitari, non posses eo pretio illam emere, non, quia nummi non habeant eumdem valorem; sed, quia domus ex vicino Pontifice facta est melior, & digna maiori pretio: sic etiam tuum ieiunium de se eumdem valorem habet, siue offeratur pro peccatore, siue pro iusto; nec accipit valorem à gratia illius, pro quo offertur, quia tamen maius beneficium est remittere pœnam peccatori; ideò est dignum maiori pretio.

23. *Nec pro culpa non remissa.* Secunda conditio est, quòd culpa sit iam remissa, ad hoc, vt suffragium prosit ad delendum reatum pœnæ. Rationem reddit Suarez *dicta disp. 48. sect. 7. num. 1.* quia dum manet culpa, manet homo intrinsecè dignus pœna, quæ dignitas oritur ex

culpa. Hæc tamen ratio difficilis est: quia pœna, vt vidimus *disp.7.* non infligitur propter maculam habitualem, sed propter culpam actualem præteritam: ergo perseuerantia maculæ habitualis non reddit hominem dignum pœna. Ratio ergo legitima videtur esse, quod non est congruum Deum acceptare satisfactionem prò pœna, quæ videtur esse indulgentia, & gratia, quamdiu manet adhuc aduersus, & indignatus propter culpam, sed priùs debet placari ab offensa, & reconciliari cum homine, quàm condonet, vel acceptet gratiosè satisfactionem pro pœna.

24. *Nec pro culpa nondum commissa.* Tertia conditio est indigétia actualis illius, pro quo suffragium offertur: non enim reseruabitur illi pro culpa futura; sicut nec potest aliquis satisfacere nunc condignè pro suismet culpis futuris, vel pro earum pœna. Ratio est, quia in primis satisfactio sapit naturam pœnæ; est enim castigatio voluntaria: omnis autem pœna ex natura sua supponit culpam; nec potest offerri, vel acceptari condignè sub conditione, si postea subsequatur culpa; quia hinc oriretur postea licentia peccandi liberiùs absque metu pœnæ, cùm sciret homo, iam esse satisfactum pro illa culpa. Secundò, quia pœna ordinatur ex natura sua, vt reus agnoscat, & retractet culpam, & (sicut dici solet,) vt pœna aperiat oculos, quos clauserat culpa. Ergo, nec pœna, nec satisfactio, quæ eius vicem subit, potest ex natura sua, & condignè præcedere culpam: quomodo enim aperiet oculos, antequam claudantur?

25. Dices: Imò æquum videtur, vt, qui pro Republica, aut Principe innocens passus est, postea, si deliquerit, mitiùs puniatur, habeaturque ratio pœnæ, quam sine causa passus fuerat. Respondetur, negari non posse, quòd æquitas id suadeat: potest tamen dupliciter id fieri. Primò, si ante culpam cõmissam accipiat condonationem pœnæ ob culpam futurã: & hoc quidem ex gratia fieri posset, non tamen ob æquitatem id condignè exigentem: hæc enim, vt dicebamus, esset impunitas antecedenter ad liberiùs peccandum concessa. Secundò, posset fieri illa compensatio post commissam culpam, vt iam tunc in memoriam reuocaretur, quod anteà passus fuerat, & eius intuitu mitiùs postea puniretur. Et hoc quidem fieri posset etiam de condigno, si Princeps vellet, & de facto fit per concessores Indulgentiarum, per quas applicantur satisfactiones, & passiones antiquæ Sanctorum, quarum intuitu nũc Deus mitiùs punit nostra peccata, vel omnem prorsus pœnam condonat, licèt peccata ipsa posteriora sint: quia, nimirum, licèt satisfactio præcesserit; eius tamen applicatio non præcessit, sed fit nunc post peccatum commissum: ita vt aliquo modo punitio fiat post peccatum, quatenus nunc post peccatum fit compensatio, & acceptatio vnius pœnæ pro alia: ex qua acceptatione posteriori non sequuntur illa inconuenientia, quæ ex anteriori sequerentur. Non expediebat autem, quòd fieret lex antecedens de hac acceptatione, & compensatione postea etiam facienda: quia hæc lex haberet eadem inconuenientia, quæ acceptatio antecedens: nam, si scirent homines, quòd postea acceptandæ erant à Deo infallibiliter pœnitentiæ, & satisfactiones factæ ante peccatum, & earum intuitu Deum postea condonaturum pœnam; eodem modo fierent liberiores ad peccandum: ideò oportuit non solùm non acceptare illas satisfactiones antecedenter pro pœna postea incurrenda, sed nec legem, aut decretum facere de acceptandis post peccatum satisfactionibus anteà exhibitis, cùm in vtroque casu essent eadem incommoda.

26. Quartam conditionem addunt aliqui ex parte eius, pro quo suffragium offertur; quòd, scilicet, illud acceptet. Suarez verò *dicta sect. 7. n.7.* dicit, non requiri acceptationem formalem; sed sufficere interpretatiuam, seu voluntatem generalem, quam quisque habet liberandi se à debito pœnæ, quocumque modo possit. Ergo sanè non video, ad quid requiratur hic consensus virtualis aut interpretatiuus; imò licèt aliquis formaliter repugnaret, non video, quomodo impediet effectum suffragij. Alioquin, si aliquis in Baptismo, vel martyrio diceret, se nolle accipere remissionem totius pœnæ ex opere operato; sed velle se partem aliquam soluere in Purgatorio; maneret adhuc debitor pœnæ: quod videtur satis absurdum. *An requiratur acceptatio.*

Ratio autem à priori est: quia ille, cui applicatur satisfactio aliena, habet se merè passiuè: causa autem passiua non concurrit liberè, sed necessariò: ergo, cùm solus offerens sit adæquata causa actiua, ab ipsius libertate pendet effectus, & non à libertate eius, pro quo offertur. Confirmatur: quia si ego oro pro alio, non potest ipse per dissensum impedire impetrationem meæ orationis, per se loquendo; licèt fortè possit per accidens, reddendo se indignum: ergo similiter non potest impedire fructum mei ieiunij, quo intendo placare Deum pro illo: videtur enim eadem esse ratio.

SECTIO III.

De iis, qui suffragia offerre possunt; & quæ conditiones in iis requirantur?

PRima conditio requisita in offerente est, quod sit in statu gratiæ: alioquin, sicut non potest pro seipso; ita nec potest pro aliis satisfacere de condigno. Dubitatur, an hæc conditio requiratur in eo, qui offert suffragia publica nomine Ecclesiæ. Respondetur, Missam in primis in ratione Sacrificij habere suum effectum, etiamsi Sacerdos sit in peccato: quia principalis offerens est ipse Christus, & provt ab illo semper illa oblatio est Deo gratissima. Loquendo verò de orationibus, quæ sunt in Missa, & in diuino Officio, quæ offeruntur nomine Ecclesiæ; hæ orationes dictæ à Ministro peccatore habebunt impetrationem nomine Ecclesiæ; non tamen habebunt satisfactionem: quia Minister ipse non potest satisfacere, cùm sit in statu peccati: Ecclesia autẽ non satisfacit per illas orationes, cùm non sint opus pœnale ipsius Ecclesiæ, nec actus ab ea elicitus; sed solùm imperatus. Restat ergo sola efficacia impetrandi; quatenus Ecclesia per os illius Ministri repræsentat Deo suas preces, & vota. 27. *Offerens debet esse in gratia.*

Secunda conditio in offerente est, quòd habeat intentionem determinatam offerendi pro alio. Circa quod quæri potest primò, an sine hac intentione accrescat aliquid singulis iustis ex bonis operibus aliorum, & quid sit illud. Respondetur, non prouenire illis diminutionem pœnæ debitæ, nisi operans intendat pro eis satisfacere; sed prouenire quamdam impetrationem indirectam de congruo, quatenus congruum est, vt propter consortium bonorum Deus benefaciat iis omnibus, qui aliqua ratione ad eos pertinent, & cum eis habent aliquam coniunctionem. 28. *Requiritur intentio determinata.* *Et applicatur.*

Secundò quæri potest, an hæc intentio debeat antecedere opus bonum; an verò possit etiam subsequi; ita vt sufficiat applicare Coronam, vel Rosarium, postquam recitatum est. Respondetur, debere omninò antecedere. Primò, quia alioquin posset operans suspendere applicationem suæ satisfactio

tisfactionis,quando ipse non indiget; & applicare postea, quando indiget. Secundò, quia possent etiam Beati,imò & damnati, applicare nunc suam satisfactionem præteritam, quam exercuerunt in gratia, dum essent viatores, & nemini applicuerunt. Ratio à priori videtur esse: quia non potest mea satisfactio à me applicari, nisi provt subest meo dominio:non subest autem meo dominio,nisi quatenus habeo dominium libertatis, per quam possum facere, & non facere illud opus;postquam verò factum est,iam non est meum,sed fuit meum: ergo postquam factum est, non subest ampliùs meæ applicationi, sicut nec meo dominio. Vnde idem dicendum est de Missæ Sacrificio, cuius fructus non potest in suspenso relinqui;sed debet antecedenter applicari, alioquin reponitur in Ecclesiæ thesauro.

29. *Sufficit habitualis.* Tertiò quæri posset, an hæc intentio applicandi suffragium pro alio sufficiat,si sit habitualis; an verò debeat esse actualis, vel saltem virtualis: an, scilicet, sufficiat, si ego heri applicui pro aliquo omnia opera satisfactoria huius mensis, vt quandiu non retracto hanc voluntatem, satisfactiones illæ ei prosint, etiamsi posteà nullo modo recordetur:an verò requirat, vt ex illa voluntate procedam ad operandum, itavt voluntas præterita sit causa operationis sequentis. Pater Vasquez *2.tom. in 3.part.disp.*138.*c.*6.dixit,requiri voluntatem virtualem,hoc est, quæ sit causa operis; nec sufficere voluntatem merè habitualem,seu præteritam non retractam. Contrarium tamen probaui cùm communi sententia *disp.*8.*de Sacram.in genere,sect.*6.vbi videri possunt fundamenta, & solutiones ad argumenta contraria,ne iterum eadem repetamus.

30. *Testatori an prosint post mortem opera facta ab hærede.* Dubitari etiam solet circa opera, quæ offeruntur pro defunctis eorum iussu, an prosint illis solùm iuxta statum,& dignitatem hæredis, vel exequutoris, qui ea opera facit; an verò, etiamsi illi sint in peccato,prosint defuncto propter voluntatem præteritam, qua illa opera fieri præcepit.

Hæc opera aliquando sunt eleemosynæ,vel alia opera pietatis; aliquando sunt opera debita, v. g. restitutio facienda dominis,& alia similia.De prioribus multa dicunt, illa suffragia post mortem facta prodesse defuncto, etiamsi illi, per quos fiunt, sint in peccato. Ita videtur sentire S. Thom. *in* 4. *dist.*45. *quæst.*2.*art.*1.*quæstiunc.*3. Paulud. Bonauent Nauarrus, quos affert Suarez *dicta disp.*48.*sect.*8. *num.*15. & videtur esse iuxta communem sensum fidelium, qui ea suffragia fieri præcipiunt propter vtilitatem, quam ex illis sperant. Alij dicunt, solùm prodesse testatori voluntatem bonam,qua illa suffragia,vel pia opera præcepit,si tunc erat in statu gratiæ;vel, si posteà gratia recuperata, eam voluntatem ratificauit: opus verò post mortem subsequutum non posse addere satisfactionem, cùm iam non sit in eius potestate.Ita Suar.*ibi n.*18.cum Soto,& Angles, quos affert. Qui tamen id probant ex eo,quòd,neque etiamsi viueret,eleemosyna facta eius iussu per famulum, potest addere satisfactionem,quando fit:quod fundamentum *disp. præced.* reiecimus, & diximus in vniuersum, opus externum addere posse satisfactionem supra voluntatem præcedentem.

31. Aliunde tamen fatendum videtur, illa opera pia, quando fiunt post mortem, non posse addere satisfactionem:quia defunctus iam non est in statu satisfaciendi, nec merendi, cùm si extra viam: quare,licèt,si in eius vita facta fuissent, potuissent addere nouam satisfactionem; post mortem tamen illam addere non possunt. Proderunt tamen impetratorie: tum, quia pauperes,& illi,qui accipiunt eleemosynas, orabunt pro defuncto: tum etiam,quia ipsamet opera, & subsidium pauperibus, vel Ecclesiis exhibitum multùm valent ad mouendam diuinam clementiam, vt misereatur animæ defuncti,& libentiùs exaudiat preces, quæ pro ipso offeruntur. Poterit etiam defuncto prodesse ad satisfactionem pro illo actio hæredis, quà dat eleemosynam,si hæres sit in gratia: ad hoc tamen requiritur,quòd hæres non solùm ipsam eleemosynam, sed etiam suam actionem offerat pro defuncto. Ad quod quidem hæres non tenetur;sed ad dandam eleemosynam testatoris iussu, potest autem satisfactionem suæ operationis bonæ sibimet retinere. Vnde regulariter defuncto perinde est, quòd opera pia mandentur exequutioni per hæredem,aut exequutorem testamenti, qui sit, vel qui non sit in statu gratiæ: proderit verò multum, si eleemosynæ dentur iis, qui sunt in gratia, quòrum orationes faciliùs pro eius anima exaudientur.

Hinc infertur iam, quid dicendum de posterioribus operibus à testatore præscriptis,scilicet,restitutione rei alienæ, & aliis similibus, quæ exonerandæ conscientiæ causa fieri iubet. De quibus videtur etiam sensus fidelium esse, quòd prosint defuncto, quando fiunt ad eius liberationem, quod tradunt Gabriel,& Richardus apud Suarez *vbi suprà,n.*19.& videtur colligi ex aliquibus decretis,& nonnullis etiam reuelationibus animarum, quæ petunt restitutionem citò fieri, vt ipsæ liberari valeant. 32.

In contrarium tamen est ratio validissima:quia, si defunctus est in gratia, vt supponitur, certum est,quòd soluta pœna,quam ob peccatum præteritum debet, liberabitur:non enim meretur pœnam, eò quòd tunc non fiat restitutio; sed propter restitutionem in vita omissam. Rursus restitutio ipsa, vt dicebamus, non est opus satisfactorium defuncti, cùm iam ipse non sit in statu satisfaciendi:ad quid ergo potest deseruire restitutio re ipsa posita in ordine ad breuiorem liberationem defuncti?

Propter hoc alij docent, restitutionem illam per se loquendo, non prodesse defuncto ad satisfactionem, vel liberationem, vt fatetur Suarez *ibi* cum Soto, & Bellarm. quos affert, nisi per accidens, quatenus creditores vel alij excitantur ad orandum pro defuncto.Nec obstat decretum,quod opponi solet *ex cap.in literis, de raptoribus*, vbi hæredes iubentur restituere debita defuncti,*vt valeat à defuncto liberari*. Respondetur enim,litteram esse mendosam, & legi debere in plurali, *vt valeant à peccato liberari*,scilicet, ipsi hæredes, iuxta ea, quæ notantur in margine dicti capituli.

Adhuc tamen in gratiam communis sententiæ, & propter reuelationes illas, ac communem fidelium sensum addere possumus, dupliciter posse restitutionem illam prodesse animæ defuncti ad sui liberationem. Primò, quia sæpè Deus, quamdiu non fit restitutio,non vult exaudire preces, & orationes, quæ nomine Ecclesiæ, vel etiam à priuatis pro illa anima offeruntur: congruum enim est, vt ille soluat pœnam, dum alij eius causa patiuntur: quare,licèt soluta tota pœna liberanda sit, & licèt suffragia, & sacrificia prosint illi quoad fructum satisfactionis, interim tamen caret toto fructu impetrationis,quem habere posset,& hac de causa petūt ab hærede restitutionem fieri debitorum. Secundò,addere possumus,pœnam ipsam ob dilatam restitutionem angeri posse quoad durationem, vel intensionem. Quod quidem in humana republica fieri prudenter videmus,vt qui alium iniustè læsit, grauiùs puniatur, dum, qui læsus est, non condo- 33.

nat

nat, vel sibi satisfactum esse profitetur; mitiùs verò illo condonante, vel satisfactione ei oblata: pœna enim etiam ad hunc finem ordinatur, vt pars læsa ob iniuriam acceptam, vindictam aliquam ab iniusto lædente accipiat. Non est ergo contra, sed iuxta æquitatem iudicij, si dicamus, idem delictum, parte non satisfacta, vel condonante, grauiorem pœnam sibi taxare de condigno, quàm satisfacta, vel condonante parte. Potest ergo contingere, vt ob defectum solutionis differatur pœna defuncti: quia, quandiu pars læsa non condonat, vel ei non satisfit, pœna delicti præteriti grauior, & diuturnior esse debet: ideóque defuncti non solùm restitutionem à filiis, vel hæredibus fieri petunt; sed aliquando etiam à personis offensis veniam, & remissionem petiisse leguntur; eáque obtenta gratias egisse, quasi ob impedimentum ablatum suæ liberationis.

DISPVTATIO XXVII.

De satisfactione, quæ per Indulgentias applicari solet.

SECT. I. *Quid sit Indulgentia, & ex qua potestate procedat.*

SECT. II. *Quem effectum habeat Indulgentia.*

SECT. III. *De thesauro Ecclesiæ, qui per Indulgentias dispensatur.*

SECT. IV. *Vtrùm Indulgentiæ nunquam, nisi ex thesauro, concedantur; vel è contra, thesaurus, non nisi per Indulgentias dispensetur.*

SECT. V. *An, & quomodo defunctis Indulgentiæ communicari possint.*

SECT. VI. *De requisitis ex parte illius, qui Indulgentiam lucratur pro seipso.*

SECT. VII. *Nonnulla dubia circa ea, quæ exigi solent ad lucrandum Iubilæum.*

SECT. VIII. *Quotuplex sit indulgentia; à quo possit concedi; & ex qua causa; & quomodo expiret eius valor.*

NOn est animus nunc tractatum de Indulgentiis dare contra Hæreticos; & controuersiam instituere de earum valore: hoc enim pertinet ad Controuersistas, qui id egregiè præstiterunt, præsertim Bellarm. 3. *tom. lib. 1. de Indulgent.* & Suarez etiam *in præsenti, disp. 49. & sequentibus*, latissimè hanc materiam complexus est. Nos breuiter indicabimus fundamenta, & rationes, quæ magis ad Scholasticum pertinent; & ex iis insinuabimus, quomodo ad dubia moralia, practica doctrina de Indulgentiis deriuanda sit.

SECTIO I.

Quid sit Indulgentia, & ex qua potestate procedat?

1. *Indulgentia quid sit.*

INdulgentiæ nomine intelligimus remissionem pœnæ temporalis debitæ ob peccata remissa quoad culpam; quæ remissio non fiat virtute Sacramentorum, vel martyrij; sed per satisfactionem Christi Domini, & Sanctorum nobis applicatam ab habente potestatem. Esse autem in Ecclesia potestatem concedendi Indulgentias est de fide definitum in Tridentino *sess. 25. in decreto de Indulg.* & à Leone X. in Bulla contra Lutherum, & à Pio V. & Gregorio XIII. in Bulla contra propositiones Michaëlis Baij *propos. 60.* Constat etiam ex vsu antiquissimo Pontificum, qui in re adeò graui errasse non creduntur: de quo vsu videri possunt Bellarm. *loco citato*, & Henriq. *lib. 7. de Indulg. c. 3.*

2. *An præsidis à potestate iurisdictionis.*

Dubitatur primò, an concessio Indulgentiæ sit actus potestatis Ordinis, iurisdictionis. Respondetur, non esse solius Ordinis: quia simplex Sacerdos non potest concedere Indulgentias, cùm non habeat subditos. Item, non requiri potestatem Ordinis, vt constat ex vsu Ecclesiæ: solent enim Cardinales non Presbyteri, ex commissione Papæ, concedere Indulgentias; nec apparet ad quid requiratur Ordo, cùm hæc non sit actio sacramentalis. Vnde sequitur, procedere à sola potestate iurisdictionis: quia censetur collata Petro per illa verba: *Pasce oues meas*, quibus non Ordo, sed iurisdictio data fuit in ordine ad subditos, qui per oues appellantur. Ex quo obiter nota, non posse Pontificem Indulgentias Catechumeno concedere, cùm non sit eius subditus: quod an de concessione, etiam indirecta, verum sit, constabit ex dicendis.

3. Dices Indulgentiæ non possunt dari inuitis, & repugnantibus: ergo non sunt actus iurisdictionis: iurisdictio enim exercetur etiam in inuitum. Respondetur, non omnem actum iurisdictionis exerceri posse in inuitum: nam absolutio sacramentalis est etiam actus iurisdictionis, & non potest inuito conferri. Ratio autem est: quia hæc Indulgentiæ concessio datur, vt pastus, quo Pontifex potest pascere Christi oues: passus autem est voluntarius. Hinc etiam fit, ipsum Pontificem posse frui Indulgentiis, licèt non habeat iurisdictionem coërcitiuam supra se: quia, nimirum, potestatem habet pascendi oues Christi, cuius cùm ipse etiam sit ouis, potest participare hunc pastum, vt membrum huius ouilis, nullam exercendo iurisdictionem coërcitiuam supra se, sed vtendo potestate Pastoris, quam habet.

4. *An sit absolutio, qui soluit.*

Dubitatur secundò, an concessio Indulgentiæ sit absolutio, vel solutio. Potest enim dupliciter intelligi id fieri. Primò, vt Pontifex, tanquam thesauri dispensator, soluat pro aliquo debitore, applicando ex communi thesauri partem ad hunc effectum necessariam. Secundò verò, ita vt non solùm hoc faciat; sed etiam vt Iudex absoluat debitorem. Aliqui dicunt, concessionem Indulgentiæ esse meram solutionem. Durand. *in 4. dist. 20. quæst. 3. art. 2.* Sylu. *verb. Indulg. num. 3.* Alij dicunt, esse absolutionem. Caiet. *tom. 1. Opusc. tract. 15. c. 2.* Soto *dist. 21 q. 1. art. 2.* Angel. *verb. Indulg. n. 1.* & alij.

7. *An possit foro Dei*

Tertia sententia verior dicit, respectu viuorum esse solutionem simul, & absolutionem; respectu mortuorum esse meram solutionem. Ita Bellarm. *lib. 1. de Indulg. cap. 5.* Suarez *in præsenti, disput. 4. sect. 3. & 4.* Prior pars probatur: quia quando Indulgentia conceditur viuis, non est mera condonatio pœnæ, cùm verè Pontifex, simul de thesauro exhibeat, quantùm sufficit ad compensandum pro illa pœna; sicut, si Princeps debitorem alicui pecuniæ absoluat à debito, & iubeat è carcere liberari, soluendo simul ex publico ærario totum illud debitum: sic enim facit Pontifex liberando simul à debito pœnæ, & soluendo totum illud pretio dato ex ærario, & thesauro, cuius claues habet: non est ergo mera absolutio, sed neque est mera solutio. Primò, quia Pontifices frequentissimè hanc concessionem vocare solent absolutio

solutionem,& remissionem. Secundò, quia etiam homo priuatus posset concedere Indulgentias, applicando tuas satisfactiones alteri;& soluendo pro illo, quod tamen nemo concedit: quia ille solvit quidem,vt Deus absoluat; non tamen ipse absoluit. Tertiò, quia hic actus requirit potestatem in subdito: ergo non est mera solutio, ad hanc enim nulla iurisdictio requiritur. Quartò, quia Pontifex, vt Vicarius Christi, vtrumque facit, scilicet, offert pretium ex thesauro pro illo debito; & rursus nomine Dei,cuius Vicarius est,acceprat solutionem illam, & virtute illius liberat debitorem: ad vtrumque enim potestatem accepit, nec sufficeret potestas ad primum sine potestate ad secundum: quamvis enim offerret pretium ex Christi satisfactionibus,& Sanctorum;si tamen Deus nollet eam solutionem acceptare,debitor non liberaretur: vtrũque ergo facit,soluit,quatenus habet thesauri claues;& absoluit, quatenus est Vicarius Dei, cuius nomine acceptat illam solutionem.

6. Dices,seipsum non potest absoluere; & tamen ipse lucrari potest Indulgentias? ergo non aliter, quàm soluendo pro se. Concedunt aliqui in ordine ad seipsum. Sed melius negatur antecedens: nam, licèt iurisdictio cum potestate ligandi non sit ad ipsum; potestas autem merè liberandi alieno nomine non est, cur non possit esse. Itaque Pontifex nomine Christi aperit thesaurum, & offert pretium pro suo debito: rursus idem, vt Vicarius Dei, & eius nomine acceptat solutionem oblatam, & seipsum à debito liberat. Sicut, si aliquis debitor Petri ab eodem procurator constitutus offerat sibi pro debito pecuniæ frumentum, v. g. rursus ipse,vt Petri procurator, acceptet solutionem frumenti, & Petri nomine liberet se à debito pecuniæ;tunc soluit debitum,& simul Petri nomine absoluit se, acceptando solutionem illam.

Secũda verò pars,quod attinet ad defunctos,probatur;quia,sicut nõ accepit potestatem ad eos pascendos;sed solùm oues,quæ sunt in hac vita,& in hoc ouili,cuius ipse est pastor;ita non accepit potestatem ad eos ligandos,aut absoluendos, solũ enim potest absoluere,& ligare super terram;non potest ergo absoluere eos,qui sub terra sunt:quare Indulgentia eis concessa erit solutio,non absolutio:quomodo autem possit soluere pro iis,qui non sunt de suo ouili, dicemus inferiùs *sect. 5.*

SECTIO II.

Quem effectum habeat Indulgentia?

7. *An possit in foro Dei.* COnstat ex dictis, effectum Indulgentiæ esse remissionem pœnæ debitæ. Circa hoc tamen plura occurrunt dubia. Primum est, an hæc remissio sit solùm in foro Ecclesiæ,an etiam in foro Dei, vt Deus etiam non exigat ampliùs pœnam debitam pro illo peccato. Certum est in primis, posse Ecclesiam remittere pœnam illam, etiam in foro Dei: quod de fide esse,docet Suarez *disp. 50. sect. 2. n. 2.* Aliqui tamen antiqui dixerunt, de facto per Indulgentias non relaxari pœnam in foro Dei; sed solùm obligationem implendi pœnitentiam iniunctam. Communis tamen, & certa Doctorum sententia est, relaxari etiam ipsum debitum pœnæ coram Deo. Quia, cùm non desit potestas, & verba hoc significent; non debent aliter explicari, maximè in sensu absurdo: esset enim absurdum, relaxari solum debitum implendi pœnitentiam,relinquendo debitum pœnæ,cùm esset vtilius pœnitenti implere pœnitentiam ad redimendam pœnam: quod videtur esse contra Tridentinum *sess. 25. decreto de indulgentiis*, vbi definitur, indulgentiarum vsum populo Christiano esse maximè salutarem. Quia, nimirum, obligatio illa aufertur per substractionem materiæ, seu soluendo pro debita pœna: qua solutione posita, homo manet liber ab illo debito,etiam corã Deo. Alioquin, si à sola obligatione implendi pœnitentiam liberaretur,frustra requireretur thesaurus Ecclesiæ, ex quo Indulgentiæ concederentur:nam ad tollendam obligationem præcepti,non quidẽ thesaurus,sed potestas requiritur. Denique,nec fortasse potest Pontifex,saltem extra Sacramentum Pœnitentiæ,relaxare obligationem implendi pœnitẽtiam directè:quia in illo foro Confessarius est Iudex supremus, cuius sententia reuocari non potest ab vllo homine, nisi ab æquali in eodem foro:potest ergo Pontifex solùm indirectè relaxare illam obligationem,soluendo pro illo debito pœnæ,quo ablato,cessat obligatio pœnitentis satisfaciendi pro illo debito,quod iam est plenè solutum pretio sibi ex Ecclesiæ thesauro dato.

8. *An solùm sit pro pœnitentiis iniunctis,* Secundò dubitatur, an de facto,per Indulgentias,quæ sunt in vsu, remittatur pœna solùm correspondens pœnitentiis à Confessario iniunctis; an etiam pœna correspondens aliis peccatis, pro quibus pœnitentia iniuncta non est. In quo puncto est prima opinio multorum,qui dicunt, solùm remitti pœnam, pro qua pœnitentia iniuncta fuit. Ita docet Caiet. *Opusc. de Indulg. ad Iul. c. 2. & 7.* Petrus de Soto *lect. 2.* Durand. Palud. & Adrian. apud Suar. *disp. 50 sect. 3. n. 2.* Fundamentum præcipuum desumitur ex verbis illis apponi consuetis in eiusmodi Indulgentiis, scilicet, *ex pœnitentiis iniunctis*: quæ verba, licèt hodie non semper apponantur, retinetur tamen sensus, dum Pontifex concedit tot annos, vel tot quadragenas, vel tot dies Indulgentiæ, qui dies, vel anni correspondent illis, qui iuxta antiquos Canones pœnitentiales imponebantur, & taxabantur ad pœnitentiam agendam. Vnde infert Caiet. idem esse dicendum, etiamsi concedatur Indulgentia plenaria: quia semper intelligitur in eadem materia,scilicet, totius pœnæ correspondentis pœnitentiis iniunctis. Vnde rursus infert,quòd ex Indulgentia plùs commodi accipit ille, cui graviores pœnitentiæ impositæ erant à Confessario, quàm si leviores fuissent impositæ: quare deberet priùs petere,grauissimas pœnitentias sibi imponi, vt posteà per Indulgentiam à grauissima pœna illis correspondente liberaretur.

9. Secunda sententia docet, Indulgentiæ effectum de facto ad vtramque pœnam extendi, nec limitari ad pœnitentias iniunctas; quam tenent plures, quos refert, & sequitur Suarez *dicta sect. 5. n. 14.* qui vult, id locum habere, etiamsi expresè apponantur verba illa,*de pœnitentiis iniunctis*: quia hæc non sunt restrictiua, sed ampliatiua, vt sensus sit, *etiam de pœnitentiis iniunctis*: quia difficilius est liberare à pœna illis pœnitentiis correspondente: tum, quia facilius est remittere pœnam ante sententiam latam, quàm post illam; tum etiam, quia facilius soluitur vnum vinculum, quàm duplex, quale est iam ex debito pœnæ, & ex præcepto Confessarij. Denique, quia probabile est, quòd ille, cui pro aliquibus peccatis pœnitentia imposita est, si ante illam impletam satisfaciat ex opere operantis, illa satisfactio priùs extinguit debitum pœnæ pro aliis peccatis, quàm pro illis, pro quibus facilius iam potest satisfacere ex opere operato per pœnitentiam sacramentalem

lem sibi impositam : ergo idem credi debet de Indulgentia, hanc priùs, & facilius extinguere debitum pro aliis peccatis, quàm pro illis, pro quibus iam est satisfactio sacramentalis imposita, à quo debito facilius iam poterit homo se ex opere operato, liberare. Illa ergo verba debent intelligi in sensu ampliatiuo, nec excludunt remissionem alterius pœnæ : quia beneficium Principis largissimè interpretandum est quando non est in alicuius nocumentum.

10. Tertia sententia media docet, quando adduntur verba illa, *de iniunctis pœnitentis*, veram esse primam sententiam : quando Indulgentia absolutè conceditur sine illis verbis, locum habere secundam sententiam. Hanc tenent Nauarrus, Dominicus Soto, Ledesma, Corduba, apud Suar. *num.* 3. & ita effectum Indulgentiæ declarasse dicitur Pius V. priuatim interrogatus, vt quando absolutè pronunciantur, extendantur etiam ad pœnitentias non iniunctas, vt refert Bellarm. *lib.* 1. *de Indulg. cap.* 7. Vnde, sicut Cajet. consulebat, vt pœnitens procuraret, sibi priùs imponi grauissimas pœnitentias, à quibus postea per Indulgentias liberaretur : ita in hac sententia consulunt eius Auctores quando Indulgentiæ sunt de iniunctis pœnitentiis ; quia tunc quò grauiores pœnitentiæ impositæ fuerint, eò maius pœnæ debitum per Indulgentias soluetur. Et quidem hæc sententia cum aliqua limitatione mihi etiam placet.

11. *Indulgentiarum vsus cur olim introductus*

Pro cuius explicatione aduerto, olim Indulgentiarum vsum magna ex parte fuisse introductum propter grauissimas pœnitentias, quæ iuxta Canones pœnitentiales pœnitentibus imponebantur, quæ videri possunt in Sacerdotali Romano antiquo, vbi ex Guillelmo Durando latè referuntur pœnitentiæ singulis peccatis imponendæ ; quæ olim à fidelibus magno feruore obseruabantur : postea verò, deficiente feruore, cœperunt paulatim Pontifices concedere Indulgentias de iniunctis pœnitentis, remittendo vel annos, vel quadragenas, vel dies aliquot ex illis, qui pro pœnitentia iniungebantur. Vnde negari non potest, quòd intentio concedentis esset minuere, vel moderari onus pœnitentibus iniunctum, quod propter suam fragilitatem ferre non poterant : quare illæ Indulgentiæ ad illas solùm pœnitentias referri videbantur. Cùm ergo hic esset finis concessionis, non est, cur dicamus, per illam remitti potuisse pœnam aliam, quæ sub illa intentione non comprehendebatur. Quamvis enim ex parte sua facilius posset auferri pœna aliunde debita, vt contendit Suarez, non tamen erat tanta necessitas illam auferendi, nec attendebatur solùm ad liberandum pœnitentem à reatu pœnæ, sed etiam ad liberandum illum ab obligatione grauissima implendi illas pœnitentias, quas ob defectum feruoris difficilè erat impleturus, cum maiori periculo peccandi contra præceptum Confessarij. Nec in hoc casu locum habet regula, vt cui conceditur plùs, concessum intelligitur minùs ; sicut, si aliquis dispensetur in voto castitatis propter maius violationis periculum, non ideò censetur dispensatus in voto ieiunandi, quod leuius est. Regula enim illa intelligi debet, quando minus est annexum, vel inclusum in maiori ; quod conceditur, vt dispensatus ad Sacerdotium, intelligitur dispensatus ad omnes Ordines inferiores, vt notat Thom Sanch. *lib.* 8. *de matrim. disput.* 1. *num.* 25. Vnde non vrget exemplum, quod affert Suarez *sect.* 2 *num.* 14. de facultate absoluendi à reseruatis, in qua includitur facultas absoluendi à non reseruatis ; hæc enim facultas necessaria est ad illam aliam, cùm non possit absolui pœnitens à reseruato, quin absoluatur etiam à non reseruato. In nostro autem casu nulla est connexio inter liberationem ab vno debito, & liberationem ab alio. Aliunde verò non procedit eadem ratio concessionis, cùm finis fuerit diuersus, scilicet, liberare ab obligatione contracta circa vnum, & non circa aliud, à qua obligatione non poterat, vt *suprà* dixi, liberare Pontifex directè, sed indirectè, remittendo pœnam, ob cuius debitum impositum fuerat à Confessario præceptum exhibendi talem pœnitentiam.

Vrget Suarez *ibi n.* 15 quia vel illa remissio intelligitur de pœnitentiis non impletis, vel de omnibus. Si dicas primum : ergo melioris conditionis est, qui negligens fuit in pœnitentiis implendis. Si dicas secundum : ergo vel nihil remittitur, cùm iam fuerit satisfactum per pœnitentiam, vel debet remitti pœna æqualis aliunde debita pro aliis peccatis, quod est iuxta contrariam sententiam. Respondetur, intelligi de reatu pœnæ restante ob peccata, pro quibus pœnitentiæ impositæ sunt, & illæ non sunt impletæ, siue per oblivionem, siue per negligentiam, siue quia tempus nondum præterierat, quo impleri potuisset. Nec nouum est, quòd eiusmodi concessiones minùs profint diligentioribus : nam, quando per Iubilæum conceditur facultas commutandi vota ; ille, qui vota sua impleuerat, nihil lucri habet ex illo fauore ; ille autem, qui non impleuerat ob negligentiam, vel aliam causam, fruitur illa facultate, imò propter eiusmodi personas minus diligentes fiunt eiusmodi concessiones, vt liberentur à periculo, quod ob fragilitatem, vel negligentiam suam possunt incurrere. 15.

Hinc rursus infero, etiam nunc, quando indulgentiæ conceduntur cum eadem clausula, *de pœnitentiis iniunctis*, intelligi in eodem sensu ; quia eadem verba vsurpari videntur in suo sensu, in quo prius vsurpabantur. Nec obstat, quòd nunc non soleant iam illæ pœnitentiæ, iuxta antiquos Canones, imponi, atque adeò vanæ, & inutiles videantur illæ indulgentiæ. 16.

Respondetur enim, adhuc hodie vtiles esse, & habere posse suum effectum : admitti enim potest in fauorem secundæ sententiæ, verba illa non adstringi ad pœnitentias solùm reipsa à Confessario iniunctas ; sed extendi posse ad pœnitentias, quas, per se loquendo, debuisset imponere, & quæ iam per Canones impositæ sunt, licèt per accidens ob impotentiam, vel fragilitatem pœnitentis Confessarius noluerit ad eas obligare : nam aliquo modo iam illæ pœnitentiæ sunt iniunctæ, scilicet ab homine, vel saltem à iure. Quare, qui eas à Confessario per accidens non accepit sub obligatione, poterit adhuc per indulgentias liberari ab illo onere radicali, & debito, quod ex lege habebat subeundi illam obligationem ; & hoc iuxta mensuram correspondentem Canonibus antiquis. Liberabitur etiam à pœnitentiis de facto iniunctis iuxta numerum dierum, v. g. ad quorum pœnitentiam de facto fuit obligatus à Confessario : vt, si accepit pœnitentiam ieiunandi, vel recitandi septem diebus liberabitur ab hoc onere per Indulgentiam septem dierum. Nam Canones antiqui statuentes pœnitentiam centum dierum, v. g. pro aliquo peccato, non ita determinabant modum pœnitentiæ illis diebus peragendæ, vt non relinquerent hoc magna ex parte arbitrio Confessarij, iuxta circumstantias præsentes iudicanti : vt notatur sæpiùs in eodem sacerdotali Romano. Quare, si nunc Confessarius imponit recitationem Coronæ per centum dies ; illa reputari potest pœnitentia

tentia centum dierum, etiam iuxta antiquos Canones, & illa poterit auferri per Indulgentiam centum dierum.

15. Dices: si reuera iam hodie non imponitur obligatio ad illas graues pœnitentias, consequens est, vt iam hodie non sit maior ratio liberandi ab illis, quam ab aliis pœnis debitis ob alia peccata; atque ideò non debet limitari concessio ad illas, cùm ex se æquè, vel magis facilis sit condonatio aliarum. Respondetur ex dictis, licèt hodie cesset per accidens, & ex parte ratio illa: non tamen cessare per se, & in totum? nam, per se loquendo, vt diximus, adhuc deberent obligari pœnitentes ad illas pœnitentias, nisi per accidens Confessarij excusarentur propter fragilitatem nostram, & prudentem timorem reddendi confessionem odiosam: quare deseruiunt illæ Indulgentiæ ad excusandos directè, & per se eos, qui per accidens solùm excusarentur. Deinde manet etiam ex parte adhuc illa ratio: quia, licèt non imponantur illæ antiquæ pœnitentiæ; imponuntur tamen communiter graviores pœnitentiæ pro peccatis grauioribus, & pro illis vtiles sunt Indulgentiæ *de pœnitentiis iniunctis*: quia contingit etiam nunc imponi pœnitentiam plurium dierum, & ad annos etiam
16. pro aliquibus grauioribus peccatis. Adde, etiam nunc pœnitentias omnes, quæ pœnitentem grauant, & de quibus periculum est, ne impleantur, esse, quæ pro peccatis mortalibus imponuntur, nam pro venialibus leuissimæ sunt: cùm autem omnia peccata mortalia, per se loquendo, claudus subiiciantur, & pro illis imponatur pœnitentia, & pro omnibus essent pœnitentiæ præscriptæ in antiquis Canonibus; idem est concedere Indulgentiam *de pœnitentiis iniunctis*, ac concedere Indulgentiam de pœnis quæ pro mortalibus remissis debentur. Quare, cùm Indulgentiæ potissimùm introductæ sint ad subleuandos eos, qui peccatorum pondere grauati, parum pœnitentiæ, & satisfactionis exhibebant; debuerunt potissimùm introduci ad subleuandum hominem à pœna debita ob peccata mortalia, à quibus magis grauari poterat, & ideò addebatur illa clausula, *de pœnitentiis iniunctis*, vt remedium applicaretur maiori necessitati, scilicet pœnæ debitæ pro mortalibus: licèt etiam extendi possint ad pœnas pro venialibus debitas, pro quibus etiam pœnitentiæ impositæ sint; præsertim cùm dixerimus *suprà*, posse obligari hominem sub peccato mortali ad pœnitentiam grauem impositam pro venialibus. Meritò ergo moderni etiam Pontifices verba illa retinuerunt: & Paulus III. illa etiam clausula vsus est concedendo septem annos, & totidem quadragenas de iniunctis pœnitentiis iis, qui Ecclesias, & alia pia loca nostræ Societatis in diebus Natiuitatis, Circumcisionis, Epiphaniæ, Corporis Christi, diebus Veneris, & Dominicis totius anni, ac quadragesimalibus visitauerint, & ibi semel *Pater*, & *Aue* recitauerint; & verbum Dei, si in illis prædicetur, deuotè audierint, vt constat ex eius Bulla, quæ habetur in nostro Bullario.

17. Sine clausula, de pœnitentiis iniunctis, concessa Indulgentia vniuersalis.

Cæterùm, licèt hæc ita sint, & verba illa, *de iniunctis pœnitentiis*, non sint otiosa; adhuc cum secunda sententia dicendum videtur, quando ea verba non adduntur, concessionem esse vniuersalem, & indifferentem ad pœnam etiam pro aliis peccatis debitam: quia, cùm potestas in concedente non desit, & verba concessionem non limitent; non est, cur nos eam limitemus. Ad quod afferri possunt argumenta alia. Primum ex Bonifacio VIII. *in Extrauag. Antiquorum, de pœnit. & remiss.* in qua plenariam Indulgentiam concedit visitantibus illo anno quindecim diebus Basilicas Petri & Pauli: quam Indulgentiam adeò vniuersalem intellexit, vt dixerit, se intelligere cum omni, vniuersalitate possibilitimò ægrè tulit, quòd Confessarij eo anno pœnitentias iniungerent lucrantibus illud Iubilæum, vt refert Glossa, *ibi*, cuius Auctor dicit, se id à Pontifice audisse: & videri potest etiam Palud. *in 4. distinct.* 20 *q.* 4.

18. Secundò probari potest ex alia forma concedendi Indulgentias verbis generalissimis, *quantum claues se extendunt*; quam Caiet. negare non potuit, sed conatur explicare. Re tamen vera, si potestas semel conceditur, verba illa ad omnem pœnam, in quantum fieri potest, se extendunt. Tertiò, quia de facto conceduntur aliquæ Indulgentiæ non supponentes vllo modo confessionem eorum peccatorum, pro quibus conceduntur. Talis est illa, qua Leo X. concessit Minoribus, vt recitantes diuinum Officium per librum, consequantur remissionem dimidiæ partis peccatorum commissorum illa die: quod intelligi debet de peccatis commissis vsque ad tempus illud, quo Officium recitantes, Indulgentiam consequuntur: non potuerunt autem priùs accipere à Confessario pœnitentiam pro omnibus illis peccatis futuris; & similes aliæ Indulgentiæ plures inueniuntur, quæ confessionem non poterant supponere.

Argumenta, quæ Caiet. affert pro se, solùm probant, aliquando concedi Indulgentias de iniunctis pœnitentiis, quod nos concedimus; sed non ideò debet in omni concessione subintelligi alia clausula. Vrget contra hoc: quia consentaneum rationi est, vt Iudex Ecclesiasticus non iudicet, nisi de delatis ad suum iudicium, & non remittat pœnas, nisi peccatorum, quæ ad iudicium confessionis delata sunt. Ad hoc tamen benè respondet Suarez *sect. 5. num.* 13. forum sacramentale distingui omninò à foro Indulgentiarum, in quo Pontifex nullo modo procedit ex actis in illo alio foro confessionis.

Obiicit deinde *ex cap. cùm ex eo, de pœnit. & remiss.* vbi permittitur Episcopis, quòd in certis casibus possint *de iniunctis pœnitentiis*, quadraginta dierum Indulgentiam concedere: & addit Pontifex, quòd ipsi Summi Pontifices, qui plenitudinem potestatis habent, eiusmodi moderationem seruare consueuerint: ergo Pontifex non solet, nisi de iniunctis pœnitentiis Indulgentias concedere. Pater Suarez *n.* 20. respondet consequenter ad suam sententiam, per illa verba non fuisse limitatam facultatem Episcopis ad solas pœnitentias iniunctas; sed potiùs ampliatam, vt possint concedere illum numerum etiam de iniunctis pœnitentiis. Quod probat, quia alioquin dicendum esset, solùm coarctatam fuisse Episcopis facultatem concedēdi Indulgentias quadraginta solùm dierum, quoad pœnitentias iniunctas, quoad alias verò pœnas relictam illis potestatem, quam habebant.

19.

Tres casus in quibus Episcopus potest concedere Indulgentias.

Cæterùm hæc instantia parum vrget: nam, si textus ille attentè legatur, reducit totam facultatem antiquam Episcoporum ad mensuram, & modum ibi designatum: neque etiam ex illis verbis colligere poterit Caiet. quòd Episcopi non possint, nisi de iniunctis pœnitentiis Indulgentias concedere: tres enim casus ibi distinguuntur, in quibus Episcopus possit Indulgentias concedere. Primus est, quando dedicat Basilicam aliquam: & tunc sine vlla restrictione ad iniunctas pœnitentias dicitur, quòd possit concedere Indulgentiam vnius solùm anni. Secūdus casus est, pro anniuersario eius Dedicationis festo: & tunc dicitur, posse concedere quadraginta dies de iniunctis pœnitentiis. Tertiò denique dicitur, in aliis casibus, in quibus aliquoties

solent concedere Indulgentias, non debere excedere illum quadraginta dierum numerum: nihil tamen dicitur de pœnitentiis iniunctis. Denique additur, Romanum Pontificem hanc moderationem obseruare consueuisse: ex quibus non habetur, quòd Episcopus non possit, nisi de iniunctis pœnitentiis, Indulgentias concedere, licèt in illo peculiari casu de anniuersario festo Dedicationis illa moderatio adhibeatur.

20. Quamvis autem ex vi illorum verborum non videatur colligi limitatio Episcopi ad Indulgentiam de solis pœnitentiis; aliunde tamen probabile mihi est habere illam limitationem: quia formula illa concedendi annum, dies, quadragenas, videtur introducta à principio ad remissionem tantæ, vel tantæ pœnitentiæ iniunctæ. cùm verba illa non possint significare annos, vel dies Purgatorij; sed pœnitentiæ Canonibus statutæ: quare illa remissio videtur directè terminari ad tantam pœnitentiam iniunctam, siue ab Episcopo, siue à Summo etiam Pontifice vsurpetur. Quare, cum Episcopis solùm permittatur in illis casibus concedere annum, vel quadraginta dies Indulgentiæ, videtur esse in ordine ad tempus pœnitentiæ iniunctæ, provt olim communiter concedebatur: nec necesse est, quòd Episcopus in confessione id exprimat, si verba ipsa ex se id significant. Ex hoc tamen non fit, quòd Summus Pontifex non concedat vnquam, nisi de pœnitentiis iniunctis; sicut, neque ex limitatione illa sequitur, quòd Pontifex non soleat vnquam Indulgentiam plenariam concedere; sed solùm quadraginta dierum, vel vnius anni. Dicitur ergo, quòd Romanus Pontifex illam moderationem solebat vsurpare: quia tunc non nisi rarò aliter, quàm illa communi formula, & moderatione solebat concedere.

An, qui lucratur Indulgentiam, maneat in conscientia liber ab implenda pœnitentia sibi impositâ?

21. EX hactenus dictis sequi hoc videtur: si enim Indulgentia liberat à reatu pœnæ debitæ, pro quo debito fuerat imposita satisfactio sacramentalis; consequens est, vt cessante illo debito, cessare etiam debeat obligatio ad satisfactionem: ideò enim diximus, Pontificem liberare posse indirectè ab obligatione ad pœnitentiam, quatenus per Indulgentias tollit materiam, in qua fundabatur illa obligatio P. Suar. *suprà, disp.* 38. *sect.* 10. *n.* 10. dicit, hodie rarò vel nunquam licere omittere pœnitentiam iniunctam propter Indulgentiam susceptam: quia, cùm adeò exiguæ pœnitentiæ imponantur, vix sufficiunt per modum medicinæ: quare, licèt cesset necessitas satisfactionis; non cessat necessitas medicinæ, sub qua etiam ratione impositæ sunt. Quam sententiam multi Recentiores sequuti sunt.

22. Communis tamen sententia, (ni fallor,) antiquorum, & Recentiorum simpliciter, & vniuersaliter affirmat, liberari pœnitentem ab obligatione implendi pœnitentiam. Quam videtur expressè docere S. Thom. *in 4. distinct* 20. *quæst.* 1. *artic.* 3. *quæstiunc.* 1. vbi solùm dicit, esse de consilio, pœnitentiam implere, quando quis lucratur Indulgentiam. Eodem modo loquitur Nauarrus §. *in Leuitico, notab.* 21. *num.* 43. & 44. Syluester *verb. Indulgentia, num* 23. Angelus *ibi, num.* 1. *in fine.* Armilla *ibi, num.* 12. & 17. Et quidem Theologi generaliter, & absque vlla distinctione dicunt per Indulgentias tolli obligationem implendi pœnitentias. Videatur Viguer. *cap.* 16. §. *vers.* 21. Alex. Alens. 4. *p. q.* 23 *membr.* 1. *art.* 1. Bonauent. *in* 4. *dist.* 20. *art.* 1. *q.* 2. Argèt *ibi. q vnic art.* 4. Richard. *art.* 1. *quæst.* 1. Durand *quæst.* 4. *n.* 9. Palatius *disput.* 3. *pag.* 433. *col.* 2. Palud. *quæst.* 4. Adrian *quæst. de Indulg.* §. *de mat. Indulgent.* Valent. *lib. de Indulg. cap.* 2. & 6. Vasquez *quæst.* 94. *art.* 2. *dub.* 3. *num.* 1. Coninch *in præsenti, disput.* 12. *dub.* 3. *in fine*, & cæteri communiter.

Probatur primò *ex dicto, cap. cùm ex eo, in fine, de pœnit. & remiss.* vbi Innocent. III. dicit, *per indiscretas, & superfluas Indulgentias satisfactiones sacramentales eneruari.* Ergo ideò, quia aufertur obligatio implendi pœnitentias: alioquin, si maneat obligatio implendi illas, saltem ratione medicinæ, nihil prorsus eneruabitur satisfactio. Secundò probatur hoc ipsum clarè ex Bonifacio VIII. qui, vt refert Glossa *in prædicta Extrauaganti, Antiquorum, de pœnit. & remiss.* nolebat, Confessarios imponere aliquam pœnitentiam iis, qui Iubilæum anni sancti lucrabantur: quia, nimirum, satisfactione alia non indigebant. Tertiò denique à priori ratio est, quia Confessarius imponit pœnitentiam, vel pœnam, ad satisfaciendum pro peccato: ergo sublato debito totius pœnæ, provt fit per Indulgentiam, cessat omninò fundamentum illius obligationis: sicut, si condonaretur à Principe pœna debita pro aliquo crimine, eò ipso cesseret obligatio imposita per sententiam Iudicis ad pœnam aliquam pro illo delicto subeundam.

Dicunt, pœnitentiam non solùm imponi ad satisfaciendum; sed etiam in medicinam, & remedium ad præcauendum in futurum, vt colligitur ex Trident. *sess.* 14. *cap.* 8. Ergo, etiamsi cesset per Indulgentiam oblatio satisfaciendi pro pœna, potest obligare pœnitentia, quatenus imposita fuit, vt medicina. Respondetur, imponi quidem frequenter etiam vt medicinam: Confessarius tamen non potest obligare, nisi quatenus illam imponit in pœnam peccati. Sicut, licèt Iudex debeat procurare, quòd pœna delinquentis sit talis, vt simul sit medicina in futurum; non tamen posset imponere illam pœnam, nec verberare reum, si pœna fuisset à Principe condonata. Sic Sacerdos, qui simul est Medicus, & Iudex, potest punire peccata imponendo pœnam pro illis; quam, quia Medicus est, debet simul curare, quòd sit talis, vt sit etiam remedium, & medicina in futurum. Cæterùm, si pœna totaliter condonetur, non potest obligare ad medicinam: quia Medicus, vt Medicus, non obligat, sed consulit. Quod semper intelligitur de medicina non simpliciter necessaria ad vitanda peccata futura: posset enim pœnitens in aliquibus circumstantiis, propter suam dispositionem, & necessitatem, indigere aliquo remedio ad vitandum periculum peccati: & tunc Indulgentia non tolleret hanc obligationem: quia hæc obligatio non oritur ex præcepto Confessarij; sed ex iure ipso naturali, quo obligatur homo ad vitandum peccatum suum futurum, & per consequens ad vtendum remedio, quod censetur moraliter necessarium ad vitandum peccatum: quam obligationem Confessarius non imponit, sed declarat. Loquendo autem de obligatione noua, quam Confessarius imponit, illa solùm prouenit à potestate iudiciaria, qua potest punire, & ligare obligando ad pœnam.

Nec Concilium Tridentinum *illo cap.* 8. aliud insinuat: non enim dixit, Sacerdotem posse obligare præcipiendo medicinam, vt talis est; sed dicit Sacerdotem debere curare, vt pœnitentia non solùm sit medicina in futurum; sed etiam in vindictam præteriti. *Nam claues*, inquit, *Sacerdotum, non*

non ad soluendum duntaxat, sed & ad ligandum concessas, etiam antiqui Patres, & credunt, & docent. Quæ ratio potiùs ostendit, non posse Sacerdotem obligare, nisi quatenus imponit pœnitentiam, vt pœnam: si enim ligat etiam imponens vt medicinam, ineptè argueret Concilium probans, debere Sacerdotem non solùm imponere medicinam; sed etiam pœnam: quia habet potestatem etiam ligandi: qui arguendi modus, vt subsistat, supponit, potestatem ligandi non exerceri, quatenus medicina imponitur.

26. Confirmatur: quia, si condonata pœna, Sacerdos adhuc obligaret ad ieiunium per modum medicinæ, peto, an illud ieiunium deberetur, vt satisfactio sacramentalis, quæ sit pars Sacramenti, vel non. Vt satisfactio deberi non potest: quia qui nihil iam debet pro peccatis, non potest obligari ad soluendum; nec potest puniri à Iudice ille, cui condonata est pœna: ergo illud ieiunium non imponitur vt satisfactio: ergo non erit pars integralis Sacramenti. Ex hoc autem infertur, nec posse imponi vt puram medicinam: quia inauditum est, quòd pœnitens ex mero præcepto Confessarij obligetur ad aliquid, quod, si ponatur, non possit esse pars integralis Sacramenti: omnes enim dicunt, satisfactionem sacramentalem, quæ est tertia pars huius Sacramenti, esse illa opera, quæ Confessarius pœnitenti imponit. Dicitur quidem aliquando Confessarius obligare pœnitentem ad restitutionem, vel ad relinquendam occasionem proximam: illa tamen est loquutio improprta, vt constat, quia Confessarius non obligat, sed declarat pœnitenti obligationem, quam iam habet; & negat absolutionem, dum suæ obligationi non satisfacit: Obligatio autem propria, qua Sacerdos obligare potest, apud omnes conuertitur cum impositione pœnitentiæ, quæ est pars integralis huius Sacramenti. Cùm ergo, posita Indulgentia, non possit obligari pœnitens ad aliam satisfactionem exhibendam, consequens est, vt nulla obligatio Confessarij manere possit.

27. Dices iterum: Manebit adhuc obligatio implendi pœnitentiam, saltem propter reuerentiam Sacramenti, & eius integritatem, ne maneat Sacramentum imperfectum sine vna parte integranti. Sed contra hoc est: quia, vt optimè notat, & fatetur ipse Suarez *in præsenti, disputat. 50. sect. 3. num. 7.* hoc Sacramentum non postulat hanc integritatem satisfactionis, nisi propter hunc effectum satisfaciendi pro pœna, & ideò illo consequuto, non est contra reuerentiam Sacramenti, quòd illa integritas omittatur. Imò addit idem Suarez, cùm hoc Sacramentum sit iudicium iustum, ex se postulare, vt non exigatur satisfactio ab eo, qui vel debitum iam soluerat, vel remissionem debiti consequutus est.

28. Instabit aliquis: quia, si per Indulgentiam auferetur omninò obligatio implendi pœnitentiam impositam: ergo, etiam pœnitens velit illam implere, provt de facto communiter omnes eam implent, illa satisfactio nullum habebit effectum ex opere operato: quia, quod non oritur ex obligatione & præcepto Confessarij, non est pars huius Sacramenti, nec eleuatur per claues ad effectum sacramentalem operandum. Respondetur distinguendo: nam, vel pœnitentia impletur, postquam concessa quidem est Indulgentia; sed antequam pœnitens illam lucretur, vt contingit in Iubilæo, confessio enim fit, antequam homo lucretur Iubilæum: & tunc pœnitentia erit pars Sacramenti, & dabit effectum satisfactionis ex opere operato, quia adhuc manebat debitum pœnæ, & durabat obligatio ex præcepto Confessarij ad satisfaciendum, si non esset aliunde extinctum debitum. Vel pœnitentia impletur post obtentam Indulgentiam: & tunc, si Indulgentia non abstulit totum illud debitum, sed partem; pœnitentia operabitur effectum sacramentalem quoad aliam partem, quæ remanet: & fiet vere, ex præcepto Confessarij durante, quandiu non est extinctum totum debitum.

29. Denique, si Indulgentia extinxit totum debitum pœnæ, eadem videtur esse difficultas, si pœnitens aliis piis operibus non iunctis à Confessario satisfeciisset pro illo debito pœnæ, an pœnitentia posteà impleta operaretur effectum sacramentalem ex opere operato. In quo casu Pater Suarez *disputat. 50. sect. 3. num. 16.* cum Durando probile putat, ei, qui per Indulgentiam, vel propriam satisfactionem extinxisset iam debitum pœnæ illorum peccatorum, pro quibus pœnitentia imposita illi fuit, si tamen postea pœnitentiam sibi impositam exequatur, illam pœnitentiam prodesse ex opere operato ad delendam pœnam debitam pro aliis peccatis. Quod tamen mihi difficile est: quia, vt *supra* dixi, opera imposita à Sacerdote per claues non eleuantur, nisi ad effectum illius Sacramenti operandum, qui est remissio perfecta illorum peccatorum, à quibus Sacerdos absoluit. Quis enim credat, quòd possit illa satisfactio ex opere operato remittere pœnam debitam pro peccato post ipsam confessionem commisso? Ratio: quia solum operatur, vt punitio sacramentalis, per quam Sacerdos nomine Christi punit, & commutat pœnam debitam in talem pœnitentiam: Sacerdos autem non punit peccata futura, nec alia, nisi ea, de quibus iudicat in illa Confessione: ergo non commutat in illam pœnitentiam, nisi pœnam debitam pro illis peccatis. Denique, cessante obligatione, cessat punitio: quia actus puniendi oritur à coërcitiua, qua Iudex potest obligare, & cogere ad pœnam: sed posita aliunde satisfactione, vel condonatione totali, cessat obligatio pœnitentis ad illam pœnam: ergo illa iam non erit punitio sacramentalis ex defectu materiæ, circa quam deberet versari, vt posset esse vera punitio, atque ideò non mirum, quod obtenta Indulgentia, illa satisfactio non habeat effectum ex opere operato, nec sit satisfactio sacramentalis, cum non sit satisfactio pro peccatis, quæ pertinet ad illud Sacramentum.

30. *Tempore iubilæi leuiores pœnitentiæ possunt imponi.*

Hinc infertur primò, tempore Iubilæi posse Confessarium leuiores pœnitentias imponere; obligando tamen pœnitentem ad lucrandum Iubilæum: ad hoc enim conceditur illa remissio à Pontifice, vt subleuetur pœnitens, qui pro tantis peccatis non poterat agere debitam pœnitentiam: quod redundat etiam in leuamen Confessarij, qui frequenter nescit, quomodo peccatori ingentibus peccatis grauato possit congruentem pœnitentiam imponere, præsertim, cum ad quamlibet pœnitentiam grauiorem difficilem eum inueniat.

31. *An possint pœnitentiæ debitæ commutari in Indulgentiam, & quam.*

Infertur secundo, hoc pacto posse etiam Confessarium prouidere pœnitenti, quem inuenit grauatum multis pœnitentiis ex anteactis confessionibus, quas non impleuit: in quo casu, vt vidimus *disputat. 25. sect. 6.* Confessarius non potest commutare illas pœnitentias, non auditis prioribus peccatis: poterit tamen commutare illas in aliquam Indulgentiam plenariam, quam pœnitens lucretur: quo pacto eum liberabit ab eo onere. Imo, cum hic modus liberationis non oriatur ex potestate secundi Confessarij, sed ex subtractione materiæ, quatenus per Indulgentiam extinguitur illud

illud debitum pœnæ, consequens est, vt possit hoc etiam extra confessionem facere: quinimò ipsemet penitens, si homo doctus esset, potuisset satcere illam commutationem: nam re verà non ipse facit; sed Summus Pontifex, qui per concessionem Indulgentiæ tribuit facultatem extinguendi debitum pœnæ, quod erat fundamentum illius obligationis. Quas illationes approbarunt viri doctissimi Salmanticenses à me consulti, & illas etiam inuenio approbatas apud Patrem Ioannem de Salas, & Patrem Alphonsum Rodriquez *in suis Manuscriptis*, vtrumque virum scriptis, & doctrina satis notum. Qui etiam cum aliis prudenter aduertunt, consulendum semper esse pœnitenti, vt opera imposita, quoad fieri possit adimpleat, nec debere pœnitentias omitti Indulgentiarum occasione: quia illa opera imposita etiam fuerunt à Medico ex desiderio salutis: & quia prosunt ad meritum, quod pluris faciendum est, quam redemptio pœnæ temporalis: & quia frequenter homo reus est maioris pœnæ, quàm putat: & facilè contiget, vt post Iubilæum; etiam reus maneat alicuius pœnæ; quia propter varias causas Indulgentiæ effectus potuit, ex aliqua saltem parte, impediri. Vltimò aduertendum est, doctrinam positam locum habere, quando quis lucratur Indulgentiam plenariam; non verò si lucretur partialem: quia fortasse illa non æquialet toti pœnæ, quam pro illis peccatis pœnitens debebat.

SECTIO III.

De thesauro Ecclesiæ, qui per Indulgentias dispensatur.

32. *Ecclesia thesaurus an detur.*

FVit prima sententia Maironis *in 4. distinct. 19. quæst. 2.* non dari talem thesaurum, neque ex satisfactionibus Christi, neque ex satisfactionibus Sanctorum. Fundari autem videtur in alia sententia falsa, quòd satisfactiones, aut merita Christi non fuerint infiniti valoris, quam impugnauimus *disp. 6. de Incarn. sect. 1.* Sed adhuc data illa sententia, non negant eius Auctores, acceptata fuisse à Deo Christi merita ad valorem quasi syncategorematicè infinitum, hoc est, cum sufficientia ad redimenda omnia peccata hominum quoad culpas, & pœnas: quod sufficeret in rigore ad perpetuitatem thesauri, vt probat benè Suarez *disp. 51. sect. 1. n. 7.*

Secunda sententia est Durandi *in 4. dist. 20. q. 3.* qui negauit, hunc thesaurum constare ex meritis, vel satisfactionibus aliorum Sanctorum præter Christum. Tertia sententia esse potest, quòd thesaurus constet etiam ex meritis de congruo Sanctorum; non tamen ex satisfactionibus condignis superfluis: in cuius fauorem multa congerit Suarez *sect. 2. num. 7.* licet ipse tandem eam deserat.

33. *De fide esse dari thesaurum constantem ex meritis, & satisfactionibus Christi.*

Prima conclusio sit, thesaurum constantem ex meritis, & satisfactionibus Christi negari non posse salua fide. Ita enim docet expresse Clemens Papa VI. *in Extrauag. Vnigenitus. de pœnitentia, & remiss.* vbi ad concessionem Indulgentiæ plenissimæ præsupponit hoc fundamentum de thesauro infinito, quem Christus Ecclesiæ militanti acquisiuit, cuius thesauri dispensationem Petro, & eius successoribus commisit. Idem definiuit Leo X. in Bulla ad Caiet. quem refert idem Caiet. *3. part. quæst. 48. art. 5.* Et quidem supposito valore Indulgentiarum, quem Maironis non negat, non potest negari, illum fundari in meritis Christi, cùm nullum nobis beneficium spirituale conferatur, aut condonatio pœnæ, nisi propter Christum: si ergo est potestas in Ecclesia condonandi debitum pœnæ extra Sacramentum, debet fundari in valore meritorum Christi. & eius satisfactionum, quæ satisfactiones sunt causa magis vniuoca, & homogenea, ac proinde magis proportionata ad expiandum debitum pœnæ, atque adeò non debent excludi ab hoc thesauro.

34. *Conclusio nisi ex satisfactionibus Sanctorum. Clem. VI.*

Secunda conclusio sit, hunc thesaurum constare etiam ex satisfactionibus superabundantibus aliorum Sanctorum. Hæc conclusio colligitur ex verbis eiusdem Clementis VI. *in dicta Extrauag. Vnigenitus.* vbi addit: *Ad cuius quidem thesauri cumulum B. Dei Genitricis, & omnium Electorum à primo iusto vsque ad vltimum merita administriculum præstare noscuntur.* Idem constat ex illa Bulla Leonis X. vbi expresse ait, Pontificem thesaurum Iesu Christi, & Sanctorum posse dispensare, quod sub excommunicationis pœna teneri, atque doceri præcipit. Denique hoc ipsum constat ex Pio V. & Gregorio XIII. in Bulla contra propositiones Michaëlis Baij, inter quas sexagesima erat hæc: *Per passiones Sanctorum Indulgentiis communicatas non propriò redimuntur delicta; sed per communionem charitatis nobis eorum passiones impartiuntur, vt digni simus qui pretio Sanguinis Christi à pœnis pro peccatis debitis liberemur.* Ratio denique est: quia Sancti habuerunt plurimas satisfactiones, quibus ipsi tunc non indigebant, eò quòd vel sufficienter soluissent, & satisfecissent iam priùs pro debito proprio: vel, quia maior fuit satisfactio, quàm debitum, vt contingit Martyribus atrocissima tormenta patientibus. Deus autem, qui nullum meritum condignum absque præmio reliquit, cùm illis operibus, vt satisfactoriis nullus effectus correspondisset, congruentissimè illa opera in thesauro suæ memoriæ reliquit, vt saltem in aliis indigentibus aliquando effectum possent habere; cuius thesauri claues, & dispensationem Summo Pontifici commisit. Baius.

35. *Nec solum ex meritis cum gratia.*

Vnde infero contra tertiam sententiam, non sufficere, quòd merita congrua Sanctorum sint in thesauro, & concurrant quasi de congruo ad effectum Indulgentiæ. Primò, quia Leo X. in prædicta Bulla docet, hanc concessionem Indulgentiæ, & dispensationem thesauri, fieri per modum absolutionis, vel suffragij, vel solutionis: soluere autem dicit obligationem pretij condigni pro pœna: quare non concurrunt Sancti per sola merita congrua, sed per satisfactiones condignas. Vnde idem Pontifex præmiserat, concedi Indulgentias *ex superabundantia meritorum Christi, & Sanctorum*: vbi præpositio, *ex*, videtur significare pretium potiùs, quàm causam impetrantem. Et posteà subdit, *hunc thesaurum meritorum Christi, & Sanctorum dispensari.* vbi etiam verbum *dispensandi* significare videtur erogare, & soluere pretium. Denique propositio illa Baij *suprà* relata, & reiecta à Pio V. & Gregorio XIII. continebat, *per passiones Sanctorum, Indulgentiis communicatas non propriè redimi dilicta.* Vnde in rigore sermonis fatendum erit, quòd passiones Sanctorum repositæ in thesauro concurrunt redimendo, hoc est, soluendo de condigno pro pœna à nobis debita. Leo X.

36. *Quomodo satisfactiones præteritæ Sanctorum possint nunc prodesse de condigno? Respondet Suarez dicta sect. 2. num. 17. ad 2. Durandi, placuerunt satisfactiones præteritæ.*

Quomodo autem satisfactiones præteritæ Sanctorum possint nunc prodesse de condigno? Respondet Suarez *dicta sect. 2. num. 17. ad 2. Durandi*, rationem esse; quia ipsimet Sancti in hac vita habuerunt intentionem, saltem virtualem, eas applicandi aliis, qui indigerent. Hæc tamè ratio difficilis est. Primò, quia etiamsi aliquis iustus positiuè vellet, suum ieiunium non reponi in Ecclesiæ thesauro, quia se indignum, v. gr. æstimaret, cuius opera in thesauro manerent, adhuc reponeretur, si ipse non indigeret, nec alteri applicaret: ergo id non oritur ex

ex illa voluntate, vel applicatione virtuali, quam habuerat. Secundò, & à priori: quia ego non possum applicare ieiunium meum præsens pro peccato Petri futuro; non enim sum dominus operis, nisi cum actu operor, vt *suprà* vidimus: ergo Sancti, dum erant in hac vita, non potuerunt validè applicare suas satisfactiones pro necessitatibus futuris. Ad quid ergo attendi debet ad eorum implicitam, aut virtualem intentionem, si etiam expressa, & formalis nihil valeret?

Respondet secundò idem Suarez, Ecclesiam vel luti iure hæreditario succedere in eiusmodi bonis suorum filiorum, quæ ipsi aliis non dederunt. Sed contra hoc etiam est, quod hæres non posset habere plùs iuris, quàm haberet ipse defunctus, si viueret: sed ipsemet iustus, si viueret, non posset nunc applicare suum opus præteritum, pro me: ergo neque Ecclesia, vt hæres illius, poterit applicare.

37. Dicendum ergo videtur, hanc applicationem non fieri ab ipsis Sanctis, sed à Deo, qui manet nunc Dominus illorum operum, & potest nunc ea applicare. Dices: Illemet, qui fecit opus bonum, non est posteà dominus illius: ergo nec Deus. Respondetur negando consequentiam. Nam valdè diuerso modo Deus est Dominus illius operis, ac homo. Quia homo est solùm Dominus quasi actiuè, quatenus potest illud facere, quando potest facere, & non facere: Deus autem est etiam Dominus alio modo, quatenus condignè potest moueri, & non moueri, ad remittendam alteri pœnam intuitu pœnæ alienæ: æquum enim est, vt, si heri ille innocens laudabiliter passus est; hodie, quando eius frater deliquit, computetur pœna hesterna fratris innocentis pro illa, quam hodie iste debebat, & absoluatur iste intuitu pœnæ, quam eius frater innocens heri laudabiliter sustinuit. Hoc ergo dominium semper manet penes Deum, quod non est posse facere opus pro hoc, vel illo; sed posse moueri de condigno ad remittendam reo pœnam intuitu pœnæ, quam frater innocens laudabiliter passus est. Itaque Papa nomine Dei, non nomine Sanctorum, applicat eorum satisfactiones necessitatibus præsentibus.

38. Obiicies primo: quia in Sacramentis non applicantur nobis satisfactiones Sanctorum, sed solius Christi: ergo neque per Indulgentias: sufficit enim satisfactio infinita Christi in vtroque casu. Respondetur negando consequentiam: quia, licet sufficeret satisfactio Christi, & licet in Sacramentis ipsa sola, & eius merita applicentur, quia Sacramenta sunt fundamenta nostræ religionis, quæ à solo Christo habent efficaciam; in hac tamen relaxatione, quæ fit per Indulgentias, voluit ipse honorare Sanctos, & assumere eos tanquam socios ad absolutionem, & liberationem nostram: quod ex ipsa Ecclesiæ traditione satis constat.

Obiicies secundò: Pontifex concedens Indulgentias non remittit, vel absoluit auctoritate Sanctorum: ergo non dat Indulgentias ex eorum satisfactione. Negatur etiam consequentia: quia, licet ex Sanctorum satisfactione fiat solutio; non tamen fit per potestatem acceptam ab ipsis Sanctis, qui nec potuerunt illam dare, sed per potestatem à Deo acceptam, qui solus poterat hanc pœnæ præteritæ acceptationem facere pro pœna nunc debita

39. Obiicies tertiò: Ergo non solus Christus redemit nos; sed etiam Sancti, qui suis passionibus nos liberant à pœna debita, possunt dici nostri redemptores. Respondetur, hoc argumentum magis directè probare contra suffragia, quę vnus iustus offert pro alio defuncto, v. gr. tunc enim magis proprię posset dici, eum redimere, cùm offerat determinatè opera sua in pretium pro eius libertate. Dico igitur, Sanctos non appellari propriè nostros redemptores. Primò, quia redimere est actus moralis procedens ex voluntate redimendi, liberatio autem nostra non procedit, vt vidimus, ex intentione, qua Sancti offerrent pretium pro nobis: sed ex voluntate Dei computantis illam pœnam pro solutione nostri debiti. Secundò, quia redemptor simpliciter, & absolutè in præsenti materia, & negotio nostræ salutis non est, qui aufert aliquod impedimentum, & dilationem; sed qui liberat nos à seruitute peccati, & damnatione æterna, quod solus Christus fecit: quare neque etiam, qui offert suffragium pro defuncto, dicitur simpliciter eius redemptor. In aliquo tamen sensu magis limitatio concedi potest, quod redimimur à debito pœnæ per passiones Sanctorum: ideò enim Pius V. & Gregorius XIII. reiecerunt propositionem illam Baij *suprà* adductam, hunc loquendi modum admittere nolentis.

40. Obiicies quartò, hanc doctrinam non cohærere cum doctrina Clementis VI. *in prædicta Extrauaganti, Vnigenitus.* Nam Pontifex *ibi* non loquitur de satisfactionibus; sed de meritis Sanctorum, per quæ dicit augeri thesaurum Ecclesiæ. *Ad cuius*, inquit, *thesauri cumulum B. Dei Genitricis, & omnium Electorum merita à primo iusto, vsque ad vltimum, adminiculum præstare noscuntur.* Ad hoc facilè respondetur, *ibi* sumi merita, vel materialiter, vel largo modo: nam, quia satisfactiones omnes sunt etiam merita condigna, & licet non reponantur in thesauro sub ratione meriti, seu ad merendum, sed ad satisfaciendum; ipsum tamen satisfacere fit ad modum meriti, & largo modo appellatur mereri; ideò nominauit illa opera sub nomine magis noto, & vulgari *meritorum*, cùm reuera merita sint.

41. Sed contra solutionem obiicies quintò: quia si non loquatur Pontifex de meritis formaliter, vt meritis, doctrina ipsius vera esse non potest: dicit enim merita omnium electorum, à primo vsque ad vltimum, deseruire ad augendum hunc thesaurum. Quod quidem de satisfactionibus verum non est: nam multi iusti, & Electi fortasse nunquam habuerunt satisfactiones superfluas, & superabundantes; siue quia indigebant sibi, siue quia, si aliquibus non indigebant, eas pro aliis viuis, aut defunctis applicarunt; atque ideò ex illis non auxerunt cumulum thesauri: ergo debent verba illa intelligi de meritis quæ null Electorum defuerunt; & illa eadem vt impetratoria de congruo reposita manent in Ecclesiæ thesauro.

Confirmatur ex verbis sequentibus eiusdem Pontificis, quibus hunc thesaurum inexhauribilem esse ostendit. *De cuius consumptione* inquit *seu minutione, non est aliquatenus formidandum: tam, propter infinita Christi, vt prædictum est, merita; quàm pro eo, quod quanto plures ex eius applicatione trahuntur ad iustitiam; tanto magis accrescit ipsorum cumulus meritorum.* Quæ ratio in satisfactionibus non videtur probare, cùm non omnes, quibus applicatur thesaurus, augeant posteà illum propriis satisfactionibus superfluis, sicut augeant propriis meritis, si iusti sunt. Clem. VI.

42. Propter hæc Pater Suarez *dicta sect. 2. num. 14. & seqq.* dicit, opera iustorum sub vtraque ratione manere in thesauro Ecclesiæ, scilicet, vt merita congrua, sub qua ratione omnia eorum opera manent; & vt satisfactiones, sub qua ratione manent solum satisfactiones eorum superabundantes: & ideò posse aliqua de illis, vt merita sunt,

verificari; licet non verificentur, vt sunt satisfactiones. Quare inexhauribilitatem thesauri magis videtur Pontifex ex augmento meritorum probare, quam satisfactionem: quia sub ratione meriti omnes electi concurrunt ad augendum; non verò sub ratione satisfactionis.

43. Hæc responsio iam videtur aliquò modo deficere à rigore sententiæ, communis, quam in conclusione proposuimus: quare contra illam fieri possunt argumenta, quibus probauimus, thesaurum non componi sufficienter ex meritis congruis, sed ex satisfactionibus condignis Sanctorum. Deinde ex ipso contextu Clementis VI. reiici potest. Primò, quia ibi Pontifex loquitur de thesauro, qui applicetur, & dispensetur per Pontificem: dispensare autem significat distributionem, & exhibitionem pretij, dando partem vni, & partem alteri, quod impetrationi non competit, sed satisfactioni. Secundò, quia metus ille, quòd thesaurus consumatur, & exhauriatur, contra quem Pontifex opponit multitudinem meritorum in dies accrescentium, & augentium ipsum thesaurum, non potest intelligi de exhauritione sola meritorum; sed multò magis satisfactionum: nam, licet manerent in thesauro merita congrua Sanctorum ad impetrandam nobis veniam, si exhaustæ fuissent satisfactiones, multò magis, & meritò metuere possemus de inefficacia thesauri ex hac parte: deficiente enim pretio condigno, quo redimerentur nostræ pœnæ; metuere iam possemus de debilitate, & incertitudine Indulgentiæ, quæ solùm inniteretur impetrationi congruæ ex meritis præteritis. Si ergo Pontifex hunc timorem excutere voluit, non debebat recurtere ad multitudem solam nouorum meritorum, exhausta omninò satisfactione thesauri, debemus, ergo pe sistere in satisfactionibus contentis in thesauro sine recursu ad merita.

44. Aliter itaque respondendum est ad obiectionem, & dicendum, propositionem illam vniuersalem non esse intelligendam de omnibus Electis materialiter; sed per distributionem accommodam: vt sensus sit, satisfactiones omnium electorum, à primo vsque ad vltimum, qui habuerunt satisfactiones superfluas, reponi in thesauro. Quem sensum omnes debent admittere, etiamsi id intelligant de meritis congruis. Nam, sicut possunt esse aliqui electi, qui nullam habuerint satisfactionem superfluam; sic possunt esse aliqui, qui nullum habuerint meritum: quia, vt omittam paruulos Electos, quorum certè nullum meritum in thesauro reponi potuit; inter adultos etiam aliqui potuerunt iustificari cum attritione præcedenti per Sacramentum paulò ante mortem, ita vt nullum meritum, aut satisfactionem exercuerint postea in statu gratiæ: præsertim, si petito Baptismo, vel absolutione, amiserint sensum, & in eo statu Sacramento suscepto decesserint. Et quis scit, quòd vltimus Electus non sit futurus talis? Non ergo intendit Pontifex, quòd omnes prorsus Electi, & singuli aliquid debeant ad communem thesaurum conferre; sed, quòd omnium opes, si quæ sunt, ad illius augmentum conducunt. Nomine autem meritorum, seu satisfactionum simpliciter intelliguntur solæ superfluæ: nam, quæ superfluæ non fuerunt, non intelliguntur adhuc extare, cùm expensæ, & consumptæ fuerint in effectu adæquato, & condigno, quem iam habuerunt; illæ tamen, quæ adhuc non habuerunt suum effectum, intelliguntur durare, & extare: atque ideò verum est, omnes satisfactiones Electorum, scilicet, quæ adhuc extant, repositas esse in thesauro; & hic est sensus legitimus illius propositionis vniuersalis, quam clariùs explicuit Leo X. in prædicta Bulla dicens, fieri hanc solutionem ex superabundantibus Sanctorum operibus, & hanc fuisse Romane Ecclesiæ doctrinam.

Ad confirmationem dicimus, etiamsi verba illa intelligantur de meritis, explicanda ab omnibus esse; cùm non sit necesse, omnes, quibus Indulgentiæ applicantur, addere postea noua merita ad thesaurum, vt vidimus cùm fieri possit, quòd is, cui in mortis articulo Indulgentia applicatur, non possit posteà vllum meritum exercere. Debet ergo intelligi de necessitate quadam morali, & humane modo: nam plerumque illi quibus Indulgentiæ applicantur, cùm liberi iam sint à proprio reatu pœnæ, habebunt satisfactiones sequentes magna ex parte superabundantes, & thesaurum augebunt. Vbi obiter nota, quando Pontifex dicit, *quantò plures ex thesauri applicatione trahantur ad iustitiam, multò magis accrescere ipsorum cumulum meritorum*, non esse intelligendum de vera, & rigorosa iustificatione; cùm sit certum, per Indulgentias non iustificari hominem à peccato, & transire ad statum gratiæ; sed debere intelligi de iustitia latiùs accepta, provt significat iustificationem, seu mundationem à reatu pœnæ: quam iustificationem, dum per Indulgentias consequimur, expediti iam à propriis debitis reddimur magis expediti ad thesaurum augmendum propriis satisfactionibus, quibus iam non indigemus. 45. Clem. V.

Obiicies sextò, ex hac doctrina sequi, quod etiam in lege antiqua fuerit thesaurus ex satisfactionibus superfluis Electorum, atque adeò potuisse tunc etiam esse Indulgentiarum vsum per applicationem, & distributionem thesauri communis. Respondetur, concedendo, fuisse tunc thesaurum: quod indicat Clemens VI. dum dixit, à primo vsque ad vltimum Electorum potuisse augeri: sed tamen erat clausus, non data potestate vlli homini aperiendi, & distribuendi illum, prout data est Pontifici in lege noua. Diximus enim *suprà*, illas satisfactiones non remanere in dominio hominis operantis, aut cuiusuis alterius; sed solius Dei, quatenus potest moueri, & non moueri condignè ad remittendam pœnam alicui intuitu illius pœnæ, quam eius frater laudaciliter, & innocens, passus est. Deus ergo, qui solus potest illas satisfactiones præteritas acceptare, reseruauit legi gratiæ hanc liberalitatem, & claues huius thesauri; præsertim cùm ante merita, & satisfactiones Christi esset valdè diminutus, & multò inferioris dignitatis, & excellentiæ. 46. *An ante legem gratiæ fuerit thesaurus.*

Petes an, in thesauro reponantur satisfactiones superfluæ Electorum solum, & prædestinatorum; an etiam reproborum iustorum: nam Clemens VI. in prædicto loco de solis Electis mentionem fecit. Respondetur distinguendo: nam post eorum mortem non manent in thesauro satisfactiones reproborum: dum autem sunt in hac vita, vtrorumque satisfactiones sunt in thesauro, quandiu sunt in statu gratiæ; neutrorum dum sunt in peccato, etiamsi fuerunt positæ in statu gratiæ. Ratio est, quia satisfactiones imitantur merita: quare, sicut merita iusti postea per peccatum mortificantur sic etiam satisfactiones: & sicut merita per pœnitentiam reuiuiscunt; sic & satisfactiones. Vnde, quando homo moritur in peccato, omnes eius satisfactiones, sicut & merita penitùs delentur, nec sunt ampliùs in thesauro: quomodo enim nunc Deus condonaret alicui pœnam intuitu satisfactionis, quam Iudas habuit, dum erat in gratia: nonne hoc esset aliquod modo retribuere præmium, & remunerare opera Iudæ? cùm tamen ipse 47. *An reprobi opera ponantur in thesauro.*

ipse modò non sit in statu quo præmium ; vel remunerationem condignam aliquam possit recipere; quia omnem dignitatem per peccatum, & condemnationem perdidit. Ideò Pontifex in illis verbis, Electionem solùm meminit: quia loquebatur potissimùm de thesauro ex defunctorum meritis constante: non tamen excluſit, quòd aliquæ etiam satisfactiones reproborum viuentium in eo reperiantur, qui adhuc in gratia perseuerant.

SECTIO IV.

Vtrùm Indulgentia nunquam, nisi ex thesauro, concedantur; vel è contra, thesaurus, non nisi per Indulgentias dispensetur.

48. EX dictis infertur primò resolutio alterius dubij, an Indulgentiæ aliquando concedantur aliter, quàm ex thesauro prædicto. Aliqui enim agnoscunt in Pontifice potestatem ad vtrumque; scilicet, ad remittendam immediatè pœnam, sicut potest ex causa dispensare in voto, aut remittere pœnam aliquam ecclesiasticam in foro externo, absque applicatione thesauri; & potestatem etiam ad soluendum ex thesauro pro debito pœnæ; & aliquando hoc, aliquando illo modo indulgentias concedit, frequenter tamen vtroque simul. Ita docuit Medina *de indulgentiis, disputat.* 8. *præsertim cap.* 40. 41. *&* 42.

Hæc tamen sententia est contra communem Theologorum, qui docent, semper procedere ex thesauri dispensatione, & applicatione. Indulgentię concessionem, cum S. Thoma *in* 4. *disp.* 20. *q.* 1. *art.* 3. *quæstiunc.* 1. *ad.* 3. & aliis, quos refert, & sequitur Suarez *disp.* 51. *sect.* 3. *n.* 3. Et quidem, si sermo sit de thesauro, prout saltem continet Christi merita, negari non potest, necessarium semper illum esse ad indulgentiæ concessionem, cum enim nullum beneficium nobis concedatur in ordine ad animę salutem nisi per Iesu Christi merita; consequens est, vt & potestas illa Pontifici concessa, & ipsa pœnæ remissio ab eo facta inniti debeat meritis Christi, quorum intuitu illa omnia rata habentur à Deo.

49. *Semper applicatur satisfactio Christi.* Rursus, loquendo de eodem thesauro, prout continet etiam Christi satisfactionem, quatenus hæ formaliter condistinguuntur à meritis, dicendum videtur, non posse indulgentias concedit sine eius applicatione. Quamuis enim merita Christi propter suum valorem infinitum sufficerent ad abtinendam nostram salutem per modum meriti condigni: cùm tamen Christus de facto non solùm meruit, sed etiam satisfecerit, oportebat, vt eius opera concurrerent, non solùm vt meritoria, sed etiam vt satisfactoria ad eos effectus, qui sunt proprij satisfactionis. Primò, quia alioquin satisfactiones Christi, vt tales sunt, manerent otiosæ, inutiles, & sine vllo effectu: quod cùm Deus neque in Sanctorum satisfactionibus superfluis fieri velit, & ideò earum intuitu aliorum pœnas condonet per Indulgentias, vt diximus; multò minùs de Christi satisfactionibus dicendum esset, quod qui dem ex aliquo capite magis debebat in satisfactione caueri, quàm in merito. Quia meritum Christi poterat ipsi vtile esse cùm aliqua sibi meruerit: satisfactio verò ipsi Christo nihil prodesse poterat in ordine ad se, cùm nec pro culpa, nec pro pœna propria posset satisfacere, atque adeò multò magis otiosa, & inutilis esset satisfactio, si nobis non applicaretur, quàm meritum.

50. Secundò, quia congruentius est, & iuxta diuinæ prouidentiæ vsum, vt effectus, quoad fieri possit, procedant ex causis, vt vniuocis, vel eiusdem ordinis: quando ergo agitur de remittendo pœnæ debito, oportebat, cùm id fieri posset quòd fieret per applicationem pœnæ, & satisfactionis vt sic vnius satisfactionis, & pœnæ debitum congruentiùs tolleretur per alterius pœnæ solutionem, & satisfactionem.

Tertiò, quia hunc etiam modum exigit diuina iustitia, vt licet ex parte peccatoris gratis ei remittatur pœna; diuinæ tamen iustitię satisfiat per condignam satisfactionem: vt sic & misericordia, & iustitia Dei in hoc opere, sicut in cæteris, resplendeant: satisfit autem iustitiæ meliùs applicando satisfactionem, quàm sola merita Christi: quia, quand propter merita remittitur pœna, vere fit remissio; hoc enim obtinent merita vt remittatur pœna: quando verò offertur satisfactio condigna, aliena, licet nobis dicatur remitti, quia nos nihil soluimus, verè tamen non remittitur, sed redimitur pœna oblato pretio æquali: hoc autem magis congruit iustitiæ diuinæ, vt peccata non maneant impunita.

Quartò, hoc ipsum colligitur ex verbis Pontificum, qui hanc Indulgentiæ concessionem appellare solent solutionem, & dispensationem thesauri; dispensare enim, & soluere, vt Medina etiam fatetur, non significat gratuitam remissionem, sed solutionem pretij: non ergo fit pro sola materia; sed per satisfactionem etiam Christi: nam merita non excludunt veram remissionem, vt vidimus.

51. *Ad remissionem pœnæ ex opere operato per Sacramenta quid conferatur.* Hinc infero primò, hoc ipsum dicendum esse, quando per Sacramenta fit remissio pœnæ ex opere operato, ad hunc effectum non solum concurrere Christi merita, sed etiam eius satisfactiones, vt effectus ille fiat per causam magis proportionatam, & propter alias rationes adductas. Vnde mę è Paludan. *in* 4. *distinct.* 20. *quæst.* 4. distinxit quoad hoc inter Baptismum, & Pœnitentiam; vt in Sacramento Baptismi applicaretur satisfactio Christi & ad remissionem peccati originalis: at in Sacramento pœnitentiæ non applicaretur satisfactio, sed meritum Christi ad remissionem peccati actualis. Quod sine fundamento asseritur, & contra rationem: quia in vtroque casu suppletur satisfactio nostra pro vtroque peccato, quam exhibere non possumus: ergo debet suppleri per satisfactionem Christi, quæ, cùm sit satisfactio infiniti valoris, poterit acceptari, & pro culpa, & pro pœna per modum satisfactionis; & tam pro culpa actuali, quàm pro originali. Vnde non solùm in Sacramentis, sed etiam extra illa, quoties nobis remittitur culpa, siue mortalis, siue venialis, siue satisfactione condigna ex parte nostra, debet propter eamdem rationem, applicari non solùm meritum, sed etiam satisfactio Christi. Quando verò homo iustus per condignam satisfactionem satisfacit pro debito aliquo pœnæ temporalis, licet debeant applicari Christi merita, non solùm antecedenter, vt conferatur gratia efficax ad illud opus bonum, sed etiam consequenter, vt satisfactio acceptetur à Deo; non tamen video, ad quid debeat tunc applicari satisfactio Christi, postra iam satisfactione condigna hominis iusti: quia cùm hæc sit solutio condigna, & æquiualens; non oportet applicare aliam solutionem, nisi velis soluere supra condignum, sed solùm petere, quòd acceptetur ista solutio Sicut, si velles emere equum à Ioanne pretio iusto, posses vti opera Petri, vt obtineret à Ioanne, quòd vellet acceptare pretium pro equo: non tamen deberet Petrus offerre aliquid pretij ex parte sua vltra pretium iustum, quod tu offers, alioquin iam daretur pretium supra iustum. Sic in præsenti videntur applicari merita Christi, vt ob-

tineatur acceptatio nostræ solutionis condignæ, quam posset Deus non acceptare, vt vidimus *disput.* 25. non tamen oportet augere pretium, applicando satisfactionem Christi, si pretium nostrum condignum est.

52. *Applicatur semper satisfactio in thesauro contenta.*

Infero secundò, nunquam Indulgentiam concedi, nisi per applicationem satisfactionis in thesauro contentæ. Primò, quia rationes *suprà* positæ vniuersales sunt, & vniuersaliter probant, numquam Deum remittere pœnam sine applicatione solutionis condignæ, saltem alienæ, quoties id fieri potest. Secundò, quia Pontifices vniuersaliter videntur loqui, dum Indulgentiæ concessionem appellant dispensationem thesauri; quod solutionem pretij significat: nam licet aliquando vtantur verbo *absoluendi*, & *absolutionis*, quod videtur significare condonationem sine respectu ad pretium, illam tamen ipsam absolutionem alibi dicunt fieri per dispensationem thesauri, Sic enim Clemens V I. *in dicta Extrauag. Vnigenitus* dixit, Christum commisisse Petro, & eius successoribus dispensationem thesauri; quam potestatem cùm agnosceret suus prædecessor Bonifacius VIII. dixit, se thesaurum aperuisse, & concessisse plenissimam Indulgentiam: quam tamen ipse Bonifacius *in Extrauag. Antiquorum*, per modum absolutionis concessit. Vnde Sixtus I V. *in Extrauag. Quemadmodum* eamdem Indulgentiam, quam Clemens V I. ex apertione thesauri concesserat, renouat, & ad breuius tempus reducit sub nomine *remissionis*. Et Leo X. in illa Bulla ad Caiet. dixit, *per indulgentias thesauram dispensari, vel per modum absolutionis Indulgentiam conferendo, vel per modum suffragyin alios transferendo.* Vbi vtrumque modum concessionis dicit continere distributionem thesauri. Constat ergo, sicut semper Indulgentia conceditur dispensando thesaurum, & soluendo pretium, vt ex prædictis Pontificum testimoniis colligitur; sic semper fieri applicando satisfactiones in thesauro contentas, sine quibus pretium solui non posset.

53. Dices primò, absoluere est condonare, & remittere: ergo quando Papa concedit Indulgentiam absoluendo, seu per modum remissionis, non soluit pretium ex thesauro. Respondetur, illam eamdem esse remissionem ex parte nostra, quia sine vllo nostro pretio fit, & simul esse solutionem in ordine ad Deum: vtrumque enim dixit, Tridentinum *sess* 14 *cap.* 6. coniungi in absolutione Sacramentali, *vt sit dispensatio alicuius beneficij* & absolutio etiam, *& remissio peccati* Ideò Pontifices indifferenter vsurpant *absolutionis* nomen, *remissionis*, *dispensationis*, *solutionis*, &c. in concessione Indulgentiæ, vt dictum est.

Dices secundò: Si Indulgentia fit ex thesauro, vt continet Christi satisfactionem: ergo non fit ex thesauro, vt continet Christi merita ad quid enim requiruntur merita, si absoluitur condignè oblato pretio infinitæ satisfactionis Christi? Respondetur merita etiam Christi conducere, vt Deus acceptet satisfactionem Christi pro debito nostro, cùm posset illam non acceptare, sed exigere pœnam ab ipsomet debitore: Christus tamen meruit, vt Deus acceptaret alienam satisfactionem, cùm hoc ipsum beneficium Dei sit, & omnia Dei beneficia ad nostram salutem pertinentia proueniant ex meritis eiusdem Christi.

54. *An semper applicentur satisfactiones Sanctorum.*

Maior difficultas esse potest de eodem thesauro, prout continet satisfactionem Sanctorum. Et quidem certum est, non esse necessarium ad valorem Indulgentiæ, cùm semper remaneat infinitus valor satisfactionem Christi: quare, licet contingeret, exhaustum esse omninò thesaurum, quoad Sanctorum satisfactiones; adhuc eamdem efficaciam, & fructum afferret Indulgentia legitimè concessa. An verò de facto semper dispensetur thesaurus; etiam prout continet Sanctorum satisfactiones, quoties Indulgentia conceditur; P. Suarez *sect.* 3. *num.* 17. dicit, id pendere ex intentione concedentis Indulgentiam. Quod tamen mihi difficile apparet: nam, licet Pontifici data sit clauis thesauri, non videtur data distributio ita libera, vt possit nunc ex hac parte thesauri concedere, nunc illa: aliquin posset etiam nunc ex satisfactione Sancti Francisci concedere Indulgentias, nunc ex satisfactione Sancti Ioannis; & sic de aliis: quam tamen facultatem nunquam in se agnouerunt Pontifices; nec expedire videtur eius concessio. Cùm enim ipsi non possint scire, quis, vel quotam partem habeat in thesauro, possu quippe multi Sancti in eo nihil habere, non possent vtiliter distribuere partem correspondentem tali Sancto, imò frequenter exponerentur periculo errandi, & concedendi Indulgentias inutiles, frustrà ergo, & non sine in commodo concessa fuisset talis facultas, sed sufficit facultas distribuendi ex thesauro, Deo approbante, & sumente partem, quam vult.

Est autem verisimile, Deum ita disponere thesauri distributionem, vt in fine mundi omnes satisfactiones Sanctorum superfluæ, quæ in illo continentur, suum effectum adæquatum habuerint. 55.

Cùm enim ratio reponendi eas in thesauro, & distribuendi per Indulgentias sit, vt diximus, ne satisfactiones illæ superabundantes maneant sine effectu, & remuneratione sibi proportionata, congruum videtur diuinæ prouidentiæ, vt omnes, cùm id facilè fieri possit, habeant suum effectum, & remunerationem completam, ne maneat, quoad illam saltem partem, sine effectu, & remuneratione condigna; satisfactiones autem Christi, cùm nunquam possint habere effectum condignum adæquatè, satis est, quod habeant partialem. An verò semper in omni Indulgentia Deus acceptet thesaurum, prout continet etiam Sanctorum satisfactiones, incertum est. Verisimile tamen est, ita fieri: quia, cùm Christus voluerit Sanctos honorare, admittendo eos ad suum consortium in hac pœnę remissione operanda, magis videtur ad eorum honorem pertinere, si nunquam eorum consortium in eiusmodi effectu reiiciat: atque ita videtur Pontifices, indefinitè loqui de satisfactionibus Sanctorum, quando de Indulgentiæ concessione fermo est.

56. *Thesaurus an extra Indulgentias dispensetur.*

Restat nunc vltimum punctum, an è contra thesaurus non nisi per indulgentias dispensetur. De quo breuiter dicendum est, satisfactiones Christi in thesauro contentas dispensari etiam per Sacramenta, & quoties, etiam extra Sacramenta, remittitur culpa aliqua vel etiam pœna absque condigna satisfactione, vt *suprà* diximus. Satisfactiones verò Sanctorum in eodem thesauro contentæ non videntur dispensari posse ab Ecclesia, nisi per Indulgentias: nam Sacramenta totam suam efficatiam habent ex meritis, & satisfactione Christi, vt diximus, extra Sacramenta verò non apparet, quando, aut quomodo Ecclesia possit facere talem applicationem, nisi per Indulgentias. Dixit tamen, *non posse dispensari ab Ecclesia*: quia non inuenio inconueniens, si aliquis dicat, Deum ipsum aliquando exoratum precibus Beatorum, vel vtatorum, quo casu diximus *suprà, disput.* 24. *sect.* 1 *n.* 20. Deum aliquando remittere pœnas, tunc, inquam, applicare satisfactiones Sanctorum, præsertim eorum, qui intercedunt ad expiandum illud. Imò, cùm animæ Purgatorij possint etiam orare, & obtinere

tinere aliquam veniam pœnæ debitæ, videtur satis congruum; quod si ex satisfactionibus illius animæ sint aliquæ superfluæ repositæ in thesauro, Deus attenda specialiter ad illas, vt earum intuitu, & acceptatione commuret debitum præsens. sicut enim posset ad hunc effectum acceptare satisfactiones alienas præteritas, cur non facilius acceptabit satisfactiones eiusdem in thesauro repositas? De his tamen nihil certum definire possumus.

SECTIO V.

An, & quomodo defunctis Indulgentiæ communicari possint.

57. *Indulgentias defunctis prodesse, qui negarint aliquando.*

NOn defuerunt ex Catholicis, qui negarent, Indulgentias defunctis prodesse. Hostiensis, Gerson, & Gabriel apud Suarez *disput. 3. sect. 1. num. 2.* licet aliqui eorum, vel id retractauerint, vel contrarium docuerint. Certum iam est, prodesse defunctis: ita enim declarauit Sixtus IV. vt refert Gabriel *in Addit. ad lect. 57. in Canonem* qui ideò retractauit priorem sententiam. Idem declarauit Leo X. *in illa illa decretali contra Lutherum missa ad Caietanum*. Et denique vsus Ecclesiæ, & Summorum Pontificum id probat, cùm passim Indulgentias pro defunctis concedant.

Quomodo Indulgentiæ defunctis prosint.

Difficultas est in explicando, quomodo id fieri possit tota enim Pontificis potestas illis verbis concessa: *Quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cœlo.* non videtur extendi, nisi ad illos, qui sunt adhuc in terra, & subditi ipsius Pontificis, quales non sunt defuncti qui iam non sunt super terram, sed sub terra, & omnino extra iurisdictionem Pontificis: nam licet aliquando defuncti absoluantur ab excommunicatione, illa tamen absolutio non terminatur directè ab defunctum, sed ad viuos, quibus permittitur orare pro illo, & offerre suffragia publica: quare, etiamsi anima esset damnata, absolutio illa valeret, cùm tamen nertum sit animam damnatam non esse subditam Pontifici.

58. Ideò omnes ferè Theologi dicunt, defunctis non prodesse Indulgentias per modum absolutionis, sed per modum suffragij: quod etiam significauit Leo X. *in Bulla contra Lutherum*, quæ incipit, *Exurge Domine*. Et omnes antiqui Pontifices in eiusmodi Indulgentiis pro defunctis, sempe explicabant, se alias concedere per modun suffragij.

Quid sit concessio per modum suffragij.

Quid autem sit concedere illas per modum suffragij, & quæ sit differentia à concessione per modum absolutionis, non omnes eodem modo explicant. Nam in primis aliqui dixerunt, concessionem per modum absolutionis significare infallibilitatem effectus: secùs verò, quando fit per modum suffragij; quia, quando Pontifex Indulgentiam viuo concedit ipsemet accepto pretio ex thesauro, acceptat illud pro debito pœnæ, & profert sententiam absolutionis à priori debito, cùm nondum inueniat sententiam à Christo prolatam: at verò mortum quem iam inuenit iudicatum à Christo, & qui subditus eius non est, non potest iudicialiter liberare, & absoluere, sed solùm offerre pretium pro illo, vt Christus illud misericorditer acceptet. Vnde effectum hunc non esse infallibilem, dixerunt Caiet. *tom. 1. Opusc. tract. 17. quæst. 5. & 6.* Cano *de locis Theolog. cap. 13. ad 9.* & Corduba *quæst. 15. de Indulg. opin. 4.*

59. Hic tamen modus explicandi multùm derogat Indulgentiarum valori: nam si ablato pretio, potest adhuc non acceptari, ferè idem possent alij fideles, in ordine an defunctos, quod ipse Pontifex: omnes enim possent orare Deum, vt acceptaret aliquod pretium ex thesauro, & illud pro tali anima applicaret: quibus precibus diximus *suprà* aliquando obtineri à Deo remissionem pœnæ per viam impetrationis. Vnde illa sententia non cohæret satis cum loquutionibus Pontificum, qui effectum huius Indulgentiæ pro defunctis in eodem gradu collocare videntur, quoad certitudinem, cum effectum Indulgentiæ pro viuis, vt constat ex verbis Leonis X. *in prædicta decretali ad Caietanum missa*, vbi dicit, quòd Papa potest viuis, & defunctis tollere impedimentum peccatorum, & aperire cœlorum regnum concedendo Indulgentias. *Apostolica auctoritate thesaurum Iesu Christi, & Sanctorum dispensando, & per modum absolutionis Indulgentiam ipsam concedendo, vel per modum suffragij illam transferendo.* Vnde concludit, *omnes tam viuos, quàm defunctos, qui veraciter omnes Indulgentias huiusmodi consequuti fuerint, à tanta temporali pœna secundum diuinam iustitiam pro peccatis suis actualibus debita liberari, quanta concessa, & acquisita Indulgentiæ æquualet.* In quibus verbis vtrisque, viuis, & defunctis, promittitur vniuersaliter, & absque hæsitatione indulgentiæ effectus; dum tamen legitimè, & debitè concessa, & æquisita fuerit, quæ conditio non significat effectum habendum, si efficaciter acquisita fuerit, hoc est, acceptata à Deo quoad effectum; hæc enim esset ridicula definitio, perinde ac si diceres: Habebit semper suum effectum, si Deus voluerit, quod illum habeat, sed debet intelligi de acquisitione Indulgentiæ, prout condistinguitur ab effectu, & illum antecedit: hoc est, quoties iuxta potestatem acceptam, Papa illam concedit, & fideles legitimè acquirunt illud ius quod Indulgentia eis promitti, toties habituram suum effectum. Ratio autem est: quia, cùm hic effectus, & hæc potestas Pontificis fundetur in auctoritate apostolica, & vtrisque detur Indulgentiæ *ex auctoritate Apostolica*, vt dixit Leo; necesse est quòd fundetur in promissione Christi, atque adeò, quod sit infallibilis, sicut & ipsa Christi promissio infallibilis est.

Leo X.

Pater Suar. *dicta sect. 3. num. 12. & seqq.* quem sequitur Coninch *disp. 12. dub. 10.* dicit, concessionem per modum suffragij in hoc solùm differre, quod, licet afferat etiam suum effectum infallibilem; quia tamen Pontifex non habet iurisdictionem in defunctum, non absoluit eum à pœna, sed solùm soluit offerendo ex thesauro pretium æquualens pro illis: quia, licet non habeat potestatem in defunctum, habet tamen potestatem in thesaurum Ecclesiæ, ex quo soluit pro defuncto. Vnde infert nunquam concedi Indulgentiam per modum suffragij pro viuis: quia viuus est subditus capax absolutionis, cuius defunctus non est capax. 60.

Hic modus dicendi nunquam mihi satisfacere potuit. Primò, quia tota potestas Pontificis addistribuendum thesaurum, cùm sit authoritas apostolica, & pontificia, debet fundari, & includi in potestate, & munere Summi pastoris, quod accepit per illa verba: *Pasce oues meas* in quibus verbis non videtur inclusa vllo modo potestas distribuendi ex thesauro ad alios; nisi ad oues sibi commissas: ibi enim data non fuit clauis thesauri, nisi vt Pastori, hoc est, in ordine ad pascendas proprias oues; nec factus est dominus, sed œconomus thesauri. Sicut, si dominus profecturus relinqueret arcam pecuniæ plenam apud œconomum, data ei claue, vt interim prouideat domesticis, dicens: *accipe hanc clauem, & proinde domesticis meis*: non posset œconomus de illa prouidere extraneis, aut soluere 61.

uere eorum debita. Cùm ergo defuncti non sint oues Pontificis, nec ipse sit eorum Pastor, non poterit illis dare de thesauro Ecclesiæ, cuius claues accepit ad prouidendum ouibus sibi commissis.

62. Confirmatur, & explicatur alio exemplo: quia, si Gubernatori Romano Princeps dede rit triticum, vt ex eo prouideat Romanis ciuibus: licet Gubernator habeat potestatem in horreum commune, & habeat claues, non tamen poterit illud aperire, vt subueniat ciui Florentino, qui ad eius curam non pertinet. Cùm ergo Pontifex acceperit claues huius horrei, vel thesauri, ad pascendas oues sibi commissas, non poterit ex eo aliis dispensare, qui eius oues nont sint.

Secundò hoc ipsum probatur: quia, si Pontifex posset aperire thesaurum ad soluendum pro defuncto; posset immediatè concedere Indulgentiam per modum solutionis, aut suffragij ipsi defuncto, absque interuentu alterius viui, cuius orationes vel pia opera requirat, vt requiratur Indulgentia pro defuncto: solutio enim pretij secundùm se non requirit interuentum tertij, per cuius manus deferatur. Hoc autem inauditum est in Ecclesia: nunquam enim Pontifices concesserunt aliquam Indulgentiam defunctis, nisi concedendo viuis subditis, vt per pia opera propria Indulgentiam pro defuncto lucrentur: nunquam ergo agnouerunt Pontifices in se talem potestatem, quam in nullo prorsus casu exercere ausi sunt

63. Respondet Suarez tacitè huic, obiectioni *dict. sect. 3. n. 14.* posse quidem id fieri, sed non expedire, vt fiat, quia ad valorem Indulgentię requiritur causa iusta: hæc autem debet requiri à viuis, cùm iam non possit poni ab ipso defuncto, cui Indulgentia conceditur: ideò semper requiritur aliquod pium opus à viuente ad iustificandam Indulgentiam, quæ mortuo conceditur. Hæc tamen responsio clarè reiicitur ex vsu ipsius Ecclesiæ, quæ licet requirat causam ad concedendam Indulgentiam, non tamen semper causam futuram, sed sæpiùs solùm perteritam: nihil enim magis commune in Vrbe, quàm personis de Ecclesia benemeritis, quando sunt in mortis articulo, concedere absolutionem, & indulgentiam plenariam: ad quam concessionem Pontifex non exigit aliam causam futuram, vel aliud opus pium præstandum, sed attendit solùm ad merita, & obsequia moribundi erga Ecclesiam. Vnde Legati etiam Principum, vel alij, antequam ab Vrbe discedant solent à Pontifice petere, & impetrare sibi eiusmodi Indulgentiam pro mortis articulo, nulla alia causa futura petita, sed solùm intuitu præcedentis deuotionis: imò in Sacello Pontificio finita concione, solet semper Pontifex omnibus præsentibus Indulgentias concedere, quas Prædicator in fine concionis publicat, nullo alio opere futuro postulato. Cur ergo similiter non posset Pontifex homini de Ecclesia optimè merito defuncto concedere immediatè Indulgentiam plenariam absque interuentu alterius viui qui pro illo satisfaciat, cùm ad causæ iustificationem abundè sufficere egregia defuncti merita, & obsequia erga Ecclesiam? Cùm ergo pontifex nulli defuncto talem Indulgentiam concesserit, arguitur benè, id esse ex defectu potestatis, quam non habet ad soluendum immediatè ex Ecclesiæ thesauro pro iis, qui iam subditi, & oues ipsius non sunt.

Pontifex plerumque concedet Indulgentias ob causam præteritam.

64. *Verba, per modum suffragij, quomodo intelliguntur.* 5. Tom.

Aliter ergo explicanda videtur hæc differenda, insistendo in verbis, & modo loquendi S. Th. & Theologorum antiquorum: nam S. Thom. *in 4. dist. 45. q. 2. art. 3. quæstiunc. 2.* dicit, Indulgentias concedi quidem defunctis *non directè, & principaliter, sed tantùm secundariò, & indirectè* Quæ verba satis explicant, Pontificem non posse concedere immediatè Indulgentiam defuncto, sed mediatè, & indirectè, quatenus illam, scilicet, potest concedere alicui subdito viuenti, per quem transferatur in defunctum. Hoc enim verbum vsurpauit Leo X. *in prædicta Decretali.*, dum dixit, Indulgentiam aliquando per modum absolutionis concedi, aliquando verò per modum suffragij *transferri.* Quod verbum *transferendi* significat hanc transmissionem debere fieri per alium; eò quod non possit illis immediatè hoc beneficium conferri quia subditi non sunt. Quod idem significant verba à summis Pontificibus apponi solita, scilicet, concedi defunctis *per modum suffragij*: hoc est, sicut fideles possunt propriis operibus piis subuenire, & suffragari defunctis; sic concedi eis, vt possint per indulgntias sibi concessas defunctis subuenire; sicut per propria suffragia, & ad modum, quo applicare illis solent opera satisfactoria, & quæ appellantur communiter suffragia.

65. *Indulgentia viuentibus data pro defunctis quomodo emanet.*

Quomodo autem hæc facultas viuentibus à Pontifice concedi possit, variè potest explicari. Primò, si dicatur, quod Pontifex concedit subdito viuenti, vt posito aliquo opere bono possit ex Ecclesiæ thesauro applicare tantam partem pro aliquo defuncto, ita vt illam facultatem accipiat, quasi pro præmio boni operis exhibiti. Hic tamen modus explicandi non videtur posse subsistere: quia hoc verè esset communicare subdito clauem thesauri, vt ex eo posset soluere immediatè pro defuncto, quod non videtur possibile, quia, cùm ipse Pontifex non possit ex thesauro accipere ad soluendum immediatè pro defuncto; minùs poterit alteri talem potestatem communicare, qualem ipse non habet: nec refert, quod id fiat in præmium operis exhibiti, quia non potest dare pro præmio, id quod ex se superat eius potestatem: quare, cùm ex commissionem accepta, solùm possit distribuere thesaurum ad pascendas proprias oues; non poterit ad præmiandum aliquem concedere, vt possit distribuere thesaurum ad alios fines.

66. Secundò ergo posset hoc explicari dicendo, quod Pontifex concedit quidem directè, & immediatè Indulgentiam viuentibus, cum facultate tamen, vt sicut ipsi possunt transferre propriam satisfactionem ad defunctum; sic possint illam satisfactionem sibi obuenientem ex Indulgentia concessa non retinere sibi, sed transferre etiam in defectum per modum suffragij, hoc est, ad modum, quo solent suffragia ex propriis satisfactionibus defunctis communicare. Tunc autem Pontifex non abutitur potestate, nec excedit eius limites, quia directè, & immediatè solùm distribuit thesaurum suis ouibus: cum facultate tamen, vt ipsi possint partem suam aliis communicare. Quod confirmari potest exemplo supra posito: quia, licet œconomus, qui arcam pecuniæ accepit ac prouidendum domesticis, non posset illam pro extraneis dispensare, posset tamen indirectè id facere dando domestico partem ex causa rationabili cum facultate, vt ipse eam posset extraneo donare. Sic etiam Gubernator Romanus licet non posset horreum tritici dispensare, nisi Romanis, posset etiam indirectè subuenire Florentino, dando tritici partem rationabiliter ciui Romano cum facultate, vt posset eam Florentino donare, si veller. Eodem ergo modo poterit Pontifex thesaurum aperire immediatè

immediatè pro suis ouibus, dando illis partem, quam possint, si velint, defunctis communicare per modum suffragij.

67. Hic tamen modus explicandi, licèt facilè videatur rem totam componere; adhuc non videtur satis sufficiens. Primò, quia, si viuentes, & subditi possunt à Pontifice accipere cum facultate communicandi defunctis, Indulgentiam, quam absque ea facultate potuissent accipere, sequitur idem inconueniens, quod *supra* contra P. Suarez inferebamus, quòd, scilicet posset Pontifex concedere Indulgentiam pro defunctis, absque vllo opere pio requisito ad eam Indulgentiam aquirendam: potest enim, vt vidimus, & de facto concedit sæpè viuis immediatè Indulgentiam absque alio opere bono de nouo requisito: potuisset ergo illas Indulgentias viuentibus concedere cum facultate transferendi eas ad defunctos per modum suffragij, non iniuncto aliquo bono opere pro defunctis offerendo. Hoc autem esset etiam contra perpetuum Ecclesiæ vsum: nunquam enim Indulgentia aliqua pro defunctis concessa est, non iniuncta oratione, vel aliquo opere pio, quod pro defunctis offerantur: non ergo est talis potestas, quam nullus vnquam Pontifex in se agnouit, aut exercuit.

68. Secundò displicet: quia, si Indulgentia illa priùs, & immediatè conceditur subdito viuenti cum facultate transferendi ad defunctum, si voluerit, sequitur, quòd posset viuus illam retinere sibi, eámque sibi lucrari non transferendo ad defunctum: si enim datur priùs illi, & fit propria illius cum facultate transferendi; ergo priùs acquiritur illi ius ad illam partem satisfactionis: cur ergo non poterit illam sibi retinere? Sicut, in exemplis positis, posset ciuis Romanus retinere sibi triticum datum sibi ex horreo communi cum facultate dandi illud ciui Florentino. Item quando œconomus daret domestico de pecunia sibi commissa ad prouidendum domesticis, & daret domestico cum facultate dandi extraneis; posset adhuc domesticus eam sibi retinere: quia facultas illa non cogit ad vsum talis facultatis. Consequens autem videtur esse contra fidelium mentem: nam, licèt aliquando soleat concedi Indulgentia cum facultate lucrandi eam sibi, vel applicandi defuncto, communiter tamen Indulgentias concessas determinatè pro defunctis, nemo putat, quod possit lucrari pro se, & non applicare defunctis: ergo non ita conceduntur, vt dentur immediatè viuentibus pro se cum facultate communicandi eas defunctis, sicut possunt illis communicare sua suffragia.

69. Tertiò, quia difficilè intelligitur, quomodo possim ego transferre in alium satisfactionem ex thesauro mihi applicatam; deberet enim priùs fieri mea, vt possem illam transferre: eo autem ipso, quòd fiat mea, habet in me suum effectum remissionis pœnæ, qui effectus semel positus auferri non potest, nec redire pœna semel remissa. Si autem nondum est facta mea illa satisfactio, sed solùm ius ad illam, quod propter positionem operis iniunctis acquisiui, quod ius transfero ego ad defunctum: ergo iam Pontifex non mihi, sed defuncto ipsi immediatè applicat satisfactionem ex thesauro ex vi iuris, quod ego in eum transtuli: quod videtur esse contra superiùs dicta, tum, quia hoc iam esset directè, & immediatè concedere defuncto remissionem pœnæ, non indirectè, & secundariò: tum etiam, quia non potest Pontifex dare mihi ius, quo possim eum cogere ad id, ad quod non habet potestatem: quare, si ipse non potest dispensare thesaurum pro non subditis, non poterit obligari ad id faciendum, nec dare mihi ius, quo possim eum taliter obligare.

Aliter ergo videtur, hoc explicari posse, si dicamus, Pontificem tunc non concedere immediatè Indulgentiam defuncto, nec etiam viuenti, sed solùm ex thesauro Ecclesiæ eleuare opera pia fidelium viuentium, ita vt non solùm sint satisfactoria ex opere operantis; sed etiam ex opere operato, si pro defuncto offerantur. Non enim apparet repugnantia in hoc modo dispensandi thesaurum, vt sicut Christus Dominus, qui est supremus illius dispensator, aliquando applicat ex thesauro pretium ad soluendum pro aliquo, vt in Baptismo, qui, licèt recipiantur per actum non satisfactorium, sed potiùs vel in somno, vel per actionem malam venialiter; adhuc ex voluntate Christi confertur solutio totius pœnæ: aliquando verò Christus eleuat satisfactiones nostras, vt ex opere operato, & vltra condignum habeant maiorem effectum, supplendo ex thesauro id, quod deest condignitatis in nostra satisfactione; provt Confessarius nomine Christi eleuat satisfactionem sacramentalem: sic Pontifex, qui est Vicarius Christi, dispensat thesaurum vtroque modo in vtilitatem nostram: aliquando, scilicet, accipiendo ex thesauro ad soluendum pro aliquo, vt quando non petito aliquo opere, concedit Indulgentiam propter causam præteritam, vt sæpè fit: aliquando verò petito opere satisfactorio, quod eleuat ad maiorem effectum satisfactionis supra condignum, sicut Sacerdos eleuat illa opera diuisibiliter, provt successiuè fiunt, ita vt singulæ orationes impositæ, provt successiuè recitantur, successiuè afferant fructum aliquem ex opere operato: Pontifex verò, qui vult eleuare totum illud opus ad aliquem effectum determinatum, v.g. ad decem annos Indulgentiæ, vel ad plenariam remissionem, quem effectum difficile esset distribuere inter singulas partes illius operis: ideò eleuat totum opus per modum vnius, & indiuisibiliter, vt in vltima parte habetur totus effectus. Qui etiam modus eleuationis non videtur repugnare, vt constat in opere martyrij; quod est satisfactorium ex se; & rursus eleuatur à Deo ad maiorem effectum supra condignum, scilicet ad remissionem totius pœnæ, pro qua satisfacit ex opere operato: eleuantur tamen indiuisibiliter, ita vt totus effectus correspondeat toti operi per modum vnius. 70.

Supposita ergo possibilitate huiusmodi eleuationis, videntur facilè omnia componi, si dicamus, Summum Pontificem, quando concedit Indulgentiam pro defunctis; ita eleuare opus bonum, & satisfactorium, quod exigit ab aliquo viuente, vt possit habere effectum satisfactionis vltra condignum. Eleuat autem, non diuisibiliter, sed indiuisibiliter totum opus, vt in fine operis detur eius fructus ex opere operato. Tunc autem non potest, qui Indulgentiam lucratur, retinere sibi illius fructum, quando determinatè conceditur pro defuncto: quia Pontifex non eleuauit ad illum effectum satisfactionis maioris, nisi tale opus bonum, quod pro defuncto offeratur: si autem non offertur pro defuncto, iam non est illud opus, quod Pontifex eleuauit. Cùm ergo potuisset Pontifex eleuare omnia opera satisfactoria Petri, quæ hoc mense fecerit, vt habeant maiorem satisfactionem ex opere operato; quo casu etiam illud, quod pro defuncto offerretur, habere maiorem satisfactionem, quæ prodesset defuncto, cui totum illud opus applicant ab operante: sic potuit 71.

tuit Pontifex non eleuare omnia opera ; sed aliqua, nempe, illa , quæ defunctis applicarentur ab operante ; quæ opera sic eleuata antecedenter , & ab operante applicata defuncto illi afferunt totum suum fructum satisfactionis per modum suffragij : nam , licèt dixerimus *supra* , *disp. 26. sect. 1.* non posse regulariter aliquem applicare alteri partem satisfactionis sibi obuenientem ex opere operato ; id tamen intelligitur de satisfactione ; quæ determinatè applicatur ipsi : tunc verò loquimur de satisfactione , quæ annectitur ipsi operi supra condignitatem suam ; non tamen determinatè pro ipso operante, sed ad modum satisfactionis, quam habet ipsum opus ex opere operantis.

72. Denique contra hunc modum explicandi non procedunt, quæ contra alios apponebamus. Nam in primis Pontifex non dispensat thesaurum directè, & immediatè pro non subditis, sed pro subditis, quorum satisfactiones directè eleuat ad maiorem valorem, qui maior valor, per se loquendo, est in bonum ipsorum subditorum : quia per accidens est, quòd alicuius operis valor sit in vtilitatem defuncti in aliquo casu : per se autem vtile est subdito, quòd eius satisfactiones possint habere maiorem valorem, atque ideò quòd vniuersaliter possit Pontifex eas eleuare. Sicut œconomus, qui solùm potest dare pecunias domini ad prouidendum domesticis ; vel Gubernator, qui solùm potest distribuere triticum inter ciues : possunt tamen dare pecunias domestico, quando scitur, quòd vult eas ad subueniendum extraneo, cui illa promisit ; vel triticum dare ciui petenti , quando scitur , quòd vult dare peregrino, cui illud, etiam promisit : nam potestas illa œconomi , & Gubernatoris respicit solùm actum ipsum secundùm se , & prout sic est in vtilitatem subditorum , licèt in hac circumstantia potiùs redundet in alterius vtilitatem. Sic Pontifex potest eleuare hoc opus subditi ad maiorem valorem : quia hæc eleuatio secundùm se est vtilis subdito , licèt in hac circumstantia sit potiùs vtilis defuncto , cui vult subditus applicare totum illud opus cum suo valore. Adde, videri etiam, quòd sit aliquo modo in vtilitatem subditorum maior ille valor suæ satisfactionis : quia non solùm est vtile fidelibus posse liberari à suo debito pœnæ ; sed etiam habere satisfactiones maioris valoris , quibus aliis possint subuenire: cùm hoc ipsum sit maior quædam actiuitas , & virtus in satisfaciendo. Sed quidquid de hoc sit, sufficit prima illa ratio, vt possit Pontifex eleuare illa opera propter maiorem vtilitatem, quæ ex tali eleuatione resultat, per se loquendo, subdito ; licèt per accidens in aliquo casu non resultet.

73. Constat etiam, quomodo non possit ille, qui Indulgentiam pro defuncto lucratur , retinere illam sibi , cùm non sit eleuatum eius opus ad maiorem valorem, nisi tunc , quando illud pro defuncto offert. Constat præterea, quomodo non possit Indulgentia concedi defuncto, nisi interueniente aliquo viuo , cuius opera bona eleuentur ad maiorem valorem satisfactionis , quam possit defuncto applicare modo explicato. Constat denique , quomodo fructus ille non debeat priùs fieri meus , itavt applicetur mihi, ad hoc, vt ego eum possim defuncto applicare: sed debet fieri meus in actu primo ; sicut satisfactio est mea, quatenus possum illam ponere, & non ponere : sic valor ille est meus , quatenus possum ponere, & non ponere satisfactionem eleuatam ad maiorem valorem.

74. Ex dictis verò possumus iam multa alia inferre. Primò, in lucrante Indulgentiam pro defuncto requiri intentionem determinatam lucrandi illã pro defuncto : sicut enim requiritur intentio determinata ad applicandum proprium suffragium defuncto ; sic requiritur ad applicandam ei Indulgentiam , quæ solùm potest ei aduenire per modum suffragij. An verò sufficiat intentio habitualis, vel requiratur virtualis; constat ex iis, quæ diximus in simili de intentione requisita ad applicandum suffragium. *Requiritur intentio in lucrante pro defuncto.*

Infertur secundò , quid dicendum sit de statu gratiæ, an requiratur in eo, qui lucratur Indulgentiam pro defuncto P. Suarez *sect. 3.* negat : quia, cùm Pontifex in eius sententia sit, qui immediatè, & directè concedit defuncto Indulgentiam, & solùm requiratur opus pium ex parte viuentis, vt conditio : non est, cur in eo exigatur status gratiæ. Nos autem consequenter ad supradicta debemus dicere, requiri ; quod est magis commune, & iuxta fidelium sensum. Ratio autem est: quia Indulgentia defuncto acquiritur solùm indirectè, quatenus opera alicuius viuentis eleuantur ad maiorem valorem satisfactionis ex opere operato : ad hoc autem necesse est , quòd ipse operans sit capax illius valoris, & fructus , diximus enim, hanc eleuationem procedere à potestate Pontificis , quæ per se ordinatur ad vtilitatem subditi : ergo potestas illa est ad eleuanda opera subditi capacis , & potentis frui illo beneficio , quo frui non potest , dum est sine gratia propter incapacitatem subiecti. 75. *An status gratiæ requiratur.*

Petes , an requiratur status gratiæ , quandiu sit opus iniunctum , an solùm in fine illius. De hoc dicturi sumus *sect. seq.* circa requisita ad Indulgentias pro viuis. Nunc breuiter dico , sicut in illis sufficit status gratiæ in fine operis iniuncti , sic etiam sufficere in Indulgentia pro defunctis. Cùm enim status gratiæ solùm requiratur , vt subiectum sit capax , & aptum , vt in eius vtilitatem possint eius opera eleuari , sufficit hæc capacitas tunc , quando eleuatio allatura erat fructum , licèt in discursu operis non esset capacitas : sic enim martyrium causat hunc effectum remissionis completæ totius pœnæ, licèt patiens non esset in gratia , dum actu patitur ; si tamen sit in gratia vltimo instanti. Similiter ergo possunt opera nostra eleuari à Pontifice habito solùm respectu ad tempus, quo effectus Indulgentiæ conferendus sit: quare eodem modo prodesse poterunt defunctis. Vnde obiter nota, quando conceditur Bulla Cruciatæ pro defunctis , eum , qui illam accipit , debere esse in statu gratiæ , quando illam accipit : quia illud est vltimum , & vnicum opus requisitum ad Indulgentiam, quæ applicatur defuncto , nempe contributio, & elargitio illius eleemosynæ, qua facta obtinetur Indulgentia plenaria pro illo defuncto pro quo accipitur Bulla. Non est autem eadem ratio de Bulla Cruciatæ, quæ accipitur pro viuis : quia Indulgentia non obtinetur, quando accipitur ; sed postea, quando implentur alia ibi requisita ad Indulgentias lucrandas; vel quando applicatur à Confessario semel in vita , & semel in articulo mortis prout ibi explicatur. An verò requiratur , quòd opus , quod pro defuncto fit sit opus bonum , & honestum ; an verò sufficiat recitatio, v. g. iniuncta, licèt hæc sit peccaminosa , constabit ex dicendis *sect. seq.* de Indulgentia pro viuis : est enim eadem ratio. 76. *An quamdiu sit opus iniunctum, an in fine.*

Infertur tertiò , eodem modo , quo conceditur Indulgentia indirectè defunctis , posse etiam dari Catechumeno, vel amenti : cùm enim non attendatur ad eius personam , an sit subditus ; sed ad illum , cui directè , & immediatè datur ; cur non poterit concedi Indulgentia eleuando opera subditi ad tantum valorem cum facultate , vt possit ea 77. *An possint dari pro catechumenis vel amentibus.*

ea opera applicare cuilibet alteri, siue defuncto, siue non baptizato; sicut posset applicare suas satisfactiones? Posset quippe homo iustus ieiunare pro Catechumeno, vel pro amente, applicando eis suam satisfactionem, si sunt in statu gratiæ: ergo poterit etiam ex facultate Pontificis applicare eisdem sua opera cum valore adiuncto ex eleuatione ad maiorem remissionem pœnæ. Vnde posset etiam ex eadem facultate lucrari Indulgentiam pro aliis baptizatis quicumque illi sint: communiter tamen non conceditur facultas lucrandi Indulgentias pro aliis viuentibus: quia, cùm ipsi possint sibi etiam subuenire, non expedit fouere eorum pigritiam, vt neque satisfacere, neque etiam Indulgentias pro se lucrari curent.

78. *An opus ipsum debeat offerri pro defuncto.*

Maior difficultas esse potest, an, quando conceditur Indulgentia pro defuncto visitantibus talem Ecclesiam, vel recitantibus, aut ieiunantibus, &c. necesse sit, offerre pro defuncto satisfactionem etiam ex opere operantis, quam affert illud opus; an possimus illam nobis retinere, & Indulgentiam applicare defuncto Distinguendum videtur cum Suarez *sect.* 4 *num.* 3. nam, si concedatur liberatio animæ Purgatorij, pro qua dicatur Missa, vel recitetur Corona, &c. tunc necesse erit substantiam operis pro anima etiam efferre: quando verò solùm dicitur, quoties dicet Coronam, vel Psalmum, &c liberabit animam Purgatorij; verisimile est, non requiri talem applicationem operis: non enim apparet, cur non possim ego dividere fructum illius operis, & partem mihi retinere; partem autem aliam, nempe, quæ prouenit ex opere operato propter operis eleuationem, applicare defuncto. Quod confirmari potest *ex paulò antè* dictis: quia, si opus fiat ferè totum in peccato, & vltimo instanti operans iustificetur, lucratur Indulgentiam defuncto; tunc autem non applicatur defuncto satisfactio ex opere operantis, cùm nulla, aut ferè nulla sit: ergo illa satisfactio non requiritur ad fructum Indulgentiæ defuncto obtinendũ.

Acceptatio animæ defuncti an requiratur.

Vltimò, reiiciendum est, quod aliqui dixerunt, requiri ad effectum huius Indulgentiæ, quod anima defuncti eam acceptet. Hoc autem benè reiicit Suar. *dicta sect.* 3 *n.* 10. & ex dictis refellitur: quia, cũ hoc fiat per modum suffragij, non magis requiritur talis acceptatio ex parte illius, pro quo offertur, quàm requiratur ad effectum suffragiorum, ad quæ non requiritur talis acceptatio; sed ignoranti etiam, acquiritur fructus Sacrificij, vel ieiunij, pro eo oblati, vt vidimus *disp.* 26. *sect.* 3.

SECTIO VI.

De requisitis ex parte illius, qui Indulgentiam lucratur pro seipso.

79. *Requiritur character baptismalis.*

PRimò requiritur character baptismalis: quia Pontifex non potest, vt diximus, dispensare thesaurum, nisi iis, qui pertinent ad ouile, cuius est constitutus Pastor. An verò, & quomodo possint indirectè Catechumeno defuncto, aut etiam viuo, Indulgentiæ communicari per modum suffragij, diximus *sect. præced.*

An rationis vsus.

Secundò requiritur, quòd sit ratione vtens: quod dupliciter potest intelligi. Primò, quòd habuerit aliquando rationis vsum: & in hoc sensu non potest esse dubium, quia Indulgentia est ad tollendum reatum pœnæ temporalis, quem habere non potest, qui non commisit aliquando peccatum actuale. Secundò, potest esse sensus, quòd habeat vsum rationis, tunc, quando effectum Indulgentiæ consequitur: & hoc etiam est certum non requiri: nam, si ieiunauit ad obtinendum Iubilæum, finito ieiunio Indulgentiæ fructum consequitur, licèt tunc actu dormiat: ergo, licèt tunc incurrisset delirium ex febre, non minùs Indulgentiam consequetur: sufficit enim voluntas præterita non retractata.

80. *An notitia Indulgentiæ.*

Dubitari tamen circa hoc potest, an, si aliquis post rationis vsum in amentiam incidisset, possit ei postea Indulgentia concedi, & applicari immediatè. Ex vno enim capite videtur id non posse fieri: quia Indulgentia est per modum priuilegij, quod ignoranti non acquiritur; sed requiritur scientia, & acceptatio priuilegiati: & licèt detur à Pastore, vt pastus, & tamen pastus voluntarius, qui voluntate percipi debet. Vnde hoc supponere videntur ij, qui dicunt, non lucrari Indulgentias eum, qui illas ignorat, licèt faciat opera omnia iniuncta: quod docent Emman. Rodriguez *in expositione Bullæ Cruciatæ*, § 8. *num.* 9. & Ægidius de Trullench *in eandem Bullam Cruciatæ, lib.* 1. § 6. *dub.* 2. *n.* 5.

81.

Fateor tamen me non inuenire rationem conuincentem ad id negandum, & ad dicendum quòd necesse sit scire, vel intendere lucrari Indulgentiam. Quare id negauit Laurentius Portel *in Additionibus ad dubia regularia, verbo. Indulgentia, num.* 7. vbi, testatur se eam sententiam accepisse à Patre Ludouico Molina, nostræ Societatis, qui eam docuit. Probat autem exemplo satisfactionis ex opere operantis, quam, licèt aliquis non intendat, sed ignoret omninò; acquirit tamen per exhibitionem bonis operis: ergo eleuato eodem opere ad maiorem valorem satisfactionis ex opere operato ab habente potestatem, absque scientia, vel intentione poterit obtineri totus eius effectus. Quod rursus confirmari potest: quia fructus suffragij mihi ab alio applicati acquiritur mihi ignoranti etiam, & non intendenti: quod non solùm verum est in fructu ex opere operantis, vt, si aliquis pro me ieiunet; sed etiam in fructu ex opere operato, vt, si alius pro me offerat Sacrificium: ergo idem dicendum erit de fructu Indulgentiæ, per quam Pontifex offert, & applicat pro alio partem necessariam ex communi thesauro, cuius dispensator est: cur enim minùs proderit mihi ignoranti satisfactio Christi per Indulgentias applicata, quàm si applicetur per Missæ Sacrificium?

82.

Vnde ad rationem contrariam responderi potest, Indulgentiam non esse ex iis priuilegiis, quæ debeant exequutioni mandari per ipsum priuilegiatum; sed potius esse solutionem pro illo, ad quam ipse videtur se passiuè habere: quare, sicut potes soluere pecuniam pro Petro ipso ignorante; sic potest Pontifex ex communi thesauro soluere pro debito tuo, te etiam id ignorante: quia causa passiua non concurrit liberè, aut voluntariè, vt constat. Non ergo videtur neganda saltem potestas in Pontifice, si velit hoc modo Indulgentias concedere, quas lucrentur etiam ignorantes. Verisimile autem est, eam esse Pontificis intentionem de facto: sæpè enim Indulgentiam, & benedictionem moribundo iam sensibus destituto concedit: aliquando etiam omnibus præsentibus in Basilica post Missam à se celebratam Indulgentias concedit; licèt non omnes ibi præsentes id audiant, vel sciant: ergo eadem intentio potest communiter præsumi, dummodo non exigantur certa opera pro aliqua speciali necessitate applicanda: v. g. orationes pro auxilio diuino implorando contra talia pericula imminentia: non potest enim opus fieri cum tali intentione sine aliqua illius notitia.

83. *An status gratiæ.* Tertiò requiritur status gratiæ in lucrante Indulgentiam: nam, sicut aliena suffragia non prosunt iis qui non sunt in gratia, sic nec Christi, vel Sanctorum satisfactiones per Indulgentias applicatæ. Ratio autem est: quia pro eo statu merentur propter peccatum mortale, vt nulla satisfactio pro illis acceptetur: & quia omnis pœna, etiam ex veniali remisso quoad culpam, pro eo statu debet esse æterna, cuius reatum Indulgentia non potest expiare. Requiritur autem gratia, non quidem toto tempore, quo fiunt opera ad Indulgentiam requisita; sed solùm in fine, quando eius effectus applicandus est ex praxi Ecclesiæ, quæ ad Indulgentiam solet exigere ieiunia, & confessionem, supponendo non præmitti, sed subsequi confessionem, quæ sufficit in fine hebdomadæ ad lucrandum Iubilæum, ac per consequens frequenter ieiunia non fiunt in statu gratiæ.

84. *An reuiuiscat effectus Indulgentiæ, redeunte gratia, quando requisita facta sunt in peccato.* Dubitari potest, an, si omnia opera requisita fiant in peccato, postea, quando homo, transacto illo tempore, iustificatur, reuiuiscat effectus Indulgentiæ. Negant Suarez cum aliis *disp 52. sect. 2. num. 12. & seqq.* Affirmant Palud. Syluester, & alij, quos affert, & sequitur Henriquez *lib. 7. de Indulg. cap. 9. num. 1.* Et quidem, loquendo de potestate, non videtur posse negari. Erit tamen quæstio de nomine, an Indulgentia concedatur tunc a Pontifice ante positam confessionem, vel contritionem, suspenso solùm eius effectu vsque ad iustificationem; an verò ipsa confessio, vel contritio sit tunc vnum ex operibus requisitis, quo posito, conceditur Indulgentia. De re enim certum videtur, quòd Pontifex potest differre effectum Indulgentiæ vsque ad primam iustificationem sequentem. An verò de facto talem intentionem habeat, verius videtur, nisi explicet hoc in ipsa Indulgentia, mentem Pontificis non esse, differre, neque effectum, neque Indulgentiam; sed petit, v.g. ad eius valorem, quòd confessus, vel contritus visitet talem Ecclesiam, & lucretur Indulgentiam: ergo statim eam concedit, quæ si inuenit subiectum incapax, caret effectu. Sicut, si offeras ieiunium hodiernum pro aliquo, & ipse hodie sit in peccato, non acceptatur applicatio pro eo. Sic, si Pontifex hodie applicat satisfactionem ex thesauro pro aliquo, qui hodie non est capax, applicatio non acceptatur. Aliud esset, si explicaretur, concedi Indulgentiam visitanti hodie Ecclesiam, itavt consequatur Indulgentiam, vel hodie, vel cùm primùm fuerit in gratia: tunc enim intentio esset non applicandi hodie satisfactionem Christi, sed postea, quando ille homo fuerit capax: qui modus concessionis rarò, vel nunquam est in vsu; & meritò, vt diligentiùs procurent mundare conscientiam, qui Indulgentiæ fructum obtinere volunt.

85. *An opera honesta in peccato, & cum peccato facta, prosint ad Indulgentiam.* Dubitari etiam potest, an si opera ad Indulgentiam requisita fiant non solùm in peccato, sed etiam cum peccato, quia vitiantur ex aliquo fine malo, prosint ad obtinendam Indulgentiam, si in fine operum sit iam homo constitutus in gratia. Videtur enim non prodesse: quia opera illa exiguntur, & eleuantur, vt satisfactoria sunt: non sunt autem satisfactoria, si non sint bona, & honesta. Contrarium tamen verius videtur consequenter ad id, quod diximus *suprà, disput. 25. sect. 3. in fine*, opera iniuncta à Confessario prodesse ad satisfactionem ex opere operato, etiamsi in se ex aliquo fine vitientur. Ratio est: quia sufficit, quòd illa opera ex se sint satisfactoria, ad hoc vt possint iniungi, & eleuari ad effectum satisfactionis ex opere operato. Et quidem hic esse videtur fidelium sensus: nam, si aliquis ex fine malo venialiter accipit Bullam Cruciatæ pro defuncto, durum esset dicere, quòd Bulla ei nihil defuncto prosit. Item, quando ad Iubilæum lucrandum exigitur eleemosyna, & visitatio Ecclesiæ, nemo dixit, non prodesse ad Iubilæum lucrandum, si aliquis ex fine vanæ gloriæ eleemosynam publicè dedit, vel Ecclesiam visitauit. Ratio denique ex parte concedentis esse potest: quia, licèt illud opus in individuo non sit bonum; in genere tamen, & ex se est bonum, & ex eo redundat gloria Dei, vtilitas communis, quatenus multi saltem illa opera honestè facient; quæ publica vtilitas est causa sufficiens ad dandam Indulgentiam iis etiam, in quibus illud in individuo vitiatur. Aliunde tamen constat ex proximè dictis, non requiri, quòd illa opera sint satisfactoria ex opere operantis in individuo: quando enim fiunt in peccato, non sunt satisfactoria: & tamen ea opera eleuantur ad satisfactionem ex opere operato, si in fine vltimi homo sit in gratia. Quare hanc partem tenet Suarez cum aliis *dicta disput. 52. sect. 6.* contra alios, qui contrarium docuerunt.

86. *Indulgentia pro operis non stante requisito aliquod opus pium.* Quartò constat ex *suprà* dictis, non semper debere exigi aliquod opus pium ad lucrandam Indulgentiam, quando conceditur pro viuis, vt constat ex vsu Pontificum, qui sæpe, vt diximus, concedunt Indulgentiam moribundis benemeritis de Ecclesia, & sæpè alias. Ratio autem est: quia causa iusta, quæ ad dispensationem requiritur, non aliqua ad solum opus pium faciendum, cùm possit esse causa iusta ex titulo gratitudinis, remunerationis, solatij, medicinæ, & aliis similibus.

An opus externum. Quintò constat, opus pium, quod exigitur, non debere semper esse opus externum: si enim potest absque vllo opere iniuncto concedi, à fortiori poterit propter actum internum: atque ita solet aliquando concedi iis, qui examen conscientiæ cum actu contritionis faciunt; vel iis, qui in mortis articulo, si ore non possunt, corde saltem Iesu nomen inuocauerint.

An proprium. Sextò constat, opus ad Indulgentiam iniunctum non posse per alium poni: vt, si iniungitur ieiunium, non sufficit facere, quòd alius meo loco ieiunet, quod probat Suarez *dicta disput. 52. sect. 7.* Et ratio est clara: quia facere, vt alius ieiunet, vel recitet, non est ieiunare, vel recitare. Quando tamen petitur eleemosyna, sufficit illam per famulum facere: quia ille talis verè dat eleemosynam, cùm iam det pauperi aliquid de suo: per accidens autem est, quòd detur per manus proprias, vel alterius.

87. *Quid de promente Bullam Cruciatæ pro alio amico.* Difficultas esse potest circa hoc, quando aliquis sumit Bullam Cruciatæ pro alio amico, cui illam dat, quomodo iste, cui datur Bulla, obtineat Indulgentias, cùm ipse nullo modo det illam eleemosynam, quod est opus iniunctum ad illam Indulgentiam. Respondetur, illum, qui Bullam pro me inscio accepit, dedisse eleemosynam meo nomine, quasi vtilem negotij mei gestorem; quod ego postea ratum habeo, & debitor fio illius eleemosynæ meo nomine datæ, quod debitum ille benevolentiæ causa mihi remittit: atque adeò iam ego censeor illam eleemosynam dedisse. Vnde infero, non posse Religiosum Bullam acceptare ab amico sine licentia Prælati, qualis requiritur ad eleemosynam faciendam, & ad accipiendam remissionem postea illius debiti: vt benè docuit Emman. Rodriguez *in expositione Bullæ*, §. 9. *num.* 23 & §. 12. *n.* 15. licèt contrarium dixerit Corduba *de Indulg. q.* 26. *dub.* 1. *Meretrix fur an de accipienda Bulla.*

Vnde obiter infero primò, licèt meretrix validè Bullam accipiat erogando pecunias turpiter acquisitas,

acquisitas, quia illæ verè sunt suæ; furem tamen erogando pecunias non suas, sed furto acceptas, non accipere Bullam validè: quia non dat verè eleemosynam, cùm non transferat dominium illius pecuniæ, quod ipse non habet, vt contra Rodriguez notauit benè cum aliis Diana *tom. 1. tract. de Bulla Cruciatæ, resol. 101.*

88. *Bulla prælata quæ accepta, qui noluit eã acceptare, an possit alteri applicari.*

Infero secundò, si Petrus Bullam pro me accipiat; & ego, quia iam aliam habeo, nolim eam acceptare, non posse à Petro, nec à me illam alteri applicari: quidquid dicat Villalobos, quem affert, & sequitur idem Diana *ibi resolut. 95.* qui tamen non videtur satis consequenter loqui, dum priùs dicit, si amicus sumat pro me Bullam, quam ego, quia aliam habeo, acceptare nolo; posse me illam alteri applicare: & paulò pòst cum Vega, & Medina dicit, Petrum Bullam, quam pro me accepit, me illam nolente, non posse alteri applicare: quia iam accepit pro me, & non pro alio: quæ ratio à fortiori procedit in priori casu. Ratio ergo in vtroque casu est: quia eleemosyna facta est nomine meo: vnde non potest alius, posteà reatum habere, quod suo nomine non est gestum, iuxta communem regulam iuris: ergo non potest alius fieri acceptor illius Bullæ, etiam per ratihabitionem.

89. *An pars operis prosit ad lucrandam Indulgentiã.*

Septimò constat, eum, qui exhibet dimidium operis iniuncti pro lucranda Iudulgentia, non lucrari dimidium illius: quia Indulgentia, vt diebamus, non conceditur diuisibiliter pro diuisibilitate operis; sed indiuisibiliter pro toto opere: & in hoc differt à satisfactione sacramentali, quæ elenatur diuisibiliter: atque ideò, qui implenit dimidiam partem pœnitentiæ impositæ, obtinuit iam partem satisfactionis sacramentalis illi parti correspondentem.

His positis. Dubitatur primò, an quando exigitur confessio sacramentalis, illa exigatur, etiamsi non sit conscientia peccati mortalis. De hoc dicemus *sect. seq.*

90. *An idem opus sufficiat ad duas Indulgentias.*

Dubitatur secundò, an eodem opere possit quis lucrari diuersas Iudulgentias diuersis viis concessas: vt, si habeat duo grana benedicta diuersis benedictionibus, & singula habent, quòd dicendo semel orationem Dominicam obtineatur Indulgentia vnius anni, an lucretur duos annos, si semel tantùm recitet orationem illam Dominicam, P. Suarez *disput. 52. sect. 10. num. 9.* negat: quia ad singulas Indulgentias requiritur causa diuersa; & ideò Pontifex exigit opus factum ex intentione peculiari lucrandi illam Indulgentiam: quam sententiam, vt veram, supponit Luisius Turrianus *in select. part. 2. disput. 31. dubio 64.* quod intelligunt, nisi variæ illæ Indulgentiæ concessæ essent per modum vnius per aliam tertiam, vt cùm visitanti talem Ecclesiam conceduntur omnes Indulgentiæ omnium Ecclesiarum vrbis: tunc enim vnica visitatione posset illas omnes lucrari.

91. Distinguendum tamen videtur, nam, si sermo sit de variis indulgentiis plenariis, variis titulis concessis; tunc non videtur necessarium lucrari vtramque, cùm non possit esse duplex plenaria, siquidem per vnam remittitur totum debitum, si verè illam lucramur. Quia tamen posset contingere, quòd causa non esset sufficiens ad tantum effectum remissionis, vel propter causæ debilitatem, vel propter multitudinem peccatorum, & debitorum, quibus aliquis grauatur; tunc verisimile videtur, quòd possit vtraque concessio coniungi ad operandum effectum, quem singulæ non possunt: quia ex vtraque concessione, quæ causas habuit diuersas, poterit aliquando integrari causa sufficiens ad effectum integrum: vt, si altera propter necessitates Ecclesiæ præsentes concessa fuit; altera propter cultum talis, vel talis Sancti. Quare idem cum proportione dici potest de Indulgentiis non plenariis, quando singulæ non possunt operari totum effectum, quem promittunt: quòd tunc etiam possit vtraque simul concessio concurrere ad producendum, non effectum duplicem, sed vnicum saltem integrum, quem singulæ promittunt.

92. Quando verò singulæ non plenariæ operari possunt suum effectum integrum, verius videtur cum prædictis Auctoribus, non posse vno, & eodem opere duplicari effectum: quia, licèt concessiones sint diuersæ; res tamen concessa est vna, & eadem, scilicet, vnus annus Indulgentiæ, quoties visitaueris talem Ecclesiam. Sicut, si haberes priuilegium liberandi te ab onere recitandi vna die Officium, quoties recitaueris Coronam Virginis, & rursus hoc idem priuilegium alia via, vel per communicationem obtineres; non tamen satisfaceres pro Officio duorum dierum, dicendo vnam Coronam: quia vtraque concessio tendit ad idem; & bis tibi concessum est liberari per vnam Coronam à debito recitandi Officium vnius diei. Item, si per duas diuersas concessiones obtinuisses posse liberari à debito restituendi centum nummos creditoribus incertis, quoties dederis quatuor nummos pro eleemosyna; non liberaris certè à debito ducentorum nummorum, dando semel eleemosynam quatuor nummorum: quia vtraque illa concessio tendit ad idem, nempe, ad liberandum à debito centum nummorum pro quatuor. Sic ergo vtraque concessio Indulgentiæ vnius anni pro recitatione vnius Coronæ tendit ad idem; quare habebis quidem duplici titulo, atque ideò certiùs liberationem à pœna vnius anni; non tamen habebis posse liberari à pœna duplicis anni pro vna Corona: quia hoc numquam tibi concessum fuit.

93. *Plures Indulgentiæ eadem die vnica Confessione, & Communione lucrari possunt.*

Aduertè tamen, hoc non procedere, quando plures Indulgentiæ eadem die diuersis Ecclesiis concessæ sunt iis, qui post Confessionem, & Communionem eas visitauerint, & ibi orauerint: tunc enim vnica Confessio, & Communio sufficit ad lucrandam vtramque Indulgentiam, vt notauit Turrianus *vbi supra*, & Diana *3. tom. tractatu 4. miscell. resol. 66.* quia Confessio, & Communio non videntur exigi directè; sed præsuppositiuè ad maiorem dispositionem subiecti ad finem intentum. Vnde idem dicendum esset, licèt secunda Indulgentia non eâdem die; sed sequenti, vel intra debitam distantiam ocurreret. Aliter tamen dicendum putarem, quando Communio exigeretur directè, prout in quibusdam Iubilæis solemnioribus exigi solet Communio, ieiunium, eleemosyna, ac preces intra eandem hebdomadam: aut, quando conceditur Indulgentia iis, qui singulis mensibus in tali Ecclesia communicauerint, tunc enim vnica Communio non posset deseruire ad duplicem Indulgentiam similem: posset tamen deseruire illa eadem Communio ad aliam Indulgentiam, ad quam Communio non directè, sed præsuppositiuè exigeretur.

94. *An requiratur Confessio, quando Indulgentia conceditur pœnitentibus & confessis: seu contritis & confessis*

Dubitatur tertiò, an, quando Indulgentia conceditur *pœnitentibus, & confessis*, seu *contritis, & confessis*, requiratur necessariò confessio, an sufficiat contritio perfecta. Prima sententia requirit Confessionem. Ita Durand. Adrian. & Caiet. apud Suarez *disput. 52. sect. 2. num. 10.* Secunda sententia dicit, sufficere contritionem, quam sequitur

idem Suarez *num.* 12. cum Paludano, Gersone, & aliis, quos affert: quod probabile est, quia iuxta subiectam materiam possunt illa verba intelligi distributiuè, vt si diceret, *ciuibus, & peregrinis*: vult enim tunc Pontifex vtrisque concedere, dum vel contritionem, vel Confessionem præmittant. Quod autem aliqui addunt, quando Confessio determinatè exigitur, sufficere Confessionem tempore debito factam, etiamsi nunc sit conscientia peccati mortalis, benè impugnat idem Suarez *ibi num.* 11.

95. *An possit obtineri saepiùs Indulgentia per idē opus.*

Dubitatur quartò, an sæpiùs repetito opere iniuncto, sæpiùs obtineri possit eadem Indulgentia: vt, si visitanti talem Ecclesiam concedatur Indulgētia, an ter visitans eadem die, toties lucretur Indulgentiam. Respondetur, quando Indulgentia est perpetua visitantibus, v. g. talem Ecclesiam, vel recitantibus talem orationem; obtineri poterit sæpiùs si sæpiùs repetatur idem opus. Ita Suar. *disp.* 57 *sect.* 1. *n.* 7. Bonacin. *in præfati, disp.* 6 *de Sacram. q.* 1. *punct.* 5. *n.* 32 qui alios referunt. Aduertunt tamen, debere intelligi, dum humano modo actio repetatur: nam, si quis ingrediendo, & egrediendo millies intraret eandem Ecclesiam, non lucraretur millies Indulgentiam. Ratio autem esse potest: quia illa moraliter non est alia visitatio; sed eadem moraliter continuata. Aliud esset, si egrediens domo, visito Ecclesiam, & in reditu iterum eam visito; illa enim est duplex visitatio moralis. Cùm autem Indulgentia non sit concessa pro vna solùm vice in vita, intelligenda est toties, quoties.

96. Quando verò Indulgentia conceditur pro tali die, aliqui dicunt, posse etiam sæpiùs obtineri. Ita Angelus, & Rosella apud Suarez *vbi suprà*. Quod idem docere videtur Villalobos, & alij apud Dianam, qui eos sequitur *tom.* 1. *tractat. de Bulla Cruciatæ, resol.* 104. Alij negant: Suarez *loco citato*, & plures, quos refert, & sequitur Bonacina *vbi suprà*, & mihi etiam placet de Indulgentia pro vna die concessa. Quando tamen conceditur pro pluribus diebus, si id fiat propter commoditatem fidelium, qui non possunt eadem die concurrere, idem dicendum erit. Si verò id fieret ad fouendum concursum per totam octauam, v. g. & celebritatem in illa Ecclesia, verisimile est, singulis saltem diebus posse de nouo illas Indulgentias obtineri.

97. *An sufficiat extra Eccles. siam orare.*

Dubitatur quintò, an quando propter concursum non potest aliquis ingredi Ecclesiam, sufficiat eam visitare extra portam, & ibi orare ad consequendam Indulgentiam concessam illam visitantibus. Negant Zanardus, & alij apud Dianam loco citato *resol.* 103. Concedit tamen Suarez *disp.* 52. *sect.* 1. *num.* 7. & alij, quos afferunt, & sequuntur Bonacina *vbi suprà, num.* 26. & Diana *loco citato*: quia ille dicitur moraliter visitare Ecclesiam, & in ea orare, præsertim cùm cœmeterium in fauorabilibus nomine Ecclesiæ comprehendatur.

98. *Quid de visitatione altarium?*

Quando verò exigitur visitare quinque altaria in aliqua Ecclesia, non sufficeret extra portam illa visitare, vt notat Nuñus *in* 3. *part. tom.* 2. *tractatu de Bulla*, §. 10. quia, licèt ille dicatur moraliter visitare Ecclesiam; non tamen dicitur moraliter visitare hoc, & illud altare. An verò ad visitanda altaria requiratur motus corporis, quo aliquis singula seorsim adeat, affirmauit Rodriguez: negarunt Vega, Villalobos, Azorius, Graffius, Henriquez, & alij, quos afferunt, & sequuntur Diana *vbi suprà, resolut.* 102. & Bonacina *num.* 25. Quod verum credo, si in eo loco, & situ sis, in quo moraliter censeri potes te orare ad quodlibet ex illis altaribus. Vnde non sufficit esse intra Ecclesiam, & animo conuerti ad tale altare: imò, etiamsi sis in loco apto, vt in medio Ecclesiæ; vellem tamen aliquo gestu, vel conuersione capitis, vel corporis, significari conuersionem animi ad singula altaria: nam exigitur visitatio sensibilis, hoc est, talis actio, quæ exteriùs significet orationem fieri ad tale altare.

Vltimò dubitari solet specialiter de iis, quæ exigi solent ad lucrandum Iubilæum; quod per spatium duplicis hebdomadæ concedere solent Pontifices ob grauem aliquam causam, vel Ecclesiæ necessitatem. De his tamen dicemus in particulari *sect. seq.*

SECTIO VII.

Nonnulla dubia circa ea, quæ exigi solent ad lucrandum Iubilæum.

NOn est animus ex professo facere commentarium Bullæ Iubilæi, quod alij fecerunt; sed potissima dubia percurrere, quæ proponi solent, & in quibus potest esse maior difficultas. Plura autem dixi *suprà, disp.* 20. *sect.* 8. circa facultatem in iis Iubilæis concedi solitam ad absoluendum à reseruatis: vbi dictum est, an à peccatis reseruatis commissis ob Iubilæi confidentiam absolui possit, & an aliquando à commissis post finitum tempus Iubilæi. Item, an Confessarius, sicut potest commutare alia, possit etiam ipsam Confessionem, & Communionem in alia pietatis opera commutare; & an ei, qui ipsa vltima die secundæ hebdomadæ, mutato proposito, vult lucrari Iubilæum, possint commutari omnia opera in alia, quæ tunc implere possit. Denique, an qui feria quinta perfecit omnia opera, in quæ commutata sunt ei ieiunia sequentia, & lucratus est Iubilæum, possit die sequenti absolui à peccato reseruato dumtò commisso: quare omnia nunc repetenda non sunt. 99.

His ergo suppositis, sciendum est, in eiusmodi Iubilæis solere quinque opera pietatis exigi. Primum, confiteri Sacerdoti approbato ab Ordinario loci: secundum, ieiunare feria quarta, sexta, & Sabbatho: tertium, visitare certam Ecclesiam, vel Ecclesias, ibique preces fundere pro necessitatibus expressis: quartum eleemosynas pro cuiusque arbitrio elargiri: quintum, Eucharistiæ Sacramentum accipere. Quæ omnia, nisi in specie impleantur, vel legitimè impeditis à Confessario commutentur, non obtinetur Indulgentia: quia in his, quæ à libera hominis concessione dependent, voluntas non reputatur pro facto. 100. *Quinque operis pietatis exigi solent in Iubilæo ad lucrandum.*

Primò ergo dubitatur de confessione, an sit necessaria, si aliquis non habeat conscientiam peccati mortalis, quod confessus non fuerit. Affirmat Th. Sanch. *lib.* 8 *de matrim. disp.* 15. *n.* 19. Nuñus, Acosta, & alij apud Dianam 1. *tom. tract. de Bulla Cruciatæ, resol.* 107. Alij tamen probabiliùs id negant Suar. *disp.* 52. *sect.* 3. *n.* 6. & alij innumeri, quos congerit, & sequitur Diana *vbi suprà*. Ratio est: quia vsus Ecclesiæ est, vt quando præcipit confessionem peccatorum, intelligatur de confessione mortalium, vt constat *ex c. Omnis vtriusque sexus* Vbi eadem verba intelliguntur de sola confessione mortalium: ergo eadem formula in Iubilæo posita in eodem sensu intelligenda est, quia sicut peccata simpliciter intelliguntur de mortalibus; ita confessio peccatorum simpliciter intelligitur de cōfessione mortalium: alioquin, si de venialibus intelligeretur, cur magis hæc, quàm illa deberes confiteri? 101. *An sufficiat confessio venialium ad lucrandum Iubilæum?*

Secundò dubitatur: si homo iam semel in illa hebdomada ad finem Iubilæi confessus est, & ante hebdomadæ finem in mortalia incidat; an debeat iterum 102. *An debeat nouo peccato confiteri?*

iterum confiteri, an verò sufficiat habere contritionem ad Indulgentiam lucrandam. P. Suarez *dicta sect. 3. num. 7.* dicit, debere fieri secundam confessionem: imo idem putat dicendum, si post primam confessionem recordatur alicuius peccati, cuius in confessione fuerat oblitus. Vtrumque tamen difficile est, quia in Iubilæo solùm exigitur vnica confessio, quæ iam posita fuit: ad effectum autem Indulgentiæ sufficit status gratiæ per confessionem comparatus; vel, si fortè perditus fuit per nouum peccatum, reparatus postea per contritionem. Vnde arguere possumus ex præcepto Ecclesiæ, quo similiter iniungitur confessio annua: & tamen, licèt aliquis postea recordetur de nouo alicuius peccati omissi, vel etiam illud de nouo committit; non tenetur ex vi illius præcepti iterum confiteri ante finem anni: quia Ecclesia vnicam confessionem præcipit.

102. *An sufficiat confessio sacrilega.* Dubitabis tertiò circa hoc, an, si fecit aliquis intra hebdomadam confessionem sacrilegam, sufficiat ad effectum Indulgentiæ habere contritionem ante finem hebdomadæ; an verò debeat iterum validè confiteri. Prima opinio dicit, non requiri secundam confessionem. Ita Diana 2. *tom. tract. 4. de Sacram. resol.* 148. vbi affert pro se Patrem Henriquez *lib. 7. cap. 9. num. 5* Sed Henriquez id non dicit, loquitur enim solùm de eo, qui fecit confessionem validam informem: de quo est diuersa ratio, cùm verum Sacramentum acceperit. Affert etiam ibi Fernandez *in Exam. Theolog. mor. p. 3. c. 7. §. 8. n. 1.* & Bartholomæum à S. Fausto *de Iubilæo, lib. 4. q. 46.* quem non vidi Fernandez verò dicit quidem sufficere confessionem factam in peccato: non tamen dicit sufficere confessionem sacrilegè, & inualidam, de qua est diuersa ratio cùm non sit confessio.

103. Contraria tamen sententia vera est, quam tenent Sanctarellus, Zanardus, Petrus Prost, & Alphonsus de Leone apud eundem Dianam *ibi.* Probari autem potest ex iis, quæ diximus *disput. 16. sect. 6.* vbi docuimus, præceptum Ecclesiæ obligare ad confessionem validam; nec ei satisfieri per sacrilegam, & inualidam confessionem. Similiter ergo, quando eadem Ecclesia confessionem exigit, de valida confessione intelligit: nam illa alia non est confessio, sed irrisio. Circa Communionem tamen, illam primam sententiam admitterem, vt licèt sacrilega fuerit, non requiratur alia, cùm re vera fuerit vera, & valida Communio; licèt sine fructu propter obicem peccati.

104. *An confessio sufficiat Dominica sequenti.* Vtb VIII. Dubitatur quartò, vtrum confessio possit fieri Dominica sequenti, an debeat fieri intra hebdomadam ante Dominicam. Ratio dubitandi oritur ex verbis Bullæ, quæ hæc sunt: *Qui in eadem, vel sequenti hebdomada dictas Ecclesias visitauerint, nec non feria quarta, & sexta, ac Sabbatho eiusdem, vel sequentis hebdomadæ ieiunauerint, atque peccata sua confessi, sequenti saltem die Dominico, sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum reuerenter sumpserint, & eleemosynas ad libitum, prout charitas singulis suggesserit, fecerint*, &c. Sic habetur in Bulla Sanctiss. D. N. Vrbani VIII. hoc anno 1636. edita, qua, quia omnium nouissima est, vtemur. In quibus verbis opera alia, præter vnam Communionem exigi videntur intra alteram ex hebdomadis designandis. Cum ergo hebdomada duret vsque ad Sabbathum inclusiuè, consequens est, vt sicut visitatio Ecclesiarum, vel eleemosyna non potest fieri Dominica sequenti, sic nec confessio; sed sola Communio, quæ ibi excipitur, & permittitur fieri sequenti Dominica. Quare hanc partem tuetur Filliucius *tom. 1 tractat. 8. cap. 10. num. 272.* vbi dicit, referri etiam responsum talc Clementis VIII. licèt permiserit Pœnitentiariis Sancti Petri, vt die etiam Dominica à reseruatis absoluerent. Eandem sententiam tenet Portel *in dubiis regular. verb. Indulgentia 2. num. 6.* & alij non pauci.

105. Alij in extrema sunt sententia, & dicunt, non solam confessionem, sed alia etiam opera posse fieri sequenti Dominica, & qualibet die sequentis hebdomadæ ita vt pars operum fieri possit in prima hebdomada, & pars in secunda; nec ex vi Bullæ haberi quòd omnia debeant intra in eadem hebdomadam fieri. Quod latè probare conatur Bonacina *in præsenti, disput. 6. quæst. 1 punct. 5. num. 54.* Hæc tamen sententia in primis difficultatem præsentem non enucuat: remanet enim eadem difficultas de Dominica sequenti post secundam hebdomadam, an in ea possit fieri confessio, cum illa dies sit iam extra vtramque hebdomadam. Deinde supponit falsum; posse, scilicet, opera indifferenter fieri, partim in prima, partim in secunda hebdomada: hoc enim est contra fidelium praxim, contra Doctorum mentem, & contra verba ipsius Bullæ, in qua specialiter conceditur, quòd Communio fieri possit, *saltem die Dominico sequenti* post ieiunia. Si autem illa sententia vera esset, non solùm die Dominico; sed etiam feria tertia sequenti post ieiunium fieri posset; quod tamen est contra prædicta verba, quibus ad summum differri permittit Communionem vsque ad Dominicam sequentem post ieiunia.

Non possunt diuidi opera inter duas hebdomadas.

106. Alij ergo dicunt, Confessionem, & Communionem fieri posse die Dominica sequenti, quia dies illa pertinet ad hebdomadam, & complet illam: quare consequenter dicunt, prima Dominica non posse aliquem absolui à reseruatis. Ita respondit P. Ioannes de Salas de hoc consultus. Hoc tamen est contra praxim: nam ipsa die Dominica, qua promulgatur Iubilæum, Confessarij absque scrupulo absoluunt à reseruatis, vt testatur Filliucius *vbi suprà*; & debet ita fieri iuxta Ecclesiæ morem, quæ hebdomadam semper incipit à die Dominica, vnde sequentem diem appellat feriam secundam, quia illa iam est secunda hebdomadæ dies: cùm ergo assignet vnam hebdomadam singulis ad lucrandum Iubilæum, debet intelligi de hebdomada Ecclesiastica, quæ semper incipit à Dominica.

107. Alij ergo dicunt, Dominicam sequentem esse quidem extra hebdomadam præcedentem; sed tamen eo ipso, quòd indultum sit, posse communicare illa die, indultum intelligi quoad confessionem etiam, quæ Communionem comitatur. Hæc est iam hodie sententia communis, quam tenent Sebastianus Acosta, Soto, Nauarrus, Henriquez, Rodriguez, Reginaldus, Villalobos, Sanctarellus, Sà, Vega, Molfesius, & alij, quos refert, & sequitur Diana 1. *tom. tract. 1. miscel. resol.* 28. qui dicunt, hoc declaratum fuisse à Gregorio XIII. de hoc interrogato. Quod ego etiam satis probabile iudico, non solùm propter auctoritatem tot Doctorum, sed etiam propter vsum fidelium, quorum magna pars in hac Vrbe Romæ die Dominica confitetur ad lucrandum Iubilæum: quam consuetudinem ignorare non possunt Pontifices, & eorum Officiales, qui Bullam componunt. Denique verba ipsa Bullæ non cogunt ad dicendum, quòd sola Communio differri possit; imò potiùs idem indicant de confessione, quam per modum vnius cum Communione coniungere videntur ad hunc effectum ibi: *Atque peccata sua confessi, sequenti saltem die Dominico Eucharistiam sumpserint.* Vtb VIII.

Quæ verba, cùm vtrumque sensum habere possint, & consuetudo in hoc sensu ea intellexerit; quam consuetudinem Pontifex ignorare non potest; non est, cur ad alium sensum magis strictum alligare velimus prædictam clausulam. Difficile enim est homines rusticos, & laboratores inducere ad confitendum die præcedenti, cùm assuefacti sint ad confitendum immediatè ante Communionem.

Aduerto obiter, immeritò Bonacinam *vbi supra* dixisse, hoc priuilegium communicandi Dominica sequenti non esse vniuersale, sed solùm pro Vrbe Roma: illud enim absque fundamento dicitur, qui Bulla, licèt singula verba *supra* posita non repetat, quando eandem Indulgentiam extra Vrbem concedit; vtitur tamen illis vocibus, *pariter*, & *similiter*, quibus eadem omnia *superius* dicta subintelligi: dicendo enim, *pariter confessi, ac Communione refecti fuerint, & similiter eleemosynas fecerint*, &c. significatur eadem opera quoad substantiam, & quoad circumstantias ab iis exigi.

108. *Ieiunia an debeant fieri sine lacticiniis.* Dubitatur quintò, an in ieiuniis ad Iubilæum impositis debeat abstinere etiam à lacticiniis, & ouis. De hoc latè agit Thomas Sanchez *lib. 4. in Decalog. cap. 11. à num 49.* vbi varias sententias refert. Aliqui enim affirmant in vniuersum. Alij affirmant de iis, qui non habent Bullam Cruciatæ. Alij dicunt in Quadragesima id necessarium esse ad Iubilæum; secùs extra Quadragesimam. Ipse denique cum aliis putat, ieiunia alia debere intelligi iuxta vsum prouinciæ seruari solitum in ieiuniis: quare, si sit consuetudo obligans ad eam abstinentiam in aliis ieiuniis, eodem modo seruari debet ad finem Iubilæi: secùs, si non sit talis consuetudo. Quæ sententia mihi etiam placet: & ita vsus communis habet. Vnde cum eodem Sanchez dico, sæcularem habentem Bullam Cruciatæ posse in illis ieiuniis edere lacticinia: quia hoc etiam modo obseruat ieiunia præcepta. Pro qua sententia multos Auctores congerit Diana 1. *tom. tract. de ieiunio, resol. 17. & tract. de Bulla Cruciatæ, resol. 3.* Imò probabiliter infert idem Sanchez, licèt Iubilæum occurrat in Quadragesima, posse eum, qui non habet Bullam Cruciatæ, obtinere Iubilæum, non abstinendo à lacticiniis, si extra Quadragesimam ab iis posset non abstinere: quia ieiunium Iubilæi solùm iniungit abstinentiam debitam in ieiuniis communibus, qualia sunt per annum.

109. Dices: Ergo, si aliquis haberet priuilegium personale comedendi carnes, vel cœnandi diebus ieiunij, satisfaceret Iubilæo idem obseruãdo in illis ieiuniis. Negatur sequela: duplex enim potest esse priuilegium. Alterum non ieiunandi, sed edendi carnes, vel cœnandi; & hoc priuilegium non concedit, quòd Iubilæum possit obtineri non ieiunando. Secundum potest esse, vt aliquis ieiunet non obseruata tali, vel tali ieiunij circumstantia, quæ non destruit eius substantiam: & tale est priuilegium edendi lacticinia, vel anticipandi aliquantulum horam prandij: quare etiam in ieiuniis Iubilæi prodesse possunt hæc priuilegia: quia faciunt, vt possit priuilegiatus verè ieiunare, non obseruata tali circumstantia.

110. *Quid, si ieiunia sint aliũde debita?* Dubitatur sextò, an satisfiat iubilæo, si illa ieiunia aliunde debita erant ex voto. Videtur non posse: quia debent esse opera aliàs indebita, vt ex Bonanent. significat Syluester *verbo indulgentia, quæst. 6.* Tabiena *q. 10.* Armilla §. 16. Confirmatur: quia non satisfaceret eleemosynæ ad Iubilæum requisitæ, qui pauperi daret id, quod aliunde ei debet. Respondetur tamen cum communi, satisfieri Iubilæo per eiusmodi ieiunia, quod constat ex vsu: sæpè enim Iubilæum promulgatur in Quadragesima, vel quatuor Temporibus: alioquin, qui ex præcepto, vel voto tenetur ieiunare omnibus feriis sextis, non posset lucrari Iubilæum. Falsum ergo est, quòd requirantur opera aliunde indebita: sed requiruntur talia, qualia sufficerent ad satisfaciendum non præcepto, cui satisfieret per opera aliunde debita, vt constat. Nec obstat exemplum eleemosynæ: quia illa solutio debiti destruit essentiam eleemosynæ, cùm eleemosyna sit donatio gratuita. At verò obligatio ex voto non destruit essentiam ieiunij. Vnde in foro, quòd si aliquis ex voto, vel ex charitate teneretur sub mortali ad dandam eleemosynam illa eadem eleemosyna posset satisfacere ad lucrandum Iubilæum.

Dubitari potest septimò, an, & qualis oratio vocalis fieri debeat in Ecclesiis? Communiter requiri solet oratio vocalis. Mihi tamen attentis verbis modernæ Bullæ non videtur improbabilis opinio Nauarri §. *In Leuitico, notab. 3. .. vers. Preces, n. 48.* dicentis, sufficere orationem mentalem: quia in Bulla solùm petitur, vt ibi deuotè orent pro necessitatibus ibi expressis: orare autem indifferens est ad orationem mentalem, & vocalem. Tutius tamen erit aliquid miscere de oratione vocali, v. g. Litanias, aut Rosarium, vel quid simile. Nec obstat, per Rosarium orari Beatam Virginem; in Bulla autem exigi, quòd oretur Deus: nam orando B. Virginem oratur Deus mediatè, cùm à Virgine putamus, quòd pro nobis apud Deum intercedat. 111. *Oratio an requiratur vocalis.*

Dubitatur octauò circa eleemosynam, an sufficiat dare famulo, vt ipse det pauperi; si tamen ipse famulus postea non det. Affirmant aliqui, quia iam dominus dedit ex parte sua. Secùs esset, si solùm præcipiat œconomo, vt det: nam præcipere non est dare: quare œconomo non dante, non dedit dominus eleemosynam. Verius tamen credo, in neutro casu satisfieri, quia dare est transferre dominium: famulo autem non dante eleemosynam, nondum est translatum illius dominium in pauperem, imò semper poterit Dominus reuocare mandatum, quandiu non est data eleemosyna: ergo nondum est translatum dominium, nisi forte aliquis iam pro ipso pauperi acceptasset, tunc enim iam esset irreuocabilis donatio. Et ita videtur hanc partem tenere Cordubа *de sudulg. q. 26. dub. 2.* Vnde idem dicerem, si mitteretur eleemosyna tempore Iubilæi ad pauperem distantem, ad quem non posset peruenire intra illam hebdomadam: tunc enim eleemosyna non daretur intra tempus legitimum, cùm posset reuocari mandatum toto illo tempore, nisi aliquis, vt prædixi, pro paupere acceptasset. 112. *Eleemosyna qualis, & quanta ipsi debeat.*

Dubitari potest nonò, vtrùm satisfiat dando illi, quem puto esse pauperem, cùm re vera sit diues, & fingat se pauperem. Videtur enim non satisfieri, cùm reuerà nihil detur pauperi; sed, sicut est pauper existimatus, erit eleemosyna existimata, quæ non sufficit. Credo tamen, satisfieri Iubilæo, alioquin cogeremur ad examinandam nimis necessitatem petentis, quod non satis consonat Sanctorum Patrum consiliis. Ratio autem est, quia non videtur de substantia eleemosynæ, quòd detur vero pauperi; sed, quòd detur ad sublenandam miseriam inopis: tunc autem datur verè ex tali fine: ergo est verè eleemosyna. Bulla autem moderna non dicit, quòd eleemosynæ dentur pauperibus; sed solùm quòd fiant eleemosynæ. 113. *An satisfiat dando [illegible] pauperi [illegible] dito, qui [illegible] men dives*

Dices: Non fit eleemosyna, nisi transferatur dominium, vt diximus. In hoc autem casu non transfer

transfertur, cùm non sit animus donandi, nisi vero pauperi. Respondetur, regulariter in his eleemosynis minutis esse animum transferendi dominium; licèt propter dolum possit reuocari donatio, vt cum aliis obseruat Lessius *lib. 2. de iustit. cap. 18. dub. 17.* Quare eiusmodi pauperes ficti rarò obligantur ad restituenda, quæ ita accepetunt per eleemosynas minutas præsertim, cùm aliæ causæ fuerint petendi, vel retinendi: de quo videri potest Molina *tom. 1. de iustit. disp. 210.*

114. *Quantam debeant dare diuites.* Dubitatur decimò, vtrùm diuites debeant dare eleemosynam proportionatam suo statui, & diuitiis. Hæc difficultas habet locum in Bullis antiquis, in quibus petebatur eleemosyna, *quantum pro sua cuique facultate visum fuerit*, quæ verba intelligi videntur de prudenti iudicio regulato iuxta rectam rationem, vt in simili explicat Panorm. *cap. 1. de sequestran. possess.* & idem est secundùm eundem *in cap. 1. de iudiciis*, si dicatur iudici: *Fac, quod tibi videtur*, intelligitur enim iuxta rationem. Vnde Corduba *de Indulg. q. 27.* dicit, non satisfieri, nisi singuli dent iuxta conditionem suam, Rex, vt Rex; diues, vt diues, &c. Alij tamen dixerunt, sufficere dare id, quod alij suæ conditionis in simili casu dare solent, licèt non sit secundum proportionem facultatum, & reddituum. Cæterùm, iam nunc non superest difficultas; verba enim sunt hæc: *Et eleemosynas ad libitum, prout charitas singulis suggesserit, fecerint.* Et rursus: *Et eleemosynas similiter pro arbitrio suo fecerint.* Curandum tamen vt sint in quantitate proportionata ad finem improbandi diuinam opem.

115. *An Religiosi debeant etiã facere eleemosynam.* Dubitabis vndecimò, an Religiosi, & alij pauperes debeant dare eleemosynam, vel certè aliquid aliud facere, in quod à Confessario eleemosyna commutetur. Aliqui negarunt, quia Bulla antiqua dicebat: *Et eleemosynas, qui illas largiri potuerint, Christi pauperibus iuxta vniuscuiusque deuotionem, erogent.* Alij tamen affirmarunt: quia in eadem Bulla subdebatur, quòd qui præmissa implere nequiuerint, fiat illis commutatio in illa pietatis opera. Et hic sensus est iam magis clarus in Bulla moderna, in qua eleemosyna exigitur absolutè, sicut alia opera, subdita facultate commutandi, quæ impleri non possint.

116. Quomodo autem Religiosus, qui nihil habet suum, possit dare eleemosynam: dicendum est, licèt in particulari nihil habeat; habere tamen in communi, quatenus, quæ habet Conuentus, habent singuli partialiter, cùm Conuentus sint omnes Religiosi: quare, quod Conuentus dat, omnes partialiter dant, quod sufficit ad dandam verè eleemosynam; sicut, si duo haberent pro indiuiso fundum, & concederent pauperi accipere fructus ex illo, verè darent eleemosynam. Potest etiam Religiosus dare eleemosynam per alium, vt si amicus sæcularis pro eo det: tunc enim interuenit duplex contractus, alter, quo sæcularis dat Religioso illam pecuniam; alter, quo Religiosus per sæcularem illam dat pauperi, & ad vtrumque requiritur licentia Prælati, vt *suprà* in simili diximus.

117. Petes primò: quid, si Prælatus det ex bonis communibus eleemosynam pro omnibus subditis, ipsis id ignorantibus? Respondeo, quòd non satisfieret, nisi ipsi saltem intra hebdomadam, id legitimè scientes, ratum haberent: quia dare eleemosynam est actio moralis, ad quam requiritur aliqua cognitio, & voluntas, vt constat: debent ergo præmoueri de voluntate Prælati dandi eleemosynas eorum nomine. Petes secundò: quid dicendum de Fratribus Minoribus, qui neque etiam in communi habent dominium: quomodo ij possunt dare eleemosynam? Respondetur, posse, prout de facto dant: habent enim vsum cum facultate libera transferendi dominium, & alienandi, quod sufficit, vt illa sit verè eleemosyna, & pauperi acquiratur dominium rei acceptæ; licèt, qui dat, non habuerit illud.

118. *Quæ opera possint commutari.* Dubitatur duodecimò de facultate commutandi prædicta in alia pietatis opera, de qua olim sic dicebatur in Bulla: *Eos quoque, qui morbo, vel aliquo impedimento detenti præmissa adimplere nequierint, si alia opera fecerint, in quæ arbitrio suorum Confessorum, quibus super hoc facultatem impartimur, commutata fuerint; ipsius Indulgentiæ, & doni, ac aliorum prædictorum participes esse volumus.* Ex quibus verbis colligebant multi, & quidem meritò, non solùm ieiunia, eleemosynas, &c. sed & ipsam Communionem, imò & Confessionem posse aliquando in alia opera commutari. Vnde inferebãt, pueros, qui communicare non poterant, vel eos, qui carcere detenti Communionem non poterant accipere, vel fortasse nec Confessionem facere, quia non poterant Confessarium habere; posse tamen lucrari Iubilæum, si Confessarius absens illis prædicta omnia commutet. Hodie tamen verba Bullæ modernæ paulò aliter habentur, hoc modo: *Regularibus autem personis vtriusque sexus, etiam in Claustris perpetuò degentibus, nec non aliis quibuscumque, tam laicis, quàm ecclesiasticis, sæcularibus, vel regularibus, etiam in carcere, aut in captiuitate existentibus, vel aliqua corporis infirmitate, seu alio quocumque impedimento detentis, qui suprà expressa, scilicet, ieiunium, eleemosynam, Ecclesiæque, seu Ecclesiarum visitationem; ac interuentum in processione, & orationem, vel eorum aliqua præstare nequiuerint, vt illa Confessarius, quem vt infrà elegerint, eis in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus prorogare possit, eaque iniungere, quæ ipsi pœnitentes efficere potuerunt, pariter concedimus, & indulgemus.* Vbi limitata videtur facultas commutandi ad ea solùm opera ibi expressa, in quibus non est Confessio, nec Communio: quia fortasse hæc vult Pontifex omninò in specie exhiberi à lucraturis Indulgentiam istam. Imò ex vi huius clausulæ, nec prorogari posse videntur impeditis Confessio, & Communio in aliud tempus; sed solis nauigantibus, & iter agentibus, quibus id *suprà* concessum fuerat: quod quidem difficile est: sed, stante illa clausula, non videtur manere amplior facultas.

119. *An Cõmunio commutari nunc possit.* Hinc infero primò, licèt, iuxta antiquam formulam, verum esset, quòd qui factis omnibus operibus requisitis, ipsa tamen die Dominica ante Communionem, cibo per inaduertentiam accepto communicare non potest, adhuc posset lucrari Indulgentiam, commutata sibi à Confessario Communione in aliquid aliud, vt docuerunt Sanctarellus, Graffius, & Henriquez, quos affert, & sequitur Diana *tom. 2. tract. 4. de Sacram. resol. 152.* nunc tamen ex vi huius clausulæ non posse habere locum; quia non datur facultas commutandi Communionem.

Quid de inuincibiliter ignorante Iubilæum. Infero secundò, licèt olim etiam verum esset, quòd qui tempore Iubilæi inuincibiliter illud ignorauit, posset, postea, quando habet notitiam, illud lucrari: vt docuit Bottenus *in obseruationibus Iubilæi Sixti V. fol. 131.* quem sequitur Diana *vbi suprà, resol. 151.* quia ille fuit legitimè impeditus: nunc tamen, stante hac clausula, & præcedentibus, non posse: quia solis nauigantibus, & iter agentibus conceditur prorogatio Iubilæi; cæteris autem impeditis solùm conceditur ex facultate Confessarij

festarij prorogatio aliquorum operum, & non omnium.

120. *An commutatio fieri debeat in opera, quæ eisdem diebus subrogentur.*

Infero tertiò, commutationem non debere necessariò fieri in opera, quæ eisdem diebus subrogentur, sed posse ieiunium Sabbathi, v. g. commutari in aliquod opus pium, quod fieri possit feria quinta, sufficit enim, quòd opera subrogata fiant extra hebdomadam: vnde ipso etiam Sabbatho possunt commutari opera, quæ diebus præcedentibus fieri debuissent: in Bulla enim non restringitur quoad hoc facultas commutandi.

A quo Confessario commutari debeant.

Dubitatur decimotertiò, an Confessarius potens commutationem hanc facere, sit solus ille, cui pœnitens confitetur, vel confiteri solet, an quilibet alius, cui confiteri posset. Respondetur, quemlibet sufficere, vt docent in terminis Henriquez *lib. 7. de Indulg. c. 10. num vltimo*, & Thom. Sanchez *lib. 4. in Decalog. cap. 54. num. 17.* quia quemlibet potest eligere ad omnes, vel ad aliquos effectus in Bulla concessos; nec necesse est, vt quem eligit ad vnum effectum, eligat ad omnes alios.

121. *An possit obtineri Iubilæum vna quo hebdomada.*

Dubitatur decimoquartò, an, qui Iubilæum lucratus est prima hebdomada, possit illud sequenti hebdomada iterum lucrari, & absolui iterum à peccatis reseruatis de nouo commissis. Prima sententia affirmat, quam tenent Henriquez *lib 6. c. 16. num. 3. & lib. 7. de indulg c 11. num. 1.* & alij multi, quos refert Diana *tom. 2. tract. 4. de Sacrament. resol. 151.* Secunda sententia negat, quam tenent Suarez *tom. 2. de relig. lib. 6. cap. 16. num. 17.* Thomas Sanchez *lib 4. in Decalog. cap. 54. num. 30.* & alij, quos refert idem Diana *ibi*: Filliucius autem *tom. 1. tract. 8. cap. 10. num. 278.* refert, Clementem VIII. ita respondisse etiam de Iubilæo anni sancti: & *num. 261.* testatur, ita etiam respondisse sacram Congregationem Cardinalium. Tertia sententia media concedit, posse fieri, quando prima hebdomada non fuit absolutus à reseruatis: quia illa tunc non habebat.

122. Ex his sententiis prima est probabilis propter auctoritatem tot Doctorum; & à fortiori, tertia erit etiam tuta: secunda verò est probabilior, quia verba Bullæ illam significant, dum conceditur altera ex duabus hebdomadis Iudulgentia plenaria. Sicut enim sumenti Bullam Cruciatæ hoc anno conceditur Indulgentia plenaria, & absolutio semel casibus Bullæ Cœnæ: tamen non posset secundam Indulgentiam, vel secundam absolutionem obtinere, qui durante eodem anno aliam Bullam acciperet, & aliam eleemosynam daret, nisi id specialiter in eâdem Bulla concederetur pro secunda vice; vnde pro tertia, vel quarta non potest: sic Indulgentia, & absolutio, quæ conceditur his duabus hebdomadis danti eleemosynam, & ieiunanti, &c. non potest bis obtineri à facientibus bis illa opera, nisi id specialiter concedatur cùm ratio sit omninò eadem.

Vnde infero, si quis Romæ lucratus est illud Iubilæum ibi promulgatum, & postea veniat Neapolim, vbi de nouo idem Iubilæum promulgatur: non posse secundò illud Neapoli lucrari, & absolui à reseruatis: quia, licèt locus sit diuersus, Iubilæum est idem. Si tamen Romæ noluisset illud lucrari, potuisset postea Neapoli illud lucrari, vt cum Sanctarello, & Vgolino concessit Diana *vbi supra*.

123. *An possit partim in vno loco, & partim in alio obtineri.*

Dubitari potest vltimò, an qui tempore promulgationis Iubilæi erant in ciuitate, sed non sunt ibi per totam hebdomadam, possint consequi Iubilæum perfecto itinere, vel etiam in ipso itinere. Multipliciter potest hoc contingere. Primò, quòd initio promulgationis sit aliquis præsens, & incipiat id facere opera: v. g. visitare Ecclesias, & postea proficiscatur. Secundò, quod nihil ibi facere cœperit. Tertiò, quòd initio non fuerit præsens, sed dimidia hebdomada transacta aduenerit. Dico itaque primò, in his omnibus casibus eum posse, si velit lucrandi Iubilæum postea finito itinere: facultas enim datur vniuersalis nauigantibus, & iter agentibus ita faciendi; & Pontifex vult, quòd vnusquisque habeat duarum hebdomadarum spatium in quo cum quiete, & deuotione possit se præparare: quare, licèt in loco publicationis fuisset per totam primam hebdomadam, & in dimidio secundæ hebdomadæ iter agat, poterit, finito itinere illud lucrari. Item, licèt vltimo die primæ, vel secundæ hebdomadæ iter contingat: quia, nec tunc habet hebdomadam completam ad quietem, & deuotionem requisitam.

Dico secundò, qui tempore promulgationis fuit ibi, potest ibi incipere, & prosequi in itinere 124. opera requisita. & in itinere ipso lucrari Iubilæum: non enim requiritur, quòd in eodem loco faciat omnia opera: alioquin non posset diebus, quibus ieiunatur, exire ex territorio, negotij causa, nocte reuersurus: quia illud ieiunium perageret alibi; quod tamen nemo concedet. Item si deuotionis causa vellet ire ad Confessionem secundam, & accipiendam Eucharistiam in aliquo loco per sex, vel septem milliaria distanti, in quo Iubilæum non est publicatum, quis negabit sufficere Confessionem, & Communionem illam ad Iubilæum? Non ergo requiritur, quod omnia opera ibidem fiant. Hinc autem probabiliter colligitur, quod possint omnia etiam extra illum locum fieri: cur enim magis requiratur vnum, quàm aliud? Solùm posset esse difficultas de visitatione Ecclesiæ designatæ in tali promulgatione pro tali loco: sed hoc opus posset ratione itineris commutari, sicut ob alia impedimenta, vel certè facilè posset ante ipsum iter Ecclesiæ designatæ visitari. Ratio autem à priori est, quòd per præsentiam in loco, vbi promulgatur Iubilæum, omnes ibi præsentes acquirunt ius ad illud lucrandum, omnibus enim præsentibus intimatur, & offertur illud priuilegium: acquisito autem iure possunt fiui omnibus facultatibus ibi concessis.

Hinc dico tertiò, etiamsi initio non fuit ibi 125. præsens; si tamen postea aduenit, potest ibi Iubilæum lucrari: quia per præsentiam statim acquirit idem ius, cùm promulgatio semper perseueret. Vnde licet aduenerit feria quinta, posset facere sibi commutari ieiunium feriæ quartæ in aliud opus, & prosequi faciendo alia opera requisita: quod etiam verum crederem, licèt ipso Sabbatho aduenerit: quia tunc potest commutatis ieiuniis subrogare alia opera, & visitare Ecclesias, ac confiteri, & die sequenti Eucharistiam sumere.

Ex hoc autem rursus inferri probabiliter po- 126. *An in itin.* test, si aliquis in itinere perueniat ad locum, in *re.* quo Iubilæum promulgatum est, licèt ibi non debeat permanere tota illa hebdomada, sed prosequi iter suum; statim tamen, sicut alios ibi commorantes, acquirere ius, atque adeò posse statim Ecclesias visitare, cæteráque opera iniuncta in itinere prosequi ad lucrandum Iubilæum. Quod enim parum temporis debeat ibi subsistere, non videtur obstare: nam si die Sabbathi venisset ad locum Iubilæi, tunc per medium diem hebdomadæ ibi adest; & tamen potest illo breui tempore lucrari

Iubilæum

Iubilæum, vt diximus. Rursus, si ad Iubilæum solùm exigeretur Confessio, Communio, visitatio Ecclesiæ, & eleemosynæ; hæc omnia possent facere illo breui tempore, & lucrari proculdubiò Iubilæum: per accidens autem est, quod petantur ieiunia trium dierum: tum, quia illis ipsis diebus posset alibi propter negotia commorari: tum etiam, quia illi, quibus ieiunia in alia pia opera commutantur, possunt eiusmodi opera pia paucis horis perficere: ergo breuitas temporis, quo ibi commorantur, non impedit, quòd acquirat ius ad lucrandum Iubilæum ibi promulgatum.

127. Petes, si Petrus præsens Romæ, quo tempore ibi promulgatum est Iubilæum, ibi eleemosynam fecit, & ieiunauit prima die, posteà veniat Tusculum, vbi eâdem hebdomada promulgatum etiam est, & prosequatur sua ieiunia, & alia opera; an possit ex vi vtriusque loci promulgationis frui Iubilæo visitando Tusculi Ecclesias ibi designatas, quas Romæ non visitauerat. Respondetur, absque aliqua commutatione id non posse fieri: quia ex vi promulgationis Romanæ solùm acquisiuit ius ad lucrandum Iubilæum positis operibus in ea promulgatione requisitis, quorum vnum erat visitare Basilicas Romanas: ergo ex vi illius promulgationis non potest lucrari Iubilæum non visitatis illis, sed aliis Ecclesiis. Rursus, ex vi promulgationis Tusculanæ non habet ius ad lucrandum Iubilæum per ieiunium, & eleemosynam Romæ factam: quia opera illa præcesserunt, vt suppono, & facta fuerunt, antequam veniret Tusculum, & per consequens antequàm promulgatio Tusculana daret illi tale ius. Vnde, sicut, si aliquis die Dominica paulò ante promulgationem Iubilæi visitasset Ecclesias designandas, illa visitatio non sufficeret; sed deberet post promulgationem illas visitare: sic opera facta, antequam ad illum ordinaretur promulgatio Tusculana, non prosunt, vt ex vi illius promulgationis lucretur Iubilæum. Neutra ergo promulgatio illi sufficienter prodesse videtur: poterit tamen facilè Tusculi facere sibi commutare ieiunium feriæ quartæ in aliud opus; & rursus dare aliam eleemosynam de nouo: atque ita ex vi promulgationis Tusculanæ poterit completè Iubilæum lucrari per ieiunia subsequentia, & Confessionem, ac Communionem Tusculi factam.

SECTIO VIII.

Quotuplex sit Indulgentia; à quo possit concedi, & ex qua causa; & quomodo expiret eius valor?

128. *Indulgentia alia totalis, alia partialis.* HÆc quatuor restant, quæ, quia facilia sunt breuiter expediemus. Quoad primum Indulgentia primò diuiditur in partialem, & totalem quæ etiam appellatur plenaria, seu plenissima, per quam totum debitum pœnæ remittitur: quod semper intelligitur, si peccata supponantur remissa quoad culpam. Quæri solet, quæ sit differentia inter Iubilæum, & Indulgentiam plenariam. Respondetur, ex parte effectus, quoad remissionem pœnæ, non differre, sed partim ex parte solemnitatis specialis, quam Iubilæum afferre solet; partim propter facultates alias, & indulta, quæ simul cum Indulgentia solent in Iubilæo concedi: de quo videri potest Suar. *disp.* 50. *sect.* 4. *n.* 8.

129. Indulgentia partialis est, quæ non concedit remissionem totius pœnæ, sed quoad partem aliquando determinando dimidiam, v.g. vel tertiam partem pœnæ debitæ, aliquando verò determinando annos, vel dies pœnæ, vt cùm conceditur Indulgentia quadraginta dierum, vel decem annorum. Quid autem significent hæ formulæ, latè tractat Suar *vbi suprà sect.* 5. *à n.* 11. Certum autem videtur, non significare tot dies, vel annos Purgatorij: quia hi sunt valdè heterogenei, cùm eadem pœna formaliter possit in Purgatorio ab aliquo desumi quadraginta diebus, quæ ab alio propter maiorem acerbitatem, & intensionem decem diebus soluatur. Melùs ergo explicatur per dies, vel annos pœnitentiæ sacramentalis, quæ iuxta Canones pœnitentiales antiquos solebat imponi. Cæterùm, quia illæ eædem pœnitentiæ non erant æquales pro omnibus, sed arbitrio Confessarij taxabantur graniores, vel leuiores, in illo anno, vel hebdomada faciendæ: ideò sensus prædictæ Indulgentiæ debet hic esse, vt per Indulgentiam quadraginta dierum, v.g. nunc concessam, remittatur tanta pœna Purgatorij, quanta correspondere posset pœnitentiæ quadraginta dierum, quam imponeret ei Confessarius iuxta antiquos Canones, cum ea grauitate pœnitentiæ, cum qua iuxta prudens Confessarij arbitrium deberet imponi huic homini propter sua peccata confessa, pro quibus hic, & nunc debet reatum pœnæ, de quo videri potest Suarez *vbi suprà*.

130. *Realis, localis & personalis.* Secundò diuiditur indulgentia in realem, localem, & personalem. Realis est, v.g. quæ conceditur alicui grano, vel imagini benedictæ. Localis, quæ conceditur, v.g. alicui Ecclesiæ. Personalis, quæ conceditur alicui personæ, vt in articulo mortis eam lucretur, vel quoties tale, vel tale opus pium fecerit.

Granū benedictum quid referat ad pietatem. Circa realem peti solet, quid referat ad pietatem habere hoc granum, vt eius intuitu concedatur Indulgentia. Respondetur in primis, non solere concedi intuitu solùm illius grani, sed principaliter in cultum alicuius Sancti, vel ob aliquam necessitatem, vel ob merita egregia alicuius Principis Christiani erga Ecclesiam. Deinde, ipsum etiam granum multùm conducit ad pietatem: quia conseruando, & venerando illud, eo ipso profitemur, & veneramur auctoritatem Summi Pontificis, à quo mediatè, vel immediatè granum illud fuit benedictum.

131. *An diruta Ecclesia, Indulgētia eius possit conferri in aliam.* Circa Indulgentiam localem quæri solet, an diruta Ecclesia, cui concessa erat, maneat Indulgentia in alia Ecclesia, quæ in eodem situ reædificatur. Aliqui Canonistæ dicunt, si auctoritate Superioris Ecclesia ab vno ad alium locum transferatur, deferre secum suas Indulgentias. P. Suar. *disp.* 52. *sect.* 1. *n.* 9. probabile id putat, quando in eodem situ statim alia ædificatur. Mihi tamen valdè dubia esset talis Indulgentia: quia reuera illa est alia Ecclesia, non solùm physicè, sed mortaliter; & ideò indiget noua consecratione. Aliter dicendum esset, si non tota simul, sed per partes diueretur: tunc enim nunquam prior Ecclesia desiit esse; sed semper mortaliter eadem perseuerauit, iuxta ea, quæ dixi *disp.* 20. *de Eucharist. sect.* 2.

§. 1. *Quis possit Indulgentias concedere?*

132. *Summus Pontifex de iure diuino Indulgentias concedit pro tota Ecclesia.* QVod attinet ad secundum de iis, qui possunt Indulgentias concedere, dicendum breuiter est, primò, Summum Pontificem de iure diuino posse eas pro tota Ecclesia concedere. Extra illum verò nonnulli id affirmarunt de Concilio generali; sed absque fundamento: quia nullibi reperitur Christi promissio, nec expediebat, esse duas

dnas potestates non subordinatas æquales. Deinque, cùm Concilium generale nullam aliam iurisdictionem habeat, nisi dependenter a Papa, non erat, cur hanc haberet, quæ minùs necesse est.

Episcopi quo iure indulgentias concedant.

De Episcopis aliqui dixerunt, habere hanc facultatem de iure diuino; quam sententiam benè impugnat Suarez *disp.55.sect.2.* & indicari videtur à Clemente VI. *Extrauag. Vnigenitus. de pœnitent. & remiss.* vbi de thesauro Ecclesiæ subdit: *Quem per B. Petrum cœli Clauigerum, eiusque successores, suos terris Vicarios, commisit fidelibus salubriter dispensandum.* Vnde colligi videtur, non aliis fuisse à Christo datas thesauri claues. Deinde à posteriori probatur: quia, si Episcopi à Christo haberent talem potestatem, non potuissent Pontifices Summi ferè totam eis adimere, provt de facto fecerunt. Vnde colligitur, nec quoad obligationem ortum habere à Christo hanc potestatem in Episcopis, vt dici solet de iurisdictione spirituali: quia non potuissent saltem licitè adeò notabiliter Pontifices illam limitare, sicut non potuissent licitè iurisdictionem spiritualem ad absoluendum ita notabiliter limitare.

133. Habent ergo de facto Episcopi facultatem à Papa concedendi Indulgentiam quadraginta dierum: in ipsa verò Ecclesiæ dedicatione vnum annum, vt constat *ex cap. cùm ex eo, de pœnit. & remiss.* Habent autem hanc facultatem annexam suo officio, & ideò potest dici ordinaria, ac per consequens delegabilis alteri: non tamen possunt concedere Indulgentiam pro defunctis: quia nullibi illis conceditur, & hæc facultas non censetur esse concessa, nisi exprimatur, vt significauit Sixtus IV. relatus apud Gabrielem *lect.57. in Canonem.*

134. *An plures Episcopi possint eidē personæ concedere plures quadragenas.*

Dubitatur primò, an plures Episcopi simul possint eidem personæ concedere plures quadragenas. Respondetur negatiuè: quia vnus Episcopus non potest alieno subdito dare Indulgentias, nisi ex virtuali delegatione Episcopi proprij: quare iam tunc Episcopus proprius non posset aliam quadragenam dare. Quando tamen subditus haberet plures Episcopos ratione duplicis domicilij, posset ab vtroque duplicatas Indulgentias accipere.

An peccet Episcopus excedendo.

Dubitatur secundò, an, esto, Episcopus peccet, excedendo illum dierum numerum; concessio tamen valida sit. Respondetur negatiuè, vt constat *ex cap. nostro, & cap cùm ex eo de pœnit. & remiss.* & ex declaratione Bonifacij VIII. *in cap. vlt. eod. tit. lib.6.*

135. *Si Episcopus concedat 60 dies, an valeat concessio vsque ad 40*

Dubitatur tertiò, an, si Episcopus concedat sexaginta dies, valeat concessio vsque ad quadraginta. Negarunt aliqui. Sed communis, & vera sententia affirmat, quam latè defendit Suarez *dicta disp.55 sect.3.n.13.* quia vtile per inutile non vitiatur. Et quidem Pontifex ipse, licèt aliquando excedat concedendo sine sufficienti causa, valet tamen concessio pro ea parte, ad quam causa erat sufficiens, vt videbimus.

Episcopus an possit concedere Indulgentias extra suum territorium.

Dubitatur quartò, an possit Episcopus concedere Indulgentias extra suum territorium. Respondetur, posse, respectu suorum subditorum; licèt & Episcopus, & subditi sint extra territorium: quia est actus iurisdictionis non contentiosæ, sed voluntariæ. Vnde posset etiam Indulgentias concedere loco existenti extra suum territorium; lucrandas tamen à solis suis subditis.

Indulgentias an concedere possit Episcopus non consecratus.

Dubitatur quintò, an Episcopus non consecratus possit eas concedere. Respondetur affirmatiuè: quia non est actus ordinis, sed iurisdictionis. Vnde poterit eas concedere in statu peccati; non tamen sit excommunicatus, neque etiam si sit consecratus; carens tamen iurisdictione, & subditis: quæ omnia ex eodem principio sequuntur.

136. *Episcoporum nomine qui veniant.*

Nomine Episcoporum venit in præsenti etiam Archiepiscopus in tota sua prouincia; etiamsi actu non visitet, vt colligitur *ex cap. nostro, de pœnit. & remiss.* Non tamen venit Capitulum Sede vacante; nec Abbates habentes iurisdictionem, quasi episcopalem in aliquibus locis, vt cum aliis probat Suarez *disput.55.sect.4.num.4.* Vnde multò minus Prælati aut Generales Religionum hanc potestatem habebunt, nisi in aliquo casu ex priuilegio sui Ordinis possint communicare Indulgentiam suis subditis.

Quam communicationem bonorum operū concedant Prælati Regulariter.

Petes, quid concedant prædicti Prælati Regulares, quando aliquos sæculares admittunt ad communicationem specialem, & participationem operum, & suffragiorum sui Ordinis. Respondetur per huiusmodi communicationem in primis non transferri in illos satisfactiones Religiosorum: quia hæc satisfactio communicari non potest, nisi ab ipsomet operante; sicut nec Missa subditi potest validè applicari à Prælato sine voluntate, & intentione determinata ipsius subditi offerentis, vt dixi *disp.19.de Euchar. sect.10.* Valet tamen illa communicatio, & applicatio Prælati ad quandam impetrationem specialem indirectam, quatenus, vt *suprà* explicuimus, Deus mouetur de congruo per bona opera alicuius iusti, ad benefaciendum iis, qui cum eo habent maiorem coniunctionem, v.g. filiis, fratribus, amicis, &c. Cùm ergo ille sæcularis recipiatur à Prælato in spiritualem Fratrem illius Religionis, iam eo ipso videtur habere maiorem quandam coniunctionem cum omnibus illis Religiosis, quam anteà; ac per consequens magis mouebitur Deus ad benefaciendum ei intuitu bonorum operum, quæ in tali Ordine fiunt. Adde, prodesse illi etiam directè suffragia, quæ in eo Ordine fiunt in communi pro eo Ordine, & eius membris, cùm iam ipse sit membrum illius. Alias item vtilitates ex illa communicatione resultantes, vide apud Suarez *disp.56.sect.5.* in quo sensu intelligenda est condemnatio cuiusdam propositionis VViclephi in Concilio Constantiensi *sess.8.* vbi inter alias propositiones damnatas ponitur ista, quæ est decimanona: *Speciales orationes applicatæ vni personæ, per Prælatos, vel Religiosos, non plus prosunt ei, quàm generales, cæteris paribus.* De qua propositione videri potest VValdensis *tom.2.de Sacramentalibus, tit.10.c.93. & seqq.* VViclephi

137. *Concessio Indulgentiæ per actum externum.*

Qui potest Indulgentias concedere, debet eas signo aliquo externo, & sensibili concedere; nempe, verbis, nutibus, vel scripto, &c. Quia procedit à iurisdictione concessa Pontifici, vt caput visibile est Ecclesiæ visibilis: quare debeat eam visibiliter gubernare. Conceditur autem Indulgentia aliquando ipso facto, aliquando autem concedenda postea ab alio, v.g. in articulo mortis. In quo casu dicunt aliqui, deficiente Sacerdote, posse concedi ab alio Clerico, & deficiente Clerico, posse etiam concedi à laico. Ita tenet Ioann. Valerus *in differ. vtriusque fori verb. Absolutio, difficult.13. num.3.* qui citat Nauarrum *de Indulg. notab.30. num.9.* qui id approbare videtur: quam sententiam approbat etiam Diana circa Indulgentiam Bullæ Cruciatæ *tom.1 tract.de Bulla Cruciata, resol.106.* Sed certè quoad Indulgentiam Bullæ Cruciatæ magis apparentet id dici posse: quia ibi non videtur committi Confessario, quòd eam Indulgentiam concedat; sed posita confessio, vel contritione, si non potuit confiteri, ipso facto conceditur. Quoad alias

alias verò Indulgentias non videtur probabile, quod de laïco dicitur: quia Pontifex nunquam committere solet laïco vllum actum iurisdictionis spiritualis, qualis est concessio Indulgentiæ, sicut nec potestatem excommunicandi, aut alia, quæ ad claues pertinent. Consulenda ergo sunt verba Indulti, quæ si, vt plerumque fit, Confessario id committant, res erit clara, nec poterit à Diacono concedi. Si verò solùm loquantur de Indulgentia concedenda in mortis articulo, res erit magis dubia, an possit Clericus non Sacerdos illam concedere. Consequenter tamen ad id, quod diximus *disp. 18. sect. 1.* non posse illum tunc absolnere à censuris, idem dicendum videtur de Indulgentiis: quia concessio Pontificis intelligenda videtur iuxta communem stylum, qui est, vt id fiat à Confessario, præsertim, cum vsus fidelium non sit alius; iuxta quem vsum præsumitur loqui Pontifex, quando aliud non exprimit. Facilius admitto, quod alij dicunt, posse Confessarium Indulgentiam illam concedere, licèt moribundum non absolnat: quia confessionem non potuit petere: sicut etiam in simili casu absolni posset à censuris.

§. 2. *De causa necessaria ad indulgentiam concedendam.*

138. *Causa requiritur ad Indulgentiã.*

QVod attinet ad tertium, certum est, requiri causam, vt licitè concedatur Indulgentia. Hoc omnes concedunt: quia hæc potestas data est Pontifici in ædificationem, & non in destructionem: vrgeret autem in graue Ecclesiæ damnum, si irrationabiliter superfluæ Indulgentiæ concederentur, vt habetur *in dicto cap. cum ex eo, de pœnit. & remiss.* Dices, ad hoc, vt detur alicui subsidium temporale, sufficiens causa est, eius indigentia: ergo & ad dispensandam hanc eleemosynam spiritualem sufficit indigentia lucrantis Indulgentiam, quæ causa semper reperitur. Respondetur, antecedens non esse verum, quando ex liberalitate erga aliquem, qui aliàs potest sibi proprio labore subuenire, sequeretur otium, desidia, & facilitas ad vitia. Sic ergo concedere Indulgentias sine causa, non esse opus misericordiæ, sed crudelitatis: quia hac occasione homines licentiùs peccarent, & cessarent ab operibus studiosis.

139. *An sit valida sine causa.*

An verò requiratur causa ad hoc, vt concessio Indulgentiæ sit valida: negarunt aliqui antiqui, teste Paludan. *in 4. dist.* 12. Communis omnium Theologorum sententia id affirmat. Probatur primò ex loquutionibus Pontificum, qui semper dicunt, quòd Indulgentiæ ex rationalibi, & iusta causa possunt concedi. Ita loquitur Clemens VI. *in dicta Extrauag. Vnigenitus.* & Martinus V. *in Bulla, quæ habetur post Concilium Constantiense*, & Leo X *in Decretali illa ad Caiet.* Secundò probatur: quia Papa non est Dominus thesauri, sed dispensator, vt constat ex illo Pauli primæ ad Corinth. 4. *Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei* & 1. Petri 4. *Sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei.* Dispensator autem non potest sine causa disponere de rebus domini. Tertiò, quia aliàs posset validè vno verbo liberare omnes animas Purgatorij singulis diebus: quæ potestas incredibilis est. Quartò, quia non potest validè dispensare in voto, quia eius obligatio est de iure diuino: ergo neque in reatu pœnæ, cuius etiam obligatio est de iure diuino.

D. Paulus.

D. Petrus.

140. Dices: Collatio beneficij Ecclesiastici facta indigno, valida est, licèt conferens non sit dominus, sed dispensator; & licèt sit contra ius diuinum. Respondetur, quidquid sit de antecedenti, negando consequentiam: illa enim collatio in primis valida est, ne sequantur grauissima incommoda, habendo pro vero Parocho eum, qui talis non est: & aliunde ex eius valore nullum sequitur incommodum, cùm semper remaneat obligatio irritandi illam. At verò inualiditate Indulgentiæ nullum sequitur incommodum, & aliunde grauissima incommoda sequerentur, si concessio esset valida. Deinde, collatio beneficij indigno est quidem contra prohibitionem iuris diuini, non tamen destruit ius diuinum, vel eius obligationem; ideò est peccatum, quia remanet obligatio iuris diuini circa illam: illa ergo actio est inualida sine causa, quæ est contra ius diuinum, tollendo eius obligationem, vt dispensatio in voto, & similia, non quæ est contra ius diuinum illam prohibens: nam prodiga donatio est contra ius diuinum; & tamen est valida.

141. *An sine causa æquali.*

Quæstio est, an non solùm requiratur causa ad valorem Indulgentiæ, sed etiam causa æqualis, & proportionata. Prima sententia negat, quam tenuerunt S. Thom *in 4. dist. 20. quæst. 1. art. 3. quæstiunc. 2.* & alij quamplures, quos affert Suarez *disp. 54. sect. 3. num. 1.* & est communis, teste Durando, *illa dist. 20. quæst. 4.* Secunda sententia verior, & iam communis petit etiam ad valorem æqualitatem causæ, non quidem secundùm quantitatem, sed secundùm proportionem. Hanc tenent Albert. Bonauent. Richard. Adrian. Caiet. & alij, quos affert, & sequitur Suarez *ibi. num. 5.* Probatur primò ex supradictis loquutionibus Pontificum, qui potestatem concessam à Christo dicunt ad dispensandum thesaurum *ex rationabilibus, & iustis causis.* Secundò probatur: quia tam dissonum est rationi pro parua causa concedere magnam Indulgentiam, quàm pro nulla causa concedere paruam: ergo, si hæc secunda concessio non est valida, nec etiam prima erit valida. Tertiò probari potest ex verbis Bonifacij VIII. *in Extrauag. Antiquorum, de pœnit. & remiss.* vbi concessa Indulgentia plenissima anno Sancto visitantibus Basilicas Petri, & Pauli, addit: *vnusquisque autem plus merebitur, qui Basilicas ipsas & deuotius frequentabit.* Supponit ergo, magis certum esse Indulgentiæ effectum, vbi causa fuerit maior. Quartò denique probatur ex dictis; quia Pontifex non est dominus, sed dispensator, qui non solùm indiget causa, sed causa iusta, & proportionata ad validè operandum.

Bonif. VIII.

142. Obiicies primò, Indulgentiam inæqualem aliquando concedi solere propter eamdem causam: ergo non requiritur hæc proportio. Respondetur, illam causam esse proportionatam Indulgentiæ maiori, & superabundantem pro minori, quod non est inconueniens: quia non tenetur Pontifex concedere semper totum, quod posset pro tali causa.

Obiicies secundò, Indulgentia plenissima anni Sancti conceditur ciui Romano, visitanti Basilicas Vrbis, quod opus leuissimum est. Respondetur, proportionem causæ in ordine ad Indulgentiam non debere desumi ab aliquibus personis particularibus, nec ab eo, quod singuli faciunt, per se cõsiderato; sed à bono communi, quod resultat. Cedit autem maximè in honorem Dei, & vtilitatem Ecclesiæ, & professionem fidei, ac vnionem fidelium, quòd totus Orbis confluat ad vnum, & eumdem locum, vbi est Christi Vicarius, & corpora Principum Apostolorum: ob quam causam potest rationabiliter concedi Indulgentia plenaria omnibus, & singulis illuc concurrentibus, licèt per accidens

accidens aliqui possint sine magno labore illam obtinere. Sic etiam per Bullam Cruciatæ conceduntur magnæ Indulgentiæ, & facultates iis, qui tribuunt eleemosynam duorum Iuliorum, ad fouendum bellum contra infideles: quia, licèt illa eleemosyna respectu diuitis sit opus exiguum, bonum tamen, quod resultat ex collectione illarum pecuniarum, est maximum, & reddit rationabilem illam concessionem.

143. Obiicies tertiò, concedi sæpè magnas Indulgentias pro viuis, & defunctis, recitanti paucas orationes, quæ certè non videtur causa proportionata. Respondetur, eiusmodi Indulgentias non concedi solùm propter illam recitationem; sed, vel propter statum religiosum, quem personæ illæ profitentur; vel propter cultum, & deuotionem alicuius Sancti, in cuius honorem conceduntur; vel propter egregia merita alicuius Principis, ad cuius instantiam, & preces fit concessio. Neque etiam contendimus, interuenire semper istam, & proportionatam causam: hæc enim est res facti; quare sicut non est certum, absolui validè eum, quem Papa absolueret: aut esse validam semper dispensationem voti, quam concedit; sic non oportet, quòd sit certus semper valor Indulgentiæ concessæ: in dubio tamen semper præsumendum est pro valore, multas enim rationes cognoscit Superior, quæ latent subditos, & quæ possunt reddere rationalem illam concessionem.

144. *Quæ sit causa sufficiens.* Quæritur primò, qualis causa iudicari debeat proportionata ad Indulgentiam. Respondetur in primis debere esse causam piam: qualis est vtilitas Ecclesiæ, veneratio Sanctorum, constructio templi, audire conciones, & diuina Officia, pugnare pro defensione fidei. Pro temporalibus autem causis non conceduntur, nisi quatenus ad spiritualem vtilitatem possunt conducere, vt pro auxilio ad reprimendos hostes Ecclesiæ, pro constructione pontium, an pro viarum communium reparatione, quæ in bonum pauperum, & vtilitatem fidelium redundant. Deinde illa dicitur causa proportionata, quando omnibus prudenter pensatis, maior Dei honor, & spiritualis vtilitas consequitur ex Indulgentiæ concessione, quàm posset illa non concessa sperari per rigorosam punitionem peccatorum, aut exigendo, & sperando iustam satisfactionem: tunc enim vtiliter dispensatur, thesaurus ad ædificationem, alioquin dispensaretur ad destructionem, & corruptelam.

145. *An sufficiens, quando æstimatur sufficiens.* Quæritur secundò, vtrum, si re ipsa causa non sit proportionata, & sufficiens: æstimatur tamen prudenter talis à concedente Indulgentiam, concessio sit valida. Respondet Suarez cum aliis affirmatiuè *disp. 54. sect. 3. n. 11.* quia ab Oeconomo non requiritur, nisi quòd operetur, iuxta regulas prudentiæ, & à Christo etiam, qui sic operatur, vocatur fidelis seruus, & prudens: ergo, quoties operatur eo modo, fideliter dispensat thesaurum Christi, quod probabile, & pium est.

An valeat quoad partè. Quæritur tertiò, an si causa non sit proportionata ad totum, quod conceditur, concessio sit valida quoad partem, ad quam datur causa proportionata. Respondetur affirmatiuè cum communi sententia, quam sequitur Suarez *vbi suprà, num. 9.* quia Pontifex vult ponere illam remissionem, in quantum potest: ergo, si non potest totam, ponet partem, quam potest. Sicut etiam Sacerdos absoluens pœnitentem, qui confessus est quatuor peccata venialia, si de vno non sit dolor debitus, adhuc absoluet ab aliis tribus: quia vult absoluere, quantum potest.

Quæritur vltimò, an requiratur causa publica, vel sufficiat priuata. Respondetur, ad Indulgentiam particularem sufficere causam particularem; ad generalem verò requiritur causa generalis, nisi fortè bonum aliquod priuatum esset adeò magni momenti, vt meritò æquinaleret bono publico: iam enim omnibus pensatis esset causa prudenter mouens ad communicandum generaliter Ecclesiæ thesaurum. *An requiratur causa publica.*

§. 3. *Quomodo cesset Indulgentiæ valor?*

146. PRimò, cessat Indulgentia concessa pro vna vice, postquàm iam semel obtenta est. An verò sit talis, quæ in Iubilæo duarum hebdomadarum, vel per octauam Festi conceditur, dictum est *suprà*.

Cessat reuocatione. Secundò cessat per reuocationem concedentis, vel successoris, aut Superioris: & hoc, etiam si aliqui cœpissent facere opera requisita ad illam lucrandam, peccaret tamen, qui sine causa reuocaret Indulgentiam, alioquin vtilem: multò grauiùs quando ex parte lucrantis, ad eum finem sumptus facti fuissent, vt si Indulgentia concessa fuisset pro articulo mortis eunti ad bellum, vel concurrenti ad expensas, & ante Indulgentiam obtentam post laborem, vel sumptus positos, reuocaretur Indulgentia.

147. *An sufficiat reuocatio.* Dubitatur, an necessaria sit notitia reuocationis, vt intelligatur inualida. Respondetur, id regulandum esse iuxta doctrinam communem de reuocatione aliorum priuilegiorum: quare sufficiet ea promulgatio, quæ in lege reuocatoria priuilegij requiri solet, de quo Suarez *lib. 8. de legib. cap. 40. & seqq.* Si tamen Pontifex reuocaret per actum merè internum, quo vellet efficaciter, ex tunc etiam ante promulgationem, vel notitiam aliam, non habet valorem illa Indulgentia. P. Suarez *in præsenti, disp. 57. sect. 2. num. 10.* dicit peccatum quidem; sed reuocationem esse validam: quia efficacia Indulgentiæ pendet ex voluntate concedentis. Vnde, si exteriùs concederet illam sine voluntate interna, nihil valeret: ergo, licèt continuetur externa concessio, si mutetur intentio interna, nihil iam valebit. Nec obstat, quòd concessio non esset valida per solam voluntatem internam; ergo nec reuocatio: respondet enim, ad concessionem requiri vtrumque; nempe, actum externum, & voluntatem internam: quare ablato altero ex illis redditur inefficax; quia malum ex quocunque defectu, & ideò deficiente, vel actu externo, vel consensu interno, qui deficit per reuocationem internam, cessat concessio.

Hæc sententia mihi difficilis est, primò, propter doctrinam generalem: quam tradit cum aliis Thomas Sanchez *lib. 3. de matrim. disp. 36.* quòd licentia alicui concessa non reuocatur per solum dissensum contrarium concedentis. Secundò, quia fundamentum contrariæ sententiæ supponit falsum, scilicèt, quòd effectus, & valor Indulgentiæ pendeat ex voluntate præsenti concedentis: hoc, inquam, in rigore est falsum; quia non dependet, nisi à voluntate præterita legitimè intimata. Vnde, quando mortuus est, qui concessit, valor Indulgentiæ continuatur, non quidem propter voluntatem præsentem ipsius, cùm iam non habet authoritatem, neque etiam propter voluntatem successoris, vt indicat Suarez *dicta sect. 2. num. 3.* tum, quia fortasse nondum est electus successor; tum etiam, quia successor potest nihil de tali concessione cogitasse, nec in particulari,

lari, nec in communi : sed continuatur valor præcisè propter voluntatem præteritam, ex vi cuius applicuit thesaurum ad talem effectum suo tempore operandum : ergo ad impediendum effectum debet impediri causa præterita ; non quidem non conseruando illam, quia eius conseruatio non requiritur ; sed positiuè impediendo eius efficaciam, quæ non videtur posse impediri, nisi per actum externum : quia, sicut concessio Indulgentiæ requirit actum externum ; quia est actus iurisdictionis visibilis : sic reuocatio concessionis est actus iurisdictionis visibilis, nam successor non aliter potest reuocare concessionem prædecessoris, nisi propter iurisdictionem acceptam, qua potest claudere id, quod prædecessor aperuit: cùm ergo claues tam ad claudendum, quàm ad aperiendum pertineant ad iurisdictionem visibilem, debent exerceri per actus visibiles, & externos, vt validè operentur ; per quod patet ad fundamentum contrarium.

149. *Indulgentia Regularium, an reuocetur per Iubilæum vel per Bullã Cruciatæ.*

Quæri etiam poterat in præsenti, an per Iubilæum anni Sancti, vel Bullam Cruciatæ censeantur reuocatæ Indulgentiæ concessæ Regularibus. De hoc tamen diximus *suprà, disp.* 20. *sect.* 8. Solùm addo, licèt Bulla Cruciatæ non suspendat Indulgentias concessas Ordinibus Mendicantium, quoad eorum Fratres ; adhuc suspensam intelligi gratiam Altaris priuilegiati, quod sit in aliqua Ecclesia Mendicantium, vt cum Emmanuele Rodriq. docent Fernandez *in exam. Theolog. mor. part.* 3. *c.* 9. *sect.* 11. §. 19. *num.* 2. Villalobos *in Summa, tom.* 1. *tract.* 27. *cas.* 12. *n.* 13. & Diana 1. *tom. tract. de Bullæ Cruciatæ, resol.* 86. quia illa non conceditur pro solis Fratribus, sed pro omnibus fidelibus in vniuersum. Quare oportet, eum, qui Missam celebrat, habere Bullam Cruciatæ, ad hoc, vt possit vti illa facultate.

150. *Indulgentia cessat destructione rei, cui est affixa.*

Tertiò cessat Indulgentia per destructionem loci, vel rei, cui erat affixa. Solet tamen aliquando concedi, vt si amittatur, vel rumpatur granum, vel imago habens talem Indulgentiam, possit pro prima vice subrogari aliud granum, vel alia imago cum eadem Indulgentia. De quibus dubitari posset, casu quo imago illa amissa fuit, & facta sufficienti diligentia non potuit inueniri, atque ideò electa fuit alia ; an, si postea prior inueniatur, adhuc hæc posterior retineat Indulgentiam. Et quidem ego credo, non ampliùs priorem, sed posteriorem habere Indulgentiam : quia verificata fuit conditio, vt posset ritè eligi secunda, nempè, quòd prima fuisset amissa : ergo eo ipso legitimè fuit electa alia, & cessauit prioris Indulgentia : tutius tamen erit vtramque retinere.

151.

Petes, an illa electio possit fieri per actum merè internum : videtur enim exigi actus externus, sicut dicebamus, requiri actum externum ad concessionem Indulgentiæ : hæc quippe electio videtur esse concessio Indulgentiæ ex facultate à Pontifice delegata. Verius tamen videtur, sufficere voluntatem internam ; quia illa deputatio non est concessio Indulgentiæ : Pontifex enim solus concedit immediatè Indulgentiam habentibus talem imaginem à me deputandam. Quod à posteriori patet. Primò, quia facultas concedendi Indulgentias nunquam delegatur laïcis, aut fœminis ; & tamen ij possunt determinare grana, vel imagines. Secundò, quia, qui Indulgentiam propriè concedit, potest illam reuocare : qui autem semel deputauit talem imaginem, non potest reuocare postea talem electionem : non est ergo actus iurisdictionis : sed conditio ad concessionem factam à Pontifice : conditio autem ad Indulgentiam requisita, potest aliquando esse actus internus, vt *suprà* dictum est.

152. *An per renunciationem.*

Dubitatur primò, an cesset etiam Indulgentia per mortem concedentis. Respondetur negatiuè, sicut nec alia priuilegia, vel gratiæ, aut facultates, de quo dictum est latè *suprà disp.* 19. *sect.* 2. Dubitatur secundò, an cesset Indulgentia per renunciationem internam eius, cui concessa est. Respondetur negatiuè, imò nec per externam, nisi hæc acceptata fuerit à concedente : quia, cùm totus valor proueniat ab applicatione thesauri facta per habentem claues ; non potest per voluntatem alterius hic valor impediri. Poterit quidem eam non lucrari ; non tamen potest facere, quòd non maneat potestas eam lucrandi. Dubitatur denique vltimò, an cesset Indulgentia, cessante causa, propter quam concessa fuit, v. g. si concessa fuit Indulgentia pro conuersione ad fidem alicuius prouinciæ, & illa prouincia iam conuersa fuit. Respondetur, si Indulgentia fuit concessa perpetua, & causa erat ab initio sufficiens ad concessionem Indulgentiæ perpetuæ, durare etiam postea : quia causa, & motiuum non est perseuerantia illius necessitatis, sed necessitas præterita, quæ sufficiebat ad concedendum totum illud pro tempore sequenti. Si autem causa non erat sufficiens ad concessionem perpetuam, Indulgentia non valebit, nisi iuxta proportionem causæ, vt *suprà* dictum est. Quod idem dici debet de Indulgentia non perpetua : vt, si concedatur Iubilæum per duas hebdomadas pro impetranda pace, & prima hebdomada fiat pax, vel etiam antequam concessionis notitia perueniat ad aliquam prouinciam : adhuc enim obtineri poterit Indulgentia, quæ à principio fuit valida propter necessitatem tunc vrgentem, quæ habebat proportionem cum tota illa concessione. Et hæc sufficiant de tota hac materia, ad laudem & gloriam Omnipotentis Dei.

An per mortẽ concedentis.

An cessante causa, propter quam cõcessa fuit.

FINIS,